Digitized by Google

[BIBLI]OTECA NAZ.
[Vittor]io Emanuele III
[X]XX
E
35
NAPOLI

XXX
E
35

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


IOAN. CONRADI WECHTLERI
Medic: Doctoris
SERENISS. ET GLORIOS. CÆS. LEOPOLDI PERSONÆ MED.
VIVAT
REGNET.
TRIUMPHET.
HIPPOCRATES
HERMES TRISMEGIST.
HOMO ORIENS ET OCCIDENS. MDCLX.
GALENUS.
ARISTOT
Vix aliquid sepultæ.
Distat inertiæ Celata Virtus.
Cum Gratia et Priuil. S. Cæs. Maiest.
G. Strauch invent.
P. Troſchel

HOMO ORIENS ET OCCIDENS,

DUOBUS ACTIBUS ET LIBRIS IN SCENAM PUBLICAM ITA DATUS ET PRODUCTUS,

UT PRIMUS PRIMUM AB INFIMIS PRINCIPIIS AD SUMMAM PERFECTIONEM USQUE ASSURGENtem, ſecundus verò ſecundum ab hoc perfectionis ſtatu ad corruptionem cineresque delabentem complectatur. Vterque verò non tam Philoſophis quam imprimis Medicis ejusdemque artis cum Profeſſoribus maximè, tum ſtudioſis ſcitu neceſſarius.

OMNIA EX OPTIMIS QUIBUSQUE PARTIM MEDICIS PARTIM PHILOSOPHIS DESVMPTA, & in hunc, qui ſequitur, ordinem digeſta: Et accedit in fine appendix breviſſima de ſtatu animæ ſeparatæ ex lumine naturæ deducta.

Per

JOANNEM CONRADUM WECHTLER,
Phil. & Medicinæ Doctorem, Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi Perſonæ Medicum,

FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Impenſis CASPARI WECHTLERI, ut & Sumptibus Typisque
BALTHASARIS CHRISTOPHORI Wuſtii,

Anno M, DC. LIX.

Digitized by Google

FERDINANDUS TERTIUS.

DIvina favente Clementia Electus Romanorum Imperaror ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmariæ, Croariæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirttenbergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium Univerſis, quod cùm Nobis honorabilis Doctus noſter & Sacri Imperij fidelis dilectus Joannes Conradus Wechtler, noſter & Sereniſſimi Hungariæ ac Bohemiæ Regis filij noſtri chariſſimi Medicus humillimè expoſuerit, conſtituiſſe ſe opus quoddam intitulatum (HOMO ORIENS ET OCCIDENS) à ſe magnâ induſtriâ & labore confectum, rypis excudendum dare, vereri autem ne (quod fieri ſolet) alij Typographi quæſtus cauſa hanc ſuam editionem imitenrur, ideoque demiſsè Nobis ſupplicarit, ut indemnitati ipſius conſulere atque adverſus ejuſmodi periculum Privilegio noſtro Cæſareo munire clementer dignaremur. Noſque id genus precibus uti æquitati conſentaneis benignè annuendum cenſuerimus, prout per præſentes annuimus. Idcirco omnibus & ſingulis Typographis Bibliopolis, aliiſque quibuſcunque Librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prædictum Librum per decem Annorum ſpatium à prima editionis die computandum intra ſacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum Hæreditariorum fines, ſimili aut alio quovis typo vel formâ, ſive in toto ſive in parte recudere vel alio recudendum dare vel etiam alibi impreſſum vendere vel diſtrahere clam aut palam citra voluntatem & abſque ipſius VVechtleri in ſcriptis obtenta licentia præſumat; Si quis verò ſecus faciendo Privilegium & interdictum hoc noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere, aut tranſgredi auſus fuerit eum non modo hujuſmodi Libris perperam quippe recuſis & adductis (quos quidem præfatus VVechtler ubicunque deprehenſos ſive propria authoritate, ſive Magiſtratus illius auxilio ſibi vendicari poterit) de facto privandum, ſed & pœna inſuper decem marcarum auri puri Fiſco noſtro Cæſareo fraudis vindici pendenda, omni ſpe veniæ

(:) 2 ſub-

ſublata decernimus mulctandum; Dummodo tamen ſupradictus liber nihil bonis moribus contrarium, aut Cæſareæ noſtræ & Archiducali Authoritati, vel Sacri Imperii conſtitutionibus adverſum in ſe contineat, & terna minimùm exemplaria ad Cancellariam noſtram Imperialem Aulicam tranſmittantur. Mandamus ergo univerſis noſtris, & Sacri Imperii Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis, cuiuscunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis aut præeminentiæ exiſtant tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus, præſertim vero iis qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio vel Superiorum ſuorum nomine & loco juris & juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam Privilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur. quin potius côtumaces quos compererint, præſcripta pœna plecti, aliisq; idoneis modis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare maluerint; Harum teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcriptarum & ſigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Datum in Civitate noſtra Viennæ die decima nona Octobris Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo Regnorum noſtrorum Romani duodecimo, Hungarici vigeſimo tertio, Bohemici verò vigeſimo primo.

FERDINANDUS.

Vt

Ferdinandus Comes Curtius.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

I. VValderode.

LEOPOLDO,
SUMMO CHRISTIANI ORBIS PRINCIPI, CÆSARI JUSTO, PIO,

Solem, mundi oculum, Auguſtisſime Cæſar, neſcio quâ felicitate beavit Cœlum, ut naſci ſub ipſum adeò crepuſculum liceret, ſingulari utique prærogativâ, cujus luce in immenſum porrectâ, velut ex ordine diſpenſato beneficio, perſtringeretur univerſum. Sed brevis hæc felicitas ſuis etiam incrementis fit minor, & umbra tandem ſub veſperum ſtatam ſibi horam dicit, unde inclinato vultu ſpectat occaſum; Quæ res apud antiquos locum fabulæ fecit, ut quotidiè naſci ſimul ac mori ſolem, coactis in diurnum penſum vitæ anguſtiis, ſibi perſuaderent. Non multùm æquior humana eſt conditio, cui brevem periodum ſtata Mortalibus hora indulſit, quæ poſtquam eluxit, occaſum jam ſpectat operoſa illa Fabrica, quã artifex Dei manus in humani corporis compage abſolvit. Atque hoc tam rigidè ab humano genere tributum exigit natura, ut Sceptris etiam & Coronis propterea non vereatur imminere: Eam in rem ut

 aliàs

aliàs ſapienter providus Philippus Macedoniæ Rex quotdiebus per Ephebum conceptis Verbis ſuæ conditionis voluit admoneri, ut ſe hominẽ eſſe meminiſſet. Quamvis enim in hoc ampliſſimo mundi Theatro multùm cæteris homo emineat, non tamẽ in eum felicitatis gradum admiſſus eſt, cui fata darent hîc curſum vitæ immortalem, cùm præſertim etiam ad cunas ejusmodi ferat, quæ ſuâpte naturâ tumulum maturant & occaſum. Ergo, ut penitius inſpicere liceret, Hominẽ in lucem velut in theatrũ produxi, operoſè monſtraturus, quot actibus fabulam ſuam abſolvat: Ne verò in ipſo operis mei Veſtibulo ſacra Medicorum adyta temerarem, Hominem Orientem ac Morientem placuit appellare, quo nomine omnia Medicorũ de humani corporis ortu & interitu ſcita complector: Atq; in hoc theatro medico non opus fuit circumſpicere, qui ſcenã Authoritate ſua tueretur; nec enim alteri conſecrare fas fuit, quàm Auguſtiſſimo atq; Inviſtiſſimo Cæſari, ut cui multis titulis deberetur. Narrat Q. Curtius, qui res ab Alexandro geſtas litteris mandavit, pulvere ſubinde ac ſudore perfuſum Regem, ut calidum adhuc corpus ablueret, in Cydnum amnem deſcendiſſe inſpectante agmine univerſo, ratũ, decorum ſibi fore, ſi oſtendiſſet ſuis, leni ac parabili cultu corporis ſe contentum, quo ſcil. argumento Alexander ſe Hominem eſſe monſtravit. Ego aliis nominibus Hominem meum Orientem & Morientem ad ſacram Cæſaream ſiſto Majeſtatem,

LEO-

LEOPOLDUM inquam Imperatorem Auguſtisſimum potiori jure appello, ubi recepto, etiam ſeculorum decurſu, argumento, Auſtriaci quantũvis Sceptris & Coronis Inſignes, tamen Homines ſe meminerunt, ut qui humanitatem in alios propè infrà faſtigium ſibi domeſticam fecêre, quam ſi Verbis extendere præſumam, meridiano ſoli facem meritò videar accendiſſe. Me domeſtica urgent beneficia, quibus ſi minora mea ſunt obſequia, ignoſci volo; Nam ab homine ita profecta ſunt, ut tamẽ etiam deinceps Cæſaream liceat ſperare Humanitatem. Agnovit Philippus quondam, in quem amicitiæ gradum reciperetur, cum curando corpori ab Alexandro Magno fuit admotus; Unde ut ſe tantæ rei memorem oſtenderet, Rex, inquit, ſemper quidem ſpiritus meus ex Te pependit, ſed nunc ſacro ac Venerabili ore trahitur. Satis ſit mihi hæc ipſa Verba ad Sacram Cæſaream Majeſtatem velut pignus depoſuiſſe, quo & Cæſareæ Humanitatis magnitudinem, & fidei meæ obſequium abundè liceat atteſtari.

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis

Servus & Medicus

Joannes Conradus Wechtler.

PROGRAMMA
IN HOMINEM ORIENTEM ET OCCIDENTEM.

Viderat hunc Librum Natura, & fronte retortâ
Bella mihi, geminans, Bella parantur, ait.
Mortis iter patet hîc, examina triſtia morbi,
Et vita emoriens, flet velut Hora, gemit.
Non ſatis eſt, quod quemque dies citet ultima? certam
Quid juvat ad tenebras accelerare viam?
Sed cum tota Libri frons lecta eſt, ore ſereno
Vita mihi, geminans, vita paratur, ait.
Namque Oriens hic ſpirat Homo, Cunabula vitæ
Dat Liber, & mortis quà via, claudit iter.
Numinis hoc opus eſt, Moriens Oriensque quod axem
Sol regat, arbitrio Numinis illud habet.
Non invita dedit Medicis Natura Deorum
Particulam, ad nutum vitaque morsque venit.
Quam me felici dextrâ Lucina reſolvit!
Quam læto micuit Lumine prima dies!
Iam mihi non ficto (Troiæ velut exul habebat)
Nomine fas fuerit dicere, Nate Deo.

Poſitum à Ioanne Henrico Wechtler, Phil. & Iuris Vtriusq; D. Authoris filio.

AD LECTOREM.

HAbes hic, Amice Lector, hominem, quem tibi, ut inter viventia nobiliſſimum, ſic poſt Angelos creaturam proximam, toto hoc opere propono, & velut in Scenam exhilarantis Comœdiæ produco, non quidem actu unico totum, ſed multis & diſtinctis eundem, paulatim ab infimis Principiis emergentem, & in eam perfectionem, quæ illi debetur, ſuccreſcentem: Et ut ſummam REI breviter capias, propono tibi hominem eo modo, quo eum è viliſſimo ſubjecto intra Matris viſcera formari primò, tùm animari, nutriri, augmentari, moveri, naſci, ſentire, videre, &, quod caput perfectionis eſt, velle, & intelligere cernis. Neque hæc parva credas ſpero, quia nihil excellentius eſt in homine, nihil ſublimius & dignius, quam ſua principia, ſuamque naturam, & eſſentiam capere, cumque in ſtatum à Deo ſe collocatum eſſe, & eo intelligendi munere præditum, ut in ſimilitudinem altiſſimi formatus omnia, quæ vaſtiſſimus capit Orbis, ſubjecta ſibi ſciat & cognoſcat. Et certè quantum homo, qui rationalis eſt, creaturas omnes toto univerſo exiſtentes, primoque Cœlorum mobili concluſas, ſi unicos exceperis Angelos, dignitate & nobilitate exuperat, tantum etiam ejus generatio, productio, forma, & potentiæ, quæ rei & naturæ æternum duraturæ debebant eſſe, cunctis ſpecierum omnium facturis, quas humanus oculus videt, aut intellectus in hac vita cognoſcit præſtare videntur; quippe opus, & in primo Adamo & in eius Poſteris divinæ liberalitatis & magnificentiæ, opus exquiſitiſſimæ abſolutiſſimæque ſapientiæ, opus ſupremæ potentiæ, ſingularisque bonitatis. Et hinc res nulla eſt in iis omnibus, quæ ſub aſpectum cadunt, & natura conſtant, in qua plura Divinæ Majeſtatis attributa ſe prodant, nulla, quæ magis vel ipſos etiam Angelos eam contemplantes movere ad admirationem poſſit: Magnum enim homo mundi miraculum eſt, germen immortalitatis, microcoſmus, & delitiæ Orbis terrarum, Angelorum ſocius & Frater ſecundò genitus, imago & ſimilitudo Divinæ Majeſtatis, Filius omnipotentis Dei, & hæres theſaurorum ejus, olim in creatione mundi epitome rerum creatarum, horizon, nexus, perfectio, & finis divinorum operum omniumque creaturarum, ut pulcherrimè ſcribit Salianus de opere 6. dierum. Et huius prima principia, formam & materiam, formationem, generationem, animam, vitam, omnesque potentias & operationes, quibus tota perfectio clauditur, habes hoc primo opere, Candide Lector, ut videas non pauca eſſe & vilia, quæ

 ad

ad hominem ejusque naturam pertinent, & in quibus cognoſcendis, explicandis, & docendis cùm olim, tùm noſtris adhuc ſæculis tanta ſemper ingenia laborarunt & deſudarunt; Et horum meliorē, communioremque doctrinam ſecutus nihil omninò dixi aut concluſi quod meum ſit, ſed omne pulchrum, jucundum & utile ab iis hauſtum, in hanc fotmam redegi, hoc ſtylo & ordine diſpoſui, ut ſcias hunc librum mole non magnum, ſed doctrina & ſcientia ingentem, non mei eſſe laboris & Ingenii, imò nec unius hominis, ſed multorum graviſſimotum Theologorum, Medicorum, & Philoſophorum, qui in exprimenda excellentia & nobilitate humanæ ſpeciei peculiariter jam à multis ſeculis deſudarunt. Judicavi autem in hanc formam omnia eſſe diſponenda, ut Philoſophi ſciant, quam benè & laudabiliter ſuos labores in contemplanda hominis natura impendant, ſed & Medici videant, quam eximium objectum habeant, cujus eſſentiam cum Philoſophis conſiderent, & cujus ſanitatem, quæ auro & quibusvis mundi pretioſis præſtantiot eſt, tueri ſtudeant. Quicquid itaque Philoſophia habet medicum, & quicquid Medicina philoſophicum, hoc totum homo hic cum Oriens tum Occidens comprehendit, idque univerſim eſt, quod Philoſophis & Medicis, ſed & cuivis Viro bono, qui ortus & occaſus ſui memor non in terris ſed in feliciori Patria ſuum quærit terminum, legendum, conſiderandum, & contemplandum ptoponitur, Sequitur itaque

LIBRI

LIBRI PRIMI
Hominis Orientis
DISPUTATIO PRIMA,

De Principiis hominis Orientis in genere.

AB his ordiri ſolet, qui hominem eiusq; tùm ortum tùm interitum explicat: habet enim homo ſua principia nō tantum à quibus producitur, ſed etiam ex quibus intrinſecè conſtat & compoſitus eſt ut proinde neceſſum videatur ea generationi, quæ dant primum eſſe omni naturæ corruptibili, præmittere: Certè nullum eſt corporum naturalium, quod non ſuis & quidem iiſdem, de quibus hac præſenti Diſputatione agendum eſt. conſtet principiis, adeò etiam ut iis ſublatis omnia deſinant, & in antiquum chaos ſive abyſſum revolvantur. De his, quid antiqui Philoſophi ſenſerint & ſtatuerint, videri poteſt Ariſtoteles, qui eos propter inſignes errores variis in locis reprehendit: Nam imprimis qui unum aliquod principium rerum naturalium aſſerebant, ipſe refellit 1. Phyſ. c. 6. ad initium propterea quod rerum principia debeant eſſe contraria. Et hoc idem demonſtrat L. 3. de Cœlo c. 5. & 1. Metaph. c 6. ubi cum Hipp. l. de natura hominis, & Gal. de Elementis multa contra huiusmodi Philoſophos ſcribit. Deinde, qui duo ponebant principia, refutat 1. Phyſ. c. 6. & oſtendit non quodvis ex quovis fieri poſſe, ſed ex oppoſitis, ita ut omnis mutatio à contrario in contrarium deflectat: Sed nec Empedoclis ſententiam tolerare potuit, quod is pervulgata 4. Elementa omnium rerum initia poſuerit: quam vehementer enim ipſum erroris condemnet, patet ex 1. de gener. c. 1. 2. de gener. c. 6. & 1. Metaph. c. 7. Qui deniq; infinita volebant principia, vel maximè exagitat 1. de gener. animal. c. 1. ubi ait naturam horrere infinitum, quod idem docet 1. Phyſ. c. 4. 3. cœl. c. 4. aliisque in locis. Cæterùm homo eſt, qui inter res naturales recenſetur, & cui proinde ſua principia debentur, quorum exiſtentiâ ipſe quoque exiſtat, non infinita quidem, aut tot numero, quot à principiorum rudioribus affinguntur, ea tamen, quæ neceſſaria ſunt, & quæ tam ad eſſe quam ad exiſtere requirit. Vt itaque ad frontem huius primi operis appareat, quibus fundamentis homo producatur, & quam firmis, validisque ruderibus innitatur, dicam ea, quæ jam dudum ex mente Ariſtotelis quique Viri magni, & ingenio excellentes, quà voce, quà ſcriptis dixerunt, & docuerunt. Sit itaque

DIFFICULTAS I.

An & quomodo conſtet dari Principia, quæ hominem Orientem intrinſecè conſtituant?

ADVERTE, Principium variè accipi poſſe, hic autem duobus modis; nam primò ſumitur latiſſimè pro eo, à quo aliquid quacunque tandem ratione procedit, ſive inde dependeat ſive non, & definitur, quod ſit primum unde aliquid eſt, fit, aut cognoſcitur, quo ſenſu continet ſub ſe varia genera Principiorum, ut primò principium eſſendi vel influendi, qua ratione Sol eſt principium ſeu cauſa luminis, ignis caloris: 2. inchoandi, quo pacto principium diei eſt Aurora: 3. cognoſcendi, quo modo præmiſſæ ſunt principium concluſionis, &c. Secundò accipitur principium preſſius, diciturque propriè & phyſicè, ex quo res naturalis intrinſecè & eſſentialiter vel in fieri, vel in facto eſſe conſtituitur; Et de principiis hoc modo ſumptis agetur in poſterum, quia principium, quod eſſentialiter conſtituit hominem, non eſt extrinſecum ſicut generans, v.g. virtus paterna, calor Solis & ſimilia, quæ extrinſecus tantum attingunt productionem hominis, leonis, arboris, ſed intrinſecum & formale, ut forma & materia, quibus homo cæteraque animalia vivunt & exiſtunt. His poſitis *Principium variè ſumitur.*

DICO, dantur verè principia, quæ hominem orientem intrinſecè componunt: eſt neceſſarium hoc toti univerſo, ne ſublatis iis omnia in nihilū ruant. Et hinc probatur concluſio hūc in modū primò, inter res ſublunares *Dantur principia rerum naturalium.*

homo

homo oriens componitur ex partibus tam ſubſtantialibus, quàm accidentalibus, ergò dantur principia ex quibus intrinſecè conſtat: Antec: manifeſtum eſt primò, quia niſi homo ita componeretur, nunquam verè & propriè exiſteret. 2. Patet hoc ex generatione & reſolutione cùm hominis tùm corporum naturalium, quorum deſitio eſt in materiam, & productio in rem ex eadem materia & nova forma conſtantem. 3. Homo non conſtat nec componitur ex ſola forma, quia hæc eſt talis actus, qui in rebus ſublunaribus perpetuò ſubjectum informandum & actuandum requirit, nec ex ſola materia, quia hæc ex ſe nullum decorem habet, nec dat aut conſtituit eſſe, ut ex infrà dicendis patebit; ergò ex materia & forma inter ſe unitis, quæ formaliter & eſſentialiter ſunt principia intrinſecè hominem Orientem conſtituentia. Probatur conſeq: quia illa ſunt principia ex quibus res fit & componitur, nempè materia & forma, ne dicatur aliquid ex nihilo conſtare contrà illud Ariſtot. 1. Phyſ. c. 4. quod ex nihilo nihil fiat. Probatur 4. Aqua calida reducit ſe ad priſtinum ſtatum frigoris per formam, ergò dabitur in aqua aliquid, quod ſit principium refrigerationis: Neque Dicas hoc provenire ex aliquo accidente, ſcilicet ex potentia conſervativa aquæ; poſito enim ſic eſſe, ergò minimum debetur hic effectus formæ tanquam principio ſuperiori, quia omne accidens debetur ſubſtantiæ: Deinde confirmat planè hoc argumentum, quod aqua ut res compoſita phyſica conſtet principiis. Probatur 5. ex vi ipſius nominis, quia principium eſt cujusque rei initium, & unde profluit eſſe & natura. Accedit denique tritum illud & receptum Philoſophorum axioma, nimirum cum iis, qui negant principia, non eſſe diſputandum, id quod videre eſt apud Ariſt. 1. Phyſ. c. 2. & multis ſæculis ante ipſum apud Hipp. L. de natura hominis, adeò quod omninò non ſit hominis id negare, quod & ipſe, & omnia ſublunaria intrinſecè conſtant & componuntur. Cum itaque homo oriens ſit verè compoſitum phyſicum imò omnium compoſitorum nobiliſſimum, facilè deducitur, eum intrinſecè conſtare principiis componentibus, quæ ſi ab eodem, ſicut & à quovis alio corpore phyſico demas, illud in nihilum ſuâ ſponte redigi neceſſum ſit.

Per quid aqua calida ſe reducat ad frigus nativum.

Dices, poſſet Deus omnes homines quos mundus capit deſtruere, quo poſito verum nihilominus erit Petrum eſſe hominem, qui tamen nec conſtabit forma, nec materia, ergo non principiis intrinſecè componentibus. Reſpondeo, argumentum vel concluſionem eſſe contra ſuppoſitum, quia ſi Deus deperderet omnes homines, etiam deperderet Petrum, qui proinde non exiſteret in rerum natura: Quamvis itaque verum ſit Petrum eſſe hominem, & hominem habere naturam humanam exiſtentem in conceptu v. g. Angelico, falſum tamen erit eſſe hominem actu in rerum natura exiſtentem, quia ad hoc requiritur forma & materia inter ſe unitæ, ad prius ſolum hoc, quod Petro debeatur humanitas ſi exiſtat.

Quæres, quis ſit ſenſus illius dicti, ex nihilo nihil fieri.

Reſpondeo ſenſum eſſe, ex nihilo, id eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto nihil fieri: Eſt autem fieri aliquid per actionem phyſicam ex ſubjecto præexiſtente produci; & hoc eſt creaturæ proprium, quæ ut aliquid producat, ſemper requirit ſubjectum præſuppoſitum in quod agat. Et hujus rationem ſumunt Philoſophi à priori juxta illud principium, quod videlicet modus operandi ſequatur modum eſſendi; cum enim eſſe creaturæ ſit immerſum potentialitati, non poteſt actionem habere vel elicere, quæ non ſit exigitiva ſubjecti. Et hinc colligitur quæ ſit cauſa, cur Ariſtot: mundum ab æterno poſuerit, quia videlicet non poterat capere, quomodo Creator Deus hunc in tempore ex nihilo produxerit, proinde malè ipſum cæterosque antiquos hoc axioma habuit, ex quo tamen benè probant Theologi, neceſſariò exiſtere Deum ab æterno, cum alioquin nihil fuiſſet poſſibile, eò quod nihil incipiat eſſe à ſe ipſo.

Ex nihilo nihil fit.

DIFFICULTAS II.

An & qualis in homine Oriente detur tranſmutatio?

Cum oritur homo, fit tranſitus ex non homine, id eſt, ex ſemine & ſanguine materno in hominem, & hoc ab effectis colligimus, à quibus in cognitionem cauſarum & principiorum devenire ſolemus: Hinc enim principia phyſica à poſteriori, videlicet ex tranſmutatione tam ſubſtantiali quam accidentali, & non tantum ex illo, quod ex nihilo nihil fiat, probamus. Eſt autem tranſmutatio ſubſtantialis, quando fit mutatio in ſubjecto & forma, ut quando totum perit compoſitum & producitur aliud, juxta illud, corruptio unius eſt generatio alterius: Accidentalis eſt, quando tantum fit mutatio in qualitatibus ſive primis ſive ſecundis, v. g. quando res, quæ prius erat calida, mollis & humida, paulatim fit frigida, dura & ſicca. Quæritur itaque an utraque hæc tranſmutatio detur in homine Oriente.

Nota 1. Per hominem orientem non intelligi ſolùm corpus animatum, ſed etiam embryonem ſive genituram ſuis jam organis & diſpoſitionibus ad animam formatam, quia ſunt hæ formæ partiales, quæ cum materia conſtituunt corpus phyſicum: Et quamvis hoc corpus homo necdum ſit formaliter, quia deeſt anima, à qua in eſſe hominis conſtituitur, eſt tamen radicaliter & diſpoſitivè, id eſt, in potentia proxima ad hominem, cujus jam omnes habet diſpoſitiones & organa ad informationem animæ ſpectantia.

Homo Oriens quid.

Nota

Nota 2. Nomen tranſmutationis non ſumi hic activè, quaſi principia tranſmutationis conſtituant hominem orientem, cæteraſque res naturales per ſuas actiones tranſmutativas, quia hoc modo principia non ingrediuntur eſſentiam corporum & compoſitorum naturalium, v.g. Pater eſſentiam Filii, Sol naturam ranæ, &c. Sumitur ergò nomen tranſmutationis paſſivè, quia principia quæ conſtituunt intrinſecè compoſita phyſica, variè alterantur ut materia, varieque producuntur & corrumpuntur ut forma.

DICO I. Datur in homine oriente tranſmutatio ſubſtantialis, & hoc idem de cæteris rebus naturalibus dum producuntur intellige, v.g. mutatio ſubjecti ab una forma in aliam, ut forma ſanguinis in formam oſſis, ferri in aurum, aquæ in lapidem, &c.

Tranſmutatio ſubſtans, Probatur 1. De fide eſt hominem præter corpus habere animam rationalem, ergò quotieſcunque hic generatur, erit ejus generatio tranſmutatio ſubſtantialis, quia in ſemine, ſanguine, embryone, dum tranſmutantur, recipitur forma ſubſtantialis, quæ eſt anima, facitque rem fieri & eſſe novum compoſitum ſubſtantiale, Similiter quando ex ſemine fit corpus organicum, producuntur formæ partiales ſubſtantiales oſſis, nervi, &c. Ergò in generatione hujus corporis, quod hominem orientem hic, licet necdum animatum vocamus, fit tranſmutatio ſubſtantialis. Antec: certum eſt, probatur conſeq, quia homo ante generationem non erat homo, ſed primum poſtea factus eſt talis, tranſitque de non eſſe ad eſſe hominis, ergò cum generatur, erit hæc generatio tranſmutatio ſubſtantialis: Quod autem de cæteris compoſitis naturalibus idem ſit dicendum.

Probatur 2. Quia omnia conſtant materiâ & formâ, quam tunc primò cum eſſe toto acquirunt, quando per cauſas naturales producuntur, ergò quotieſcunque compoſita naturalia pereunt, & in aliam naturam abeunt, accidit hoc per tranſitionem ſubſtantialem: Nam hoc modo vertitur ſubſtantia alimenti in ſubſtantiam aliti, v.g. panis in ſanguinem, ſanguis in carnem, caro in vermem, hic in terram, hæc in lapidem, in ſtannum, plumbum, mercurium, aurum, argentum, &c. Similiter convertitur aër in aquam in viſceribus terræ montiumque cavitatibus ut docent pleriq; Meteorologici, hæc rurſum dum incaleſcit & attenuatur, in aërem, adeoque ſubjectum quod prius habebat formam panis, terræ, paulo poſt per ſubſtantialem tranſmutationem fit ſanguis, vermis, lapis, aër, aurum, argentum.

Mutatio accidentalis. DICO 2. Etiam in generatione hominis, rerumque naturalium datur tranſmutatio accidentalis.

Probatur, quando gignitur homo, idem ſubjectum quod prius erat molle, humidum, nubeum, fit poſtea durū, & ſolidum, ſiccum, ſubalbidum, imò idem homo, qui prius erat pallidus, fuſcus, fit ruber, candidus; Et eadem aqua, quæ prius erat calida, ſucceſſivè fit frigida, quod tactu experimur; Similiter videmus eundem parietem, qui prius erat albus, poſtea fieri nigrum, viridem, cœruleum. ergò datur aliqua tranſmutatio accidentalis, & conſequenter dabuntur principia phyſica, quibus fiant hæ tranſmutationes.

DIFFICULTAS III.

An ad hominem conſtituendum unum, duo, vel infinita requirantur Principia.

Longum hic foret recenſere ſectas & opiniones adeò multiplices & ridiculas Veterum Philoſophorum, quas de principiis rerum naturalium affinxerunt olim & docuerunt. Videri poteſt inter alios Benedictus Pererius L.4. de antiquis Philoſophis, ubi fusè turpes eorum errores, veramque Ariſt. doctrinam, cujus ipſe ſolertiſſimus Aſſertor, adducit. Vt itaque paucis conſtet an ſecundum legitimum verumque Philoſophiæ ſenſum unum, duo, vel infinita dentur principia.

DICO 1. Non datur unum tantum principium, quod hominem orientem & res omnes naturales actu conſtituat. Hæc ſententia & doctrina eſt Ariſt. paſſim L.1. Phyſ. *Vnum princ. non ſufficit.*

Probatur 1. Principia debent eſſe contraria, ergò etiam plura, ergò non unum duntaxat. Antec: patebit infra; Conſequentia vera eſt & manifeſta, quia ad conſtituenda contraria non ſufficit unum.

Probatur 2. Si unum & hominis & rerum omnium eſſet principium, etiam omnium una eſſet eſſentia, ſed hoc falſum eſt, ergò & illud; nam homo, lapis, equus, canis, arbor, planta, non tantum differunt realiter, ſed etjam eſſentialiter: Aſſumptum probatur, quia unum & idem principium non poſſet conſtituere res diverſarum naturarum, cum ipſum, eſſet unius ſimplicis eſſentiæ. Aſſertores hujus opinionis vide apud Pererium cit. & alios.

DICO 2. Non ſunt etiam duo principia, quæ hominem intrinſecè & eſſentialiter conſtituant ex eodem Ariſt. 1. Phyſ.c.6. *Nec duo.*

Probatur, Principia ſunt contraria, ſed ex duobus contrariis nihil fit, niſi adſit ſubjectum tanquam tertium ex quo unum expellat alterum, ut deinde novum cum ſubjecto compoſitum conſtituatur.

Quod ſi Dicas, Ariſtot. 1. Phyſ.c. 7. ſæpiùs facere mentionem duorum principiorum, ergò plura non erunt quam duo. Reſpondetur, Ariſt. loqui de principiis in facto eſſe, vel de principiis actu conſtituentibus & componentibus.

DICO 3. Principia etiam non ſunt infinita, ex 1. Phyſ.c.4. *Nec ſunt infinita.*

Probatur 1. Communis eſt ſententia, habeturque multis in locis apud Ariſt. non dari actu infinitum, ſed nec poſſe dari. 2. Sequeretur, quamlibet rem conſtare infinitis principiis

piis quod eſt abſurdum, & quod adhuc abſurdius, in qualibet gutta aquæ vel vini, vel in aliqua parte hominis reperiri omnes res ſublunares, imò & ipſos cœlos. Vide Conn. L. 1. Phyſ. q. 7. c. 1. & alios.

DIFFICULTAS IV.

An ergò firmiter Probetur ad hominem Orientem ſufficere tria principia.

SUppono principia vel eſſe compoſitionis ſive conſtitutionis & in facto eſſe, vel mutationis & in fieri, quibus poſitis

Princ. in facto eſſe ſunt duo. DICO 1. Principia quibus & homo & omnes res naturales actu conſtituuntur, ſunt duo tantum, ſcilicet materia, & forma. Et Ariſtotelis omniumque ſaniorum tùm Philoſophorum tùm Medicorum; & Ratio eſt, quia ad actualem exiſtentiam hominis non plura requiruntur quam hæc duo; Neque enim privatio hic locum habet, ut quæ cum forma planè incompatibilis eſt.

Dices 1. Si hominem intrinſecè forma & materia tantum conſtituerent, ſequeretur ſublatâ formâ, quæ rationalis eſt, nihil remanere præter materiam, ſed hoc falſum eſt, ergò plura principia quam duo requiruntur ad conſtituendum hominem: Min: probatur, quia quando moritur homo, remanet cadaver cum forma cadaveris, vel ut alii cum formis partialibus. Reſp. in ſententia eorum, qui formam cadaveris admittunt, ſublatâ animâ rationali hanc ſuccedere, atque adeò cum materia conſtituere corpus novum naturale phyſicum. Qui verò formas partiales docent, hi aſſerunt materiam ſufficienter iis informari & inſtrui, ideoque etiam in cadavere, ſive homine mortuo eſſe duo principia, materiam & formam, quæ intrinſecè & eſſentialiter conſtituant corpus phyſicum, materiam quidem, quia eſt ſubjectum commune omnium compoſitorum naturalium, formas verò partiales, quia jam induunt rationem informantis, cum prius ſub anima tanquam forma nobiliori & ſuperiori continerentur.

DICES 2. In homine actu exiſtente reperiuntur plura eſſentialia quam materia & forma, ergò falſum eſt, quod duo ſolùm principia conſtituant hominem intrinſecè & formaliter. Antec: pat: quia in homine præter materiam & formam ſive animam rationalem reperiuntur formæ ſubſtantiales partiales, & prædicata eſſentialia, ergò plura principia. Reſp. Imprimis, formas partiales eſſe in homine ſubordinatas animæ rationali, & ſub ea ſive eminenter ſive etiam formaliter, ut ex alibi dicendis patebit, contineri: Deinde prædicata eſſentialia non ſunt partes phyſicæ, quæ corpus naturale phyſicum conſtituant, ſed metaphyſicæ, de quibus hic ſermo non eſt, & quæ ita etiam formam ſequuntur, ut ubi hæc eſt, ipſa quoque repetiantur.

DICO 2. Tria ſunt principia mutationis ſubſtantialis, ſeu quibus homo & res omnes phyſicæ in fieri conſtituuntur, nec plura nec pauciora, materia ſcilicet forma & privatio. Eſt doctrina communiſſima, quæ ubique in Scholis publicè docetur. Et *Principia tria in fieri.*

Probatur 1. ex Ariſt. 1. phyſ. c. 6. 2. de gener. c. 9. 12. met: c. 4. aliiſque in locis; Nam 1. phyſ. c. 6. tria, inquit Ariſt. elementa rerum eſſe putare animadverris, nec tribus plura eſſe rationem nullam: Ad patiendum ſufficiens eſt unum ipſum; ſi verò quatuor contrariis ſumptis duæ contrarietates ponantur, utriſque ſeorſum alia quædam natura media ſubjiciatur oportet. &c. Deinde 2. de gen: c. 9. aliud inquit redditur ut materia, aliud ut forma; At par eſt tertium quoque adjungere, cum duo tantum ad generationem conſtituendam ſatis non ſint &c. Deniq; 12. metaph c. 4. omnium ait, ita quidem dicere non eſt, ſed analogicè, quemadmodum ſi quis dicat, quod principia ſint tria. ſpecies privatio & materia.

Probatur 2. Principia ſunt contraria, ſed ex duobus contrariis nihil fit, niſi adſit ſubjectũ, ex quo unum expellar aliud, ergò.

Probatur 3. Ea ſunt principia interna hominis rerumque naturalium, ſine quibus nec explicari poſſunt nec definiri nec intelligi; ſed hæc ſunt tria illa ſupradicta, ergò. Major vera eſt & indubitata, probatur minor; Nam quod mutatur, ſemper in ſe aliquid recipit, quod antea non habuit, videlicet formam. & illud quod recipit ſive mutatur, nihil eſt aliud præter materiam ſive ſubjectum; Non fuiſſe autem ante formam in materia nihil eſt præterquam privatio, ergò meritò concluditur in tranſmutatione ſubſtantiali ſive dum oritur homo, tria reperiri ptincipia, nec plura nec pauciora, ut materiam, formam, & privationem. Hoc optimè declaratur ſequenti Exemplo: Ad conſtituendum ſuæ generandum hominem concurrit imprimis materia, quæ omnibus rebus & corporibus eſt communis, & de qua infrà dicetur, tum forma, quæ in hanc materiam introducitur vel infunditur, & tertiò hujus formæ privatio, quæ in materia præfuit, & receſſit ad præſentiam formæ; De hac autem ſola cum nonnulla ſit controverſia.

DICES 1. Principium alicujus entis v. g. hominis, bovis, equi, &c. debet eſſe ens, ſed privatio non eſt ens, ergò non poteſt eſſe principium entis. Reſp. ſi ſenſus ſit de ptincipio conſtitutivo ſeu in facto eſſe, verum eſt; ſi de inchoativo ſive in fieri, falſum: Hoc idem patet in inſtanti, quod quidem non eſt tempus, poteſt tamen eſſe principium inceptivum & terminativum temporis, non autem conſtitutivum. Quod ſi Ariſt. aliquando dicat privationem eſſe unum cum materia, intelligendum eſt, materiam & privationem dici unum materialiter ſeu fundamentaliter, non tamen formaliter, ſeu in ratione principii; nam materia fundamentum eſt privationis, quia ex ſe habet aptitudinem ad omnes formas naturales, quamvis non idem ſit cum ipſa.

DICES

DICES 2. Principium debet eſſe res per ſe, ſed privatio eſt res per accidens, ergo non poteſt eſſe principium. ℞. diſtinguendo minorem, privatio eſt principium compoſiti vel entis actu exiſtentis per accidens, conceditur; generationis verò & mutationis, falſum, quia privatio requititut ad conſtituendum compoſitum phyſicum, quod ueceſſario tranſit de non eſſe ad eſſe; non autem requiritur ad ens jam actu exiſtens.

DICES 3. Priucipia rei naturalis ſemper debent manere, juxta illud Ariſt. 1. Phyſ. c. 6. ubi principia, inquir, ſemper manere oportet, ſed hoc de privatione falſum eſt, quia non maner ipſa eo inſtanti, quo producitur forma, ergò. ℞. Senſum Ariſt. eſſe de principiis poſitivis rantum, ut de materia & forma: Quamprimum enim unum exhisabit, perit compoſitum, ut videmus in homine, cujus anima ſi recedat, ipſe quoque perit.

DICES 4 Principium non debet eſſe poſterius ſuo principiato; Sed forma eſt poſterior rransmutatione, per quam fit, quia eſt velut terminus & effectus ejus, ergò non poteſt eſſe principium. ℞. Formam eſſe ptiorem ordine intentionis, poſteriorem verò executionis; vel ur habent alii, formam eſſe poſteriorem mutatione in genere cauſæ efficientis, prioré in genere cauſæ terminantis, quia generatio ſeu transmutatio terminatur ad formam.

DICES 5. Sicut generatio non poteſt concipi absque privatione, ita etiam non poteſt concipi absq; cauſa efficiente, ac ptoinde plura erunt principia quam ttia. ℞. Cauſam efficientem eſſe priucipium merè extrinſecum; Deiode ſi concipiatur generatio prout eſt actio proficiſcens à generante, vel prout eſt paſſio, ſic non poteſt concipi absque cauſa efficiente; ſi verò conſideretur ut eſt mutatio & tranſitus de non eſſe ad eſſe, ſic non indiget conceptu agentis aut patientis, ſed tantum materiæ, formæ, & privationis, quæ hic ſolùm ut ptincipia interoa accipiuntur. Argumenta veterum nihil valoris habent, proiode ſuperfluum eſt ea multis hic refutare, præſertim cum fuſius apud Philoſophos, ut Pererium Connimbricenſes & alios habeantur.

Colligitur ptivationem aunumerari tantum cœteris duobus principiis ut materiæ & formæ in ipſa entium transmutatioue, & non in conſtitutione vel actuali exiſtentia.

DIFFICVLTAS V.

Quid ſit Privatio?

SUppono ex dictis, dari privationem quæ ſit principium rerum naturalium cum fiuot & transmurantur: Et patet hoc ex Ariſtotele, qui, multa de hujus natura 1. Phyſ. hinc inde, tum maximè tribus ultimis Capitibus ſcripſit. Quæritur itaque hic, quid ſit privatio, & in quo conſiſtat ejus ratio.

Nota communiter ſumi privationem dupliciter, 1. fusè & in tali ſignificatione, in qua cujusq; formæ carentia in quocuoque ſubjecto ſive apto ſive non apto comprehenditur; hoc enim modo etiam lapis dicitur carere viſu, etiamſi non habeat ad eum ullam aptitudinem. 2. Strictè & in tali ſenſu, in quo intelligitur ſola carentia formæ in ſubjecto apto, & juxtà hunc ſenſum meritò cæcus dicitur habere privarionem viſus, quia ipſius oculus poteſt eum habere. Quia tamen hæc privatio vel reſpicit formam, quæ extitit ſemel ſed periit, vel illam quæ exiſtere poteſt in ſubjecto apto; Sic relictâ ptiori agetut hic de ultima, quæ eſt principium generationis vel mutationis. Hinc enim

Privatio quid.

DICO, Privatio eſt carentia formæ naturalis in ſubjecto ad eam recipiendam apto. v.g. in ſemine & ſanguine materno eſt privatio formarum oſſis, earnis &c. naturalis autem aptitudo ad easdem producendas. Ita communiter omnes Philoſophi ex Ariſtotele 5. metaph. c. 22. & 10. ejusdem operis c. 7. Dicitur 1. carentia formæ, in quo convenit cum negatione; nam qui caret viſu, brachio, pede, digito, de illo negatur pes, brachium, manus, digitus &c. Diciturque non habere viſum, pedē, manum, brachium. Dicitur 2. formæ naturalis, id eſt, quæ naturaliter debetur; Nam carentia talis formæ, quæ non debetur materiæ juxià ordinem natutæ, non dicitur benè privatio. Sic quod lapis careat viſu, panis carne Chriſti, & ſic de reliquis, non dicitur privatio, quia videlicet lapidi non debetur naturaliter viſus, nec panis conſtat carne Chriſti niſi ſacramentaliter. Dicitur denique in ſubjecto apto, ad differentiā puræ negationis de ſubjecto idoneo; nam in aqua v.g. non dicitur privatio formæ vini, ſed pura negatio, quia aqua oon eſt ſubjectum aptum ad formam vini naturaliter.

DFFICVLTAS VI.

An privatio ſit Ens reale, an rationis?

Privatio qualis Ens.

DICO 1. Privatio formaliter ſumpta non eſt ens reale. Ita docet Ariſt. 1. Phyſ. c. 8. uti ait, privatiooem ex propria ſua ratione non eſſe ens. Probatur autem ratione, privario eſt carentia & negatio formæ in ſubjecto apto; ſed talis carentia & negatio non poteſt dici ens reale, ergò privario non eſt ens reale, ſed formaliter nihil, ſeu non eſſe formæ introducendæ.

DICES 1. objectum ſenſus eſt quid reale; ſed privatio eſt objectum ſenſus, quia videmus renebras, audimus ſilentium, &c: ergo: R. Nos non percipere privationes, v.g. tenebras, ſilentium & ſimilia per ſe, ſed per accidens, id eſt, per abſentiam formarum, quarum ſunt privationes, ſic percipimus teoebras per abſentiā luminis, quod eſt reale & tenebris tanquam habitus ſeu forma contrarium; eodem modo ſilentium per abſentiam ſoni, &c.

DICES 2. Quod cognoſcitur, eſt Ens reale; ſed privatio cognoſcitur ab intellectu, ergò. R. Quod cognoſcitur per ſe, eſſe ens reale, conceditur major, quod cognoſcitur per accidens ſicut tenebræ, eſt ens reale, negatur. Nam tenebræ non cognoſcuntur per ſe primò, ſed primo oportet ſcire quid ſit lumen, ideoque illa quæ hoc modo cognoſcuntur, non ſunt ſemper Ens.

DICO 2. Privatio non eſt ejusmodi Ens rationis, quod omnino pendet ab intellectu.

Probatur, id non eſt purum ens rationis, quod convenit rei ante operationem intellectus; Sed privatio convenit ſubjecto antequam intellectus quicquam operetur, ergò.

Adverte Ens rationis aliquando ita conſtitutum eſſe, ut prorſus ſit nihil, & adeò nihil, ut tantum eſſe ſuum habeat à noſtro intellectu, à quo proinde operante oriatur, & deficiente moriatur; hujusmodi eſt chymæra, mons aureus, arx in aëre mira varietate & pulchritudine extructa; Aliquando autem nihil quidem eſt, ſed non purum nihil, & habet aliquod fundamentum in re, nec dependet ab intellectu, ut patet in materia v. g putri, quæ habet aptitudinem ad formam ranæ, & in qua eſt privatio ad hanc formam nullâ factâ intellectus operatione. Quod autem hujusmodi Ens rationis à priori, quod eſt purum nihil, diſcrepet, inde manifeſtum eſt, quia cæcitas v. g. eſt diſtincta à ſurditate, quæ ſunt ambæ privationes: Unum autem purum nihil non differt ab altero, ut ex ſe manifeſtum eſt. Itaque privatio eſt medium quaſi inter ens reale, & rationis.

Differentia inter negationem & privationem.

Colligitur 1. Negationem & privationem formaliter idem eſſe, quia utrumque dicit carentiam, differre tamen in connotato, quia privatio connotat ſubjectum aptum ad recipiendam formam, contra autem negatio; illud patet in cæcitate hominis, hoc lapidis. 2. Privationem ratione ſubjecti quod connotat, non eſſe meram negationem, aut purum nihil, ſed aliquid reale. 3. Privationem propriè non eſſe negationem formæ corruptæ, ſed introducendæ. 4. Privationis eſſentiam in hoc ſitam eſſe, ut ſit terminus à quo incipiat mutatio, &c.

DIFFICULTAS VII.

An his Principiis omnia corpora phyſica conſtituantur?

CONſtat materiam & formam eſſe principia, quibus res omnes corporeæ in facto eſſe conſtituuntur, & accedere privationem, quæ propter transmutationem materiæ formarumq; ſubſtantialium receſſus & acceſſus rationem quoque veri principii obtineat. Jam quæritur, an quicquid Univerſum complectitur, his ipſis principiis terminetur & abſolvatur, an verò nonnulla ſint corpora, quæ ab iis eximantur: Eſt autem ratio dubitandi primò, quia in humano compoſito non videtur materia poſſe uniri cum forma merè ſpirituali & immateriali. 2. Quia ex multorum opinione materia in prima mundi creatione aliquandiu extitit absque ulla forma, id quod per illud Gen. 1. terra autem erat inanis & vacua, ſignificatur; Sed cum ad hæc alibi reſpondendum ſit, idcirco.

DICO 1. Omnia corpora ſublunaria conſtant in facto eſſe ſolâ formâ & materiâ. Eſt hoc Ariſt. 2. de anima c. 1. ubi docet, ex materia & forma ſubſtantiali fieri unum per ſe.

Probatur 1. Ex iisdem principiis conſtant res corporeæ, in quæ tandem deſinunt: Sed deſinunt tantùm in materiam, & formam; in illam quidem, quia ſemper remanet, in hanc verò, quia aliquando cum materia remanet, ut patet in homine, aliquando perit & corrumpitur, ut patet in leone, lapide, cœterisq; rebus ſive animatis ſive inanimatis, ergò ex ſola forma, & materia conſtant. Probatur hæc minor, quia in corruptione rerum naturalium nihil ſubſtantiale corrumpitur præter formam, & nihil ſubſtantiale remanet præter materiam, ergò ſignum manifeſtum eſt, quod in his conſtituantur & compleantur omnia corpora naturalia. Et ſi dicas, requiri inſuper accidentia, ergò non ſolam formam & materiam, Reſp, hæc non requiri ut conſtituant compoſitum ſubſtantiale ſed accidentale, de quo infrà pluribus.

Cœli conſtant etiam materiâ & formâ.

DICO 2. Etiam cœli conſtant iisdem principiis, materiâ ſcilicet & formâ. Eſt hæc doctrina omnium peripateticorum, exceptis nonnullis quos citant Conn. 1. cœl. c. 2. q. 4. a. 1. Et

Probatur 1. Quod videlicet habeant materiam, quia ſi eſſent cœli immateriales, convenirent iis operationes immateriales quæ ſunt nobiliſſimæ, ut intellectiones, volitiones, quod tamen eſt abſurdum: Nam eorum actiones ſunt calefacere, frigefacere, & producere alios effectus materiales. 2. facti ſunt cœli ex præexiſtente materia, quam in prima mundi creatione Deus produxit, ut infra dicetur, ergò. 3. Cœli ſunt viſibiles, ſunt quanti, denſi, rari. &c. Ergò habent materiam. 4. Cœlis convenit motus phyſicus, qui eſt verum & proprium ſignum materiæ, imò appropriata affectio entis mobilis, ut habet Ariſtoteles 2. Phyſ. c. 1. ſtatim ad initium. Accedit denique authoritas ejusdem Ariſtotelis, qui tum multis in locis, tùm 1. cœl. c. 2. & 9. expreſsè materiam cœlis attribuit: nam c. 2. ſtatim ad initium dixit, cœlos ideò moveri quod ex naturis conſtent, id eſt, ex materia & forma. & c. 9. repetit cœlos eſſe ſenſibiles, & omne ſenſibile eſſe in materia: Quod autem materia cum forma ſufficiat ad conſtituendam cœlorum eſſentiam & exiſtentiam, Ratio eſt, quia ſufficiunt in aliis corporibus rebusque ſublunaribus in quibus omnibus ſemper & ubique eadem eſt ratio.

DICES 1. Cœlum eſt incorruptibile, ergò absque materia; nam omnia, quæ ſunt corruptibilia, ſunt talia propter materiam. Reſp. neg:

neq. conſequentiam, nam ſoeorruptibilitas hæc eſt propter nexum, & vinculum quaſi indiſſolubile cum forma, ut proinde non facilè reſpiciat aut capiat aliam; An autem, & quomodo cœlum ſit corruptibile & incorruptibile, habetur apud Phyſicos, patebit etiam l. 2. de corruptione Diſput. ult.

DICES 2. Omnes affectiones, quæ cœlis attribuuntur, ut quantitas, raritas, motus, dimenſio &c. Poſſunt per ſolam formam ſalvari, ergò. Reſp. neg. antec; quia hæc ſunt accidentia materialia, nec poſſunt ſoli formæ inhærere, ut ex ſe manifeſtum eſt.

DICES 3. Cœli ſunt corpora ſimplicia, ergò immaterialia. Reſp. neg. conſequentiam, quia ſimplicitas hæc non conſiſtit in cœlorum immaterialitate, ſed in ſimplicitate oppoſita miſtioni, quo pacto etiam elementa dicuntur ſimplicia. Itaque opus non eſt, ut in univerſo detur aliquod corpus ſimplex, quod non conſtet ex partibus diſſimilis naturæ, id eſt, ex materia & forma, cum id non requiratur ad mundi totius pulchritudinem & perfectionem.

Etiam datur privatio in corporibus phyſicis actu exiſtentibus.

DICO 4. Etiamſi in omnibus corporibus phyſicis actu exiſtentibus dentur tantum duo principia, materia ſcilicet & forma, nihilominus tamen dicendum eſt, poſſe in his omnibus aliquo modo privationem admitti. Ratio eſt, quia omnis materia, ne cœleſti quidem exceptâ, habet reſpectum ad quamvis formam ſuſcipiendam etiam dum actu informatur, v. g. materia ſub forma carnis, nervi, oſſis ad formam vermis, buffonis, cineris &c. Ergò reſpectu materiæ, quæ formas omnes poſſibiles reſpicit, admittenda eſt privatio in corporibus actu exiſtentibus; An autem privatio in ordine ad eą corpora detur, quæ per creationem & non per tranſmutationem phyſicam producuntur, infrà dicetur.

Colligitur ex materia & forma conſtitui unum per ſe, & falſam eſſe opinionem quorundam Veterum, qui ut habet Fernel. 4. phyſiol. c. 2. volebant, animam rationalem, antequam corpus humanum informandum ſubingrederetur, indui prius corpuſculo quodam illuſtri tanquam veſte ſimplici, tum exterius contegi alio ſubtili ſed minus ſplendido, ex tenuium ſcilicet elementorum permiſtione concreto, ut ſic intermediis hiscè materiam & corpus amplecteretur.

DIFFICULTAS VIII.

Quid de tribus Chymicorum principiis, Sale, Sulphure, & Mercurio dicendum ſit?

MIrum quam de his glorientur Chymici, dum ex iis omnia corpora naturalia conflari, & rurſum hæc in illa reſolvi dictitant: certè communiſſimum iis eſt, ex Sulphure, Sale, & Mercurio, conſtare omnia corpora phyſica, & dum reſolvuntur, in hæc denuò terminari, ita ut in his nihil præter ea reperias. Non eſt tamen una omnium ſententia & hujus dicti eadem explicatio, dum alii, qui rudioris ſunt ingenii & craſſioris cerebri, in ſenſum verbalem & phyſicum, alii verò qui melioris ſunt notæ & naturalis ſcientiæ ſtudioſi, in analogicum id detorquent. Non dicam quid priores ſentiant, quia ex ſe veritas eſt, panem, vinum, ſanguinem, oſſa, corpusque humanum non eſſe intrinſecè merum Sulphur, Salem, & Mercurium. Dicam igitur quid propriè ſentiant poſteriores, & an horum opinio ſit Philoſophia & Ariſtotelica, id eſt, vera.

Eſt itaque doctrina meliorum Chymicorum hæc, Tria imprimis eſſe juxta Ariſtotelem & Peripateticos rerum naturalium principia, materiam nempè, privationem & formam, & his apud ipſos chymicos correſpondere vel analogicè convenire corpus, ſpiritum & animam, ſive Salem, Sulphur, & Mercurium, quæ non re, ſed nomine tantum à prioribus diſcrepent, ita autem analogicè convenire, ut materiæ correſpondeat Sal, formæ Sulphur, & privationi Mercurius. Deinde materiam, quæ primum eſt principium, eſſe juxta Ariſtotelicos ſubjectum terreum in quod tam animalia quam vegetabilia & mineralia poſt eorum ſive naturalem ſive artificialem corruptionem reſolvantur; Juxtà Chymicos autem, qui terram per ignem purgant & clarificant, eſſe corpus purum, cryſtallinum, fixum, quod corpus ſuum ſive Salem ſuum appellant, id eſt, principium firmum & fixum, generationis corporum ſublunarium ſubjectum, reliqua principia contraria, ut formam & privationem, ſive Sulphur & Mercurium uniens, omnibusque rebus ſoliditatem communicans, id quod experientiâ verum eſſe commonſtrant, Nam Spiritum, inquiunt, & oleum, ſive formam & privationem, tam ex animalibus quam vegetabilibus ſumta, tanquam contraria per ſe nunquam uniri poſſe, ſed oleum ſemper ſupernatare, quousque Sal proprius accedat, & prioribus admiſceatur; Et hoc patere in oleo olivæ, Spiritu vini, & Sale communi. Tertiò docent, cum privatione ariſtotelica conferri ſpiritum ſive Mercurium, quem definiunt, quod ſit liquor tenui portione Sulphuris imprægnatus, rarus, aëreus ac ſpirituoſus, cujus irroratione humidum radicale in ſubjectis ſuſtentetur ac propagetur; Mercurium ergò loco privationis ſumunt, ſicut Salem loco materiæ, & Sulphur loco formæ, adeoque quem in reſolutione corporum naturalium inveniunt, pro ſecundo rerum principio ſtatuunt. 4. & ultimò formæ loco ſubſtituunt Sulphur, quod ita definiunt; Sulphur ſive forma mixti eſt principium omnium nobiliſſimum, oleaginoſum, viſcidum, caloris naturalis pabulum, è potentia ſeminis per motum generationis in actum productum, mixto dans eſſe ſuum ſpeciale, ſuperflua exiccans & conſumens; Et totam hanc definitionem ajunt cum Peripateticorum doctrina &

formâ convenire, præſertim in eo, quod ſit nobiliſſimum omnium, quod ſit fons omnium actionum, quod pro imperio vires ſuas exerceat, quod reliquis principiis tanquam Dominatrix ſupernatet, quod reliquis principiis det eſſe &c. Cœterùm, quod hæc tria corpora tanquam rerum principia in omnibus rebus ſublunaribus inveniantur, id ex earum reſolutionibus demonſtrant, dum ſingulæ per digeſtionem, diſtillationem & extractionem in Salem, Sulphuream oleaginoſitatem, & Spiritum ſive Mercurium terminentur: Et hæc ſumma eſt omnium eorum, quæ ingentibus penè Chymicorum voluminibus fuſiſſimè tractantur, ſcribuntur & leguntur; hac autem poſitâ Quæſtio & Difficultas eſt, quid circà hæc tria corpora verè & propriè ſtatuendum ſit, an principiis rerum naturalium annumerari poſſint, & an aliquam ſaltem analogiam, & ſimilitudinem cum Ariſtotelicis principiis, ut materia, forma, & privatione habeant.

Sal, Sulphur & Mercurius non ſunt princ. intr. rerum n.

DICO I. Falſum eſt, quod Sal, Sulphur, & Mereurius ſint principia intrinſeca rerum naturalium.

Probatur 1. Principia rerum naturalium ſunt illa, ex quibus intrinſecè conſtituitur corpus phyſicum, ut patet ex eorum definitione; Sed ex Sale, Sulphure, & Mercurio non conſtituitur intrinſecè corpus phyſicum, ergò: Probatur hæc minor, quia Sal, Sulphur, & Mercurius ſunt ipſa corpora mixta, & conflata ex peculiari elementorum materia & qualitatibus, & conſtituuntur ex tribus illis veris & Ariſtotelicis principiis.

Probatur 2. Principia intrinſeca rerum naturalium debent eſſe ſimplicia, & non mixta, quia aliàs non eſſent principia ſed corpora ex principiis conflata; Sed talia non ſunt Sal, Sulphur & Mercurius, ergò: 3 Nec Sal, nec Sulphur, nec Mercurius habent rationem materiæ, vel formæ, vel privationis, ut ex dicendis clarius patebit ergò non ſunt dicenda principia. Probatur antec. quia imprimis non habent rationem materiæ, cum ſint corpora phyſica, & compoſita; Deinde non habent rationem formæ, quia exiſtunt naturaliter, ſunt quanta, ſunt ſenſibilia &c quod de nulla forma per ſe dici poreſt; Tandem nec habent rationem privationis, quia hæc ſolùm eſt carentia formæ aptæ in eſſe materiæ, quod penitus nec Sali, nec Sulphuri, nec Mercurio convenit. 4. Principia rerum naturalium ſunt, ſine quibus nec eſſe nec exiſtere, ſed nec concipi poreſt corpus phyſicum; Atqui ſine Sale, Sulphure, & Mercurio eſſe, exiſtere, & concipi poteſt corpus phyſicum, ergò, Major vera eſt, quia ſi materiam, & formam à corpore phyſico, v. g. à lapide ſuſtuleris, jam illud in nihilum redegeris. Probatur minor, quia plurima ſunt corpora phyſica, quæ nec Salem habent, nec Sulphur, nec Mercurium, quomodocunque tamen tranſmutaveris. Quod ſi tamen cum Chymicis.

DICAS per Salem, Sulphur, & Mercurium non intelligi corpora illa communia, quæ manibus quotidiè tractamus, ſed quæ Chymicis operationibus clarificata ſimpliciorem naturam obtinent, id, quod ex Petro Severino Dano patet: Nam cave, inquit hic, ne arbitreris Chymicos Sal commune, Sulphur, & Mercurium vulgi intelligere, quia ex iis nullum corpus conſtituitur, cum ſint individua in ſuo genere abſoluta; unumquodque enim horum tria in ſe pariter principia continet; Sed quia differentias trium ſubſtantiarum, ex quibus univerſa corpora componebantur, proprietates, & conditiones in nullis totius naturæ ſpeciebus magis explicatas adverterunt, placuit ex iiſdem appellationes mutuari, idque philoſophica authoritate; Si cum aliis conceditur figurarum, & colorum externa ſimilitudine nomina rebus imponere, quâ inſcitiâ accuſabimus eos, qui actionum & proprietatum ab eſſentia immediatè fluentium conſonantiam imitati ejuſdem familiæ rebus eaſdem appellationes accommodavêre? hucuſque *Severinus*. Reſp. hoc argumentum ejuſque ſplendorem nihil ad rem facere; quomodocunque enim Sal, Sulphur, & Mercurius conſiderentur, vel ſunt corpora ex ſe phyſica & ſeparata, vel aliis immixta: Si primum, jam ſunt vera mixta & individua in ſuo genere abſoluta; Si ſecundum, ſunt partes & ſubſtantiæ elementares, quæ mixtum conſtituunt. Deinde nemo adhuc Ariſtotelicorum, penes quos tamen hactenus vera generatio rerum naturalium manſit, vel ſcripto, vel voce edidit, tres eſſe ſubſtantias, totidemque earum differentias, ex quibus univerſa corpora componantur, cum è contra unanimiter doceant 4. eſſe corporum ſimplicium ſive elementorum materias & qualitates, ex quibus omnia in hoc mundo ſublunari corpora compingantur: Tandem falſum eſt actiones & proprietates immediatè à Sale, Sulphure, & Mercurio fluere, ſed à forma vel toto ſuppoſito, quod non eſt vel unum vel alterum vel omnia ſimul ex his principiis chymicis, quæ proinde nec ſunt principia rerum naturalium.

DICO 2. Falſum etiam eſt, quod Sal, Sulphur, & Mercurius habeant aliquam ſimilitudinem vel analogiam cum materia, forma, & privatione.

Ratio prima eſt, principia vera ſunt ſimplicia, Sal autem, Sulphur, & Mercurius compoſita. 2. Principia vera non poſſunt ſeparatim naturaliter exiſtere; poſſunt autem Sal, Sulphur, & Mercurius. 3. Materia, forma, & privatio faciunt ens per ſe; Sal, Sulphur, & Mercurius ens per accidens. 4. Principia vera ſeparatim ſumpta non cadunt ſub ſenſum, nec conſtant ullis qualitatibus; Sal verò, Sulphur, & Mercurius habent qualitates tam primas, quam ſecundas ideoque ſunt ſenſitiva. 5. Principia vera habent naturalem quendam ordinem & propenſionem ad unionem, ut conſtat de forma & materia; Sal verò, Sulphur, & Mercurius nec propenſionem habent, nec appetitum, nec ordinem ut inter ſe uniantur,

quia

quia non eſt major ratio, quare Sulphur cum hoc aut alio quovis corpore, & non cum Sale & Mercurio conjungatur. Rationes plures quisque excogitet, quibus videat quam nulla ſit analogia aut convenientia inter formam materiam privationem, & inter Salem, Sulphur & Mercurium, quæ inter ſe non minus, quam brutum ab homine, cœlum à terra, aqua ab igne diſcrepant. Quæ enim quæsò eſt analogia & convenientia inter corpus phyſicum, inter compoſitum conſtans materia & accidentibus, inter ens palpabile, ſenſuale, loco circumſcriptum, quale eſt Sal, Sulphur, Mercurius, & inter formam, materiam, & privationem per ſe ſumpta? Nam forma ſubſtantialis, quæ ex ſe nec extenſa eſt, nec diviſibilis, cum materia conſtituit unum; Materia etiam non poteſt naturaliter exiſtere absque forma ut in ſequentibus patebit; Et privatio deniq; eſt puriſſima negatio ſive carentia in ſubjecto ad formam capaci, quæ omnia de Chymicorum Sale, Sulphure, & Mercurio nec fingi nec dici poſſunt.

DICES 1. Omnia corpora ſublunaria reſolvuntur tandem & rediguntur in Salem, Sulphur, & Mercurium, ergò hæc ſunt vera principia eorum: Antec; probatur, quia Chymici omnem terram impuram redigunt poſt debitam clarificationem in corpus purum, cryſtallinum, fixum, quod Sal ſuum appellant. Reſp. neg. antec. Nam omnia mixta ſive violenter ſive naturaliter corrumpantur & putreſcant, deſinunt in ſubſtantiam terream ſive cineres, in humiditatem quandam impuram, & in aëream ſive raram & ſubtilem exhalationem, ex quibus jam prius naturaliter conſtabant; In quam perfectionem Chymici redigant materiam ſive terream ſive aqueam & aëream, an in aliquam ejusmodi eſſentiam, ex qua Luna vel Sol novus formetur, ipſi viderint.

DICES 2. Sal eſt principium firmum, fixum, generationis corporum omnium ſubjectum, reliqua principia uniens, & omnibus rebus ſoliditatem communicans, ergò eſt principium rerum naturalium: Probatur Antec. experientia; Sicut enim oleum commune nunquam cum Spiritu vini miſcetur, niſi addito Sale communi, ita etiam per additionem Salis Chymicè extracti reliqua duo principia tam ex animalibus quam ex vegetabilibus ſumta primum uniuntur. Reſp. Nego Antec. Ad probationem dico, ideò nec oleum cum Spiritu vini, nec multa alia inter ſe uniuntur & perfectè miſcentur, quia non conveniunt in qualitatibus tam primis quam ſecundis, quæ ſi per additionem unius tertii intervenientis uniri videantur, id ex qualitatum conſenſu & proportione fieri judicandum eſt.

DICES 3. Quam materiam Ariſtotelici loco principii rerum naturalium ſumunt, eandem ſumunt & Chymici, in hoc ſolum diſcrepantes, quod illi impuram, hi clarificatam ſumant, ergò materia Chymicorum eſt principium rerum naturalium. Reſp. Quicquid Chymici de Terra clarificata vel glorificata nugentur, Ariſtotelici ſumunt materiam primam, quæ informis eſt, turpis, ſine decore &c. ut patebit ex ſequentibus; Chymicorum autem materia ſemper eſt cum forma, qualiscunque ea demum ſit, ideoque longè alia utriusque ratio.

DICES 4. Sal chymicorum cum perfectè clarificatus eſt, nullas penè habet operationes, quia proximè ad ſimplicitatem reducitur, ideoque etiam fixus eſt, & omnium virtutum medicarum expers, ergò materiæ vices in generationibus rerum naturalium agit. Reſp. ad quamcunque ſimplicitatem vel puritatem reducatur ſal, ſemper mixtum eſt, nihilq; participat cum materia prima, niſi quod poſſit eſſe ſubjectum ad recipiendas alias formas. Quales autem habeat operationes ſive virtutes medicas, non conſtat Ariſtotelicis, qui ideò illum tantò minoris faciunt, quantò magis ſuis & operationibus & virtutibus ſive phyſicis ſive medicis caret. Quæres, unde ergò fit, quod Chymici corpora mixta reſolvant in ſalem, ſulphur & Mercurium? Reſp. quod mixta in varias ſubſtantias à Chymicis reſolvantur, hoc referendum habent vel igni vel alieni alteri ſubſtantiæ, quæ potenter activa eſt: qualescunque tamen hæ ſint, ex natura ſua dici non poſſunt principia ex quibus miſta conſtent, ſed corpora quædam à terreis impuritatib⁹ beneficio artis ſive applicatione activorum repurgata & clarificata, quæ nihilomin⁹ adhuc conſtent ex materiis & qualitatibus elementarib⁹, ſintque propria perfectè mixta: Quod autem in varios & meliores uſus adhiberi poſſint, mirum non eſt, quia purgatione nobiliores acquiſiverunt virtutes, licet non illas, quibus à ſuis nundinariis deprædicantur; Deinde repurgantur à terreis & craſſioribus inquinamentis à quibus vis eorum activa non parum ſupprimitur. Cætera, quæ vix ullius ſunt difficultatis, vide apud Chymicos, ex quorum operationibus univerſim adverti & colligi poteſt, eos in eliciendis tam vegetabilium quam mineralium inanimatorum eſſentiis ſeu virtutibus ob ingentes labores & difficultates egregiè laudandos eſſe, in aſtruendis verò rerum naturalium principiis, Sale, Sulphure & Mercurio, ut quæ nihil ad mixtorum ſuorum transmutationes faciunt, omninò rejiciendos, niſi tamen in ſano ſenſu velint intelligi, de quo alibi.

DIFFICULTAS IX.

Quot ſint principia externa, quæ hominem Orientem conſtituant?

HÆc dicuntur ideò externa 1. quia extrinſecus tantum ad producendum & generandum corpus phyſicum concurrunt. 2. Quia per modum cauſæ efficientis, & tranſeuntis compoſitum attingunt, 3. Quia non

remanent in compoſito phyſico, ſed ut plutimum factoopere diſparent. Hujusmodi autem principia multa & varia eſſe notum eſt tam apud Philoſophos quam Medicos, adeò etiam ut quicquid ad generationem & productionem rerum naturalium in generatione cauſæ efficientis concurrit, principii nomen & rationem obtineat. Ad quæſtionem itaque,

DICO 1, Extrà Deum, qui rerum omnium principium primum ultrò conceditur, occurrunt 1. Cœli & eorum Aſtra, quæ in generationibus & productionibus, adeoque in homine Oriente rationem principii extrinſeci obtinent.

Probatur, Cœli vim habent inſignem in hæc inferiora, & concurrunt ad omnium ſublunarium generationes & transmutationes, ob quam cauſam etiam & non ſolum ad ornatum & perfectionem univerſi à Deo ſunt creari, ergò ſunt eorum principia. Antec. conſtat partim experientia quotidiana, qua videmus in viſceribus terræ virtute Syderum maximeque Solis generari metalla, lapides, aliaque mineralia, partim communisſima Philoſophorum opinione, qui ſcripris & ore docent tranſmutationes elementorum, productiones mixtorum, generationes, conſervationes, & corruptiones rerum naturalium, pluvias item, calores, frigora, tempeſtates, ſiccitates, nives, fluxus & refluxus marium &c. Syderibus & Aſtris efficienter aſſcribenda eſſe. Accedit Authoritas Ariſtotelis, qui plurimis in locis docet, quod Sol & homo generent hominem.

DICO 2. Etiam elementa ſunr principia extrinſeca rerum naturalium.

Probatur 1. ex eorum natura, quâ ad hoc ordinata ſunt, ut ex iis non tantum in genere cauſæ materialis, ſed etiam efficientis homines & mixta generentur, ergò. 2. ipſa elementa poſſunt in ſe mutuò transmutari, ergò habent in ſe principium corporum transmutandorum. Antec. patet ex actuali transmutatione aquæ in aërem, quia ignis per calorem non tantum poreſt, ſed etiam de facto adeò rarefacit aquam, ut hanc immediatè in aërem non concurrente alia cauſa convertat, licet id multi negent. Reliquæ miſtorum productiones & corruptiones, quæ continuis elementorum actionibus quotidiè fiunt, ad communem inferioris mundi experientiam & virtutem ipſorum elementorum, pertinent.

Omnia agentia non ſunt princ. extrinſ. rerum naturalium.

DICO 3. Ad principia, quæ hominem Orientem cœterasque res naturales extrinſecè conſtituunt, ſpectant ea omnia, quæcunque cauſæ efficientis rationem obtinent, id eſt, omnia agentia naturalia.

Probatur, quia principium tranſmutationis externum eſt illud, quod ad generationem compoſiti vel corporis naturalis efficienter concurrit; Sed tale principium ſunt omnia, quæcunque ſubeunt rationem cauſæ efficientis, ergò omnia agentia naturalia pertinent ad principia transmutationum externa. Neque dicas hinc ſequi principium & cauſam idem eſſe; quia reſpondetur verum eſſe, ſi de principio extrinſeco loquamur, falſum ſi de intrinſeco: De utriusque autem convenientia & disconvenientia patebit infrà.

DICO 4. Ad transmutationem hominis Orientis rerumque naturalium requiruntur etiam motus, tempus, & locus, quæ proinde principiis extrinſecis quoque annumerantur. Ita Pererius in ſua Phyſica de principiis rerum naturalium, &

Probatur imprimis de motu, quia datur in omni tranſmutatione motus duplex, quorum unus eſt ſucceſſivus, alter inſtantaneus; Prior eſt alteratio, quæ fit ſucceſſivè in ſubjecto, ut patet de calore cum in aqua, vel in ligno producitur; Alter eſt productio formæ ſubſtantialis, quæ fit in inſtanti: Et hic uterque requiritur ad quamcunque rerum naturalium transmutationem, cum aliàs nec fieri, nec concipi poſſint generationes & productiones. De tempore res clara eſt, quia illud menſura eſt ipſius motus & generationis, ſive hæc ſit ſuccesſiva ſive inſtantanea, cum utraque fiat in tempore. Denique ad generationem tùm hominis tùm rerum naturalium neceſſarius eſt locus, quia res materialis & corporea quæque localiter movetur, eſt in loco, nec extrà hunc naturaliter exiſtere poteſt.

DICES nec motus, nec tempus, nec locus rationem cauſæ efficientis in producendis rebus naturalibus habent, ergò nec principii. Reſp. neg. conſequent. Non enim ea ſolum ad principia extrinſeca pertinent, quæ ſunt de genere cauſæ efficientis, ſed etiam quæ ad productionem rerum naturalium quocunque tandem modo concurrunt, cujusmodi ſunt motus, tempus, & locus, ut habet Pererius citatus; Deinde reverà concurrunt aliquo modo hæc tria efficienter, quia ſine illis nec fieri poteſt nec concipi transmutatio rerum naturalium, quod ſufficit, ut dicantur de genere cauſæ efficientis eſſe; Nam quædam ſunt, quæ ex ſua natura intrinſeca non tantum ad actionem phyſicam concurrunt, ſed etiam eandem producunt, ut patet de calore, dum calorem producit; Alia ſunt, quæ licet ad hunc ſenſum non influant in effectum, ad ejus tamen productionem aliquo modo, ſive ut cauſa, ſive ut conditio ſine qua non, applicantur.

DIFFICVLTAS X.

Quodnam ſit diſcrimen inter cauſam, & Principium.

AD generationem & conſtitutionem hominis duplicia concurrunt principia; quædam intrinſecè & formaliter ſive eſſentialiter componunt, ut materia forma & privatio; Quædam extrinſecè rerum naturalium generationes & tranſmutationes efficienter attingunt: Et quia etiam principia extrinſeca videntur obtinere rationem verè proprieque dictæ

dictæ cauſæ phyſicæ: Quæſtio oritur, an & quomodo ab his differant?

DICO 1. Principium extrinſecum non differt à cauſa, ſed eſt idem cum ipſa.

Princ. à cauſa quomodo differat & conveniat.

Probatur. Cauſa eſt id, quod phyſicè cum reali dependentia influit in effectum; Sed hoc dici poteſt de omni principio extrinſeco, ſive per veram actionem phyſicam efficienter, ſive ut conditio neceſſariò requiſita concurrat, ergò principium extrinſecum non differt à cauſa. Major eſt Phyſicorum, minor conſtat ex proximè dictis, & patet ex enumeratione omnium agentium naturalium.

DICO 2. Principium intrinſecum, quo formaliter & eſſentialiter conſtituitur compoſitum phyſicum, differt à cauſa.

Probatur 1. Cauſa ſemper debet eſſe ens reale, non autem principium, ut patet de privatione. 2. Cauſa ſemper diſtinguitur realiter ab effectu, non autem principium, ut patet in materia & forma, quæ unitæ ſunt ipſe effectus à cauſis ſeu principiis extrinſecis productus, & in Deo Patre, qui eſt Principium Filii, non autem cauſa niſi impropriè, quia non diſtinguitur à Filio quoad eſſentiam & naturam. Quando tamen Deus dicitur cauſa ſui ipſius, intelligitur negativè, id eſt, Deus non eſt ab alio, ſed à ſe ipſo. 3. Cauſa concurrit phyſicè cum reali dependentia in effectum, hoc autem de principio intrinſeco falſum eſt, quia nec materia, quæ planè paſſiva eſt, concurrit in genere cauſæ efficientis ad generandum v. g. Petrum, nec forma Leonis ad producendum ſe ipſum, nec denique privatio ad formam ignis in ligno educendam; Unde ſi dixeris quod materia non tantum in genere cauſæ materialis, ſed etiam forma in genere cauſæ formalis & efficientis concurrant ad generationes & corruptiones rerum: Reſpondetur, verum eſſe, ſed non ut ſunt principia intrinſeca, quia hoc modo conſtituunt intrinſecè ſe & compoſita; Ut autem ſunt principia extrinſeca, concurrunt ad conſtituenda alia, habentque rationem veræ & propriè dictæ cauſæ.

DIFFICVLTAS XI.

Quid ſint Principia, quibus intrinſecè componatur homo Oriens.

Extrinſeca ſive effectiva hîc definiti non ſolent, quia ſunt Agentia tam particularia quam univerſalia, quæ vel ſuis propriis & ſpecialibus eſſentiis manifeſta ſunt, vel ſub communi ratione cauſæ efficientis explicari poſſunt: De intrinſecis itaque eſt ſola quæſtio, de quibus

Principia quid

DICO, Principia intrinſeca, quæ formaliter hominem Orientem conſtituunt, neque fiunt ex aliis, nec ex alterutris, ſed ex ipſis omnia. Ita docet Ariſtoteles 1. phyſ. c. 5. & eſt communis definitio apud Philoſophos, quia habet conditiones omnes, quæ ad rationem principiorum transmutationis requiruntur. Prima Conditio eſt, ut ſint prima & ſimplicia, non autem compoſita ex aliis, nec principiata; Sic materia ventriculi, hepatis, oſſis, cordis, una ſimplex eſt natura, nec facta ex aliis intrinſecis & phyſicè componentibus, quod idem de forma intellige; Si enim tam materia quam forma hepatis, ventriculi, oſſis, nervi, cordis &c. conſtarent ex pluribus aliis principiis, jam non eſſent ſimplicia, ſed compoſita, nec poſſent conſtituere aliud corpus phyſicum. 2. Conditio eſt, ut ſe invicem non componant, ita ut unum ſit pars eſſentialis alterius, aut pars intrinſecè componens aliud in eodem genere cauſæ, quia nec forma ingreditur eſſentiam materiæ, nec hæc componit intrinſecè formam, in eodem ſcilicet genere cauſæ, cum materia aliter concurrat ad conſtituendam formam, & rurſum aliter forma ad perficiendam materiam. 3. Conditio eſt, ut omnia alia ſint & componantur ex ipſis: Nam corpus phyſicum v.g. homo jam Oriens & tenellus non eſt quoddam ſimplex ſed compoſitum, & quidem non ex alio compoſito, ſed ex primis & ſimplicibus principiis, forma ſcilicet & materia, ne detur proceſſus in infinitum. Hic tamen adverte particulam (EX) ita intelligendam eſſe, ut omnia corpora, quæ fiunt per phyſicam productionem, (animam rationalem & Angelos excipiunt omnes, imò & cœlos plerique ideò quod ſint ingenerabiles) fiant ex principiis non conjunctim ſed diviſim ſumtis, id eſt, tribus, vel duobus, tribus quidem quando compoſitum eſt in fieri, ut materiâ, formâ, & privatione; Duobus verò quando eſt in facto eſſe, videlicet materiâ, & formâ. Senſus itaque definitionis eſt, quod principia non fiant ex aliis principiis, vel alterutris tanquam ex partibus intrinſecè componentibus unam eſſentiam principii, ſed quod ex ipſis ſint & componantur omnia tanquam ex partibus intrinſecis & eſſentialibus ut materia & forma, vel etiam ut à termino A QUO, id eſt, à privatione.

Colligitur, quam falſum & ridiculum ſit illud Sennerti c. 1. ſuorum hypomn. videlicet nihil certi poſſe ſtatui de his ipſis principiis abſque cognita creatione mundi: Ariſtoteles enim non agnovit creationem mundi, quam ab æterno fuiſſe ſtatuit, & tamen omnium Philoſophorum judicio benè difinivit & explicavit hæc principia.

DIFFICVLTAS XII.

Quid Reſpondendum ſit Argumentis contrariis?

DICES 1. Forma fit ex materia, quia ut infrà patebit, educitur ex illa; ſed forma eſt principium, ergò unum principium fit ex alio. Reſp. 1. Forma materialis, qualis eſt forma Leonis, ligni, fit ex materia tanquam ex ſubjecto

eductionis conceditur, tanquam ex ſubjecto intrinſecè componente negatur, quia forma in ſe nudè ſpectata conſtat ſimplici natura, non autem ex forma & materia. 2. Forma fit ex materia in eodem genere principii, ſcilicet formalis, negatur, in diverſo, materialis nimirum, conceditur: Nam ad formam conſtituendam concurrit materia in genere cauſæ materialis, non formalis, quo in genere concurrit ſola forma.

DICES 2. Forma & materia fiunt ex privatione, ergò ex alio principio. Antec: patet, quia fiunt ex non eſſe ſui tanquam ex termino à quo. Reſp. Verum eſſe, formam & materiam fieri ex termino à quo non tamen tanquam ex parte intrinſecè componente, quod hic requiritur; privatio enim eſt quaſi principium extrinſecum, & non manet in compoſitione cum materia & forma, unde argumentum non pugnat cum definitione. Deinde fiunt ex privatione tanquam ex diverſo principio, non autem ex formali aut materiali.

DICES 3 Materia & forma ſunt ex Deo per creationem, ergò ſunt ex alio principio. Reſp. formam & materiam eſſe ex Deo tanquam ex principio, quod intrinſecè componit, nego, quod in genere cauſæ efficientis concurrit, concedo.

DICES 4. Privatio eſt non ens, ut habet Ariſt. 1. Phyſ. c. 8. ergò non poteſt eſſe principium intrinſecum, quod tamen ad rationem principiati requiritur. Reſp. non poteſt eſſe principium tanquam pars intrinſecè componens conceditur, tanquam terminus à quo, negatur: Forma enim quæ fit de novo, neceſſariò ſupponit privationem ſui, & negationem in ſubjecto apto & capaci.

DICES 5. Omnia corpora naturalia fiunt vel ex Elementis vel ex aliis mixtis, ergò hæc ſunt principia. Reſp. Nec Elementa, nec mixta eſſe prima principia, quia habent adhuc alia priora ex quibus fiunt, nempè formam, & materiam: Deinde ſi Elementa & mixta ſumantur materialiter velut ſubjecta ex quibus fiant corpora naturalia, v.g. alimentum ex quo gignatur ſanguis, hæc vicem materiæ obtinent, ſuntque principia materialia, ex quibus gignantur & producantur corpora naturalia.

DICES 6. Nihil magis reſpicit corpora naturalia, quam cauſa efficiens, ergò hæc eſt potiſſimum eorum principium. Reſp. Cauſam efficientem eſſe principium merè extrinſecum & non intrinſecum, cujusmodi eſt forma & materia, quæ conſtituunt omnia corpora & compoſita phyſica.

DICES 7. Materia & forma non poſſunt conſtituere quid unum, niſi prius conjungantur, ergò etiam illud, quod utrumque conjungit, erit principium. Reſp. neg. conſequentia n; Quid autem ſit illud vinculum intermedium, quo forma & materia copuletur, id alibi dicetur: Interea tamen certum eſt, non poſſe hoc utrumque principium conjungi, niſi certæ diſpoſitiones & accidentia ſubordinentur, quæ id præſtent, quemadmodum ex formarum productionibus conſtat: Quare autem ſimiles diſpoſitiones non habeant quoque rationem principii intrinſecè componentis, mox dicetur. Et hinc ſequitur

DIFFICULTAS XIII.

An ſub hac definitione etiam comprehendantur Principia accidentalis mutationis.

PRincipia accidentalis mutationis ſunt calor, frigus, humor, ſiccitas, albedo, nigredo, durities, mollities, omnesque aliæ qualitates, quæ accidentaliter immutant corpora; Et de his quæritur, an etiam ſub data definitione comprehendantur, ſicut comprehenditur forma, materia, & privatio.

DICO Principia accidentalis transmutationis non comprehenduntur ſub data definitione.

Probatur 1. Principia accidentalis mutationis non componunt intrinſecè corpus ſubſtantiale phyſicum, nec immutant ejus eſſentiam, ut conſtat ex communi illo axiomate, quod videlicet accidentia non mutent ſpeciem, ergò non pertinent ad datam definitionem. 2. Non ſunt ſimplicia, ſed Phyſicè compoſita, ut patet in aqua tepida, aut ligno calido, ubi qualitates contrariæ ſe mutuò compatiuntur. 3. Non habent reliquas conditiones eorum principiorum, quæ definita ſunt, ergò. Et Adverte hic, non convenire principia tam ſubſtantialia quam accidentalia inter ſe univoce in ratione principii, quia imprimis ſubſtantiæ & accidenti nihil datur univocum; Deinde ens & non ens non habent unam ubique rationem, ſub qua conveniant, ut patet in materia & privatione, quia hæc eſt velut terminus à quo, illa verò tanquam pars intrinſecè conſtituens & componens.

DICES, quamvis in aqua tepida, ligno, ventriculo, hepate, &c. Qualitates ſint compoſitæ, quia ſe mutuo compatiuntur, non poteſt tamen hoc de elementis dici, ubi qualitates ſunt principia ſimplicia non compoſita, ut apparet in calore ignis, ſiccitate terræ, ergò minimùm qualitates Elementorum erunt principia. Reſp. 1. Negando conſequentiam; licet enim verum ſit, quod una ſimplex qualitas non compatiatur contrariam in ſummo v. g. in Elementis, compatitur tamen eam, cum qua non habet contrarietatem, ut calor ſummus ſummam ſiccitatem. 2. Non poſſunt accidentia hic tanquam principia definiri, quia non pertinent ipſa neceſſario ad corpora mixta: Nam poteſt manus eſſe manus, & aqua manere aqua, ſivè frigeant, ſive caleant. E contrà non poteſt manus eſſe manus, & aqua manere aqua, ſi vel formam ſubſtantialem tollas vel materiam. 3. Quod ſequitur, & ex conclusione conſtat, non conſtituunt intrinſecè corpora naturalia ſubſtantialia, quorum principia

cipia eſſentialia & formalia tantum hic definiuntur. Er hinc

Colligitur, quare forma accidentalis non conſtituat unum cum materia, ſicut facit forma ſubſtanrialis, quia ſcilicet materia per ſe 1. ordinatur ad formam ſubſtantialem, ut potentia ad ſoum actnm perfectibilem, non autem ad formam accidentalem, quæ nec actuat nec perficit, ſed tantum accidentaliter afficit materiam: Et hujusmodi formæ ſunt tantum inſtrumenta & diſpoſitiones in materia ad producendam formam idoneam.

DIFFICVLTAS XIV.

An inter hæc Principia, quæ hominem Orientem, & Compoſita phyſica conſtituunt, ſit aliqua juxtà Ariſtot. contrarietas.

HIc Tyro & rudis emeritum, diſcipolus Magiſtrum, & vix Magiſtellus Doctorem reprehendit, id eſt, Sennertns Ariſtotelem. Ait enim ſtatim ad initium ſuorum hypomn. c. 1. ubi de contrarietare principiorum agit, Ariſtotelem 1. Phyſ. c. 6. falsè id ipſum præſuppoſuiſſe. Sed an Vir bonus Ariſtotelem & hujus contrarieratis defenſores, qui ſaniores ſunt Philoſophi, intellexerit, valdè incertum eſt, hoc tamen certum, etiam ſæpius legenti non facilè conſtare, quid ipſe loco citato intelligat, niſi fortè hoc, qood cum alibi edoctionem formarum etiam quarumcunque materialium è potentia materiæ neget, hæc conſequenter ex falſis ſuppoſitis aſſerat. Habet antem ferè hæc ſequentia 1. hanc contrarietatem non habere locum in omnibus rebus phyſicis, præſertim in incorruptibilibus, ut cœlis & ſtellis. 2. Sed nec in mutabilibus omnibus & quidem in iis, quæ fiunt per actionem contrariorum, non autem quæ ex ſemine. 3. Quamvis hæc contrarietas non ſit propriè dicta talis, ſed minimùm qualis eſt inter habitum & privationem, ipſam tamen doctrinam de rerum generatione, ſive ipſas cauſas generationis per hanc contrarietatem non ſatis explicari, ideò quod generatio non abſolvatur actione contrariorum, aut quod ex ipſa generatione contrariorum omnium cauſa reddi non poſſit; Proindeqoe ad omnem generationem non eſſe conſtituenda principia contraria &c. Hæc Sennertus Medicus Wittembergenſis.

Suppono alia eſſe principia, quæ hominem in fieri conſtituant, alia quæ in facto eſſe. Hine

DICO 1. Non datur ulla contrarietas inter principia, quæ hominem & reliqua corpora phyſica in facto eſſe coostituant, ut inter materiam & formam, ſed nec inter materiam & privationem. Ratio utriusque eſt, quia ſemper & ubique compatiuntur ſe materia & forma, cui ſemper illa ſeſe accommodat, ut patet in homine, ligno, verme, cinere, aqua &c. Similiter materia in ordine ad illam formam, ad quam propriè diſpoſita eſt, ſemper privationem ſecum compatitur, ergò hæc principia non habent ullam inter ſe contrarietatem, & conſequenter non omnia principia erunt contraria. Quod ſi

DICAS Ariſtotelem dixiſſe, Principia inter ſe eſſe contraria. Reſp. ipſum indefinitè fuiſſe locutum, id eſt, aliqua ex iis, non autem omnia tria; ſicut enim forma perpetuò cupit in materia conſervari; ita viciſſim non repugnat materiæ hanc ſemper cum debitis diſpoſitionibus retinere, ut patet in homine, cujus forma & materia invicem amiciſſimè uniuntur, cupiuntque perpetuò ſe conſervare: Similiter privatio ſemper & ubique comitatur materiam reſpectu formarum futurarum ad quas indifferens eſt.

DICO 2. Datur tamen contrarietas inter formam & privationem. Eſt Ariſtotelis loco citato, & facilè conſentiunt omnes ſive Medici ſive Philoſophi. *Contrarietas in quibus princ[ipiis].*

Probarur, Inter illa datur contrarietas, quæ ſe mutuò expellunt ex ſubjecto apto; Sed huc faciunt forma & privatio, ergò inter ea datur contrarietas; Major evidens eſt ex natura contrariorum; Minor probatur, quia quamprimum advenit forma, expellit privationem ex materia, ut patet in homine, cujus corpori organico, antequam accederet anima rationalis, quæ illud informaret, adfuit vera negatio hujus ipſius formæ, manſitque tam diu donec hac adveniente expelleretur, ergò quia forma non tantum in generatione hominis, ſed etiam in reliquis omnibus transmutationibos ſubſtantialibus verè expellit privationem, meritò inter utramque contrarietas eſt admittenda. Ad Sennertum infrà Reſpoodetur; ſequitur enim

DIFFICVLTAS XV.

Qualis ſit Contrarietas horum Principiorum?

NOTA Duobus modis poſſe aliqua dici contraria; 1. propriè quatenus opponuntur ſibi invicem duæ formæ, quæ ex eodem ſubjecto ſeſe effectivè expellunt, cujusmodi ſunt 4. primæ qualitates. 2. Impropriè, quatenus ſibi opponuntur privativè, licet activè & paſſivè ex eodem ſubjecto ſe invicem non expellant, ut videre eſt in habitibus ſcientiæ & artis; Qui enim ex ignorante fit doctus, & ex non Muſico muſicus, is acquirit formam aliquam accidentalem, quam prius non habuit, licet nihil poſitivi expellatur. Certum autem eſt 1. Contraria propriè dicta eſſe formas poſitivas ſub eodem genere maximè diſtantes, & numerari duplicia; Primaria uſe prima, ut ſunt primæ qualitates, quæ non ſunt mixtæ cum aliis; Et ſecundaria ſive ſecunda,

da, ut ſunt qualitates ſecundæ, quæ fiunt ex commixtione, ut album, dulce &c. Certum eſt 2. Subſtantiæ propriè nihil eſſe contrarium, unde nec duæ formæ, quæ tantum ſunt in eodem ſubjecto incompatibiles, nec forma & materia, quæ duæ ſunt ſubſtantiæ, inter ſe ſunt contrariæ. Certum eſt 3. Materiam non eſſe contrariam privationi, ut patet, quia ſe ſimul compatiuntur; Nam in materia eſt carentia formæ generandæ.

Quæritur ergò quomodo forma & privatio, quæ ſunt principia non conſtitutiva ſed transmutativa, ſint contraria.

Forma & privatio quomodo contraria.

DICO 1. Forma & privatio non ſunt contraria poſitivè & effectivè.

Probatur, contrarietas poſitiva eſt inter entia poſitiva, ut inter frigus & calorem, inter amarum & dulcè, inter albedinem & nigredinem &c. Sed talia non ſunt forma & privatio, quia licet forma ſit res poſitiva, caret tamen privatio entitate reali, ergò inter hæc duo non eſt poſitiva & effectiva contrarietas.

DICO 2. Forma & privatio ſunt contraria ſecundo modo, id eſt, privativè.

Probatur 1. Forma & privatio expellunt ſe ex eodem ſubjecto, ut jam conſtat, ergò ſunt contraria; Sed non expellunt ſe poſitivè, ſed privativè, ergò etiam ſunt contraria privativè. Probatur 2. generatio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, ergò illud dicitur generari, quod nunc eſt, cum prius non eſſet, videlicet ex non homine fit homo, ex non igne ignis, & ſic de reliquis, id eſt, ex ſubjecto vel materia non habente formam ignis, hominis &c. Proximè tamen ad illam diſpoſita; Sed negatio formæ in ſubjecto apto eſt privatio, ergò quodlibet fit ex privatione ſuæ formæ tanquam ex termino à quo incipit, ſcilicet generatio; Atqui forma & privatio ſunt oppoſita, quia ſimul in eadem materia eſſe non poſſunt; non poſitivè, ergò privativè.

DICES 1. In materia ſemper eſt privatio reſpectu earum formarum ad quas habet potentiam, ergò forma & privatio compatiuntur ſe invicem in eodem ſubjecto. Reſp. concesso antec: negatur conſequentia, quia privatio, quæ in materia admittitur, non reſpicit formam præſentem à qua expellitur, ſed abſentem, & ad quam materia habet potentiam, ad hanc autem formam, quam de facto habet, nulla penitus admittenda eſt potentia naturaliter.

DICES 2. Subſtantiæ nihil eſt contrarium, ergò nec privatio poteſt ei eſſe contraria. Reſp. Verum eſſe, quod nihil poſitivi poſſit eſſe contrarium ſubſtantiæ, poteſt tamen eſſe aliquid negativi ſive privativi: Deinde ſi de vera & propriè ſumpta contrarietate ſermo ſit, verum eſt nihil prorſus ſubſtantiæ eſſe contrarium, adeoque nec privationem, cum ambo principia debeant eſſe poſitiva; quia tamen Ariſt. latè uſurpavit nomen contrarietatis, ideò inter formam & privationem datur oppoſitio privativa.

Quomodo ſit aliquid ſubſtantiæ contrarium.

DICES 3. Ariſt. 1. Phyſ. c. 5. Vocat formam & privationem prima contraria; hoc autem falſum eſſe patet inde, quia hæc prærogativa debetur primis qualitatibus: Vel ergò Ariſt. malè locutus fuit, vel aliquid aliud per prima contraria intellexit. Reſp. Ariſt. benè fuiſſe locutum, quia intellexit prima contraria privativè non poſitivè ſumpta; Dixit autem prima, quia non ſunt ex aliis, nec ex ſe ipſis, ſed ex quibus omnia fiunt. Et hinc Colligitur nec materiam & formam, nec materiã & privationem, ſed hanc tantum & formam ſibi mutuò contrariari, & quidem contrarietate latè & impropriè ſumpta, ideò quod in contrarietate propriè ſumpta ambo contraria debeant eſſe poſitiva, ut arbor & frigus, album & nigrum, id quod in viſu v. g. & cœcitate, in luce & tenebris, in vita & morte, &c. Non reperitur, quia alterum eorum ſemper eſt negatio vel privatio.

Ad Sennertum Reſpondetur 1. incertum adhuc eſſe, utrum Cœli ſint incorruptibiles, & nunquid habeant aptitudinem & capacitatem alterius formæ, quod probabiliſſimum videtur. 2. Etiam illa quæ fiunt ex ſemine, incipere à privatione, quia in ligno, in quo producitur forma ignis, non præfuit hæc forma, nec in ſemine pyri præfuit arbor, ſed producta eſt primum per virtutem ſeminalem, & succrevit paulatim, quæ prius tantum erat in potentia ſeminis, ergò contrarietas reperitur inter privationem, quæ prius in ligno ad formam ignis, in ſemine pyri ad formã pyri erat, & inter formã ignis, pyri, quæ in ligno & ſemine pyri producta fuit, & privationẽ illam expulit. Sed hæc pluribus infra in productione formarum contrà ipſum Sennertum & alios, qui vel omnes formas jam dudum ante productionem corporum naturalium exiſtere turpiter docent, vel pueriliter negant eas è potentia materiæ educi, patebunt. Quicquid autem tam ex ſemine, quam ex reliquis rebus naturalibus fieri ſolet, hoc fit per actionem contrariorum ſecundum illud, quod omnis actio ſit inter contraria, ut benè docent phyſici; Nam ubi nulla eſt agentium contrarietas, ibi etiam ceſſat omnis actio & finis agentis. Adhæc quando concipitur generatio vel mutatio alicujus rei, non concipitur prout eſt actio vel paſſio, ſed prout eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe; & ſic ingens quercus v. g. non præfuit in ſuo ſemine, nec pomum in flore niſi potentialiter, adeoque falſum eſt illud Sennerti dum ait actione contrariorum non abſolvi generationem, nec cauſam generationis hac ipſa reddi poſſe, quia niſi in ligno eſſent qualitates contrariæ qualitatibus ignis, hic nunquam ageret in illud, nec in eo produceret formam ignis. Similiter ſi in ſemine pyri eſſent eædem qualitates quæ in arbore pyro, id eſt, ſi in ſemine pyri actu exiſteret pyrus, jam ceſſaret omnis actio, nec quicquam ageret calor in humidum, &c.

DIFFICVLTAS XVI.

An hæc principiorum contrarietas reperiatur etiam in creatione & converſione miraculoſa?

NOra converſionem fieri triplici modo; 1. Cum ab agente naturali per prævias diſpoſitiones tranſmutatur unum compoſitum in aliud, v. g. lignum in ignem, ſemen in pyrum, in leonem, in hominem, vapor aut exhalatio in aurum, in lapidem, in gemmam, &c. 2. Cum ab agente ſupernaturali, Deo ſcilicet, unum compoſitum in aliud abſq; præviis diſpoſitionibus convertitur, ut factum eſt, quando Deus in Cana Galilææ aquam in vinum convertit, Uxorem Loth in ſtatuam ſalis: Et in hujusmodi converſionibus manet ſubjectum commune. 3. Cum ob Agente ſupernaturali totum compoſitum quoad materiam & formam perit, namque producitur, ſicut fit quando apud Catholicos per actionem Sacramentalem totus panis & totum vinum ſervatis accidentiis deſinit eſſe, produciturq; de novo caro & ſanguis Chriſti. Jam quæritur, an in hac utraque actione ſupernaturali reperiatur etiam privatio illa ad formam vini, ſtatuæ, corporis Chriſti.

Suppono 1. Dari tam creationem de qua alibi, quam converſionem miraculoſam, idque non tantum juxtà divinas literas, quibus conſtat Deum in principio creaſſe Terram & Cœlum ex nihilo, & in ipſis nuptiis Canæ Galilææ aquam commutaſſe formaliter & convertiſſe in vinum, ſed etiam lumine naturali, quo rationalis homo tantas in Deo vires agnoſcit, ut ipſe quævis corpora naturalia abſq; præviis diſpoſitionibus tranſmutare & ſubſtantialiter in alia transformare poſſit, v. g. lignum in aurum, virgam in ſerpentem, &c. Et hinc

Converſio miraculoſa quid.

Suppono 2. Creationem eſſe productionem rei ex nihilo tam ſui quam ſubjecti, miraculoſam autem converſionem eſſe actionem, qua vel ſuprà vires creatas in ſubjecto absque diſpoſitionibus & aptitudine deſtruitur forma prior, & producitur nova, ut patet, quando convertit Deus Vxorem Loth in ſtatuam Salis, vel quâ totus panis vel totum vinum ſecundum ſubjectum & formam convertitur in carnem & ſanguinem Chriſti, idque miniſterio ſacerdotis legitimè creari.

Suppono 3. Privationem ſemper præſupponere aliquam in materia vel ſubjecto aptitudinem ad formam: his itaque poſitis.

DICO 1. In creatione non reperitur privatio ad formam rei creatæ.

Probatur, in ſolâ tranſmutatione naturali reperiuntur illa duo contraria principia; ſed creatio non eſt illa transmutatio, ergò: Minor eſt veriſſima, quia hic nihil mutatur, nec quicquam ſubjecti, in quo fiat mutatio, præſupponitur. Probatur major, quia in transmutatione naturali eſt aptitudo materiæ ſive ſubjecti ad formam recipiendam, in creatione verò eſt puriſſima negatio tam materiæ quam formæ; Sic ex non materia creatur materia, quia creatio non præſupponit ſubjectum aptũ ad formam recipiendam ſicut mutatio, in qua ſubjectum præexiſtens neceſſariò admittit privationem ad formam ſequentem. Sed quid de converſione miraculoſa ſtatuendum? Dubium eſt, quia cum materia in genere ſumpta habeat aptitudinem recipiendi omnes formas, etiam aqua habebit eam, ut convertatur in vinum, proindeque dabitur privatio in hujusmodi transmutationibus; ſed

DICO 2. Nec in converſione hac danda eſt privatio ad novam formam. Ratio 1. eſt, quia hic nulla eſt aptitudo ſubjecti ad formam niſi remotiſſimè. 2. Hæc actio eſt tota miraculoſa & extrà activitatem ſive ſphæram agentis naturalis; Privatio autem ſemper requirit aliquam in materia aptitudinem ad formam, tum virtutem naturalem Agentis creati. Quod autem & aptitudo & activitas Agentis naturalis deficiat in hac converſione, manifeſtum eſt, quia conſtat in aqua nullas penitus eſſe diſpoſitiones ad formam vini, nec in ente aliquo creato virtutem convertendi lignum in ſerpentem, ſed omnes hujusmodi actiones ſoli Deo competere, nè tot miracula, quæ tam in veteri, quam in Novo Teſtamento habentur, quæque adhuc ſingulis diebus accidunt, Deo abnegemus, & in finitam hominis virtutem tranſcribamus. Et ſpectant huc multæ ſimilis generationis actiones miraculoſæ, ſive Deus per ſe, ſive per Electos ſuos illas adminiſtret, ut ſient reſtitutio viſus in cœco, ſanitas in leproſo, podagrico, claudo, cunctisque iis affectibus, quià membrorum viſcerumq; deperditione & corruptione pendent, nec per ullam artem ſive humanam ſive Angelicam reſtitui poſſunt: Idem intellige de reſurrectione mortuorum, de revivificatione brachii, pedis, vel digiti emortui, & vel putredine vel calore ſiccitateque conſumpti, quia hic productione formarum abſq; ullis præviis diſpoſitionibus opus eſt, ubi videlicet nulla eſt aptitudo ad novam formam in ſubjecto producendam naturaliter.

Effectus an naturales, miraculoſi.

De his tamen conſulendi ſunt Theologi, quorum eſt dijudicare, num aliquando ſtupendorum effectuum cauſæ ſint naturales vel miraculoſæ, nè vel medicorum aliqui naturâ glorioſi affectus ſoli Deo profligandos ſibi arroganter attribuant, vel eos, qui alioquin naturæ adminiculo expelluntur, in Deum abuſivè tranſcribant. Nam in utroq; ut docet experientia, graviter multoties peccatur, quando nimirùm effectus naturales cum divinis, & vires rerum ſublunarium cum cœleſtibus non tantum ab indoctis, ſed etiam ab iis, qui docti cupiunt videri, turpiter confunduntur.

Colligitur, quamvis anima rationalis à Deo creetur, ad eam tamen dari privationẽ in ſubjecto ſeminali præexiſtentem. Ratio eſt, quia Embryo ſive corpus ſeminale jam ſatis organizatum eos habet diſpoſitiones, quæ requirunt animam humanam, ad quam proinde exiſtit in ſub-

in ſubjecto privatio: Ibi enim non reperitur privatio, ubi nullæ ſunt diſpoſitiones prævię ad formam, vel ubi nec ſubjectum nec forma præexiſtit, ſed totum de novo creatur, quod in generatione hominis non accidit.

DIFFICULTAS XVII.

Quomodo hæc principia olim inceperint.

SEnſus quæſtionis non eſt, quomodo de facto incipiant hæc principia, quia præterquam quod materia ſit ingenerabilis & incorruptibilis, & privationem ad quaſcunque formas futuras ſecum compatiatur, conſtat formam, quæ eſt alterum rerum exiſtentium principium, vel produci ab Agente naturali ſi materialis ſit, ut patet in productione ignis in ligno, vel à Deo ſi immaterialis, ut patet in anima rationali. Senſus itaque eſt, quomodo hæc principia, quibus univerſa corpora naturalia intrinſecè coagmentãtur, in prima mundi creatione inceperint. an per productionem, an verò per creationem.

Suppono Principia de qoibus tota hac Diſputatione ſermo eſt, non habere ſe aliquid prius, quia aliàs ipſa non eſſent principia, ſed principiata, nec poſſet dici, quod ex ipſis omnia fierent, ipſa autem nec ex ſe, nec ex aliis. his poſitis.

DICO 1. Principia non fuerunt olim per actionem Agentis naturalis producta; Hanc concluſionem quiſquis negat, meritò ratione carere dicendus eſt, & inter brutorum genera referendus. Nam præterquam quod Agens naturale & creatum nihil poſſit producere niſi præexiſtente ſubjecto, & applicando activa paſſivis, etiam nullum agens naturale præextitit ante productionem primæ materiæ & formæ, id eſt, ante creationem mundi: Et ſunt hæc partim de fide, quia Gen. 1. habetur omnia in tempore fuiſſe per creationem à Deo producta, partim ex naturali Philoſophia deſumpta, quia ſicut omnia agentia naturalia ſunt limitatæ virtutis, ita quoque eorum actiones ad entia acta exiſtentia ſolùm ſeſe extendunt.

DICO 2. Principia primitus inceperunt habere ſuum eſſe per veram & preſsè ſumptam creationem; Per principia intellige formam & materiam, quia privatio non eſt creata, cum ſit pura negatio formarum poſſibilium in ſubjecto apto. Probatur. Cœlum & Terra inceperunt habere ſoum eſſe per creationem, ergò etiam hæc noſtra principia. Antec. eſt Sacræ Scripturæ, ideoque eſt de fide contrà mentem & doctinam Ariſtotelis; conſequentia eſt manifeſta, quia Cœlum & Terra nihil intrinſecus aliud ſunt, niſi hæc principia, materia ſcilicet & forma inter ſe unitæ.

DICES Cœli, Stellæ, Elementa aër & ignis, primus Adam, & quæ cùm ad ornatum, tùm ad perfectionem univerſi ſpectant, non ſunt creata, ergò neque eorum principia: Antec. patebit ex infrà dicendis. Reſp. Cum eodem ſubjecto, quod Deus in condendo univerſo per creationem produxit, produxiſſe etiam ſimol formam, uti paulò poſt dicetur. Quid autem Deus propriè creaverit, vel quid poſteà per modum Agentis naturalis, adeoque cauſæ ſecundæ defectum ſupplendo fieri voluerit, proxima Difficultate oſtendetur.

DICO 3. Non tantum materia incepit habere ſuum eſſe per creationem, idque juxta fidem Chriſtianam & Catholicam, ſed etiam ipſa forma quæ materiam & terræ & cœli informavit. 1. habetur Gen. 1. Ubi Deum in principio Cœlum & Terram creaſſe dicitur, ergò etiam creavit materiam horum corporum, quia nihil vel cœli vel terræ præfuit. Secundum probatur ex iiſdem verbis, quod videlicet Deus creaverit cœlum & terram; Si enim producta fuiſſet tantum materia informis, malè diceretur productum fuiſſe cœlum, ut quod eſt totum ſuppoſitum, diciturque cœlum non à materia rudi, ſed à forma; Et accedit hoc, quia pertinebat ad perfectionem & pulchritudinem horum corporum, cum eorũ materiâ ſimul etiam formam per creationem producere, & non eandem poſteà vel datis diſpoſitionibus inſtar agentis naturalis, vel etiam abſq; aptitudine per actionem tranſubſtantialem, quę à creatione diverſa eſt, materiæ ſuperaddere, ergò veriſimillimum eſt. Cœlum & Terram, fuiſſe creata corpora perfecta qoad formam, & non tantum qoad rudem informemq; materiam. Probatur ultimò Authoritate Molinæ de opere 6. dierum, Saliani, Cornelii a Lapide, & moltorum aliorum, quorum doctrina eſt Deum creaſſe Cœlum & Terram ea pulchritudine & forma, quâ etiamnum exiſtunt.

DICES ex Saliano ante opus 6. dierum apparatuom e. ult: multos ex Sanctis Patribus dicere, quod Deus creaverit tantum materiam, eamque aliquamdiu reliquerit rudem & informem; imò & Septuaginta Interpretes dicunt, quod Terra fuerit inviſibilis & incompoſita, adeoque forma poſteà ex diſpoſitionibus fortè in materiam ad formam Terræ Cœlique introductis ſucceſſerit, ergò veriſimile eſt, & formam naturaliter in materiam introductam eſſe, & privationem ad formam hanc præfuiſſe. Reſp. Errare Sanctos Patres, ſi dicant Terram aliquamdiu fuiſſe abſque omni forma, vel certè intelligendos eſſe, quod Terra aliquanto tempore caruerit ea pulchritudine & ornatu, quam poſtea paulatim per remotionem aquarum & reliquum plantarum omniſque generis vegetabilium ornatom acquiſivit. Quod ad 70. Interpretes, dicendum eſt, ideò terram fuiſſe inviſibilem & incompoſitam 1. quia necdum lux producta erat; 2. Quia carebat adhuc plantarum ornamentis. 3. Quia in fundo abyſſi jacebat adhuc demerſa. Ita enim, ut notat Salianus loco cit: omne ſpatium inter ipſam Terram & Cœlum Empyreum aquis ex nihilo productis undiq; impletum fuit, ut penitus his terra obruta deliteſceret, do- *Terra rudis & inviſibilis.*

ret, donec jubente Deo ſemoris hinc inde aquis, & exinde cœteris, quæ ſupererant, productis corporibus emergeret.

DIFFICULTAS XVIII.

Quid Deus præciſè in prima mundi productione creaverit?

SI communem vulgi opinionem modumq; loqnendi ſequamut, credimus Deum in prima mnndi productione totum, quicquid univerſum complectitur, cteaſſe: Si verò ſacras literas, eiusque verum & genuinum ſenſum intneamur, videmns Deum in principio ſolum creaſſe Cœlum & Tertam, non Elementa reliqua, non luminaria Cœli, non atbores, plantas, animalia & hominem, niſi ſub nomine cœli, ut eſt multorum SS. Patrum ſententia, omnes orbes cœleſtes & ſydera, ſub nomine autem Terræ reliqua Elementa, & quicquid ad eius ornatum perfectionemque ſpectat, intelligamus. Sed

Snppono non tantnm Chriſtianos omnes ex fide ſacrisque literis, juxta illud D. Ioannis Evang. quod omnia per ipſum facta ſint, credere, firmiterqne tenere Deum omnia creaſſe, ſed etiam hanc veritatem non planè ignoraſſe gentilitatem: Nam legimus Orpheum Lebetrium omnium Gręcorum longè ſapientiſſimum myſtico Poëmate decantaſſe, mundnm à tribus Diis fabrefactum, idq; cæteros Antiquorum excellentiores Poëtas, Philoſophos, Theologos, Sybillasque mille in locis ennnciaſſe: Et quamvis Ariſtoteles hanc per manus traditam veritatem de mundi productione vehementer labefactare conatus ſit, dum eum ab æternitate fuiſſe ſcribit; Deum tameo eius cooditorem agnoſcere videtur: Nam 12. Meraph. c. 7. ait, eſſe quoddam Principium movens immobile, atque actn omnique ratione neceſſarinm, & addit, ex tali principio cœlum ipſum naturamque pendere. Hinc.

Deus quid creaverit in prima mundi productione.

DICO Deus in prima mundi creatione præter Angelos, quos ſimul cum cœlo & in cœlo Empyreo creavit, ſolum produxit ex nihilo, atque adeò per ereationem preſsè ſumptam cœlum ipſum Empyreum, Terram & Aquam, ex eaque poſtea reliqua corpora ſimplicia, & quicquid ad perfectionem univerſi ſpectabat, fabricavit. Ita docet Ludovicus Molina in ſuo elegantiſſimo & erudititiſſimo Tractatu de opere 6. dierum Diſp. 2. Quem etiã ſequitut Iacobus Salianus Vir & doctiſſimus, & eloquentiſſimus apparatuum ſuorum ad Aonales Eccleſiaſticos Veteris Teſtamenti c 6. Hæc concluſio continet imprimis creatiooem Angelorum, tum cœli Empyrei tertæ & aqnæ; Deniq; productionem cœterorum corporum, quæ ad perfectionem, & ornatum ſpectare videbantur. Et

Probatur 1. De cœlo Empyreo ex communi ſententia SS. Patrum, quos citat Salianus contrà Cajetanum in 1. Corinth. nbi hic tèrtium cœlum ad quod raptus fuit Apoſtolns, non vult eſſe Empyreum, ſed primum mobile: Sed præterquã quod hnic opinioni communis ſententia contradicat, etiam rationi conſeoraneum non eſt; Nam ut Salianus cit. ait, ſicnt conditus eſt locus, qui ſit carcer Dœmonum atq; damnatotum, ita etiam convenit, ut ſit locus deſtinatus gloriæ beatörum omnium opinione pulchrior, ſplendidiot, glotioſior, magnificentiot &c. juxta illud Panli 1. Corinth. 2. 9. quam nec oculus vidit, nec autis audivit, nec in cor hominis aſceodit; hanc enim ptæparavit Deus iis, qui diligunt eum, 2. De Angelis nullam habet controverſiam, qnod videlicet ſint creati; Solum hoc contravertitut, an ante mundi exortum, ut plurimi SS. Patrum ſentiunt, an veto ſimul cum ipſo mundo: Et eſt hæc poſterior ſententia communior, magisq; poſt defioitionem Concilii Lateran. accepta; Nam Innocennius Tertius cum uoiverſa ſynodo rem ita definit: Firmiter, inquit, credimus & ſimpliciter confitemur, quod nnus eſt ſolus Deus, unum univerſorum principium, Creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ab initio temporis ſimul ntramq; ex nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanã. Hucusq; Innocentius. Quod autem hos ipſos Spiritus in Cœlo Empyreo creatos fuiſſe certum ſit, teſtantur omnes penè Theologi cum D. Thoma, qui ait decniſſe ipſos, ut qui naturæ omni corporeæ longè præſtabant, ejusque Præſides eſſent futuri, in corpore nobiliſſimo produci. Probatur 3. de Terra, quia Gen. 1. expreſſam huius facit mentionem Scriptura, cum ait, in principio Deum creaſſe Cœlum & Terram, id eſt, quartum hoc Elementum ea forma, ea perfectiooe & rotunditate, qua nunc illud calcamus. Probatur deniq; Quartum de Aqna, quia eodem Gen. 1. dicitur, terram fuiſſe vacuam, tenebras ſuper abyſſum & ſuper aquas Spiritnm Dei, id quod SS. Patres unanimiter de ereatione aquarum eodem temporis puncto cum tetra facta docent; Nã ut notat Salianus, quærit Theodoretus, cur Moyſes non docuerit Deum creaſſe aquas; Et reſpondet q. 5. in Gen. per verba: Terra autem erat inanis & vacua, ſive iovifibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum, demonſtraſſe, eum terra ſimul creatas fuiſſe aquas, eò quòd terra in medio aquarum, quæ undique per immenſum ſpatium ad cœlum usque Empyreum extendebantur, abſorpta jaceret.

DIFFICVLTAS XIX.

Quomodo præter Cælum & Terram reliqua compoſita naturalia, ut Elementa, Sydera, Orbes cæleſtes, vegetabilia & animalia ex ſuis principiis coaluerint?

QVando quidem ex dictis conſtat, in prima mundi productione nihil præter Angelos, Cœlum Empyreum, Terram & Aquam fuiſſe creatum, & tamen ad complendum perficiendumq; totum univerſum ſuperfuiſſe adhuc multa. quæ ſpatio 6. dierum à ſummo Artifice Deo, qui totis hiſcè diebus nunquam feriatus, in abſolutiſſimum opus coaluerint, v. g. Aërem & ignē, Orbes cœleſtes, eorumque luminaria & ſydera, tum animalia in terris, aëre, & aquis degentia, omnis generis plantas, arbores, eorumq; fructus, tandemq; Creaturarum poſt Angelos nobiliſſimum hominem; Idcircò his poſitis quæritur, quomodo hæc omnia cum ſuis formis & proprietatibus à Deo fuerint producta.

DICO 1. Omnia, quæcunq; poſt primam mundi productionem ſpatio 6. dierum producta fuerunt, emanarunt à Deo ſolo non per creationem, ſed per aliam actionem ab illa diſtinctam. Ratio eſt, quia producta fuerunt, ex præexiſtente ſubjecto, intellige terram vel aquam, quæ fuit prima materia creata, ergò non per creationem, ſed per aliam actionem diſtinctam, ſive hæc dicenda ſit purè naturalis, quæ prævias diſpoſitiones conſequi ſolet, ſive tranſſubſtantialis, quæ accidit ſubiecto citra ullam aptitudinem, quod etiam longè probabilius videtur, quia non produxit Deus primò diſpoſitiones prævias ad modū Agentium naturalium, tum formā, ſed cum ille ſit ſimpliciſſimus & perfectiſſim⁹, omnia ſimul.

Quid ex aqua & terra produxerit Deus.

DICO 2. Ex Terra & Aqua produxit Deus omnia illa corpora, quæ conſtat 6. diebus ferialibus produxiſſe. Ratio eſt, quia hæc tota fuit materia illa, quam Deus creavit, & quam omnium generationum & corruptionum communem materiam & ſubjectum impoſterum eſſe voluit, adeoq; ingenerabilem & incorruptibilem. Produxit autem, ut initium & caput primum Sacræ Scripturæ docet, primo die lucem juxtà illud Gen. 1. Dixitq; Deus fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem, quod bona eſſet, & diviſit lucem à tenebris, appellavitq; lucem diem, & tenebras noctem, factumq; eſt veſpere & manè dies unus, primus nimirum omnium, quo terra & aqua, quæ paululum ante creata jacebant in tenebris, viderunt lucem illam magnam divino juſſu coruſcantem, & non tantum abyſſum longè lateq; permeantem, ſed terræ quoq; ſuperficiem illuſtrantem. Secundo die produxit Deus cœlum ſive firmamentum, ut Gen. 1. Moyſes his verbis docet: Dixit quoq; Deus, fiat firmamentum (intellige omnes orbes cœleſtes) in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diviſitq; aquas quæ erant ſub firmamento ab iis, quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita, vocavitque Deus firmamentum cœlum, & factum eſt veſpere & manè dies ſecundus. Die tertio congregavit Deus aquas in unum locum, ut videlicet Terra appareret, indiditq; ei fœcunditatem ad plantarum omnium ipſius Paradiſi terreſtris productionem: Et hoc habetur ex Moyſe loco cit, verſu 9. & 10. his verbis, dixit verò Deus congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt unum in locum, & appareat terra arida, & factum eſt ita, & vocavit Deus terram aridam, congregationesq; aquarum vocavit maria. Dies 4. nobilitatus eſt duobus magnis cœlorum luminaribus, quæ impoſterum vices primævæ lucis agerent, diesq; & noctes inter ſe diſtinguerent, id quod pulchrè Legislator Moyſes his verbis exxlicat dum ſcribit: Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos, & luceant in firmamento, ut illuminent terram: Et factum eſt ita, fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas; Et poſuit eas in firmamento cœli ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras; Et vidit Deus, quod eſſet bonum, & factum eſt veſpere & manè dies quartus. Dies 5. continet productionem avium & piſcium in aëris & aquarum ornamentum, & hominis mox venturi famulatum & uſum: Verba] Prophetæ ſunt hæc: Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile, ſuper terram ſub firmamento cœli, creavitq; Deus cete grandia, & omnem animam viventem, quam produxerant aquæ in ſuas ſpecies, & omne volatile ſecundum genus ſuum & vidit Deus, quod eſſet bonum, benedixitq; ei dicens, creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, avesq; multiplicentur ſuper terram; Et factum eſt veſpere & manè dies quintus. Sexto tandem die produxit Deus imprimis innumerabiles animantium ſpecies, tum hominem, quem ipſe prioribus longè divinius formavit & magnificentiſſimè locupletavit: Huius rei ſeriem Propheta his verbis narrat: Dixit quoq; Deus, producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias ſecundum ſuas ſpecies, factumq; eſt ita; Et fecit Deus beſtias terræ juxtà ſpecies ſuas & jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo, & vidit De⁹ quod eſſet bonum, & dixit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis univerſæ terræ omniq; reptili, quod movetur in Terra. Sed ex qua præciſè materia hæc omnia ſunt producta? Reſp. &

DICO 3. Quicquid diebus ſex ferialibus Deus produxit, id produxit ex terra & aqua, quod utrumque Elementum immediatè ante creaverat, ex terra quidem animalia terreſtria, plantas, arbores, herbas, fructus ter-

terræ, & hominem, ex aqua verò orbes cœleſtes, eorumque luminaria, lucem, ignem, aërem, vapores, ventos, nubes, piſces, & volucres, idquod enumeratione patebit: Nam imprimis communis eſt doctrina, lucem illam, quam Deus primò ſtatim die creaverat, eamque ad motum ſolis, qui proximè producendus, moveri voluit, ut diem & mortem diſtingueret, ex Diaphano aquarum corpore fuiſſe productam, aut ex cœlo Empyreo quaſi expreſſam & profuſam. 2. Quod firmamentũ omnisque cœlorum congeries ex aquis facta ſit, non tantum SS. Patres atteſtantur, ut videre eſt apud Salianum die 2. operum divinorum, ſed probat id etiam ea ratio, quia cum cœli ſint immenſa corpora, clara & perſpicua, nec potuit terra, quâ ſolæ ſtellæ majores ſunt, ſufficere, nec etiam habere aptitudinem ad tam fulgentia corpora ſicut aqua quæ à terra undique ad ipſum usque Cœlum Empyreum, ut SS. Patrum & Theologorum eſt doctrina, per immenſa illa ſpatia protendebatur: Nè autem illam aquarum condenſationem ſequeretur vacuum, quod natura tantoperè refugit, neceſſarium ſed & conveniens erat, id ſpatium igne & aëre, quæ rariora ſunt corpora usq; ad aquas inferiores, quæ totam adhuc terram operiebant, replere; Proindeq; cum firmamento ſimul duo hæc Elementa, quæ ſæpè ſub nomine Cœli in ſacris literis intelliguntur, accipienda ſunt, ut videre eſt apud Delrionem, Cornelium à Lapide, Salianum &c. Tertiò produxit Deus è materia terrea metalla, lapides, & mineralia, tum plantas & omne genus rerum vegetabilium, quibus fertilitatem & germinandi poteſtatem dedit: Et idem hic immenſus Deus, ut cenſent Theologi, rotundam planè terram condidit, biduoque aquis obrutam & immerſam jam multis undique locis vi ſua omnipotenti elevavit, montesque valles & cavitates tam intra ejus viſcera, quam ſupra in ejus ſuperficie, & circumquaq; in ejusdem lateribus formavit, ut in eas aquæ defluentes naturali ſua pronitate ſeſe reciperent, idq; eum in finem, ut venarum inſtar eſſent in magno iſto terreno corpore, illudq; velut alimento in viſcera recepto per ingentes illos meatus & aquæductus redderent pinguius & fœcundius: Et ad hanc partim elevationem partim depreſſionem terræ non ſolum facta eſt Europa, Aſia, Aphrica, America, & quicquid terrarum eſt ad polum Arcticum, & Antarcticum, ſed etiam quicquid eſt Inſularum Oceano marique mediterraneo, & omninò ubique locorum, ubi terra fluctibus eminet, annexum. 4. Producta ſunt ſydera orbium cœleſtium, ut Luna, Sol, cœterique Planetæ, & Stellæ firmamenti ex eadem materia ex qua orbes ipſi, Soli verò lucem illam primigeneam indidit, ut eſſet ejus vehiculum ex Patrum ſententia; Nam quâ virtute ſecretam à ſubjecto proprio lucem in aqua produxerat, mobilemq; ac dierum effectricem reddiderat, eâdẽ nunc illam ſoli attribuit: Et hinc Lugubinus in ſua Coſmopœia illud, inquit, eſt veriſſimũ, & à Theologis vetuſtiſſimis quoq; aſſertum, eâdem ratione fuiſſe ex aquis eductam æthercam ſubſtantiam atque ipſum cœlum expirationesq; cœleſtes: Videmus enim aquam in aërem, in nubes, in faces, in vapores igneos mutati; Et ſunt hæc conſentanea doctrinæ peripateticæ, quæ vult Aſtra eſſe ejusdem ſubſtantiæ cum orbe ſuo, ut disputat Valeſ. l. 1. de ſacra Philoſophia c. 1. 5. Prodierunt piſces & aves, non ex terra, ut Cajetanus paucique alii cum eo docent, ſed ex aquis juxta Sententiam Patrum, cum aliàs potuiſſent & debuiſſent non die 5. ſed 6. cum reliquis animantibus produci, quia & hæc ex terra producta fuerunt; Præterea eſt aqua ſubjectum aptiſſimum, ex quo multiplices piſcium aviumque ſpecies gignerentur & viverent, ut conſentit etiam Ariſtoteles 3. de gen. animal. c. 11. Neque tamen intelligendum eſt piſces & aves ita productas, ut cœtera Elementa nihil in earum productionem contulerint, quia conſtat ea corpora eſſe verè proprièque mixta; Sed ſatis eſt, ſi ex aqua tanquam ex prædominante Elemento producta fuiſſe dicantur, & accepiſſe Solem omnium viventium corpore conſtantium Parentem. Ultimò tandem veniunt jumenta, reptilia & beſtiæ, quique operum divinorum poſt creationem nobiliſſimus eſt homo: Horum enim omnium Author & Productor ex terra Deus eſt, ut qui juxtà Prophetam Moyſen primò juſſit terram producere animam viventem in genero ſuo, 2. hominem formavit de limo terræ, inque faciem inſpiravit ſpiraculum vitæ: Sed cum hac de re peculiari quæſtione & explicatione opus ſit; ideò ſequitur

DIFFICULTAS XX.

Quomodo primus homo cum ſuis principiis à Deo productus fuerit?

DE materia nulla eſt controverſia, quia conſtat hanc antequam in corpus Adami coagmentaretur, à Deo creatam fuiſſe: De Anima ergò ſola eſt quæſtio, quomodo hanc Deus produxerit, & ex ea cum materia unum compoſitum phyſicum, hominem ſcilicet Adamum & Evam formaverit.

DICO 1. Corpus organicum Adami formavit Deus ex luto terræ, & obſervavit eum ordinem & modum in disponendis connectendis & collocandis membris, partibus, viſceribus, & artubus, quem natura in producendis modernis hominibus ſervare ſolet, niſi quod hæc ob imperfectionem tardius operetur, Deus autem ob infinitam ſuam potentiam & virtutem id longè citius, vel etiam in momento fortè absq; præviis diſpoſitionibus operatus fuerit. Hoc totum patet ex Gen. 1. ubi habetur, divinam Trinitatem de homine cum ampliſſima dignitate ac poteſtate producendo quaſi deliberaſſe ac dixiſſe, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, qui præſit piſcibus maris &c. tum c. 2. produxiſſe & finxiſſe corpus ex terra juxtà illud, formavit igitur Dominus Deus hominem

de limo terræ &c, & quidem de terra rubra, ut habet Joſephus l. 1. antiquitatum c. 1. quæ cum aqua ſufficienti nonnihil ſubacta & in limum coagmentata fuit: Quale autem corpus ex hac terra diviniſſimus Architectus efformaverit, quo decore & ſplendore, qua pulchritudine & amœnitate illud effinxerit, qua colorum varietate imbuerit, qua Symmetria & partium inter ſe proportione interſtinxerit, nemo facilè eſt, qui ad amuſſim omnia pro dignitate aſſequi hactenus potuerit, quantumvis etiam inter antiquiores D. Ambroſius l. 6. hexam. c. 9. & toto libro de dignitate conditionis humanæ, Greg. Nyſſenus L. de opificio hominis, inter recentiores Ludovicus Richeomus Vir præſtantiſſimæ facundiæ, & Salianus ad diem 6. de divinis operibus id verbis

Præſtantia corporis humani. & ſententiis elegantiſſimis proſequi tentaverint; Nam ſi nobilitatem hujus corporis, inquit Salianus, ſpectes, certè terreno corpori major optari non poterat, quam habere Architectum & factorem Deum ipſum; Si pulchritudinem, nulla major Adamo, quia ſimillimus erat illi, qui ſpecioſus fuit præ filiis hominum; Si robur, maxima profectò fuit firmitas laterum, ingens nervorum vigor, & contextus muſculorum, ut docet nongentorum & triginta annorum ætas, quæ nullo, quod ſciatur, languore debilitata vel fracta fuerit; Si ſtaturam, non ſolum recta fuit: Sed etiam celſa & erecta, qualis decebat Imperatorem Orbis terrarum; Si complexionem, illa non immeritò excellentior, quam in aliquo mortalium fuiſſe creditur, quia habuit immediatum fabricatorem Deum, cujus omnia perfecta ſunt opera, & ſi quo alio in opere, hic certè omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuit, cujus rei validum teſtimonium inviolata ſanitas eſſe poteſt; Si denique diſpoſitionem organorum, nemini dubium eſt, quin organa internis externisque ſenſibus neceſſaria perfectiſſimè digeſta eſſent, ut quæ diutiſſimæ vitæ functionibus rectè conſtanterque obeundis ſervire oportebat. Et hæc eadem intellige ſimiliter Evæ proportionaliter conveniſſe, cujus corpus ex coſta Adami, ſicut hujus è luto vel pulvere terræ formavit juxta verba Scripturæ, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adamo, in mulierem, &c.

DICO 2. Poſt efformatum corpus produxit Deus animam Adami per veram creationem, eamque ceu ſpiraculum vitæ inſpiravit in faciem ejus. Gen. 2. c. v. 7. id eſt, infudit eam factis diſpoſitionibus vel prævijs vel momentaneis in corpus. Prima pars deſumitur ex naturali Philoſophia, patebitque pluribus ex alibi dicendis, quia anima rationalis non producitur ex ſubjecto præexiſtente, cum ſit ſpiritualis & immaterialis, ergò verè creatur. 2. Pars eſt Sacræ Scripturæ, quæ ait, Deum animam noviter productam inſpiraſſe in faciem Adami. Hic quærit Salianus, cur anima inſpirata dicatur aut per inſpirationem producta; & reſpondet, vel quia Propheta voluit innuere eam corpus non eſſe ſed ſpiritum; vel ut doceret Philoſophos eam non educi de poteſtate materiæ, quemadmodum fit cum cæteris formis materialibus, ſed à ſolo Deo produci; vel ut intelligamus eam non eſſe quandam divinæ ſubſtantiæ particulam; vel ut doceret animam ſimul creari & infundi in corpus; Deus enim creando eam infundit, & infundendo creat, ſiquidem utrumque fit eodem puncto temporis, licet ordine naturæ prius ſit ipſam creari quam infundi in corpus. Dicitur autem directè facta hæc inſpiratio in faciem, ſive quia ibi omnium ſenſuum organa collocata ſunt, quibus animal vitam animæq; præſentiam patefacit, ſive quia in ea tanquam in ſpeculo imago animi dignoſcitur, quippe quæ triſtitiam, lætitiam, iram, timorem, admirationem, cupiditatem, deſperationem aliasque animi paſſiones prodit. Cæterùm dicitur homo ad ſimilitudinem Dei factus, non quod in corpore humano reperiantur illæ dotes & ornamenta, quibus ad divinæ Majeſtatis conſortium aſſurgamus, ſed quia in eo præſtantia humanæ mentis eluceſcit, in qua propriè & per ſe eſt imago Dei, ut S. Auguſt. l. 6. de gentibus ad literam c. 12. affirmat. Quid habet, inquit, homo excellentius in hac re, niſi quod ipſe ad imaginem Dei creatus eſt? Nec tamen ſecundum corpus ſed ſecundum intellectum mentis: Quanquam in ipſo corpore habeat quandam proprietatem quæ hoc indicat, quod erecta ſtatura factus eſt, ut hoc ipſo admoneretur, non ſibi terrena eſſe ſectanda velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra eſt, unde in alvum pecora omnia prona ſunt, atque proſtrata: Congruit ergò & corpus ejusdem animæ rationali non ſecundum lineamenta figurasque membrorum, ſed potius ſecundum id, quod in cœlum erectum eſt, ad intuenda quæ in corpore ipſius mundi ſuperna ſunt, ſicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in ſpiritualibus natura maximè excellunt, ut quæ ſurſum ſunt ſapiat, non quæ ſuper terram; hucusque S. Auguſtinus.

DIFFICVLTAS XXI.

Quomodo Principia in homine aliisque rebus naturalibus perpetuentur?

DE materia nulla hic eſt Quæſtio, quia eadem, quam Deus ſemel creavit, adhuc in omnem poſteritatem durat, eſtque omnis generationis & corruptionis expers, & hanc perpetuò comitatur privatio ad formas poſſibiles. De formis itaque eſt difficultas, quisnam eos inter tam multiplices ſpecies & individua producat, & unde hujus productionis virtus.

DICO 1. Omnes rerum naturalium formas producunt Agentia merè naturalia, niſi tamen effectus eum cauſa excedat à modo & ſtatu naturali: Hæc concluſio probatur ex virtute, quam habent omnia Agentia naturalia ſe ſuamque ſpeciem conſervandi & perpetuandi inſitam, & quam poſt primã mundi creationẽ munificentiſſimus Deus dedit, cũ juſſit omnia

creſce-

creſcere & ſeſe multiplicare; Et patet etiam ex communi experientia, quia non tantū ſumus, quod Adamus primus noſter Parens habuerit in ſe principium & virtutem generandi ſuamq; ſpeciem conſervandi, quod idem de cunctis aliis rebus naturalibus totius univerſi intelligendum eſt, ſed videmus etiam, quod ignis v. g. producat alium ignem, calor calorem, pyrus pyrum, Leo leonem, idque ex vi & natura ſibi ab Authore naturæ inſita: Adhæc convenientiſſimum erat rebus naturalibus, ut ad hunc modum propagari poſſent, ne æternus Conditor nihil dediſſe videretur, vel ubique & in omnibus abſolutè concurrere cogeretur, id quod ad totius univerſi perfectionem pertinuiſſet. Dixi tamen, niſi cauſa & effectus recedant à modo & ſtatu naturali, quia in multis rebus naturalibus, ubi virtus agentium ſublunarium deficit, Deusque ſingulariter ſuam poteſtatem oſtendere cupit, videmus & ſcimus effectus ipſi ſoli eſſe tribuendos, v. g. productionem animæ rationalis in homine, & ſenſitivæ in corpore ranæ, reſtitutionem viſus in cæco. &c.

DICO 2. Hanc virtutem indidit rebus cunctis Author naturæ Deus ſtatim in productione primæva totius univerſi.

Probatur, virtutem ſeſe multiplicandi non habuerunt res naturales ex ſe, ergò ex alio. ſcilicet ex Deo, à quo & ipſæ primitus factæ ſunt. Et patet hoc ex Gen. 1. ubi Deus benedictionem dedit animantibus, & primis noſtris Parentibus, juſſitque eos creſcere, & ſeſe multiplicare, ergò quod omnes res naturales ſe per continuas generationes quoad ſpeciem conſervent, ſuisque ſe viribus & actionibus tantum concurrente Deo ut cauſa prima multiplicent, id eidem tanquam primo rerum omnium Creatori & Conditori referendum habent, ita tamen, ut quam virtutem ipſe Deus in prima mundi creatione largitus fuit, hanc eandem ipſæ in poſteros omnes ex ſe transfundere poſſint. Confirmatur concluſio, quia poterat Deus condere & producere omnem rerum viventium ſpeciem abſque eo quod eis ſuperaddidiſſet virtutem ſe ſe multiplicandi; Nam poterat Adamus eſſe homo rationalis, Leo animal ſenſitivum, pyrus vegetabilis, licet non habuiſſet vim & efficaciam ſe per individua conſervandi, ergò quod hanc virtutem habeant, id divini opificis gratiæ & munificentiæ debent.

DICES 1. Si poſſunt Agentia naturalia producere nova individua poterunt etiam producere novas ſpecies; Sed hoc falſum eſt, ergò & illud. Reſp. Negando ſequelam majoris. Ratio diſparitatis eſt, quia producendo individuum ſuæ ſpeciei non plus producit Agens, quam quod in viribus habet, & ad cujus productionem jam olim à Deo accepit univocam poteſtatem, virtutem & benedictionem; Sic Adamo & Evæ indidit virtutem viribus ſuis gignere filium, qui & eandem ab ipſis accepit poteſtatem producendi novam prolem, & ſic conſequenter in omnes generationes tam in hac quam in univerſis rerum ſublunarium ſpeciebus. Producere autem novam ſpeciem ideò eſt extra activitatem Agentium naturalium, quia non continent eam vel virtualiter vel formaliter; Sunt enim inter ſe alterius naturæ & eſſentiæ, habentque diſpoſitiones penitus diſcrepantes, quæ ſemper ad hoc ordinatæ ſunt, ut producant ſibi ſimile, & effectum cauſæ proportionatum. Neque dicas hactenus multas novas ſpecies in rebus naturalibus fuiſſe productas v. g. mulos, vermes, fructus, plantas, flores &c. Quia Reſpondetur, has eſſe ſpecies imperfectas & incompletas, quæ ex diverſis naturis & ſeminibus coaluerint, ideoque etiam utrinque naturas concurrentes participare, ut patet in mulo, qui naturam habet Equi & Aſinæ. Cætera, quæ minora ſunt, infinities penè propter imperfectionem variasque naturarum & virtutum commixtiones immutantur, ut videre eſt tum apud ipſum Ariſtotelem ſuis de hiſt. animal. libris, tum apud alios rerum naturalium & animalium ſcriptores.

DICES 2. Si tot ſunt formæ & quidem ſpecie diſtinctæ, quot penè ſunt corpora & compoſita phyſica, ſequitur præter materiam non eſſe unum numero principium, ſed quaſi infinita, quod tamen eſt abſurdum. Reſp. neg. ſequelam, quia licet ſint multæ in rebus naturalibus formæ etiam diſtinctiſſimæ, hæ tamen omnes & ſingulæ conveniunt univocè in hoc quod dent eſſe intrinſecum compoſito naturali, & faciant cum materia unum per ſe: Et idem quaſi de materia dicendum eſt, quæ licet in omnibus ſuppoſitis alterius eſſe rationis videatur propter alias atque alias tam ſubſtantiales quam accidentales formas, ex quarum acceſſu & receſſu ipſa quoque immutatur, eadem tamen ubique eſt in ratione ſuſcipiendæ formæ & cum ea conſtituendi compoſitum phyſicum, naturale, perfectum abſolutum. *Materia quomodo diverſa.*

DISPUTATIO SECUNDA,

De materia quæ eſt primum hominis Orientis principium Intrinſecum.

DUplex eſt materia, de qua agere ſolent tam Phyſici quam Medici; Unam vocant primam, alteram ſecundam, illam ſpoliatam, hanc veſtitam formis & accidentibus: Illa in condendo univerſo primum divinæ virtutis opus fuit, & in formandis ordinandisque rebus ſublunaribus primum principium: Creavit enim eam Deus & poſuit in immenſæ capacitatis medio, ut eſſet non tantum futurarum ſpecierum & individuorum commune ſubjectum, ſed etiam ipſius Artificis divini rudimentum, ex quo Cœlos ultimos terminaret, eosque multitudine & pulchritudine ſtellarum decoraret, machinas elementares ordine ſtructas ſuis diſtingueret locis, & animantium in iis diverſa produceret genera, terram omni fructuum & vegetabilium varietate veſtiret, & demum quod poſt creatos Angelos nobiliſſimum & munificentisſimum exiſteret opus, hominem formaret. Et hæc eadem eſt, quæ in mundi exordio creata etiamnum in continuis rerum mutationibus omniumque individuorum productionibus incorruptibiliter durat & ſublunaria tanquam fidelisſima ſpecierum Conſervatrix perpetuat, quæque ſub variis formis & accidentiis materia ſecunda dicitur; Eſt enim ſubjectum proximum & immediatum ex quo cum cœlis Elementis & homine oriente omnia hujus inferioris mundi corpora conſtituuntur, in quo etiam omnia agentia naturalia ſuas vires exerunt, & quicquid operationum ad cunctas generationes & corruptiones requiritur, eliciunt. Sequitur itaque de materia primo modo accepta, & de qua primis 13. difficultatibus agetur.

DIFFICVLTAS I.

An detur materia prima, quæ ſit ſubjectum & principium hominis orientis omniumque corporum naturalium intrinſecum.

QVam pulchrè & quam benè variis in locis Ariſtoteles de hac ipſa materia, tum vel maximè l. 1. Phyſ. 7. 8. & 10. & 12. Metaph. ſcripſerit, id in compendium collegit & redegit Pererius in ipſa Ariſtotelis doctrina verſatisſimus multâque lectione ſtudioſisſimos l. 5. rerum & principiorum naturalium c. 2. Et de hac ipſa, ex qua conſtamus & in qua corrumpimur & morimur, ut ea ſufficienter dicantur, quæ ad exhibendum hominis ortum pertinent, non incongruè occurrit primùm hæc difficultas prima, an detur ea materia, quæ ſit commune ſubjectum omnium formatum & principium conſtitutivum hominis orientis.

Adverte tamen, eam materiam quæ eſt ſeminis, Embryonis, corporis organici, hominis, non dici nec eſſe primam; Nam dividitur materia in primam & ſecundam; Illa eſt ſpoliata, hæc veſtita formis & accidentibus, quibus proximè disponitur ad hanc vel illam potius formam recipiendam, unde & inter ſe discrepant, ſicut arbor tempore verno & æſtivo cum foliis ab arbore tempore brumali absque foliis. *Materia prima & ſecunda.* Prima de qua agetur primò dicitur talis, quia eſt ſubjectum mutationis, conſtitutionis, eductionis, receptionis & informationis. Vocatur etiam ſubjectum, quia recipit tanquam ſubjectum inhæſionis & informationis formas accidentales, & tanquam ſubjectum eductionis formas ſubſtantiales; inde enim educuntur omnes formæ ſubſtantiales præter animam rationalem, quæ eſt in materia tanquam in ſubjecto receptionis & informationis. Vocatur elementum primum, quia res naturales ex ea componuntur & denuò in illam reſolvuntur; Vocatur potentia reſpectu actus ſeu formæ quam recipere poteſt: Vocatur chaos ſeu confuſio, quia non habet diſtinctionem à ſe ſed à forma. Vocatur turpe quia ex ſe nullum habet decus & ornamentum. Denique vocatur mater, ſeminarium, nutrix, tenebræ, &c. His poſitis

DICO, certum eſt dari materiam primam, quæ ſit ſubjectum hominis orientis ejusque principium intrinſecum. Ita communiter docent Phyſici & Medici ex Ariſtotele 1. Phyſ. c. 6. & 8. Metaph. c. 1. contrà Valeſium medicum c. 69. de ſacra Phil. ubi negat dari materiam primam, & docet omnes res corporeas eſſe ſimplices, non compoſitas, proindeque cum lignum petit, totam ejus ſubſtantiam perire. Sed probatur hæc concluſio multis argumentis & rationibus à variis; adducam paucas & quidem optimas: Prima quæ ſumitur ex transmutatione ſubſtantiali, eſt hæc; ex nihilo nihil fit naturaliter, ergò quicquid fit, ex alio fit, ergo danda eſt materia, & quidem materia talis, quæ ſit ſubjectum commune omnibus rebus ſublunaribus, Sic enim ex pane fit chylus, ex chylo ſanguis, ex ſanguine ſemen, ex hoc Embyro, nervus, os, vena, fœtus & homo totus. Probatur 2. homo gignitur ex materia vel ſubjecto præexiſtente, ergò ex materia prima: Probatur conſequentia, materia præexiſtens vel informatur formâ aliquâ ſubſtantiali, vel non; non primom, quia ſic oon poſſet tranſire in hominem, quia jam informatur forma ſubſtantiali, ergò ut hoc fiat, *Datur materia prima.*

ar, debet denudari hac ſorma, quo poſito materia jam non eſt, nec dicitur materia ſecunda, ſed prima, ergò planè convincitur eam dari; & hoc argumentum ab aliis hunc in modum fuſius proponitur, videlicet quando v. g. ex ſanguine fit caro, vel tota caro præfuit in ſanguine vel non; nō primū, quia hoc modo eſſet res eadem actu ſanguis & caro; non ſecundū, quia ſi nihil carnis præfuit, tum naturaliter fiet ex nihilo, quia duæ totales formæ non ſubordinatæ non poſſunt naturaliter ſimul eſſe ſub iiſdē accidentiis, ergò præfuit materia ex qua educitur forma carnis, quæque pereunte formâ ſanguinis non poteſt naturaliter perire, cū ſit ingenerabilis & incorruptibilis, aliàs daretur annihilatio ſecundum omnes partes quod implicat: & hoc idem argumentum valet etiā ad probandam eductionem formarum naturalium è ſubjecto. Quod ſi dicas totum ſanguinem perire, & totam carnem produci, Reſp. Hoc falſum & abſurdum eſſe, quia ſi ſanguis annihilaretur, tunc tota caro naturaliter crearetur nullo ſubjecto præexiſtente, quod eſt contra omnem Philoſophiam; vel certè minimùm hoc modo generatio carnis eſſet tranſubſtantiatio, ne putes te cum Valeſio effugere, ſi dicas eam non fore creationem carnis ideò, quia creatio non ſit productio quæ requirat alicujus rei deſitionem; nec etiam ſanguinis corruptionem fore annihilationem eò quod hæc non requirat novam alicujus rei productionem, ſed ſolùm ſubtractionem concurſus divini: Nam præterquam quod minimùm actio hæc ſit ſacramentalis aut tranſubſtantiatio, quâ nimirùm totum ſubſtantiale compoſitum, ſanguis ſcilicet deſinit eſſe, & novum, caro ſcilicet per novam actionem absque diſpoſitionibus præcedentibus produceretur, verè hujusmodi ſangvinis deſtructio vel deperditio eſſet, annihilatio, cum totum compoſitū deſineret eſſe & nova carnis productio eſſet verè propriè q; ſumpta creatio, cū produceretur ex nihilo ſubjecti. Probatur 3. ratione ab alteratione deſumpta: ideò enim ignis v. g. calefacit lignum ſeu ferrum, ut in illud introducat ſuam formam & expellat aliam, nec finis alius hujus alterationis excogitari poteſt. Et clarius id in alimento animalium videre eſt; quorſum enim ſumunt pabulum, niſi ut in illud per varias coctiones rectè diſpoſitū inducant animam & reſtaurent hoc modo quod naturalis calor abſumpſit. Probatur 4. eadem manent accidentia in homine v. g. mortuo, quæ fuêre in vivo, videlicet, quantitas, cicatrix, figura, humor, calor, frigus, &c. ergò datur aliquod ſubjectum commune & genito & corrupto. Antecedens probatur, quia non migrant accidentia de ſubjecto inhæſionis, nec producuntur de novo, ergò ſi manent eadem accidentia & formæ partiales, etiam manebit idem ſubjectum.

Eadem accidentia manent in homine vivo & mortuo.

DICES 1. In homine non reperitur hæc materia, ſed nec in ullo reliquorum compoſitorum phyſicorum, ergo nulla datur. Antecedens probatur, quia materia prima eſt absq; forma, qualis nec in homine, nec in rebus naturalibus reperitur. Reſpondetur, materiam in homine ſicut & in cæteris rebus naturalibus dupliciter conſiderari; primò prout jam actu poſſidetur & informatur ab anima, vel actuatur à forma; ſecundò prout habet reſpectum ad alias formas, eſtque ſubjectum commune transmutationis; primo modo non eſt materia prima ſed ultima, quia eſt id quod ſemper alias atque alias formas ſuſcipere poteſt; vel reſpondetur negando Conſequentiam, quia & homo & reliquæ res naturales ſunt corruptibiles, & non tantum habent potentiam ad transmutationem ſubſtantialem, ſed etiam de facto transmutantur exceptis cœlis, quod manifeſtum ſignum eſt dari materiam primam, videlicet illud commune ſubjectum, quod ab uno compoſito tranſit in aliud; unde colligitur hoc argumentum aliquid convincere, ſi & homo & omnes res naturales nunquam corrumperentur, nec haberent etiam potentiam ad transmutationem ſubſtantialem: quando n. ſanguis ſit caro, caro vermis &c. eo inſtanti concipimus materiam nudam, id eſt, tranſire ab una forma, videlicet, à forma ſanguinis ad formam carnis, & eſſe ſubjectum commune in omnibus transmutationibus ſubſtantialibus, id eſt, materiam primam, ut ex dictis patet.

DICES 2. Materia vocatur & eſt non ens, ergo nec principium aut ſubjectum rei permanentis. Reſpondetur, vocari non ens ratione adjunctæ privationis, non propriæ entitatis: nam reverâ in ſe ſpectata propriam habet entitatem.

Colligitur neceſſariò dandam eſſe materiam primam, ne detur in omni productione vel generatione ejus corruptio, & in omni corruptione annihilatio contrà communem ſenſum totius Philoſophiæ & quotidianam experientiam.

DIFFICULTAS II.

Quotuplices dentur in rebus ſublunaribus materiæ,

HÆc difficultas, quæ à nemine Philoſophorum movetur, hic propter Sennertum Medicum Wittebergenſem proponitur, quia is hypomn. 1. c, 6. de materia rerum ſublunarium docet, præter materiam illam, ex qua fiunt mixta, ſupereſſe adhuc aliam à priori longè diverſam meliorique naturâ præditam: & confirmat hæc cum Franciſco Pico Mirandulæ Comite L. de elementis c, 3. Jacobo Scheghio L. de efficacia caloris nativi. Fernel. de abditis rerum cauſis & aliis, imò cum ipſo Philoſopho 2. de generatione animalium c. 3. quem etiam inuitum ad ſuas partes trahit, rationes ſunt, quod nobiliores formæ nobiliorem exigant materiam; quod in calido nativo propter admirabilem ejus vim agendi neceſſariò ſit aliqua materia, quæ ſuperet elementarem, proindeq; cum cæleſti analogiam habeat ſive

ſimilitudinem; quod animalia non nutriantur propriè niſi ab iis rebus, quæ aliquando vitam habuerint, adeoque adhuc ſpiritus inſiti materiam animalium nutritioni vitæque proportionem participent, &c.

DICO breviter unica datur materia prima, quæ eſt ſubjectum commune omnium formarum in ſublunaribus. Ratio eſt, quia nulla neceſſitas excogitari poteſt ſingendi plures, ergò. Et confirmatur, quia eadem materia, quæ actuatur formâ lapidis, carnis, hominis, in ſe & ex natura ſua habet potentiam recipiendi omnes formas rerum ſublunarium, etiá pro hoc mundi ſtatu poſſibiles, ergò Unica eſt & ſubjectum commune omnium formarum in ſublunaribus. Dixi tamen pro hoc mundi ſtatu, quia ſi Deus novas ſpecies earumque formas á noſtratibus diſtinctas produceret, teneretur etiam producere novam materiam quæ eſſet illarum ſubjectum, ut infrà dicatur. Rationes quas Sennertus ex variis authoribus allegat, nullæ ſunt, partim quia malè ab eo intelliguntur, partim etiam, quia nihil concludunt. Nam ſi cum ipſo

DICAS primo nobiliores formę, nobiliorē exigunt materiam, ergo ſicut formæ nobilitate & dignitate ſunt multiplices, ita etiam materia. Reſp. negando antecedens, quia aliàs materia v. g. rubeti, vermis, ranæ, pulicis &c. foret nobilior quàm materia petaſonis, boruli, ſolis, lunæ, &c. quia formæ ſunt nobiliores; omne enim decus, ornamentum, pulchritudo, nobilitas, perfectio ſolùm á forma eſt, non á materia, quæ ex ſe nullam prorſus habet dignitatem. Ad Authoritatem Mirandulani, Schegkii, Fernelii & Ariſtotelis reſpondetur, hos Authores partim malè cum Sennerto ſentire, partim quod probabilius videtur, malè ab eo intelligi & explicari; nam quando Ariſtoteles dicit formam nobiliorem requirere materiam nobiliorem, intelligendus eſt de diſpoſitionibus materialibus, non de materia præcisè quæ eſt ſubjectum commune formarum ſubſtantialium; & hoc idem de actionibus intellige, quia perfectio & elevatio earum debetur formæ & diſpoſitionibus in materia fundatis; v. g. quod ſtomachus ſanguinem præparet, eumque Epar & cor perficiat, id non materiæ, quæ ubique paſſivè ſe habet, ſed formæ ſuperiori, animæ ſcilicet, formis particularibus, calori, humori, cæterisque diſpoſitionibus aſſeribendum eſt.

DICES 2. Admirabilis eſt vis & efficacia in calido nativo, quam etiam tota antiquitas obſtupuit, ut alibi eſt videre, habetque cum calore cæleſti analogiam & ſimilitudinem, ergò ſuperat elementare, eſtque alterius naturæ & eſſentiæ. Reſp. calorem in viventibus ſuperare elementarem in operando non in eſſendo, quia videlicet omnes ejus operationes & effectus referendi ſunt in formam & diſpoſitiones præſentes, quæ ſunt propter nobilitatem formæ & modificationem caloris: Quod enim calor nativus tam mirabiliter in ſemine, fœtu, homine ejusque viſceribus operetur, non ideò

Calor in diverſis ſubjectis eſt ejusdem ſpeciei.

ſit quod habeat aliquam analogiam cum corporibus cæleſtibus reſpectu materiæ, ſed quod à forma ſive anima, cujus potentias exequitur, ad hujus actiones naturaliter determinetur; nam quod calor in hoc ſubjecto efficit, non poteſt efficere in alio propter diſcrepantes diſpoſitiones & formas; unde etiam colligitur, quid idem Ariſtoteles velit quando dicit, quædam corpora habere analogiam cum corporibus cæleſtibus id quod Fernelius & Schegkius quoque repetunt, nimirùm vel multa eſſe corpora in his ſublunaribus quæ habeant qualitates à cœlo impreſſas ut multi non improbabiliter judicant, vel ita mirabiles actiones edere, ut cum cæleſtibus corporibus fermè comparemus, quia experimur in iis aliquid, quod noſtrum ſæpè captum ſuperat, hoc autem non à materia turpi & ex ſe imperfectâ, ſed à forma cæterisque diſpoſitionibus formæ ad tales actiones à Generante datis & conceſſis oritur.

DICES 3. Calor in animalibus non ignis eſt, nec ab igne originem ducit ut habet Ariſtoteles citatus, ergò ab alia longèque diverſa materia. Reſp. ſenſum Ariſtotelis eſſe, quod alius calor ſit in igne, qui propter intenſionem & adjunctam ſiccitatem quam utramque qualitatem habet à forma, corrumpat, alius autem in viventibus, qui propter moderatam vim agendi & humorem additum coquat, ſegreget, aliaque vitæ munia tanquam inſeparabile animæ inſtrumentum præſtet.

DICES 4. Animalia non nutriuntur propriè niſi ab iis rebus, quæ aliquando vitam habuerunt, & adhuc ſpiritus inſiti materiam, quę ſit animalium nutritioni vitæque proportionata, participant, ergò ſignum eſt hanc materiam eſſe à priori longè diverſam. Reſpondetur, quod animalia non ab elementis ſed ab aliis vegetabilibus rebusq; animatis nutriantur, ratio eſt, quia elementa & mixta inanimata longius ſuis qualitatibus diſſident à natura animalis & hominis, proximius autem accedant res vegetabiles & olim animatæ, ut fructus, ſemina, flores, piſces, carnes animalium, &c. Nam ſicut in his omnibus quæ nutritioni ſunt accomodata, dominatur humor cum moderato calore & cæteris qualitatibus vitæ humanæ congruis; ita in iis reperiuntur qualitates nimiùm excedentes, ut nimius calor, humor, frigus, ſiccitas, ſoliditas, durities, &c. Sic aqua nimis eſt humida, frígida, ignis nimis calidus & rarus, lapides, metalla & mineralia quæq; eruuntur è terris, nimis dura, ſicca, ſolida, &c. Et hæc eadem eſt ratio, quod ex rebus vegetabilibus & animatis non omnes nutriant, quia videlicet recedunt longius ſuis qualitatibus, ſive manifeſtis ſive occultis à natura animalium.

Sed quid aut qualis tandem eſt illa materia, aut unde oritur? Reſp. Sennertus loco citato, ſine cognitione creationis mundi non poſſe id explicari. Doctoralis profectò reſponſio. De utroque autem in ſequentibus.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

An ergò materia, quæ toto univerſo continetur, ſit ubique ejuſdem rationis.

DVplex eſt ſenſus hujus quæſtionis; primus, an materia rerum omnium ſublunarium ſit ejuſdem rationis; ſecundus, an materia illa, quæ cœlis eſt propria, diſcrepet ab ea quæ eſt inferioris mundi.

Materia rerũ ſublun. eſt ejuſdem rationis.

DICO 1. Materia omnium rerum ſublunarium eſt ejuſdem ſpeciei infimæ: ita communiter omnes ſentiunt contrà Sennertum, & habetur apud Ariſtotelem 4. cœl. c. 5. ad initium, ubi ait, 4. eſſe quidem elementorum materias, unam tamen omnium communem, præſertim ſi illa ex ſe invicem fiant. Vnde probatur Concluſio, quæ in ſe invicem agunt & transmutantur, eorum eadem eſt ſpecie materia; ſed ſublunaria imprimis invicem in ſe agunt, ut cum ignis agit in lignum, & in ſe mutuò transmutantur, ut cum panis convertitur in ſanguinem, aqua in aërem, aer in ignem, ſanguis in carnem, caro in vermem, &c. ergò habent eandem ſpecie materiam. probatur 2. ſi materiæ in his ſublunaribus ſint diverſæ rationis & naturæ, ſequitur etiam alias in iis reperiri qualitates, quæ videlicet ſint à modernis diſtinctæ & alterius ordinis, & has rurſum eſſe diſpoſitiones ad formas alienas ab iis quę nunc in mundo hoc inferiori exiſtunt; ſed hoc falſum eſt ergò & illud. 3. Omni materiæ ſublunari convenit una illa ratio vel definitio quæ infrà dabitur, ergò fruſtrà faciunt, qui aliam ſpecie diſtinctam affingunt. Neque dicas hinc ſequi, quod minimùm materia cœlorum diſcrepet à materia rerum ſublunarium, quia videlicet non poſſunt in ſe invicem agere & transmutari; quia respond: id non fieri propterea quod habeant qualitates alterius planè ordinis, ſed quod forma cœlorum per talem unionem ſit eorum materiæ connexa & irradicata, ut viribus naturæ non poſſit diſſolvi: ſed an materia cœlorum diſcrepet reverà à ſublunari? Reſpondeo &

Diverſa materia habent diverſas qualitates.

DICO 2. Quamvis utraque ſententia tam affirmativa, quàm negativa ſit probabilis; eſt tamen hæc, quod videlicet ejuſdem ubique ſit rationis materia, communior, & defenditur à magnis viris nobiliſſimisq; ingeniis; ſed & illam amplectuntur non pauci, tam ex antiquioribus quàm ex modernis ſive Philoſophis ſive Theologis, & præſertim qui ubique Ariſtotelem hic contrarium, conantur tueri: docet enim hic 1. de gener. c. 6. 7. & 10. inter corpora cæleſtia & ſublunaria non dari actionem & paſſionem reciprocam, proindeque nec materiam communem: & licet Conn. l. 1. de cœl. c. 2. 9. 6. 2. 2. ideò potius in partem affirmativam inclinent, quod ut expreſsè fatentur, ab Ariſtotele nolint recedere, att. tamen 3. docent utramque doctrinam & ſententiam eſſe probabilem. Qui Ariſtotelem ſeqvuntur, & materiam cæleſtem à ſublunari diſtinguunt, hi cæli corruptibilitatem prætendunt; quæ neceſſariò ex data utriusque materiæ affinitate ſequeretur. Sed reſponderi ſolet, in cælis eſſe omninò potentiam corruptibilitatis ratione materiæ, tametſi de facto non corrumpantur propter formam ejusque fortiſſimam unionem, quâ Deus peculiariter eam materiæ conjungi & quaſi æterno incorruptibilitatis vinculo alligari voluit, nè corpus tantæ dignitatis & neceſſitatis humano generi, in cujus uſum & gratiam primariò conditum fuit, tam facilè deficeret. Qui tamen utramque materiam ejuſdem naturæ & eſſentiæ conſtituunt, ut ſunt veteres Philoſophi, qui ante Ariſtotelem de natura ſcripſerunt, tum recentiores & moderni ſcholaſtici, quos citant Conn. cit. a. 1. horum ſundamentum eſt, quod inprimis nulla ſit neceſſitas diſtinguendi has materias; & ſi aliqua eſſet, eſſet illa quæ à cæleſtium corporũ incorruptibilitate ducitur, cujus tamen vis nulla eſt. Deinde quod utrobique eadem ſint accidentia, ut quantitas, denſitas, raritas, &c. Quæ ejuſdem ſunt rationis cum quantitate, denſitate, raritate horum inferiorum corporum. Ad hæc, quo ex eadem materia aquea, quam in Oceano, cæteriſque maribus & fluminibus adhuc cernimus, Deus olim cælos & ſydera produxerit ut ex dictis conſtat, ergò certum eſt & infallibile, materiam cæleſtem eſſe ejuſdem rationis cujus eſt aqua moderna in Oceano Indico, Britanico, in mari Balthico, Mediterraneo, Perſico, in Rheno, Danubio, cæteriſque infinitis fluminibus. Et fateor argumentum hoc firmum eſſe, & ſolidũ; Nam ſi cœli facti ſint ex aqua primitùs à Deo creata, prout factos eſſe plerique ſancti Patres modernique Theologi confirmant; Si cœli eandem adhuc retinent materiam, è cujus potentia olim Deus formas illas nobiliſſimas produxit, quod verum eſſe nemo niſi imprudens & indoctus negabit; Si materia ejusque eſſentia per acceſſum tantæ formæ non immutata fuerit, prout nunquam ita mutatam fuiſſe certum eſt; Si denique cœlorum dignitas & præſtantia ſolius ſit vinculi & unionis, quâ materiæ tam efficaci nexu adhæreſcit, neceſſum eſt cæleſtis & inferioris mundi materiam unam eſſe, id quod Sancti Patres communi quoque voce cum S. Auguſt. Lib. 1. ſuper Gen. contrà Manich. c. 7. & Lib. 12. Confeſſ. c. 20. ubi ait Deum ex eadem materia cœlum & terram fabricaſſe, confirmant.

Materia cæl. eſt ejuſdem rationis cum ſublun.

DFFICVLTAS IV.

An Deus poſſit adhuc aliam ſpecie diſtinctam materiam creare,

SVppono, quod materia prima ab Agente naturali produci non poſſit, eò quod hoc ſemper agat in ſubjectum quod præſupponit; ſuppono deinde quod ſolius Dei ſit hanc infinitæ

nitæ virtutis actionem exercere, quam etiam jam olim in prima mundi totiusque univerſi productione exercuerit. Jam quæritur, an præter hanc materiam crearam, aliam adhuc ſpecie diſtinctam creare poſſit: & ratio dubitandi eſt, quia ſi nova materia, quæ ab hac noſtrate diverſæ ſit rationis, à Deo produceretur, ſequitur cum ea ſimul novas qualitates, novas formas, novasque rerum ſpecies eſſe producendas, quod non videtur probabile.

Poteſt Deus aliam novamq; materiam creare.

DICO breviter, poteſt Deus & plures & meliores, ſi velit, materias creare. Probatur primò, potuit Deus materiam primam ex nihilo producere, ergò etiam poterit eodem modo producere ſecundam, quia habet ſe circà unam ſicut circà alteram; probatur ſecundò, nulla eſt implicantia reſpectu divinæ potentiæ, ergò eodem modo reſpicit viliorem, ſicut meliorem producendam; ſed nec implicat reſpectu ipſius materiæ, quæ paſſivè ſe habet, eſtque ſemper in potentia producentis, ergò fieri poteſt ut Deus ſi velit novam & meliorem ex nihilo producat materiam. 3. Poteſt Deus novū compoſitum & ab omni animali ſpecie diſtinctum, quod videt nec eſſet homo nec ullum animalium ſed in eſſentia ſua adhuc perfectius, producere, ergò etiam poterit aliam materiam creare, quæ à priori ſit diverſa; antecedens patet ex immenſa potentia divinæ mentis, tum ex ipſis etiam Angelis, quorum de facto infinitus quaſi numerus exiſtit, ſinguli autem vel plurimi inter ſe ſpecie diſtincti ut multorum Theologorum eſt ſententia, ergò ſi Deus in homine & Angelis id poteſt, poterit etiam in materia quæ longè vilioris eſt conditionis. Nam ſicut eſſentia divina infinitè perfecta eſt, ita etiam nullam rem creatam producit, quin adhuc infinities nobiliorem producere poſſit, quia per hujusmodi incrementa nunquam veniendum eſt ad aliquam creaturam, quæ ſit actu infinita, ſed quæcunque deſignabitur, adhuc circumſcripta erit ac limitata.

DICES 1. non poteſt à Deo creari materia vilior, ergò nec melior, ergò falſum eſt Deum poſſe aliam adhuc materiam creare. Antecedens eſt communis doctrina apud Philoſophos, qui ajunt non poſſe à Deo produci aliquam ſubſtantiam deſpicatiorem & abjectiorem quàm ſit materia prima. Reſp. negando conſequentiam, quia ut habent Conn. 3. Phyſ. c. 8. q. 3. a. 2. perfectio ſubſtantiæ creſcit per acceſſum ad divinam perfectionem, ubi impoſſibile eſt perveniri ad ſummum; cum enim divina perfectio ſit infinita, nulla creatura eam ita exactè imitari poteſt, quin alia exactius poſſit; At imperfectio ſubſtantiæ eſt per receſſum à Deo, quem non repugnat in aliqua ſubſtantia dari maximum, huc usque Conn.

Datur ſubſtantia viliſſima & imperfectiſſima.

DICES 2. Materia in ſe ſpectata non poteſt dici vilior aut melior & nobilior, ergò fruſtrà quæritur an Deus poſſit creare meliorem antecedens probatur, materia prima in ſe ſpectata eſt tantum pura potentia, & acquirit ſuam perfectionem, pulchritudinem, nobilitatem & dignitatem à diſpoſitionibus & forma, ergò ante hujus acquiſitionem ſemper vilis eſt & abjecta, in quocunque ſtatu creatur à Deo. Reſp. negando antecedens; Nam ut à Deo nobiliores formæ & diſpoſitiones producantur, quod fieri poſſe certum eſt, & indubitatum, debet etiam prius produci materia quæ receptiva ſit hujusmodi qualitatum, & diſpoſitionum, & è cujus potentia producantur illæ formæ; ſed nobiliores diſpoſitiones & formas, quales nunc in toto ſublunari mundo habemus, non poteſt recipere præſens univerſi materia, ergò neceſſum eſt, poſſe Deum creare & producere materiam digniorem & perfectiorem, quæ novarum qualitatum, diſpoſitionum & formarum ſit receptiva.

DICES 3. Totum Univerſum eſt pulcherrimum & perfectiſſimum, ut teſtantur S. Patres omnesque Theologi, ergò non tantum non indiget novis ſpeciebus, ſed nec poteſt melioribus ornari. Reſp. in Vniverſo conſiderari primò partes ejus quibus conſtat; deinde ordinem & diſpoſitionem earum: ſi conſideretur Vniverſum quoad partes, conſtat poſſe pulchriores & perfectiores à Deo creari: ſi quoad ordinem & diſpoſitionem, ſententia eſt patrum, nihil eo pulchrius, nihil elegantius, nihilque perfectius creari poſſe.

Vniverſum eſt perfectiſſimum.

Colligitur 1. neceſſarium eſſe, ut ſi materia ab hac noſtrate diſtincta creetur, etiam ſimul aliæ producantur qualitates & diſpoſitiones: nam qualitates quas in hac præſenti materia videmus & ſentimus, ad illam ex debito pertinent, & diſponunt ad eas formas, quas materia velut commune ſubjectum in ſe ſuſcipere poteſt; alteri autē materiæ, quæ eſt ſpecie diſtincta, debentur aliæ qualitates quæ illi ſint connaturales, quæq; determinent ad alias formas à modernis longè diverſas; ſicut enim formæ ideò diſtinctas ſuſtinent proprietates & potētias, quia ſunt inter ſe diſtinctæ, ſic etiam nova materia novas requirit qualitates, quæ eam ad diverſas formas diſponant & determinent.

Materia nova à noſtrate diſtincta requirit nova accidentia.

Colligitur 2. materiam rerum ſublunarium, quæ in ſe nullam prorſus habet cauſam efficiētem, non tantum unam eſſe ſpecie, ſi prout eſt in omnibus compoſitis, conſideretur uno conceptu abſtracto, v.g. hæc materia eſt materia; ſed etiam unam numero, ſi ſpectetur ejus natura abſolutè & ſecundum ſe, quia ut ſic non requirit ullam diviſionem, nec poſtulat eſſe niſi ſub una forma, cum plures ſimul habere non poſſit.

DIFFICVLTAS V.

Quibus dotibus & ornamentis materia prima fuerit producta.

SUppono, totam illam materiam, quæ etiā num in rerum natura ſub aliis atq; aliis formis exiſtit, fuiſſe à Deo ſimul productam. Jam quæritur quas dotes & affectiones à Creatore tum acceperit: conſtat quidem eam habere entitatem in ſe, eſſe paſſivam, appetitivam formarum, extenſivam per quantitatem, puram potentiam & plura alia, quæ dicentur in ſequen-

quentibus; ſed difficultas tantum hic eſt, nunquid habeat inſuper quaſdam dotes, & non tantum illas affectiones, quibus ejus imperfectio & ignobilitas oſtenditur.

Materia eſt ingenerabilis. DICO 1. præter nominatas affectiones habet etiam materia, quod ſit ingenerabilis: eſt communiſſimum hoc, & ſequitur tam ex dictis, quàm ex natura ipſius materiæ, quod probatur: ſi enim materia eſſet generationi obnoxia, ſequeretur quod aliquid eſſet ipſâ prius; ſed hoc abſurdum eſt, ergò. Probatur ſequela majoris; nam illud quod generatur, ſupponit ſubjectum prius, ergò ſi materia eſſet generabilis, haberet ſe aliquid prius, quod tamen eſt falſum: nam materia eſt ſubiectum primum in generatione, & nihil poteſt ipsâ eſſe prius.

Materia eſt incorruptibilis. DICO 2. eſt etiam materia incorruptibilis probatur ad eundem modum, quo ingenerabilitas probata fuit niſi inverſo ordine; nam ſi materia eſſet corruptibilis, jam aliquid eſſet ipsâ poſterius, quod tamen falſum eſt & abſurdum. Illud enim quod corrumpitur, reſolvitur in aliquid poſterius, ergò ſi materia eſſet corruptibilis, haberet ſe aliquid poſterius, quod tamen eſt falſum: Nam in corruptione non datur aliquid materiâ poſterius, cum ipſa ſit non tantum primum ſubiectum, ex quo omnia fiunt, ſed etiam ultimum illud in quod abeunt illa, quæ corrumpuntur. Et confirmatur, quia à tot ſæculis in tantis tamque multiplicibus rerum generationibus nunquam defecit materia, ergò ſignum eſt, eam nunquam corrumpi, ſed ſemper ab uno compoſito corrupto tranſire in aliud recens formatum & productum. Hoc patet in homine, qui oritur ex ſemine & ſanguine, creſcitque ex lacte varioque ciborum genere, abit demum in terram, in pulverem, in cineres, in vapores, in aërem, &c. Et hoc idem videmus in omnibus aliis corporibus ſive mixtis ſive ſimplicibus, quæ nunquam in interitu quoad materiam alterantur, vel eam aliis, ſive mixtis, ſive elementis ſuppeditant; ſic lignum in corruptione tranſit in terrâ, aquam, aërem, ſanguis cum nutrit, in carnem, hæc in vermem & terram, &c.

Etiam materia dicitur generari & corrumpi. Interim tamen poteſt dici materiam ſecundum quid generari & corrumpi, ſcilicet ratione privationis, quæ facit ut ſub aliis atque aliis formis quodammodo corrumpatur & denuò reviviſcat.

DIFFICULTAS VI.

Quomodo definiatur hæc materia?

ESt imprimis hæc materia ſubſtantia, quia eſt ens realiter per ſe ſubſiſtens, & non inhærens ut forma. Deinde facit cum ſubſtantia unum per ſe & non per accidens ut patet ex 7. met. c. 3. Ad hæc eſt ſubſtantia incompleta, quia cum forma facit unum ens per ſe: eſt etiam ſubſtantia informis, quia accipit omnem ornatum à forma. Denique non eſt ens rationis, quia aliàs nulla eſſet generatio rerum naturalium abſque operatione intellectus; & hinc definitur à multis, quod ſit ſubſtantia finita, incompleta & informis.

DICO, duæ extant apud Ariſtotelem definitiones, quæ materiæ primæ naturam & eſſentiam declarant; una negativa, altera poſitiva. *Materia primæ quid.* Prima habetur 7. met. c. 3. cit. ubi ait Philoſophus, materia prima neque eſt quid neque quantum, neque aliquid eorum quibus ens determinatur. 2. eſt 1. Phyſ. c. ultimo, videlicet materia eſt ſubiectum primum uniuſcuiuſque rei ex quo aliquid fit cum inſit, non ſecundum accidens, & ſi corrumpatur aliquid, in hoc abeat ultimum; & huius definitionis ſenſus eſt, quod materia ſit id, ex quo fiat quidpiam non per accidens, ſed per ſe tanquam ex ſubiecto primo; nam ut hæc verba paucis explicentur, dicitur primò quod ſit ſubiectum, quia recipit in ſe formam, & ſignificatur eam eſſe aliquid ſubſtantiale, unde excluditur & forma & privatio. Dicitur 2. quod ſit ſubiectum primum, quia non habet aliquid ſe prius, unde etiam eſt ſimplex; excluduntur autem ideò elementa, quia licet etiam ſimplicia dicantur, tamen ex alio ut ex ſubiecto priori componuntur; excluditur etiam materia ſecunda, quia includit accidentia; tum quantitas, quia non eſt ſubiectum primum accidentium, ſiquidem ipſa in materia tanquam in ſubiecto recipitur. Dicitur 3. quod ſit ſubiectum uniuſcuiſque rei, formæ ſcilicet ſubſtantialis. Dicitur 4. quod ex ipſa fiat aliquid, ſcilicet compoſitum, tanquam ex parte & principio eſſentiali licet materiali. Dicitur 5. quod fiat cum inſit, quia materia remanet in compoſito, unde excluditur hic privatio. Dicitur 6. quod inſit non ſecundum accidens; unde excluditur rurſum privatio, quæ eſt principium per accidens; ſimiliter accidentia, quæ in compoſito ſunt per accidens. Reliquis verbis videtur omninò ſignificandum, quod in corruptione ſubſtantialis compoſiti nihil ſubſtantiale remaneat præter materiam, idque contrà Thomiſtas

DIFFICULTAS VII.

An & quomodo hæc materia ſit extenſa?

QVia materia eſt ſubſtantia, nulla autem ſubſtantia eſt ſenſibilis per ſe, ſed per accidentia; ideò non immeritò quæritur, an materia ex ſe ſit diviſibilis & extenſa, an verò per aliquid aliud.

Notandum verò, quantitatem eſſe coævam materiæ, quia hæc eſt illius ſubjectum immediatum, quod in nulla generatione corrumpitur, & viciſſim quantitas non habet contrarium, à quo corrumpatur, ergò cum ſubjectũ ſit incorruptibile, etiam forma erit incorruptibilis; nam ut communis eſt doctrina, vel aliquid corrumpitur, quia ipſius ſubiectum corrumpitur, ut patet in multis qualitatibus, quæ pereunte compoſito pereunt, vel quia contrarium ipſi accidens introducitur, quomodo frigus introductione caloris expellitur; *Unde aliquid corrumpatur.*

vel

Digitized by Google

vel quia terminus & fuodamentum perit, qoo pacto relativa percunt; vel denique quia deſinit cauſa conſervans, quo ſenſu perit ignis ſubtracto ligno, & morbus deficiente vel ſublatâ ejus causâ proximâ à qua conſervatur; Sed quantitas habet ſubjectum incortuptibile, ſcilicet materiam, caret contrario, non eſt relativa, cauſa illius conſervans eſt ſolus Deus, ergò materia nunquam caret quantitate cum qua initio concreata eſt. Eſt tamen quod advertendum, bæc quantitas interminata, quia ſic conſiderata & ſecundum ſe abſtrahit ab omni figura, raritate, mole &c. Eſtque indifferens ad hanc vel illam figuram, quam ſolùm accipit à forma intrinſeca.

Materia eſt extenſa per quantitatem.

DICO, materia prima eſt extenſa per quantitatem & non ex ſe. Ita docet Ariſtoteles 1. Phyſ. c. 2. ubi habet, quod ſubſtantia per ſolam quantiratem extendatur, & 5. met. c. 13. ubi inter affectiones quantitatis recenſet eſſe diviſibilem, & ratio eſt, quia omnia compoſita phyſica ſunt extenſa per quantitatem, ergò & materia prima hoc modo erit extenſa; nam quod homo dum naſcitur & oritur ſit quantus, non habet hoc beneficio formæ, ſed materiæ quantæ.

DICES 1. ſi per intellectum omnem quantitatem à materia ſeparemus, adhuc habebit hæc ſuas partes ſubſtantiales, quæ ſint inter ſe & à quantitate diſtinctæ, ergò materia eſt ex ſe extenſa. Reſp. mareriam quidem adhuc habituram partes ſubſtantiales ex quibus intrinſecè componatur, non tamen eas, quarum beneficio ſit extenſa; nam hoe facit quantitas, per quam partes ſunt extenſæ, & ita ordine diſpoſitæ, ut cum prius eſſent confuſæ & implicitæ, jam una ſit extra aliam.

Materia eſt cauſa diviſibilitatis rerum non formalis ſicut quantitas, ſed ſubjectiva ſeu materialis.

DICES 2. quod aliqua res ſit diviſibilis, cauſa eſt materia, ergò hæc erit ex ſe extenſa, quia diviſibilitas ſequitur materiam tanquam ſuam cauſam. Reſp. quantitatem & diviſibilitatem habere ſuum eſſe à materia in genere cauſæ ſubjectivæ, quatenus videlicet materia eſt ſubjectum quantitatis; materiam verò viciſſim obtinere diviſibilitatem à quantitate in genere cauſæ formalis.

Quantitas incipit ſimul cum materia, ſicut potentia cum anima.

DICES 3. quantitas non confert materiæ eſſe ſubſtantiale, ergò nec extenſionem. Antecedens probatur, quia ſubſtantia corporea ante omnem quantitatem habet actu partes integrantes, quibus extendatur, ergò non eſt extenſa per quantitatem. Reſpon. quantitas non eſt poſterior aut quaſi effectus materiæ, ſed incipit ſimul cum ea ſicut potentiæ cum anima, à quà emanant, ſuntque tantum naturâ poſteriores. Itaque quantitas non dat extenſionem nec quid ſubſtantiale materiæ, ſed eſt illud per quod materia eſt extenſa: eodem modo, potentia naturalis, ſeu nutritiva in animali v.g. non confert animæ actum ſubſtantialem, ſcilicet nutritionem, ſed eſt ipſum medium, quo anima dicitur nutritiva & facit animal nutriri.

DIFFICVLTAS IIX.

An materia poſſit exiſtere cum forma abſque ulla quantitate?

VIdetur hoc omoinò eſſe contrà naturam, ut v.g. formæ humanæ jungatur materia aliqua, quæ plane nullam habeat quanritatem, & conſequenter nec partem extra partem; nam hoc modo nec habebit capur, oec cor, oec ullam partem integrantem homo, licet ſit reſultans aliquid ex forma & materia, ſiquidem ex anima rationali & materia fit compoſitum phyſicum per ſe quod nihil aliud eſſe poteſt quam homo.

Materia non exiſtit naturaliter abſque quantitate.

DICO 1. non poteſt naturaliter fieri, ut materia jungatur formæ ſine ulla quantitate. Probatur, non poteſt materia naturaliter exiſtere ſioe omni forma, ergo minus exiſtet cum forma abſque quantirate; & implicat id fieri poſſe, quia forma eſſet informans & non informans; illud quidem quia debetur hoc formæ ex natura, hoc verò quia nihil poſſet informare, cum eſſet in corpora non exteoſo. Quod ſi dicas, fore talem informationem, qualis reperitur in Angelis; quia reſpondetur, formam angelicam eſſe compleram, nec fieri unum ex ſubjecto & forma ſicut fieri ſolet hie. Itaque tantum quæritur, an virtute divinâ id fieri poſſit. Negant hoc multi cum Thomiſtis quos citant Conn. L. 1. Phyſ. c. 9. q. 11. a. 13. Affirmant ipſi cum Scoto & aliis tam antiquioribus quàm recentioribus, cum quibus etiam

Poteſt Deus materiam primam conſervare abſque forma & quantitate.

DICO 2. poteſt fieri divinitus, ut materia jungatur cum forma abſque quantitate, v. g. anima Pauli nudæ materiæ, quæque nullam habeat quantitatem, aut partem extra partem. Probatur primò, poteſt Deus materiam primam non conjunctam cum forma conſervare abſque ulla quantitate, ergò etiam tum, quando formæ conjungitur. Utraque hæc propoſitio certa eſt, nam imprimis habet materia exiſtentiam propriam ut infrà dicetur, æquè patum etiam implicat reſpectu divinæ potentiæ, illam ſolam abſque quantitate conſervari, quàm coniunctam cum forma. Deinde ſicut à Deo poteſt unum fieri, ita & alterum, quia eſt par ratio, neque unum magis aut minus implicat probatur 2. nulla ſequitur contradictio, quæ ſola aliàs cauſa eſt, quod divinæ virtuti multa abſqua ullo eiuſdem contemptu vel derogatione abnegemus; nam cum ad hunc modum anima Pauli nudæ materiæ coniungitur, reſultat ex iis compoſitum quoddam naturale, nimirum Paulus conſtans partibus phyſicis, formâ & materiâ, ad eius eſſentiam pertinentibus.

DICES, ad compoſitum phyſicum cuiuſmodi Paulus eſt, requiruntur organorum apparatus, membrorum varietas, & diſtinctio partium integrantium, quæ omnia neceſſariò involvunt materiam certà quantitate definitam, ergò nec divinitus poteſt Paulus tanquam

com-

compoſitum Phyſicum ex forma & materia in puncto exiſtere. Reſpond. negando antecedens abſolutè; ut enim Paulus ſit verum compoſitum Phyſicum, ſufficit, materiam eſſe formæ conjunctam etiam absque quantitate, cum hæ partes ſint eſſentiales, quæ faciant unum compoſitum per ſe; Cætera verò ut apparatus & ornatus partium integrantium non abſolutè, ſed neceſſitate quâdam, quam Phyſicam appellare poſſumus, requiruntur, quia ſunt tantum accidentia materiæ, totique compoſito, quod ſenſibus objiciunt, adventitia.

Poteſt exiſtere compoſitum phyſicum v.g. homo absque quantitate.

DIFFICVLTAS IX.

Quomodo materia cognoſcatur, an ſe ſola, vel cum forma?

CUm materia habeat omnem ſuum ornatum ac perfectionem à forma, naturaliter etiam non exiſtat absque forma, ſic quæritur, an absque forma ſe ſola poſſit cognoſci. Negat id divus Thomas, affirmat Scotus; pro meliori autem notitia hujus quæſtionis

Adverte, vel ſenſum difficultatis eſſe, an aliquem conceptum materiæ proprium poſſimus affingere, vel an rationem & eſſentiam materiæ absque forma liceat concipere.

DICO 1. poſſumus formare proprium & non adulterinum materiæ conceptum. Probatur, poteſt intellectus noſter cognoſcere attributa quædam materiæ propria, ergò poteſt proprium ejus conceptum formare; Antecedens patet, attributa materiæ ſunt eſſe puram potentiam, eſſe primum ſubjectum, &c. Quæ omnia noſter intellectus cognoſcit. Probatur 2. habet homo perfectam & diſtinctam cognitionem entis naturalis, quod non poteſt fieri ſine propria materiæ cognitione, ergò intellectus noſter poteſt formare conceptum materiæ proprium. Et confirmatur ex Ariſtotele Lib. 7. met. cap. 3. ubi definitur materia per negationem, quod videlicet per ſe neque ſit quid neque quantum, neque aliquid quibus ens determinatur.

DICO 2. ratio & eſſentia materiæ non poteſt absque forma cognoſci; probatur primò, materia refertur ad formam adeoque in ordine ad ſuam eſſentiam pendet ab ea, ergò ſine illa intelligi non poteſt. 2. Tota ratio materiæ conſiſtit in potentia; Sed hæc absque actu ſuo intelligi non poteſt, ergò neque materia absque ſua forma. 3. Materia prima nunquam exiſtit naturaliter absque forma, ut infrà dicetur, ergò non poterit absque ea cognoſci.

Potentia non poteſt intelligi absq; ſuo actu.

DICES 1. cognoſcitur materiam habere propriam exiſtentiam & habere partes per quantitatem extenſas, ergò absque forma cognoſci poteſt. Reſpond. 1. materiam habere quidem propriam exiſtentiam, & extenſionem partium, ſed nunquam absque forma naturaliter; ergò absque hac intelligi poteſt; negatur Conſequentia. 2. Reſpondetur, hac cognitione non haberi rationem & eſſentiam materiæ ſed ſolummodo conceptum aliquem ipſi proprium.

DICES 2. potentia poteſt absque ſuo actu cognoſci; Sed materia eſt potentia, & forma eſt actus, ergò illa poteſt ſine hac intelligi; quod autem materia ſit potentia, manifeſtum eſt, quia tota ejus ratio in hac conſiſtit. Reſpond. negando majorem, quia quod potentia non poſſit absque ſuo actu cognoſci, id velut axioma eſt apud Philoſophos, & ratio eſt, quia relatione tranſcendentali refertur ad actum ſuum ſeu formam, atque adeò quoad eſſentiam ſuam pendet ab ea, & quod inde ſequitur, ſine illa intelligi non poteſt. Et eſt eadem ratio cum materia & forma, qualis cum tenebris & luce; Sicut enim tenebræ non videndo percipiuntur, & percipiendo non videntur; ita etiam materia tum percipitur, cum in ea nullus omninò actus cognoſcitur, & tunc ignoratur, quando actus apprehenditur; & hoc eſt, quod S. Auguſt. Lib. 12. Confeſſ. cap. 5. docet, materiam ſcilicet ignorando cognoſci & cognoſcendo ignorari, id eſt, materia habet ſe ut tenebræ, quia in ſe ſpectata caret omni ſplendore formæ.

Potentia dicit reſpectum tranſcendentalem ad actum ſuum, ſcil. materia ad formam.

DFFICVLTAS X.

Quomodo ergò exiſtat materia illa, ex qua homo oritur, in rerum natura?

NOn eſt idem quærere, an materia poſſit intelligi ſine forma, & an exiſtat in rerum natura ſine forma, quia poteſt aliquid actu proprio exiſtere, & tamen ab humano intellectu non cognoſci, ut patet de anima rationali, quæ in hac vita non poteſt quidditativè ab homine cognoſci, quamvis actu exiſtat & eundem hominem informet.

Nota 1. exiſtere nihil eſſe aliud, quam rem eſſe extrà cauſas in rerum natura, proindeque exiſtentiam materiæ eſſe actum ſubſtantialem materiæ, per quam ſit in rerum natura & extrà cauſas: Nam quam diu res eſt intrà cauſas, & ex earum potentia, non habet eſſe diſtinctum à cauſa, & non eſt actu, ſed in potentia vel in eſſe objectivo.

Exiſtentia materiæ eſt actus ejus ſubſtantialis.

Nota 2. duplicem eſſe actum, de quo hic poſſit eſſe controverſia: unus dicitur formalis ſeu Phyſicus, quo res conſtituitur in certa aliqua ſpecie entis Phyſici, & nihil eſt aliud quam ipſa forma ſubſtantialis: alter eſt Metaphyſicus, quem alii entitativum vocant, & eſt talis, quo res hoc ipſo quod ſit extrà cauſam dicitur habere aliquam entitatem & eſſe ens actu. Certum eſt, materiam ex ſe carere actu primo ſeu Phyſico, quia eſt ſimplex entitas & incompleta; an autem habeat ſecundum, id eſt, an exiſtat entitate propria vel formæ, hic controverſum eſt.

Actus alius eſt formalis ſeu phyſicus, alius entitativus ſeu metaphyſicus.

DICO, materia prima habet entitatem propriam diſtinctam ab entitate formæ; ita ſentiunt

Materia exiſtit entitate propria.

ſentiunt potiores Philoſophi contrà Divum Thomam ejusqne diſcipulos qui docet, materiam eſſe puram potentiam metaphyſicam tam ratione actus eſſenriæ quàm exiſtentiæ, neutrnmque inclndere, ſed à forma emendicare. Sed probatur 1. unaquæque res tunc accipit exiſtentiam propriam quando producitur, eſtqne in rerum natura; ſed materia eſt producta à DEO per creationem, ergò tunc accepit propriam exiſtentiam. 2. Materia prius exiſtit naturâ quàm ſingulæ formæ quarnm eſt receptacolum, ergò debet actu proprio exiſtere. 3. Si exiſtentia materiæ eſſet à forma, ſequeretur quod toties deberet perire materia, quoties pereunt formæ, & toties de novo produci, quoties producuntur formæ; ſed conſequens eſt abſurdum, ergò & antecedens. Neque dicas, eodem momento formam novam exiſtere cum materia, quia reſpondetur, hanc exiſtentiam novæ formæ eſſe planè novam, ergò etiam materiam novam. Probatur 4. materia & forma ſunt partes eſſentialiter componentes unum phyſicum & reale compoſitum, ergò etiam ipſæ partes erunt entia realia. 5. Quod nullum habet actum entitativum, illud ſimpliciter eſt non ens; Sed materia eſt ens, ut fatentur omnes Philoſophi cum Ariſtotele, qui pluribus in locis id docet, ergò non eſt pura potentia Metaphyſica, id eſt, potentia ad eſſendnm. Si quæras, quare ergò vocetur pnra potentia. Reſpondetur ita vocari reſpectu formæ informantis ſeu actus perfecti, quia tantum eſt ſubjectum receptionis ſeu formæ introducendæ in generatione. Probatur 6. ex non ente non poſſunt per generationem fieri res & entia realia, quia hujusmodi actio eſſet creativa, ergò. 7. Quando aliquid perit, reſolvitur in materiam, ut patet in morte hominis, ergò non in non ens aut nihilum, ergò materia habet entitatem propriam.

DICES 1. materia non poteſt naturaliter absque forma exiſtere, ergò non habet entitatem vel exiſtentiam propriam absque forma. Reſpond. negando conſequentiam: quia hæc eſt natura materiæ, ut naturaliter ſemper ſit cum formis & ſine ipſis nunquam exiſtat, quamvis ipſa in ſe habeat propriam & à forma diſtinctam entitatem: Et ejusmodi multa ſunt, quæ ita ab aliis ſive in operari ſive in eſſe & exiſtere dependent, ut absque iis nunqnam operari aut exiſtere poſſint; hoc videre eſt in calore, qui nunquam à ſuo ſubjecto ſeparatus naturaliter agit, quamvis ipſe in ſe ſit ens reale & poſitivum; ſic anima nunquam digerit, nutrit, videt, audit, &c. Niſi cum organa informat & materiam; Sic in tenebris non videtur objectum album, rubrnm, viride, &c. Quamvis hæ qualitates realiter & formaliter exiſtant; ratio eſt, quia requirnnt medium lumínoſum ut videantnr: & ſic materia non exiſtit naturaliter absque forma, à qua habet ſuam perfectionem, pulchritudinem, dignitatem, & exiſtentiam, eſto ipſa in ſe habeat propriam entitatem & ab entitate formæ diſtinctam.

Materia habet propriam entitatem, etiam dum eſt cum forma.

DICES 2. materia dicitur non ens, ergò nullum habet omninò actum, eſtque pura potentia Metaphyſica. Reſpond. materiam dici non ens non ratione ſui ſed privationis formarum, vel certè non ens, ſcilicet completum.

DICES 3. omne eſſe deſumitur à forma, ergò non à materia, ergò hæc nullum actum habet. Reſpond. omne eſſe ſpecificum, conceditur, omne eſſe incompletum, commune & materiale, negatur.

DICES 4. ſi materia haberet aliquem actum, conſtaret actu & potentia, ergò eſſet aliquod completum. Reſpond. materiam quidem conſtare actu & potentia, ſed non ejusdem generis quod tamen eſt neceſſarium, potentia enim eſt Phyſica, actus Metaphyſicus.

Materia conſtat actu metaphyſico, & potentia Phyſica.

DICES 5. quilibet actus vel eſt informans vel ſubſiſtens. Sed materia neuter eſt, ergò. Reſpond. præter hos actus informationis & ſubſiſtentiæ, dari etiam actus eſſentiæ & exiſtentiæ qui conveniunt materiæ.

Materia 1. eſt actus eſſentiæ ſive exiſtentiæ.

DICES 6. cum iis qui formam corporeitatis conantur probare; Quod eſt materiale, non habet à forma ſubſtantiali corporeum & extenſum, ergò materia non erit pura potentia Phyſica, ſed habebit aliquam formam ſibi innatam, quæ hoc ipſi tribuat; deinde materia debet ante adventum quantitatis eſſe extenſa & corporea, ut ipſi poſſit coëxtendi eamqne recipere, ergò id non recipiet à quantitate ſed à forma ſubſtantiali. Reſp. ad primum, materiam habere ſuum extenſom & corporeum non à forma ſubſtantiali ſed à quantitate materiæ congenita. Ad 2. reſpondeo, diſtinguendo antecedens, materia ante adventum quantitatis debet eſſe extenſa extenſione entitativa quæ in eo conſiſtit, ut habeat partes diſtinctas vel etiam extrà ſe poſitas, ſed ſine mole ob quam cum aliis corporibua in eodem loco poſſit conſiſtere conceditur; quantitativa, quæ non tantum conſtituit partes extrà partes, ſed confert etiam virtutem expellendi quodcunque aliud corpus ab eo loco, in quo eſt, negatur, & ſic falſa eſt conſequentia.

Materia habet ſuum extenſum & corporeum à quantitate congenita.

extenſio entitativa quid.

Materia poteſt cum quantitate in eodem loco cum aliis corporibus exiſtere, ſed ſine mole.

DIFFICVLTAS XI.

An materia hæc poſſit divinitus absque omni forma ſubſtantiali exiſtere.

ALiud eſt exiſtere entitate propria diſtincta ab entitate formæ, & aliud exiſtere eſſen-

eſſentiali entitate absque forma ſubſtantiali; Primum hactenus ex dictis patuit, ſecundum hâc præſenti difficultate patebit, & quidem an & quomodo id fieri poſſit. Nam quod materia prima non poſſit viribus naturæ exiſtere absque omni forma, id extrà controverſiam eſt, quia eſt pura potentia, & in exiſtendo ab actu formæ neceſſariò dependet, ne ſit otioſa contra decretum naturæ, aut ne corruptionem non ſequatur generatio contrà inſtitutum agentium naturalium. Eſt ergò controverſia ſolùm circà virtutem divinam, quam conſequenter D. Thomas negat, firmat autem Scotus cum ſequacibus & potioribus hujus temporis Scholaſticis.

Poteſt Deus conſervare materiam absque forma ſubſt.

DICO, poteſt materia prima divinitus ſine omni forma ſubſtantiali conſiſtere in rerum natura. Eſt contra Divum Thomam, Durandum, Cajetanum, Ægidium & multos alios. Probatur autem iisdem rationibus & argumentis, quibus conſtat materiam primam habere actum proprium & exiſtere citrà adminiculum formæ. His poſitis ſic argumentor, poteſt materia prima conſiſtere naturaliter cum forma, ergò etiam poteſt absque ea ſupernaturaliter; Antecedens probat totum univerſum, conſequentiam autem virtus ipſa divina, quæ facilè in genere cauſæ efficientis poteſt ſupplere, quod forma materiam actuando præſtat, ergò ſicut materia poteſt cum forma conſiſtere, ita etiam poterit eâ abſente, illud quidem viribus naturæ, hoc verò DEI. Et confirmatur in SS. Euchariſtia, in qua juxtà fidem & doctrinam Catholicam DEUS quantitatem à materia panis abſtractam & extrà ſubjectum poſitam conſervat, ergò ſi in illo Sanctiſſimo myſterio poteſt DEUS non tantum quantitatem, ſed & reliqua accidentia extrà materiam panis & vini conſervare, poterit etiam materiam panis, vini, hominis, vituli, bovis, &c. À forma ſeparatam conſervare.

DICES implicat aliquid eſſe in rerum natura, quod non ſit in certa ſpecie; Sed materia informis non eſſet in certa ſpecie, ergò. Reſpond. 1. implicat aliquid perfectum & completum hoc modo eſſe, non tamen aliquid incompletum quale eſt materia, quæ formaliter habet eſſe perfectum à forma. Deinde reſpondetur materiam conſtitui metaphyſicè in certa ſpecie, ſcilicet per ſuam differentiam.

Materia conſervatur in loco & non in puncto ſicut Angeli & anima rationalis.

Quæres, quomodo conſervanda ſit iſta materia hoc modo ſeparata, an in puncto, an verò in loco. Deinde ſi duæ materiæ ſpoliarentur ſuis formis, an in unum ſint coituræ. Reſpondetur ad primum, materiam conſervandam eſſe in loco & non in puncto ſicut Angeli & anima rationalis. Reſpond. ad ſecundum, ſi diſtinguerentur à ſe invicem ſecundùm locum, non coituras ſed numero diſtinctas ſuis locis in rerum natura permanſuras.

DIFFICULTAS XII.

Quomodo conſtet, materiam non habere formam aliquam ſubſtantialem, quæ corporeitatis dicatur?

HAnc formam docuerunt multi tam ex antiquis, quàm ex recentioribus Philoſophis, utpote inſeparabilem à materia, ex ſe indeterminatam, determinabilem autem & perfectibilem à formis ſpecificis; eandem hanc diſponere materiam ad appetendam & recipiendam formam; ab hac denique habere materiam actum phyſicum ſeu formam ſubſtantialem & recipere eſſe corporeum. Et conſtat defenſorem hujus fuiſſe Avic. ſuæ ſuff. Libr. 2. tum Averr. multis in locis ſuorum phyſicorum ut videre eſt apud Perer. Libr. 2. de materia & privatione cap. 14. hinc

DICO, materia prima ex ſe eſt pura potentia phyſica ut dicetur infrà, nullumque actum phyſicum ſeu formam ſubſtantialem corporeitatis includit: ita docet Ariſtoteles 1. Phyſic. cap. 7. ubi ait, ita ſe habere materiam primam ad formas naturales, ſicut ſe habet materia artis ad formas artificiales; ſed hæc ex ſe nullam habet formam artificialem, ergò nec illa habebit ullam naturalem. Deinde Libr. 2. Phyſic. cap. 1. ait, materiam per ſe eſſe informem. Et 7. metaphyſic. cap. 3. habet, eam nec eſſe quid nec quantum, &c. & eodem Libr. cap. 10. vult per ſe ignotam eſſe, & cognoſci per negationem, quæ tam ex hactenus dictis, quàm ex Perer. cit. cap. 15. manifeſta ſunt. Probatur autem ratione; ſi daretur in materia prima talis forma corporeitatis, illa vel eſſet univerſalis & genetica, vel ſpecifica, vel mathematica, vel metaphyſica, vel denique Phyſica; Sed nihil horum eſt, ergò. Nam imprimis non eſt univerſalis, quia talis non datur in rerum natura & eſt contrà Ariſtotelem Libr. 1. Phyſ. cap. 3. ubi ait abſurdum eſſe unum fore omnia. 2. Nec eſt ſpecifica, quia eſſet omni materiæ & omnibus rerum ſpeciebus communis & eadem, quod eſt etiam contrà ipſum Ariſtotelem loco citato. 3. Non eſt etiam mathematica, quia eſt ſubſtantia, & mathematici de nulla agunt ſubſtantia. Nec 4. eſt metaphyſica, quia formæ metaphyſicæ re & ratione ſunt ſeparatæ à materia. Nec denique Phyſica, quia hæc eſt natura & principium motus & quietis: plura de forma corporeitatis infrà.

Materia cognoſcitur per negationem.

Forma corporeitatis qualis, an Univerſalis, an ſpecialis, an mathematica, an phyſica, an metaphyſica.

Unitas vel eſt entitativa vel formalis & ſpecifica.

DICES, unitas & diſtinctio eſt à forma; ſed materia habet unitatem & diſtinctionem, ergò à forma. Reſpond. duplicem eſſe onitatem & diſtinctionem, unam entitativam & tranſcendentalem propter quam unumquodque eo ipſo quod ſit Ens, eſt unum & diſtinctum ab aliis; alteram formalem & ſpecificam, proptet quam dicuntur res convenire & differre vel numeto vel ſpecie vel genere; priori modo dicitut materia una & diſtincta, non autem poſteriori, quia ſic habet ſuam unitatem & diſtinctionem à ſua forma cum qua facit compoſitum. Sed de forma corporeitatis vide plutibus Diſput. ſeq. Difficult. 2. & 3.

DIFFICULTAS XIII.

Quid ſit materiam primam eſſe puram potentiam, ſcilicet phyſicam?

UT conſtet in quo conſiſtat potentia materiæ & qualis ſit,

Potentia triplex, objectiva ſeu metaph. activa, & paſſiva, id eſt, Phyſica.

Adverte, potentiam eſſe communiter triplicem, unam objectivam ſeu meraphyſicam, alteram activam & tertiam denique paſſivam. Objectiva eſt non repugnantia ad eſſendum, quo modo non repugnat hominem ſanum poſt octiduum eſſe ægrum, & huic reſpondet actus exiſtentiæ v. g. potentiæ ad ægritudinem ipſa actualis ægritudo; & hanc poteotiam materiæ admittunt Thomiſtæ, quia docent materiam non exiſtere actu, ſed habere potentiam ad exiſtendum à forma. Activa eſt, quæ virtute continet aliquem effectum eumque producere poteſt, ut patet in potentia nutritiva, quæ ex chylo poteſt conficere ſanguinem, & huic potentiæ opponitur ipſe ſanguis tanquam effectus productus. Paſſiva eſt, quæ recipit aliquam formam, ut materia ſeminis formam oſſis, nervi, &c. Et huic reſpondet forma vel ſubſtantialis vel accidentalis. Jam

Materia non eſt potentia metaphyſica.

DICO primò, materia prima non eſt potentia objectiva, quæ etiam dicitut meraphyſica. ratio eſt, quia in ſe conſiderata eſt verum ens, habet entitatem realem & verum actum eſiſtendi, licet non dicatur propriè ipſe actus exiſtendi; potentia autem objectiva non eſt reale quid aut poſitivum, ſed pura ejus negatio, quod in futurum tantum eſt poſſibile, ut morbus in ſano corpore; hic enim licet aliquando poſſibilis ſit, nihil tamen adhuc realitatis habet in rerum natura, ſed tum incipit exiſtere, cum ejus natura & eſſentia de novo è potentia materiæ educitur.

DICO 2. materia non eſt potentia activa ſeu principium actionis; ratio, quia actio cum ſit actus agentis & quidem ſecundus, non niſi ab agente oritur; materia autem non eſt actus, ſed pura potentia. Deinde ſi materia eſſet principium agendi, ſequeretur quæcunque ex eadem ſpecie materia conſtant, etiam eandem vim agendi obtinere, quod eſt abſurdum, cum ſic res quævis ſublunaris quamlibet rem ſublunarem gigneret. Adhæc proprietas materiæ eſt ut ſit ſubjectum commune, in quo recipiantur omnia agentia tam ſubſtantialia quàm accidentalia, adeoque ſubiiciatur omnibus formis.

Materia eſt potentia paſſiva.

DICO 3. materia ſecundum ſe eſt pura potentia, id eſt, paſſiva ad recipiendam formam. Probatur, materia prima nec eſt actus, nec compoſitum ex actu & potentia, ut habet Ariſtoteles Libr. 1. Phyſic. cap. 7. Ergò eſt potentia, id eſt, ratio ipſius conſiſtit in potentia, quia nihil aliud ſupereſt. Quod non ſit actus, patet, quia omnis actus vel eſt informans vel per ſe ſubſiſtens, vel à materia penitus abſtractus; ſed neuter horum competit materiæ ut diſcurrenti facilè patet. Quod non ſit compoſitum ex actu & potentia, clarum eſt, quia materia tantum eſt primum ſubjectum, non autem compoſitum naturale. Neque dicas, materiam eſſe actum entitativum vel metaphyſicum; Quia reſpondetur, hunc actum ultrò concedi in materia, ſed non eſſe informantem, tantum vel ipſam materiæ exiſtentiam, quique à materia non ſit diſtinctus.

Materia eſt actus entitativus ſeu metaphyſicus.

DICES 1. materia eſt ſubſtantia ut patet ex dictis, ergò non poteſt eſſe potentia, quia omnis potentia eſt accidens, id eſt, qualitas rebus & entibus creatis ſuperaddita. Reſpond. negando Conſequentiam, ad rationem dico; potentiam aliquando eſſe activam, aliquando paſſivam; ad primam ſpectant accidentia & qualitates rebus ſuperadditæ, ut potentia in vino & pipere calefaciendi, in melioribus frigefaciendi, &c. Potentia autem paſſiva eſt materia, cujus ratio conſiſtit in hoc, ut ſit mera potentia ad formas recipiendas.

Materia non eſt potentia activa, ſicut vis calefaciendi in vino.

DICES 2. in materia includitur actus entitativus, ut conſtat ex dictis, ergò falſum eſt, eſſe puram potentiam. Reſpond. negando conſequentiam, quia cum ille actus ſit metaphyſicus, nihil derogat potentiæ, cum conſiſtat etiam in potentialitate & ordine ad formam adeoque potentia quædam ſit.

Etiam in pura potentia includitur actus entitativus.

DICES 3. quantitas ſequitur materiam & ab ea fluit; ſed hic fluxus activitatem ſupponit, ergò materia malè dicitur potentia pura.

Reſp.

Reſpond. quamvis dicatur quantitatem ſequi materiã, non tamen ab ea fluere, cùm hoc fiat à toto compoſito per formam. Dicitur autem ſequi materiam, non quod materia quantitatem ex ſe activè effundat, ſed quia quantitas eſt diſpoſitio prima materiæ ad excipiendas formas, eique ita reſpondet ut nunquam poſſit naturaliter abſque ea eſſe.

DFFICVLTAS XIV.

An hæc potentia ſit materiæ eſſentialis?

RAtio dubitandi eſt, quia nullum accidens eſt de eſſentia ſubſtantiæ: Hinc enim non immeritò quæritur, quomodo materia prima ſit potentia, & unde conſtet eſſe putam potentiam, an ſit materiæ eſſentialis quod videtur neceſſariò hic ſequi, & an ſit ipſa eſſentia materiæ.

Potentia materiæ eſt ipſum eſſe materiæ proinde ipſi eſſentialis.

DICO, potentia materiæ ad recipiendas formas ſubſtantiales eſt materiæ eſſentialis vel potius eſt ipſa eſſentia materiæ. Hic obſerva primò, hanc potentiam eſſe duplicem, unam remotam, alteram proximam; illa dicitur, quâ materia in ſe conſiderata abſque ſuperaddita entitate dicitur potens ad recipiendas formas, & hæc dicitur potentia prima. Hæc verò eſt, quâ materia per accidentia diſpoſita formarum receptibilis eſt, & vocatur ſecunda. Obſerva 2. ideò potentias ſuperaddi ſubſtantiis, quia hæ non ſunt ſe ſolis immediatè operativæ, ſicut eſt ſubſtantia Dei, ſed mediante aliquo actu accidentali, proinde eget virtute quâdam, quæ potentia dicitur ad eliciendos actus; ſed materia per ſeipſam eſt immediatè ſine alia potentia receptiva formæ ſubſtantialis, (non eſt autem activa ideoque non eget diſtinctâ potentiâ ad actum eliciendum) imò non poteſt formam recipere mediâ potentiâ accidentali, quod probatur; nam ſi materia recipit formam mediâ potentiâ accidentali, non facit unum compoſitum per ſe, ſed ens per accidens; hoc autem eſt abſurdum, ergò. Sequela probatur, quia potentia & actus ſunt ejuſdem ordinis; ſed receptio formæ non eſt ejuſdem ordinis & prædicamenti, ſi eſt mediante potentia accidentali, ergò unio illa formæ cum materia non erit ſubſtantialis, ſed accidentalis; atqui ex unione partium accidentali non poteſt exurgere niſi compoſitum accidentale, ergò receptio formæ, & conjunctio materiæ cum forma non erit medio accidente & per ſe ſubſtantialis, ergò nec erit compoſitum per ſe; & hæc prima eſt probatio concluſionis; probatur 2. eſſe potentiam paſſivam eſt eſſe ſubjectum capax formæ; ſed materia ex ſua eſſentia tale quid eſt, ergò. 3. Materia non poteſt concipi ſine potentia & ordine ad formas, ergò. 4. Per

Subſtantia non eſt ſe ſola immediatè operativa.

potentiam ad formas diſtinguitur materia à forma quæ eſt actus, & à compoſito quod utrumque involuit, ergò; Jam ſi

Potentia materiæ non eſt accidens aut ſpecies qualitatis, ſed eſt intrinſecum eſſe materiæ.

DICAS, nullum accidens eſſe de eſſentia ſubſtantiæ. Reſpondetur facilè ex dictis, videlicet potentiam ſecundam vel proximam non eſſe de eſſentia ſubſtantiæ, quia eſt accidens, ut patet de virtute calefaciente vini, piperis, cinamomi, &c. Eſſe autem potentiam primam ſive remotam, quæ non pertinet ad ens aliquod completum, cui ad perficiendam ſubſtantiam & operationes ſuperaddatur: & hinc

Colligitur; potentiam materiæ non eſſe ſpeciem qualitatis, ſed eſſe ſubſtantialem ſeu potius ipſam ſubſtantiam & intrinſecam rationem materiæ.

DIFFICVLTAS XV.

An materia ſit pars eſſentialis compoſiti v.g. hominis orientis.

HÆc quæſtio turſum dubita eſt idque multis de cauſis, ut infra patebit; omiſſis autem aliorum opinionibus, duplex eſt ſenſus difficultatis; primus, an materia in genere ſumpta ſit pars eſſentialis compoſiti v.g. hominis, Leonis, ignis, Ligni, Lapidis, auri, &c. Secundus, an materia alicujus individui v.g. Petri, ita ſpectet ad ejus compoſitionem Phyſicam, ut nullius alterius conſtitutionem eſſentialem ingredi poſſit. v.g. neque Pauli, neque Leonis, neque bovis &c. De primo hic agetur, de altero difficultate ſequenti.

Materia eſt pars eſſentialis hominis.

DICO, materia eſt pars eſſentialis compoſiti, v.g. hominis orientis. Eſt contra antiquiores philoſophos, ſicut etiam contrà Averr. 7. met. com. 11. & paucos alios. Probatur primò; ens naturale phyſicum, v.g. homo, Leo, bos, conſtat duabus partibus, materiâ ſcilicet & formâ; ſed iſtæ partes eſſentiales ſunt, ergò. probatur ſecundò, ſi ſola anima rationalis in homine eſſet ejus eſſentia, ſequeretur quod ſola anima hæc eſſet homo, ſola anima Leonis Leo, ſola forma ligni lignum, &c. Et conſequenter ens unum & compoſitum, quod tamen eſt falſum: ſequeretur etiam quod homo abſolutè eſſet immortalis, quia nimirum anima ejus quæ eſſet totus homo, hanc immortalitatem ſibi vendicat, quod quàm abſurdum ſit nemo non videt & confirmatur concluſio ex ſymbolo S. Athanaſii, ubi habetur animam rationalem & carnem unum eſſe hominem, id quod etiam D. Damaſc. L. 3. fidei Orthod. c. 3. contra Platonem docet cum ait, animam non eſſe totum hominem ſed meliorem ejus partem. Denique ſola forma non poteſt conſtituere compoſitum phyſicum, ſed requirit inſuper aliquid cujus ſit forma & actus, & hoc neque quantitas eſt ut patet

ex dictis neque ulla qualitatum, ergò materia tanquam commune rerum ſubjectum.

DICES 1. omiſſis antiquis qui ſolam materiam judicabant eſſe quidditatem rei, certum eſt diſtinctionem omnem in rebus naturalibus ſumi à forma quæ ratio quidditatis dicitur, & non à materia, ergò hæc non ſpectat ad eſſentiam totius compoſiti. *Reſp.* licet forma ſit potiſſima eſſentia ſpecificam diſtinctionem faciens; tamen eum hoc non fiat, niſi quando materia tanquam ſuæ parti neceſſariæ conjungitur, ſic etiam dicitur aliquo modo hæc facere diſtinctionem. unde etiam ſemper dicenda eſt pars eſſentialis compoſiti.

DICES 2. eadem res eſt cum materia rei artefactæ, quæ rei naturalis; ſed illa non conſtituit eſſentiam, v.g. materia ligni vel æris eſſentiam Mercurii, Veneris, Saturni, Angeli &c. ergò neque materia rei & compoſiti rationalis. Reſpondetur negando minorem, quia reverà ingreditur eſſentiam Mercurii ſculpti ex ære vel lapide, materia lapidis vel æris, quamvis hic ſit compoſitum quoddam per accidens; licet enim ſubſtantia non poſſit contineri in eſſentia accidentis, nihil tamen obſtat, quò minus poſſit contineri in eſſentia ejus, quod ex accidente ex ſubſtantia accideo-taria compoſitione coaleſcit, cujusmodi ſunt artefacta.

DICES 3. vermis qui in ſententia Catholicorum ex ſpeciebus ſacris gignitur, eſt ens naturale, & tamen non conſtat ex illa panis materia, quæ poſt conſecrationem evanuit, ergò non omne ens naturale conſtat ex materia, nec conſequenter pertinet ad eſſentiam entis naturalis. Reſpond. negando conſequentiam, quia juxtà fidem catholicam & doctrinam Theologorum Catholicorum Deus in inſtanti, quo vermis ad prævias in quantitate factas diſpoſitiones generatur, ſubſtituit aliam materiam, retracto ſuo corpore glorioſiſſimo, parumque intereſt, ſive hanc materiam creare de novo, ſive aliunde ſumptam ſubſtituere, ſive eandem, quæ ſemel ad præſentiam corporis, Chriſti receſſit, reproducere dicatur.

DIFFICULTAS XVI.

An materia quæ eſt in Petro, ſit ei eſſentialis.

QVod jam primò de materia in genere ad compoſitum in genere quæſitum fuit, idem hic de materia in ordine ad ſpeciem vel individuum quæritur, v.g. an, ſicut materia in communi ſit de eſſentia compoſiti phyſici & naturalis in communi, ita etiam materia Petri, Pauli, hujus arboris, illius canis &c. ad ipſius eſſentiam & formalem corporis integritatem ſpectet, an v. g. formâ Petri, Pauli &c. relictâ priori materiâ quam informaverat, novam ſubire eamque ut priorem informare poſſit, ut eſt ſententia Durandi.

DICO 1. materia cujusque individui pertinet ad eſſentiam cujusque compoſiti phyſici individui. Eſt hæc ſententia omnibus Philoſophis communis, & probatur, quia ſicut ſe habet homo in communi ad materiam communem; Ita etiam ſe habet v. g. Petrus, Paulus ad materiam ſingularem; Sed illa includitur in eſſentia hominis in communi ſumpti, ergò hæc in eſſentia Petri, Pauli &c. Et confirmatur, quia ſi eſſentia Petri, Pauli, conſiſteret in ſola anima rationali, hominis autem in communi ſumpti ex anima rationali & materia conſtaret, profectò non poſſet homo de Petro, Paulo, ſecundùm eſſentiam verè affirmari, quia non eſſet idem re cum illo. *Materia Pauli eſt illi eſſentialis.*

DICO 2. materia, quam unumquodque individuum v. g. Petrus, Paulus haber, certa eſt & eadem ſemper, ſaltem continuatione. Hæc concluſio coincidit cum alia qua diſputat. de potentia augmentativa, quæretur, an homo ſemper idem numero toto vitæ tempore maneat, an retineat ſemper eaſdem partes &c. Jam probatur concluſio, homo ſemper habet ſuam eſſentiam determinatam certam & eandem, ergò etiam eandem materiam, quia hæc eſt pars eſſentialis ejus. Deinde homo reſurrecturus eſt cum eodem ſuo corpore quod prius habuit, ergò cum eâdem etiam certa materia & non vagâ indeterminatâ; Si autem in homine certa eſt materia, etiam erit in bove, in leone, quia utrobique par & eadem eſt ratio, ſumiturque à forma unitas. Dixi tamen ſaltem continuatione, quia certũ eſt, quod in animalibus per continuam caloris actionem quædam partes continuò dilabantur aliæque ſuccedant, ut patebit alibi de nutritione, adeoque cum ſemper aliquid deperdatur, materia ſaltem eadem continuatione maneat. Quod autem aliqui velint, illam ſolummodo materiam, quam quisque humido primogeneo affuſam à parentibus accepit, ad ſingulorum hominum eſſentiam pertinere, eamque toto vitæ decurſu integram perſeverare, id omninò improbabile eſt, quia valdè exigua eſt, & minus digna, quàm ut homo olim glorificatus coram ſuo Creatore cum hac ſola compareat; Proindeque cum communiſſima Doctorum opinione ſtatuendum, materiam Petri, Pauli &c. non tantùm primogeneam, ſed etiam, quam ſucceſſivè per nutritionem à matre in utero & ab alimento demum accipit, ad ejus eſſentiam tanquam partem ejus phyſicam ſpectare, neque ſemper toto vitæ curriculo unam eandemque niſi continuatione duntaxat permanere; nam quisque hominum continuo ſucceſſu partes, alias requirit, alias abjicit, neque unam novam materiam de integro aſſumit. Vide quàm pulchrè de hac re D. Thomas & Cajet. ambo in 1. p. q. 119. a. 1. ſcribant, tum quæ alibi de potentia augmentativa dicantur. *Homo ſemper habet eandem continuatione materiam.*

DICES ſi materia Pauli quam de facto habet, ei eſſet propria & eſſentialis, ſequeretur, quod planè non poſſet habere aliam; ſed hoc falſum eſt, ergò. nam poſſet etiam habere materi.

tetiam v. g. bovis aptè ad ſuam formam diſpoſitam; ergò ea materia quam jam habet, non eſt eſſentialis. Reſp. quando quæritur, an hæc materia, quam Paulus habet, ſit ei eſſentialis & propria, intelligendam eſt ita illi propriam eſſe ac eſſentialem, quia in hoc ſtatu eam habet, quâ cum forma conſtituitur ens phyſicum & naturale, non autem quaſi etiam non poſſet habere aliam, cum quâ ritè diſpoſitâ & formâ conſtitueretur. Nam conſtat materiam eſſe ejusdem rationis in omnibus rebus naturalibus, eſſe capacem præviis diſpoſitionibus omnes formas recipiendi, proindeque materiam quam de facto Petrus habet poſſe informari ab anima bouis & ſic de cæteris. negatur itaque ſequela majoris, quia in hoc ſtatu non poteſt habere aliam, quia jam eſt eius naturale conſtitutum ex forma & materia. Et hinc

Poſſet Paulus pro ſe habere materiam vobis, leonis &c.

Colligitur, quid de iis dicendum ſit qui carnibus humanis nutriuntur & augmentantur; Nam ſive homo carne humanâ ſive bovina, ſive fructibus terræ nutrimentum capiat & pingueſcat, ſemper eandem retinet materiam, quæ dum ſecundum partes fluidiores deperditur, ſecundum ſolidiores tamen, & quod nova materia recipiatur per modum recipientis, eadem ſemper durat.

DIFFICVLTAS XVII.

An materia ſemper cupiat eſſe cum forma.

NOTA, in materia non eſſe appetitum elicitum, qui eſt inclinatio rei in bonum ſenſu cognitum, ſed innatum ſeu purè naturalem, qui eſt potentia inclinans & propendens in perfectionem ſuam: Sicut enim animalia appetunt id quod ſibi convenit appetitu elicito; Ita unaquæque res videtur appetere id, quod ad ſuam perfectionem pertinet.

Appetitus materiæ non eſt elicitus ſed innatus.

Suppono, materiam ex ſe nullum efficienter gignere accidens, quo ſub ſenſum poſſit cadere, ideoque cum turpis ſit & omni pulchritudine careat, appetere formam, ut hæc colores cæteraque accidentia ſecum invehat, adeoque materiam ſpectandam præbeat.

DICO, materia appetit quamcunque formam ſubſtantialem ſuæ naturæ capacem. Ratio eſt, quia omne imperfectum appetit id à quo perfectionem habet; Sed qualibet forma ſubſtantialis eſt perfectio materiæ, ergò. Confirmatur ab Ariſtotele, qui ſæpius ait à materia appeti formam, ut patet ex 1. phyſ. c. 9. ubi habet, Atqueque ſe ipſa expetere poteſt forma quia non eget; neque contrarium, cum viciſſim contraria ſe interimant; Sed hoc eſt materia, perinde ac ſi ſi marem fœmina, & quod turpe eſt, appetat pulchrum. Ita Ariſt. Quærunt hic Conn. dum in hunc locum Ariſtotelis commentantur, nunquid etiam ſimiliter forma materiam appetat, & reſpondent affirmativè, ideò quod aliàs non exiſtat in rebus naturalibus, niſi uniatur materiæ, peculiariter autem dici materiam appetere formam, quod hæc perficiat, illa autem actuetur & perficiatur.

Sicut materia formam, ita forma materiam appetit.

DICES 1. materia vel appetit formam quam habet vel aliquam ex iis quas non habet; Non primum, quia quod quis actu poſſidet, non deſiderat; non etiam eas quas non habet, quia alias appeteret corruptionem præſentis formæ, ſiquidem ut aliam accipiat, neceſſariò debet hanc deſerere. Reſpond. appetitus materiæ ad formam eſt conſiderandus ſecundum ſe & abſolutè nullâ factâ ſuppoſitione quod habeat hanc vel illam, & hoc idem de forma dicendum eſt. Materia enim ideò formam appetit quia hæc eſt ejus perfectio; quod ſi nunc habeat aliquam v. g. bovis, aſini &c. non appetit eam propriè appetitu concupiſcentiæ ſed complacentiæ; aliàs omnes formas quibus caret, appetit, non quidem abſolutè habendas, ſed ex ſuppoſitione ſi amittat præcedentem; corruptionem verò non amat per ſe & directè, ſed indirectè & ex accidente. Quod ſi tamen quæras, nunquid materia habeat potentiam ad illam formam, quam actu habet: Reſpondetur propriè non habere, tantum ſicut ille qui licet actu currat, nihilominus tamen habet potentiam currendi; An autem materia ſub forma perfectiori v. g. hominis appetat imperfectiorem, vermis ſcilicet, incertum eſt; nihilominus tamen dicendum affirmativè, quia forma naturalis licet ſit perfectior, non eſt tamen adæquata & totalis perfectio materiæ quam habet ab omnibus formis collectivè ſumptis, ad quas omnes habet inclinationem, non ut omnes ſimul poſſideat ſed ſucceſſivè.

Materia appetit omnes formas ex ſuppoſitione, ſi ſcil. nullam habeat.

DICES 2. ex dictis videtur ſequi, quod materia etiam appetat formam ſemel corruptam, quo poſito dabitur appetitus ad aliquid impoſſibile, quia eadem numero forma naturaliter redire non poteſt. Reſp. appetitum in materia ſpectandum eſſe ſecundum ſe & abſolutè nullâ factâ ſuppoſitione ut jam patuit. Et hinc non minus corruptam tanquam naturalem ſuam perfectionem quam etiam quamlibet aliam appetere poteſt. Deinde reproductio formæ jam ſemel corruptæ non eſt omninò impoſſibilis ex natura rei, ſed tamen per accidens & tantum ſuppoſitâ extrinſecâ lege Dei, qui non vult ſecundò concurrere cum agente creato ad productionem ejus formæ quæ jam ſemel extitit.

Materia etiã appetit formã corruptam, ſi abſolutè ſpectetur.

DIFFICVLTAS XIIX.

Quomodo materia ſit cauſa generationis & corruptionis.

MIrum eſt, materiam primam eſſe puram potentiam, habere ſe paſſivè, eſſe ingenerabilem & incorruptibilem; ut patet ex ha-

hactenus dictis, & tameo dici cauſam generationis ſive conſervationis & corruptionis; id quomodo fiat, breviter hic dicendum venit. Itaque.

Materia eſt cauſa generationis.

DICO primò, materia prima non malè dicitur cauſa generationis ſive conſervatioois rerum naturalinm: Ita docet Ariſtotcles 2. phyſ. c. ultimo, ubi ait, nihil eſſe in rebus naturalibus niſi propter materiam; Et probatur, id dicitur cauſa generationis & conſervationis rerum naturalium, quod eſt cauſa formarum naturalium, quibus res phyſicæ componuntur, & in eſſe conſtituuntur; Sed hoc facit materia, ergò non malè dicitur cauſa generationis & conſervationis rerum naturalium. Major vera eſt; minor probatur, quia ideò res immortalitatem æmulantur, totumque univerſum in continua perennique ſerie conſiſtit, quia materia prima per inductionem formarum quas apperit & recipit, omnia conſervat & perpetuat: Eſt enim ipſa ex ſe ingenerabilis & incorruptibilis, ideoque per prævias diſpoſitiones capax recipere formas omnes, non quidem ſimul ſed ſucceſſivè, idq; non præciſè propter ſe, licet ex ſe aliàs careat omni perfectione, ſed propter rerum omnium viciſſitudines, generationes & corruptiones totiusque univerſi perpetuitatem.

Materia eſt cauſa corruptionis.

DICO 2. optimè etiam dicitur quod materia ſit cauſa corruptionis quæ accidit rebus naturalibus. Probatur 1. quia materia eſt tale ſubjectum in quo fiunt veterum formarum corruptiones, & novarum introductiones, ergò meritò dicenda eſt cauſa corruptioois & interitus. 2. Materia prima facit ut diſſolvatur totum compoſitum, ergò benè dicit, qui eam cauſam corruptioois dixerit, præſertim cum hæc cauſa intrinſeca ab omnibus ſtatuatur, quod res ſublunares propter qualitatum contrarietates quorum ipſa eſt proprium ſuſtentaculum, corruptioni ſubjiciantur; quod autem cœli qui & ipſi conſtant materia, videantur ab hac corruptione eximi, fit beneficio formarum quas obtinent, & quas conſtat indiſſolubili nexu ab Authore naturæ cum materia unitas eſſe.

DICES, omnes actiones quæ in compoſito fiunt, aſcribuntur formæ ejusque potentiis, tum qualitatibus & diſpoſitionibus quæ in materia ſubjectantur, nullæ autem materiæ quæ prorſus paſſivè ſe habet, ergò malè in hanc refertur cauſa corruptionis compoſitorum. Reſpond. negando conſequentiam; nam priora ſunt cauſa corruptionis in genere cauſæ efficientis; hæc autem in genere cauſæ materialis & ſubjectivæ, quæ quia præciſè ad hoc per creationem à Deo producta eſt, ut ſit receptaculum omnis mutationis, potius dicitur cauſa corruptionis quam forma quæ ex ſe eſt corruptibilis & formæ tantum ad tempus data; & hinc

Colligitur, materiam inductione recentium formarum, quas appetendo recipit & recipiendo expetit, eſſe cauſam conſervationis rerum; nam In his ſublunarium univerſalitas continuatâ perennique ſerie conſiſtit, resque ipſæ naturales velut immortalitatem æmulantur: Sed & potiſſima cauſa interitus habetur, quia dum qualitates priorum formarum expultrices admittit, compoſito ruinam & interitum machinatur. De his vide Soncinnatem l. 9. mer. quæſt. 29. ubi fusè & pulchrè pertractat quæſtionem illam, quare nimirùm materia potius ſit cauſa corruptionis In rebus naturalibus quam forma.

DIFFICULTAS XIX.

Quæ ſit materia proxima vel quod ſubjectum ex quo formetur embryo.

CONtroverſia eſt inter Ariſtotelem & ipſos Medicos, qualis ſit materia ſeu quodam principium materiale, ex quo fœtus ſive partes corporis humani, antequam extrinſecus adveniat anima rationalis, efformentur; ao ſemen, an ſanguis, an aliquid aliud.

Opinio 1. eſt Ariſtotelis libro 1. de gener. animalium c. 20. materiam ex qua fœtus componitur, eſſe ſanguinem menſtruum, & huic vim ſive efficaciam tribuere ſemen maris, cujus etiam ſpiritus poſt ſingulorum membrorum conformationem evaneſcat, & nequicquam in ſubſtantiam embryonis convertatur.

Opinio 2. eſt Dand. l. 1. de temperatione corporis animati c. 19. materiam fœtus eſſe craſſiorem portionem ſeminis cum ſanguine menſtruo permixtam: quod autem aërea pars ſeminis poſt factam conformationem evaneſcat, negat Gal. l. 1. de ſemine c. 4. id quod affirmat Dand. cit.

Opinio 3. eſt Medicorum, qui conformiter docent, ex ipſo ſemine formari partes ſolidas corporis ſive ſpermaticas, ut videre eſt apud Andr. Laut. operum annatom. l. 2. q. 17.

Adverte 1. pro eodem communiter ſumi fœtum, conceptum, genituram, Embryonem, ut patet ex Hipp. l. de genit. & ex Ariſtotele loco citato, quo eodem vocat conceptum primam ex mare & fœmina miſturam. 2. fœtum, conceptum, Embryonem, genituram nihil aliud eſſe, quam materiam ſeminalem vario organorum apparatu vel magis vel minus inſtructam, id eſt rudimentum hominis in ſua diſtinctum viſcera & membra, ut accedente jam anima rationali ſint exercendarum operationum inſtrumenta. 3. partes hujus conceptus ſive Embryonis eſſe tantum has ſequentes, nimirùm oſſa, nervos, tendines, ligamenta, cartilaginem, venam, arteriam, membranam, tunicam, & cutem, atque ex his ipſis totum & perfectum fœtum eſſe conſtructum & compactum.

DICO cum opinione tertia quæ Medicorum eſt & multorum etiam Philoſophorum, efformatio fœtus ſive corporis organici fit ex *Materia fœtus eſt ſemen.*

ſolo

Materia fœtus eſt ſemen. ſolo ſemine. Probatur primò, ex illa materia fit delineatio fœtus, quæ congreſſu matis & fœminæ in uterum effunditur; Sed talis ſolum eſt ſemen, ergò. Major evideus eſt, quia non fit conceptus nec formatio ejus niſi poſt ejaculationem ſeminis intrà matris uterum; minor probatur, quia ſi quid aliud eſſet, maximè ſanguis eſſet, ut vult Philoſophus; Sed hic eſſe non poteſt primò, quia non continetur in vaſis ſpermaticis. Secundò quia non elabitur in congreſſu ad uterum. 3. Quia non continet in ſe virtutem illam formatricem, nec capax eſt, ut ex ipſo formentur partes ſpermaticæ. 4. Quia extrà venas & vaſa ſua effuſus ſtatim grumeſcit & corrumpitur, ergò ſolum ſemen eſt principium materiale corporis organici ſive Embryonis. Probatur 2. Conſtructio fœtus ſolis conſtat partibus ſpermaticis; Sed hæ ſunt ſolius ſubſtantiæ ſemeotivæ, ergò. Minor hinc conſtat, quia omnes partes ſpermaticæ non referunt ſanguinem ſed exactè ſemen velut ſuum principium, unde & ſpermaticæ appellantur: Major eſt experientiæ, quæ teſtatur ex Fernelio & aliis, ſæpè profluxiſſe ab utero corpuſculum hoc omnibus partibus abſolutisſimum, nequicquam autē ſanguinis naturam referentibus. Probatur 3. Ante adventum animæ rationalis non fit nutritio nec augmentatio Embryonis, ſed ſolùm organiſatio omniumq; membrorum delineatio, ergò ſignum eſt nihil ſanguinis accedere, cum hic ad ſolam alitionem carnisque generationem datus ſit. Antecedens conſtat imprimis experientiâ, quia juxtà plurimorum Medicorum doctrinam & ocularem inſpectione in Embryo puſt incisionem uteri factam repræſentavit ſæpe perfectum hominem quoad ſolas partes ſpermaticas, qui tamen vix magnitudinem formicæ exceſſerit. Deinde ante adventum animæ rationalis nulla ineſt anima Embryoni vel vegetativa vel ſenſitiva ut alibi conſtabit, ergò nulla nutritio vel accretio, quæ ſunt animæ vegetantis actiones.

DICES 1. Semen agit tantum non patitur, ergò aliud principium materiale quærendum eſt. Reſpond, primò negando antecedens, nam agit ſecundum partes igneas & pati ſecundum terreas, proindeque una & eadem res poteſt agere & pati ſecundum partes diverſas quas habet.

DICES 2. Galenum l. 2. de fac. naturali. c. 3. dicere partes ſpermaticas fieri ex ſanguine, ergò non ex ſemine. Reſp. Galenum intellexiſſe ſanguinem non formaliter ſed materialiter ſumptum, quia ſemen eſt ſanguis materialiter; vel certè potuit Galenus per ſanguinem intellexiſſe ſemen fœmineum, quod crudum & imperfectum eſt, ſanguinemque indigeſtum ex caloris imbecillitate refert, ideoque etiam potius in ſoliditatem partium cedit quá ſemen maſculum: Et hæc etiam fortè opinio fuit Ariſtotelis.

DICES 3. Si ſemen eſt materia ex qua formatur fœtus, & cui inhæret vis formatrix ſequitur idem agere in ſe ipſum, cum tamen cauſa efficiens ſemper debeat eſſe à ſubjecto diſtincta. Reſp. negando ſequelam majoris, quia duplices ſunt partes in ſemine, craſſæ terreſtres, & tenues ſpirituoſæ; Et his ipſis ineſt vis formatrix, non illis, quæ tantum in materiam cedunt habentque ſe paſſivè. Ex quo patet, poſſe aliquid ratione diverſarum partium agere & pati, eſſe ſubjectum & efficiens, id quod in multis obſervamus, v. g. in vino, quod in dolio ſe ipſum perficit & excoquit per calorem ſibi intrinſecum à ſubjecto tamen diſtinctum: Et juxtà hanc partium ſeminis differentiam putat Fernel. l. de procreatione hominis c. 13. interpretandum eſſe Ariſtotelem, quando ait, fœtum non componi ex materia ſeminis, id eſt, efficienter & formaliter, licet materialiter, quia pars ſpirituoſa efficit & format fœtum, craſſior verò cedit in materiam & ſubſtantiam partium.

DICES 4. Ariſtoteles l. 2. de anima c. 4. ait, animam eſſe ſui corporis cauſam, ergò anima humana efficit proprium corpus, neque alia cauſa quærenda eſt. Reſpond. negando conſequentiam. Ad antecedens dicendum eſt, animam primò eſſe cauſam formalem, non tantum quia viventia habent ab ea intrinſecè ſuum eſſe ſubſtantiale, ſed etiam quia anima eſt actus primus corporis organici. 2. Eſſe finalem, quia organa & diſpoſitiones ſunt propter animam, & natura propter formam naturalem quæ eſt in rebus viventibus, materiam exornat ac diſponit, ejusque gratia effingit tantam membrorum & organorum varietatem ut docet Ariſtoteles 1. de partibus c. 5. & l. 4. de generatione animal. c. 1. Gal. 1. de uſu partium. 3. eſſe efficientem quia anima adminiſtrat actiones proprias viventibus, ut nutritionem, accretionem, ſenſionem; & ita intelligendus eſt Ariſtoteles.

DICES 5. Iisdem nos conſtare, quibus nutrimur, ut eſt apud Medicos; Sed nutrimur ſolo ſanguine, ergo ex eo conſtamus, & non ex ſemine. Reſp. hoc dictum varium quidem habere ſenſum apud Medicos, quomodocunque autem explicetur, falſa eſt major & minor. Neque enim imprimis nutrimur immediatè ſanguine ut patet ex diſp. 14. de alimento; Deinde aliud ſubjectum requiritur ad generationem noſtram, aliud ad præſentem corporis noſtri conſtitutionem, & aliud denique ad Alitionem; Neque ſufficit dicere materialiter eſſe idem, non formaliter, quia hoc modo etiam omnes res ſublunares ſunt materialiter idem, quia habent materiam ubique ejusdem rationis.

Cæterùm cujus opinionis Ariſtoteles fuerit, dubitant nonnulli Medicorum, qui opinantur eum aliter ſenſiſſe quàm à Philoſophis quibosdam perperam explicetur; Et certè ſi mentem & verba ejus paulò diligentius conſideremus, nullius fortè erroris eum incuſabimus, primò quia fœminæ etiam ſemen habent & emittunt, adeoque illud inter concipiendum cum virili miſcent. Secundò, quia hujusmodi ſemen vocat Ariſtoteles etiam menſtru-

ſtruum, id eſt, ſemen impurum & indigeſtum 1. de gen. animal. c. 20. Tertiò quod ſequitur & ex dictis conſtar, ſemen fæmineum haber ſe potius in conceptu velut principium materiale, maſculum autem ut efficiens; & his poſitis pro vindicando Ariſtotele tale formari poteſt

Etiam fœmina ſemen habent ex Ariſtotele. argumentum: Ex ſemine formatur fœtus; Sed ſanguis menſtruus de quo Ariſtoteles loquitur (non enim omnis ſanguis menſtruus ita ſe habet) ſemen eſt, ut conſtat loco citato, ergò ſanguis menſtruus principium materiale fœtus eſt, & conſequenter non diſſentit à Medicis Ariſtoteles. Sed de his melius & verius in ſequentibus.

DIFFICULTAS XX.

An omnium viventium materia vel ſubjectum primum ex quo oriantur, ſit ſemen.

Viventia ſunt in multiplici differentia quædam enim ſunt plantæ & harum diverſa cùm genera tum ſpecies; Quædam ex his ſponte oriuntur; quædam non niſi plantata prodeunt; quædam ſunt inſecta & planta animalia; quædam ſunt perfecta eorumque plurimæ differentiæ, ut conſtat apud Ariſtotelem 1. de hiſt. animal. c. 1. 4. 5. totiſque reliquis ejuſdem operis libris: Inter ultima eaque optima viventia, quæ materia compacta ſunt, numeratur homo. Jam quæſtio & difficultas eſt, an omnium vel aliquorum tantum materia proxima ex qua viventia gignuntur, ſit ſemen vel aliqua materia ſemini proportionata.

DICO 1. omnes plantæ, etiam quæ ſponte naſcuntur, habent pro ſuo materiali principio ſemen vel aliquid illi analogum. Probatur 1. plantæ non gignuntur ex nihilo, ſed ex aliquo ſubjecto præexiſtente, quemadmodum omnia compoſita phyſica produci ſolent, ergò ex ſemine; hæc conſequentia probatur, quia ſolum ſemen vel aliqua & conſimilis materia continet virtutem & diſpoſitiones ad animas

Nulla plantæ caſu creſcunt. plantarum producendas, ergò omnes plantæ prærequirunt ſemen. Probatur 2. de iis quæ ſponte oriuntur, quia ejuſdem ſunt perfectionis, intellige in eadem ſpecie, cum iis quæ ſata ſunt, ergò pro materiali principio etiam ſemen habent; antecedens patet, quia eodem modo creſcunt & nutriuntur, habentque pro forma animam æquè vegetabilem, imò producuntur per eaſdem prævias diſpoſitiones in materia ſeminali exiſtentes ab Agente naturali, per quas produci ſolent vegetabilia ſata & plantata. Dixi autem, vel è materia ſemini proportionata, quia naſcuntur plantæ ex radicibus, ex ramis, ex bulbis, ex foliis, ut patet in ficu Indica, ex materia putri, ex materia lutea in ligno, lapidibus, lateribus aliiſque corporibus, quibus omnibus materiam ſemini proportionatam ineſſe putandum eſt.

DICO 2. etiam inſecta, animalia plantæ & quæ ex putri naſcuntur, ſunt ex ſemine tanquà ex principio materiali intrinſeco. Eſt hæc concluſio Ariſtotelis 1. de gen animal. c. 17. ubi ait, omnia gigni ex ſemine, ergò etiam inſecta, quia viventia ſunt. De modo autem quo generentur, patet ex l. 1. diſputatione 8. de gener. difficul. 18. Deinde probatur experientiâ, quia etiam inſecta ſuum habent ſemen & principia ad generationem ſpectantia, ut patet in muſcis, apibus, bombicibus, ſerpentibus, muribus & ſexcentis aliis quæ coëunt gignuntque, ſibi ſimile.

DICES, multa imò pleraque inſecta generari iis in locis & ex tali materia ubi nunquam videtur fuiſſe veſtigium hujuſmodi generantis univoci; v. g. gignitur ſcarabæus ex ſtercore equino, vermis ex caſeo, buffo ex cadavere, tinea ex veſtibus, cimex è ligno, rana ex pluvia &c. ubi nullus præfuit ſcarabæus, vermis, buffo, tinea, cimex, rana vel eorum ſemen, ergò hujuſmodi animalcula, non gignuntur ex ſemine Reſp. non opus eſſe ut gignantur ex ſemine formali, ſed ſufficit id fieri ex materia ſemini analoga, & in qua ſint diſpoſitiones, quibus generans animam ranæ. buffoni, ſerpentis &c. educat ad eum modum, de quo ſeminalibi; Verum enim eſt, ſi de ſemine propriè dicto ſit ſermo multa eſſe animantia, quæ extrà hujus concurſum enaſcantur; ſic multa ſunt quæ gignuntur abſque concurſu maris & fæminæ, v. g. anguillæ, lumbrici & plura alia quæ ſunt ex putri, quæque matre carent & ſemine, habentque pro materia concretionem terream & aqueam ut ajunt Conn. l. 1. de gen. c. 4. q. 28. a. 1. & pro virtute formatrice vim elementarem & cœleſtem à ſole, luna, influxuque tum luminis, tum aliarum qualitatum latentium derivatam.

DICO 3. multò magis animalia perfecta & perfectiſſimus animalium homo gignitur ex ſemine. Probatur id primò ex Ariſtotele loco citato ubi habet, quod animalia ſanguinea apertè ſemen emittant, licet de inſectis & mollibus id valdè dubium ſit & incertum: id autem emittunt eum in finem, ut generent, v. g. præter hominem ea animantia, quæ perfectorum nomen propter organorum corporiſque perfectionem & integritatem ad eliciendas operationes ſenſitivas obtinuerunt. Probatur 2. ab experientia, quia nunquam generant hæc animalia niſi factâ prius permiſtione ſeminum, ideoque data ſunt iis ab Authore naturæ vaſa ſeminalia tanquam receptacula aliaque membra ad id munus exercendum. Probatur denique à quatuor cauſarum generibus; à materiali primò, quia non poteſt animal perfectum aliunde ſuſcitari niſi à ſubjecto ſibi proportionato, id eſt, à ſemine ſui generantis: à formali 2. quia non poteſt cauſa formalis, id eſt, ipſa vis generatrix alteri principio vel ſubjecto ineſſe. Ab efficiente 3. quia in certo & determinato ſubjecto hæc qua renda eſt è cujus potentia per prævias diſpoſitiones educat formam. A finali denique, quia hic finis eſt ſeminis in generante, ut ſcilicet ſuam ſpeciem in Individuis conſervet,

DIF-

DIFFICULTAS XXI.

An omnia viventia ſemen gignant & quando.

HUic difficultati apertè contradicit Ariſtoteles l. 1. de gen. animal. c. 17. ubi ait incertum eſſe, an inſecta & mollia ſemen emittant; & c. 18. in fine docet, eſſe arbores quæ nullum afferant ſemen, ut ſalix & populus. Quæritur itaque quid in hac re ſtatuendum ſit.

Suppono, ex animalibus eſſe quædam vivipata, & quædam ovipara, & quod illis eſt pro materiali principio ſuæ generationis ſemen, illud hic eſſe ovum. Jam

DICO primò, omnia animalia habent ſemen, per quod ſuam ſpeciem conſervent, vel aliquid ſemini analogum & proportionatum. Probatur 1. ex Ariſtotele primò de gener. animal, c. 3. & 4. ubi ait omnibus animalibus eſſe genitalia, eam ſcilicet ob cauſam ut ſemen producant & ſe mutuò generent: his etiam & ſequentibus capitibus fusè docet, quomodo animalium tam vivipatorum quam oviparorum genitalia diſcrepent. Probatur 2. omnia animalia quæ animam ſenſitivam habent, producuntur ex ſemine veluti ex materia & ſubjecto ſuo proximo, ergò iis omnibus debet ineſſe ſemen: & confirmatur hoc ex potentia generativa animalium ſenſitivorum, quæ toti generi omnibusque hujus ſpeciebus ab Authore naturæ eum in finem data eſt, ut per media ad hanc potentiam requiſita ſe in multiplicatis individuis conſervent & perpetuent.

Omnes arbores & plantæ ſemen habent. DICO 2. etiam plantæ & arbores omnes ſemen habent, licet non ſemper exinde procreentur. Primum eſt contrà Ariſtotelem c. 18. in fine ubi ait ſalicem & populum non habere ſemen; ſed probatur, quia implicat formam aliquam naturaliter produci, & non habuiſſe materiam aliquam diſpoſitam prius ex qua producatur, videlicet, vel ſemen vel ſurculum vel aliquid proportionatum: manifeſtum autem eſt ex phyſicis, vim generativam alicujus rei ſemper eſſe in ſubjecto rei generandæ, in quam à Genitore transfundatur, ſive illud ſit verum ſemen ſive ſemini analogum. Secundum probatur ex mille plantis & arboribus, quæ non ex ſeminibus ſed ex ſurculis & frondibus vel terræ implantatis vel arborum truncis ſuperinfixis exereſcunt.

DICO 3. falſum tamen eſt, quod animalia & plantæ ſemper & quovis tempore ſemen habeant. Hoc rationis eſt, & patet ex Ariſtotele c. 18. circà finem, ubi habet, ſemen nec eſſe in prima ætate, neque in ſenectute, neque in morbis: & cauſam addit, quia inquit ſenes imprimis propter defectum humidi & calidi non poſſunt ſatis alimenti concoquere; ægri verò propter imbecillitatem eo carent, & pueri denique propter incrementum eò quod totum alimentum in corporis deſiderium abſumatur nec aliquid excrementi remaneat. Et hoc quod de hominibus dicitur, id quoque de cunctis animantibus & arboribus proportionaliter dicendum eſt; in quibus verò animantibus aut plantis abundent ſemina & quibus ex cauſis, videri poteſt tum apud Ariſtotelem citatum, tum apud alios. Ad ea loca in quibus Ariſtoteles quibusdam animantibus & vegetabilibus ſemen denegat, Reſpondetur, eum imprimis non docere, quod inſecta & mollia non babeant ſemen, ſed quod illud non emittant; nam aliud eſt ſemen non habere, & aliud ſemen non emittere, quia etiam fæminæ ſemen babent ex ſententia Medicorum, licet illud in conjunctione cum viro apertè non emittant. Ad argumentum de ſalice & populo reſpondetur, Ariſtotelem ita intelligendum eſſe, quod hæc ſemina tam ſint exigua ut vix percipi poſſint, non gignantur etiam ad eum modum quem in aliis plantis obſervamus: nam in ipſis foliis ſua proferunt ſemina ubi & ſuos habent flores ut conſtat ex Cardano l 8. ubi habet, ſalicem ſæpe virides & nigros flores in foliis producere: accedit authoritas Valeſii c. 1. de ſacra philoſophia, ubi ait in his potius ſemen latitare quam non eſſe, quæ etiam Theophraſti opinio eſſe videtur; & argumento ſit thymus & ſiſimbrium, cujus utriusque ſemen ita ſenſum fallit ut percipi vix poſſit; imò ſunt qui in Creta Inſula ſalicem ſemen gignere ſicut & fungos certò affirmant.

DIFFICULTAS XXII.

An ſemen æquè fæminæ ac mares emittant.

PArtem negativam tuetur Ariſtoteles, affirmativam Hipp. & Galenus: Illum ſequuntur Averrboes & antiqui Philoſophi cum D. Thoma 3. p. q. 32. a. 4. ubi apertè negat fæminis verum ſemen, & cum plerisque ſuis familiaribus quos Conn. l. 1. de gen. c. 4. q. 21. a. 1. commemorant; Hippocratem autem & Galenum non tantum denſa Medicorum agmina, ſed etiam multi ex Philoſophis & Theologis viri præſtantes ut ex ſequentibus patebit; non eſt autem ſenſus quæſtionis de quovis ſemine quale etiam ſubinde menſtruum & humor albus, qui paraſtetis adhæreſcit & ab iis profluit, appellatur, ſed de vero & gemino ſemine ex quo proles concipitur & gignitur.

DICO primo, mares verum ſemen emittunt: eſt hæc concluſio omnibus communis, & probatur 1. quia ſemen viri ex natura rei eſt neceſſariũ ad generationem, ergò reverà mares ſemen habent & emittunt; antecedens adeò certum eſt, ut non egeat probatione, quia nusquam contingit fœminam concipere & parere absque viro; & hinc maximum fidei noſtræ myſterium eſt Beatisſimam Virginem genu-

genuiſſe Chriſtum absque viro, prout clarè ex iis ſcripturæ verbis habemus, dum Angelo reſpondet, quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco: confirmatur autem præter experientiam quæ hic potius ſubjicenda, ex ovis ſubventaneis gallinarum, è quibus nunquam pulli excluduntur. Probatur 2. omnibus iis argumentis quæ ſemen in fœminis admittunt, ſive ea ab experientia ſive à ratione ſive denique ab authoritate deſumantur, & accedit S. Ambroſius, qui epiſtola 81. ad Siricium Pontificem refellit gravem quorundam errorem qui ſtatuebant, Virginem Beatiſſimam concepiſſe quidem manente Virginitate, ſed non generaſſe niſi cum ejus detrimento, ideoque ait, quæ potuit Virgo concipere, potuit etiam Virgo generaſſe.

Etiam B. V. concepit Chriſtum ex ſemine, quod ſuminiſtravit Spiritus S.

DICO 2. etiam fœminæ verum ſemen habent & emittunt: ita docet inter Medicos expreſsè Hipp. l. de genitura ex libro de diæta, ubi multas rationes ad hoc confirmandum adfert, imò ſtultos eos appellat, qui negant utriusque ſexus commixtionem. Hunc ſequitur Galenus l. de uſu partium, ubi efficacius quam ullus aliorum id confirmat; tum Franc. Valeſios l. 1. Controv. c. 6. Peramatus l. de ſemine, Andr. Laur. l. 2. operum anatom. c. 9. q. 16. Conn. l. 1. de gen. c. 4. q. 17. a. 2. Hurtadus diſp. 2. de cauſis & ordine gener. ſect. 5. ſub ſect. 1. & præter hos cùm Philoſophos tum Medicos multi quoque ex Theologis, quos Conn. & Hurt. locis citatis commemorant. Probatur itaque concluſio hæc primò, habent fœminæ peculiaria organa, in quibus non tantum gignitur & excoquitur, ſed per quæ etiam defertur ſemen ut optimè norunt Anatomici, ergò habent quoque ſuum peculiare ſemen; antecedens patet, quia vaſa habent ſua differentia, coquentia & ſervantia non minus quàm viri; nam ut Anatomici docent, à vena cava deſcendit vena ad teſtes ſicut & alia emulgens per quas ſanguis deorſum trahitur, & his utriſque aſſiſtunt duæ arteriæ, quibus ad eundem locum vehuntur ſpiritus vitales: hæc 4. vaſa confluunt in teſtes quos habent fæminæ; cum verò hoc eodem ſanguine ſatis nutritæ ſunt, alium qui ſupereſt magis decoquunt & in vaſa proxima refundunt ut in iis aſſervetur: Et hoc ſemen eſt album ſpumoſum, quod ex utili recremento gignitur, & generationi ſubſervit, ut ex corporum & maximè hujuſmodi vaſorum ſectione docetur: neque dicas in his vaſis gigni aqueum quendam & ſeroſum humorem; quia reſpondetur id falſum eſſe, quia ad hujus aquei humoris generationem non erat opus, ut natura tam anfractuoſa totque gyris implicita conſtrueret organa & vaſa; neque etiam ratio ulla id perſuadet, quia non ſatis conſtat in quem finem aut uſum natura hujuſmodi aqueum humorem gigneret. Probatur 2. fæminæ tum temporis maximè abundant ſemine cum diu continenter vixerunt, minus autem cum congreſſibus uſæ fuerunt, ergò ſignum eſt manifeſtum, eas habere ſemen verum intrà vaſa. Antecedens patet tam ex ingenti appetitu quo in viros feruntur quam ex ipſa corporum ſectione. 3. habent fæminæ ſuas quoque voluptates inter amplexus & titillationes, ergò ſignũ eſt iis tum ſemen profluere quod ultrò etiam fatentur: neque enim id quod profluit, ſanguis menſtruus eſt, quia aliàs ſemper fieret cum aliquo voluptatis ſenſu, neque alius humor ſeroſus propter cauſam jam datam; ergò verum ſemen, quod Anatomici ex colore albo, craſſitie ſpirituumque copia inter ſecandum ſufficienter probant. 4. ſunt in fæminis ſui libidinis ſtimuli, imò intenſiores ſæpè quam in viris, patiuntur pollutiones ſive fluxus nocturnos cum ſenſu voluptatis, præſertim cum diu à Venere abſtinuerunt: exagitantur ſæpè priapiſmo, adeoq; nonnunquam in rabiem & furias propter nimios amores & ſenſum libidinis prolabuntur, ergò ſignum evidentiſſimum eſt, iis quoq; ineſſe verum ſemen. 5. deniq; proles etiam matri ſæpè ſunt ſimiles, ergò vi ſeminis, ergò etiam fæminæ verum & legitimum ſemen habent.

Etiam fæminæ ſemen habent.

DIFFICVLTAS XXIII.

Quid reſpondendum ſit argumentis contrariis.

DICES 1. Valeſius l. 1. c. 6. Controv. ait, poſſe fæminam ſe ſola concipere, ergò fruſtrà Viri ſemen requiritur. Reſpond. primò, hoc argumentum non eſſe contra concluſionem, quia poteſt vir ſemen habere & emittere, quamvis aliquando fæmina ſe ſola concipiat. 2. has conceptiones non eſſe verè conceptiones directas ex materia ad generandũ animal: quando enim Valeſius ait fæminã ſe ſola concipere, loquitur de imperfecta conceptione, converſione & coagulatione ſeminis fæminei in quædam fruſta carnis informis, quam ſolemus molam matricis appellare, quamvis & hæc ex commixtione utriusque ſeminis vitioſi frequentius & propriè gignatur: & hujuſmodi conceptiones fiunt etiam in gallinis, quæ licet cum aliis ova ſimilia excludant, ſunt tamen ſubventanea & conceptiones falſæ ſive imperfectæ.

Mola fit ex ſemine fæmineo.

DICES 2. fæminæ ſunt pueris ſimiles voce aliiſque circumſtantiis; Sed hi non emittunt ſemen, ergò nec illæ. Reſpond. puerile hoc eſſe argumentum & ſimile huic, fæminæ ſunt ſimiles ſpadonibus & voce & pilis, ergò ſunt infæcundæ ſicut illi; vel huic, fæminæ aliquando ſunt ſimiles viris barba, voce & robore, ergò habent ſemen ſicut illi; negatur ita conſequentia, quia ſimilitudo illa non oritur ex defectu ſeminis nec ex infæcunditate.

DICES 3. ſæpè fæminæ congrediuntur cum viris absque ullo voluptatis ſenſu, ergò ſe-

ſemen non emittunt. Reſpond. concedendo rotum; ergò nullum habent ſemen, negatur conſequentia: quare autem hoc aliquando fæmini accidat Medici ſunt conſulendi, quia fortè ſunt valetudinariæ, aut defectuoſæ aut patiuntur certas quaſdam diſpoſitiones internas, propter quas nullam percipiant voluptatem: ex hoc autem argumento ſic in contrarium licet argumentari; frequentisſimè ſentiunt fæminæ voluptatem. Dum viro copulantur, ergò verum habent ſemen.

DICES 4. fæminæ non ita deficiunt Venere ſicut viri, ergò probabile eſt eas non habete ſemen. Reſpond. negando conſequentiam; quare autem fæminæ non tam facilè ſicut viri langueaur, cauſa eſt, quia horum ſemen calidius eſt, citius exentitur, eſt ſpiritu vitali plenum, eſt in ſubjecto calidiori & ſicciori, & quod maximum eſt, executitur ad extrà: Fæminæ autem ſunt humidiores, non ejaculantur ſemen tam facilè nec tam citò, non habent ſemen tam ſpumoſum, retinent ſemen intrà adeoque ſpiritus & calorem, & quod ultimum maximumque eſt habent ſe potius paſſivè quam activè.

DICES 5. fæminæ non concurrunt activè ad generandam prolem, ut habet D. Thomas jam citatus, ergò ſemine carent. Antecedens probatur ex eodem ſancto, quia in omni actione reperitur agens & patiens; ſed in generatione animalium principium activum eſt mas, paſſivum fæmina, ergò ſolus agit mas & non fæmina, quia hæc tota eſt ad patiendum, illa autem ad agendum, adeoque ex operationibus inter ſe differunt: & confirmatur, quia aliàs confunderentur munera patris & matris, & ſicut uterque ageret, ita etiam uterque pareretur. Reſpond. negando antecedens, imò ex eorum opinione qui negant accidens concurrere immediatè ad generandam ſubſtantiam, ſolæ fæminæ concurrunt ad generationem ſubſtantialem prolis, quia immediatè huic conjunguntur, pater autem per ſolam virtutem à ſe emiſſam. Ad probationem diſtinguo minorem, quia nec mas præcisè agit tantum, nec fæmina præcisè patitur, ſed utrumque ſemen eſt activum & paſſivum ut infià dicetur; nam licet pater ſemen actuoſum det matri, nihil tamen præterea agit niſi per virtutem ſemini communicatam, mater verò conceptum ſemen fovet, ſanguinem præſtat, officinam dat efficiendi nobiliſſimum naturæ opus, alit illud in utero, & quod maximum eſt, habet aliquam virtutem ſi non eam quam pater ſemini impreſſam.

Semen habet in ſe principium activum & paſſivum,

DICES 6. materia quâ fæminæ titillantur, & in venerem incitantur, eſt humor aqueus flaccidus & ad generationem ineptus, ergò vero ſemine carent; antecedens confirmatur cum ſpadonibus, quia & hi ardent ſæpius venere, quamvis non habeant verum ſemen, ſed coquant ſalrem humorem quendam aqueum: Quod autem hi quoque voluptare ferveant, & in fæminas accendantur, patet ex Eccleſiaſt. 20. n. 3. ubi habetur, & concupiſcentia ſpadonis devirginavit vel vitiavit juvenculam; Si itaque hi non habeant verum ſemen, ſed humorem tantum aqueum, quem ad polluendum tantum efficiant, idem etiam de fæminis dicendum eſt, quia utrinque eadem eſt ratio. Et hoc eſt quod voluit Ariſtoteles quando l. 1. de gen. animal. c. 20. ait à fæminis concipi humorem aqueum, flaccidum & generationi inefficacem. Reſpond. conceſſo antecedente negatur conſequentia; quamvis enim fæminæ habeant in paraſtatis humorem aqueum & tenuem quo titillentur, quique ad generationem prolis nequicquam efficiat; habent tamen nihilominus verum proprieque dictum ſemen quod actuoſum eſt & ex materia ſpumoſa conficitur, id eſt, ex eadem materia & in iiſdem vaſis in quibus ſemen virile, id quod inde vel maximè confirmatur, quia filii matres referunt, quia bilioſa fæmina bilioſum, phthiſicum phthiſica, arenoſa arenoſum &c. generat, quia aries cum ove congrediens generat caprum, aſinus cum equa mulum, quod certè nullo modo fieri poſſet, ſi fæmina ſolùm paſſivè concurreret per humorem aliquem aqueum vel per ſanguinem menſtruum, quia non poſſet ſibi ſimile generare in accidentibus, imò nec in ſubſtantia, ſed quilibet mas ex qualibet fæmina generaret ſibi ſimile in ſpecie, ergò illa ſimilitudo aliundè oritur, quia principium paſſivum ut ſic non eſt principium diſtinguendi nec aſſimulandi ut ex ejus natura conſtat. Quod ſi aliqui velint, filium ideò eſſe ſimilem matri, quia ſanguis fit à matre à quo filius compingitur; Reſpondet Hurtadus etiam materiam ex qua pediculus gignitur, fieri ab homine cui tamen non eſt ſimilis, ac proinde non ſufficit efficere materiam, ſed opus eſt concurrere immediatè cum ea ſpiritus vitales, qui nec in ſanguine ſunt nec in ea materia ex qua fiunt pediculi; eſto hæc ſit vilior minusq; præſtans & efficax; Et hi ſpiritus dicuntur à Medicis continere idæas earum partium à quibus derivantur, quod vel maximè in tam mirabili ſtructura corporis humani variaque multorum accidentium congerie, quæ frequentisſimè in eo obſervantur, elucescit. Ad Spadones reſpondet idem Hurt. ibi non eſſe ſermonem de hominibus caſtratis ſed de propriis Spadonibus, qui teſtes quidem habent, ſed nervos quibus illi adnectuntur divulſos, propter quam cauſam etiam non ejaculantur ſemen, dum eo titillantur proindeque non ſatiantur coitu ſed continuò in hunc feruntur, quia nempè non obtinent eum finem cujus gratia venus eſt ſicut viri & fæminæ, qui dum ſemen ſuum verum ejaculati ſunt & finem aſſecuti, quieſcunt venereque ſedantur: Et hoc eſt quod Eccleſiaſt. c. 30. n. 21. habetur, ſicut ſpado complectens virginem & ſuſpirans, quia videlicet non ſatiatur quemadmodum vir avarus in di-

Etiam Spadones ardent Venere.

Etiam fæmina per ſemen activè concurrit ad gener. prolis.

Differt Spado à caſtrato.

viriis ſubmerſus: cùm itaque ſermo non ſit de hominibus caſtratis, colligitur eſſe de ſpadonibus, qui loco ſeminis imperfecto quodam humore quem conficiunt titillantur, ideoque tam ardentes in venerem incitantur, ut proinde non mirum, ſi virgines quibus cuſtodes & olim & adhuc in aolis magnorum Principum præficiuntur, absque ingravidatione violent, quia nimirùm emittunt ſemen aqueum & frigidum, omnique calore & virtute deſtitutum; hæc Hurtadus ex quibus vides quid propriè intelligatur per Spadones, Eunuchos & caſtratos, & quomodo invicem diſcrimineotur videl. per corruptionem vaſorum ſeminalium ut fusè habetur apud Paulum Zacchiam l. 2. quæſt. medicolegal. tit. 3. q. 7. ubi variorum Authorum ſententias adducit omnemque modum ſive majoris ſive minoris cui rationis explicat: Et conſtat hoc inter ruſticos qui in caſtrandis equis & bobus noverunt modos, quibus non omni vigore & robore maſculo eos privent unde etiam colligitur totam differentiam inter caſtratos, ſpadones & Eunuchos deſumendam eſſe à corruptione vaſorum quæ ad generationem faciunt, tum ab ipſa eorum nativa conſtitutione & complexione, qua vel plus vel minus evirationi reſiſtunt.

DICES 7. Ex dictis ſequitur, Chriſtum fuiſſe conceptum ex ſemine B. Virg. quod eſt abſurdum; nam imprimis eſt contrà ſenſum Eccleſiæ quæ canit, & procedens homo ſine ſemine; deinde B. V. non manſiſſet perfectè virgo, quia conceptio in utero ex emisſione ſeminis imminuit virginitatem. Reſpond. cum Hurt. § 70. certum eſſe, quod Chriſtus fuerit conceptus ſine ſemine viri, non tamen ſine ſemine Beat. Virg. licet hujus nihil ſive Eccleſia ſive SS. Patres memioerint; niſi autem fuiſſet Chriſtus effoxmatus ex ſemine B. V. ſupernaturaliter in ejus uterum effuſo, non eſſet nec poſſet dici filius ipſius, quo modo nec Eva eſt filia Adami, quia ex coſta tantum efformata fuit & non ex partibus natura ſua ad formationem inſtitutis, qualis pars eſt ſemen ex quo debent fieri omnes partes ſpermaticæ & principales, quas Chriſtus habuit perfectisſimè coagmentatas: Et hanc doctrinam habent plurimi ex Theologis & SS. Patribus ut videre eſt apud eund. Hurt. cit. tum apud Conn. 1. de gen. c. 4. q. 14. a. 2. Quod itaque canat Eccleſia Chriſtum proceſſiſſe vel conceptum fuiſſe ſine ſemine, non intelligendum eſt de omni ſemine ſed de virili tantum, cujus vices ſupplevit Spiritus ſanctus: de fœmineo res dubia eſt inter Philoſophos & Theologos nihilque ſollicita eſt Eccleſia, id quod alibi ſatis apertè declarat cum ait, magnum hæreditatis myſterium, templum Dei fœtus & uterus, neſciens virum; interim autem dum B. V. ſuo ſemine Chriſtum concepit, integerrima manſit virgo, quia habitus virtutis virginitatis ſemper in illa fuit: nol-

Chriſtus fuit conceptus ſine ſemine Virili ſed non Beatæ Virginis.

lum enim petiit virum aut cognovit, nullam unquam habuit delectationem Veneream aut conſenſum ullum, nullumque elicuit actum quo Virginitatis virtutem amitteret, ſed ſemen ſine ulla titillatione, ſine voluptate aut veſtigio ſenſus ſubitò & miraculosè conſtitutum fuit in utero, quod omninò abſque integerrimæ Virginitatis detrimento accidit. Hic verò adverte, id quod etiam ſequenti diſputatione adnotandum, videlicet Chriſtum fuiſſe in utero matris ſecundum omnia organa, membra & partes ſpermaticas uno inſtanti miraculosè efformatum & abſolutum, cum in reliquis hominum conſtructionibus id 30. vel 40. dierum ſpatio uſque ad infuſionem & introductionem animæ rationalis fieri & ſaniores Medici & meliores Philoſophi conſentiant.

Chriſtus fuit conceptus & formatus in utero B. V. uno Inſtanti.

DIFFICULTAS XXIV.

Quid ſit ſemen in animali, an excrementum.

VAriæ extant ſeminis deſcriptiones tam apud veteres quàm apud modernos: nam Hipp. l. de genitura ſtatim ad initium vocat ſemen viri robuſtisſimam quandam portionem omnis humidi quod in corpore exiſtit Fernel. l. 7. de hominis procreatione c. 1. ait ſemen eſſe id, ex quo primò oriuntur ea, quæ ſecundum naturam conſtituuntur, non ut ex materia ſed ut ex principio efficiente. Andr. Laur. operum anatom. q. 14. definit, ſemen eſſe corpus humidum, ſpumoſum & album ex reliquiis alimenti ultimi & ſpirituum ubique errantium permiſtione vi ſola teſtium excoctum & elaboratum, idque ad perfectam animalis generationem; & hoc idem aſſerit Sennertus ſuarum Inſtit. l. 1. c. 10. de ſemine tum alii.

Suppono 1. ſemen vel conſiderari in ordine ad ſe ſuamque naturam, vel in ordine ad generationem animalis. 2. ſemen & genituram aliquando pro eodem ſumi, ut patet ex jam dictis, aliquando ita invicem diſtingui, ut ſemen ſit corpus ſimplex nondum cum alio ſemine commixtum, genitura verò ſeminis maris & fœminæ miſtura, quam Ariſtoteles loco citato c. 20. vocat conceptum.

DICO primò, ſemen in ſe vel in ordine ad ſuam naturam conſideratum optimè definitur ab Ariſtotele loco citato c. 18. & 19. & l. 2. ejuſdem operis c. 3. quod ſit excrementum alimenti ultimi. Probatur ex eodem loco Ariſtotelis, ubi ait quicquid in corpore animalis reperitur, id vel eſt pars corporis ſecundum naturam, vel alimentum, vel colliquamentum; ſed ſemen nec eſt pars corporis, nec alimentum nec colliquamentum, ergo excrementum, quia nihil amplius reſtat; hæc minor probatur; quia imprimis non

eſt

eſt pars corporis, ut infrà de partibus corporis organici patebit, habeturque ex loco citato Ariſtotelis ubi ait apertum eſſe ſemen nec eſſe partem ſimilarem nec diſſimilarem, eò quod ex ipſo licet ſimilare ſit nihil conſtituatur ſicut ex nervo aut carne, Deinde non eſt alimentum, quia ut conſtat, non habet aptitudinem alendi corpus ut patet ex conditionibus ad alimentum requiſitis. Ad hæc non habet naturam colliquamenti, quia hoc ut ait Ariſtoteles fit cum reſolutione præternaturali & ſecernitur ex incremento. Ergo denique eſt excrementum quod Ariſtoteles vocat reliquias alimenti, quia ſecernitur à corpore ſecundum naturam & ut aliquid ipſi corpori non proficuum: Dico tamen ipſi corpori, quia in ordine ad totam ſpeciem animalis in cujus conſervationem impenditur, eſt excrementum utile, in quo à multis aliis excrementis differt, quæ nec corpori commodum ferunt, nec ad alterius rei productionem faciunt. Datur autem excrementum alimenti ultimi, non chyli, non chymi, ſed ſanguinis, qui ut habet idem Ariſtoteles c. 19. in membra diſpertitur: hanc eandem ſententiam non tantum amplexus eſt jam olim Gal. l. 2. de ſemine c. 4. & inter recentiores Medicos nuper Caſp. Hoffmannus l. de gen. hominis c. 6. ſed etiam inter Theologos ipſe D. Thomas 1. p. q. 119. a. 2. Alb. Magn. l. 15. de animal. tract. 2. c. 5. & 6. Durand. in 2. ſent. diſti. 30. q. 5. & alii, effici nimirùm ſemen tanquam recrementum quoddam ex parte ſanguinis tertiæ concoctionis, & eſſe quidem portionem quandam à nutritione ſuperfluam, neceſſariam tamen ad generationem, & meritò; nam cum omne vivens appetat ſe ſuamque ſpeciem conſervare, ad primum convertit alimentum in propriam ſubſtantiam, ad ſecundum verò ſeponit aliquam partem alimenti ejusdem bonitatis & naturæ cum priore ad generationem commodam, eique in loco ad id appropriatu confert vim generandi & perficiendi aliud individuum in ſpecie ſibi ſimile; & hæc materia unde talia fiunt, ſemen dicitur.

Semen deſcribitur. DICO 2. ſemen in ordine ad generandum individuum conſideratum & prout comprehendit in ſe vim generativam benè deſcribitur à Medicis, quod ſit corpus ſpumoſum, dealbatum è ſanguine puriſſimo & copioſo ſpiritu partim elaboratum partim commixtum ad animalium generationem: Dicitur primò corpus ſpumoſum, quia ex agitatione motuque ſpirituum ſpumeſcit non ſecus ac in aqua vel alio quovis liquore vel plus agitato vel per calorem ebulliente id fieri cernimus; nam ſemen calore & ſpiritibus plenum eſt, ideoque fervidum eſt & ebulliens. Dicitur ſecundò dealbatum, quia nimirum hunc calorem habet à coctione, majorem quidem in viris propter calorem intenſiorem minorem verò in fœminis propter remiſſiorem; caloris enim eſt per longas decoctiones ad albedinem humores deducere ut apparet in lacte & in humoribus ſecundariis, qui antequam ſubſtantiæ corporis adglutinentur, in ſubſtantiam quandam albicantem convertuntur. Dicitur è puriſſimo ſanguine & copioſo ſpiritu, quia uterque eſt materia ſanguinis & principium ſeminis tam activum quàm paſſivum; nam ut advertunt Medici Anatomici, defertur ſanguis à trunco venæ cavæ per venas ſpermaticas ad vaſa præparantia & teſtes, quò eodem feruntur ſpiritus toto corpore oberrantes per arterias ſpermaticas. Dicitur 4. partim elaboratum partim commixtum, quia miſcentur imprimis ſpiritus vitales cum ſanguine; deinde coquitur & alteratur idem ſanguis tam per ſuum quam per ſpirituum calorem ad eum planè modum, quo alimentum in ventriculo & epate coquitur & quo ſanguis in venis magis magisque perficitur, tandemque in lac vel quatuor humores ſecundarios commutatur. Dicitur ultimò ad animalium generationem, quia hic finis eſt quem reſpicit ſemen purum, laudabile & fœcundum; nam ideò Author naturæ animalibus ſemen ejusque peculiaria dedit organa, ut in ſua ſe ſpecie conſervent & perpetuent. Quo cæterùm in loco hæc ſeminis concoctio & perfectio fiat, infrà dicetur. Et hinc

Colligitur, in hac ſeminis deſcriptione exprimi imprimis cauſam materialem, quæ eſt ſanguis & ſpiritus; Deinde formalem, quæ eſt humiditas, ſpumoſitas & albedo ſaltem extrinſeca; ad hæc efficientem, quæ eſt calor partium ſpermaticarum, teſtium, ſanguinis & ſpirituum, vel teſtes ipſi ſecundum Medicos, principaliter verò potentia concoctrix. Denique finalem, quæ eſt generatio animalium & conſervatio ſpeciei.

DIFFICVLTAS XXV.

An ſemen à toto corpore decidat, & in qua parte fiat.

COmmunis eſt opinio, ſemen in congreſſu decidere à toto corpore ejusque ſingulis partibus: Hujus opinionis hæ fortè ſunt rationes, primò in emiſſione ſeminis totum corpus oblectatur & quaſi convellitur. 2. ex claudis gignuntur claudi, ex mancis manci, ex nephriticis & calculoſis nephritici & calculoſi, ex phthiſicis phthiſici &c. 3. ex nimia ſeminis profuſione corpus totum contabeſcit. 4. filii ſunt parentibus omni ex parte ſimiles, ut videre eſt apud Ariſtotelem cit. c. 17. His rationibus accedit authoritas Hippocratis, qui hoc ipſum expreſſis verbis l. de genitura docet; genituram enim ait à toto corpore ſecerni & à ſolidis & à mollibus & ab omni humido in toto corpore; & paulò ante deducit potiſſimam partem ſeminis à Cerebro; nam plurima ait genitura pars è capite juxtà aures in ſpinalem medullam procedit; aliàs Authorum opiniones quæ parùm roboris habent ideoque vix æſtimandæ, vide apud Andr. Laurentium loco citato q. 15.

Suppono, ſemen vel ſpectari hic juxtà principium materiale vel eſſentiale, vel quod idem eſt, aut formaliter aut materialiter. Hinc enim

DICO primo, ſi ſemen ſpectetur materialiter, id eſt, quoad materiam ex qua gignitur, certum eſt illud decidere à toto corpore. Probatur, ſemen gignitur ex ſanguine & ſpiritibus qui invicem miſcentur; Sed hi ambo profluunt à toto corpore ergò. Major eſt apud Medicos certa & infallibilis, minor probatur, quia ſanguis profluit ex venis, ſpiritus autem ab arteriis toto corpore diſperſis: eſto autem ſanguis non niſi à trunco venæ cavæ deſcendat ad vaſa ſpermatica, adeoque non à toto corpore ſed à certis tantum partibus prolabatur, nihilominus tamen ſpiritus vitales, qui potiſſimam vim & efficaciam in generandis animalibus continent, toto corpore ſparſim diffunduntur, atque è præcipuis viſceribus in organa in quibus ſemen decoquitur, ſeſe inſinuant: Deinde ſanguis ille, qui ad vaſa ſpermatica deſcendit, non eſt ſolius venæ cavæ, ſed ejusdem rationis cum reliquo corporis ſanguine cum quo continuatur, poteratque quivis ſanguis id præſtare, quod ille, qui venam cavam ingreditur & implet.

DICO 2. ſi ſemen formaliter ſpectetur, falſum eſt, illud decidere à toto corpore & ſingulis ejus membris. Eſt Ariſtotelis cit. c. 18. & communiter Medicorum. Probatur autem 1. ſemen non gigitur ubique in homine & animalibus perfectis, ſed in teſtibus tantùm vaſisque ſpermaticis, ergò ab iis tantum formaliter profluit. Antecedens probatur quia vis generativa ſeminis non reſidet in omnibus partibus ſed ſolùm in teſtibus, ſicut in ſolo ventriculo vis conficiendi chylum, in epati vis coquendi ſanguinem, in corde gignendi ſpiritum vitalem & ſic de cæteris. 2. Si ſemen defluit ex toto, vel conficitur intrà vel extrà vaſa; non hoc, quia ſanguis non poteſt extrà hæc concoqui, imò nec exiſtere citrà corruptionis notam, ergò multò minus ſemen; neque dicas exiſtere in utero citrà corruptionem; quia imprimis non eſt in cavitate uteri, ſed in ejus vaſis & meatibus, deinde eſt in utero tanquam in receptaculo proprio ad generationem, in quo etiam peculiariter à calore matris fovetur. Non illud quia nemo unquam vidit aut credidit, ſemen contineri in venis cum ſanguine, aut in arteriis cum ſpiritibus vitalibus, aut in nervis cum animalibus. 3. non exiſtit ubique ſanguis ſuperfluus, qui poſſit eſſe materia ſeminis ergò nec poterit hoc ubique gigni, quia ſemen eſt excrementum alimenti ultimi.

Semen ubi gignatur.

DICES, ſi in teſtibus & vaſis ſpermaticis ſemen gignatur, ſequitur hos eſſe maximè neceſſarios ad generationem contrà Ariſtotelem loco citato. c. 4. Reſp. verum eſſe, quod teſtes in homine & animalibus perfectis quæ aperte ſemen emittunt, ad generationem maximè ſint neceſſarii, non tamen in cunctis animantibus de quibus Ariſtoteles locutus fuit, & quorum multa teſtibus carent, ut piſces, ſerpentes, quorum etiam multa ſemen non emittunt ex c. 17. Sed de his vide Caſparum Hoffm. l. 1. de gener. hominis c. 15. & ſequentibus Harveium l. de gen. animal. Fabrit. Aquap. de format. ovi & pulli, Aemilium Patiſænum & alios; Itaque

DICO 3. In teſtibus vaſisque ſpermaticis gignitur ſemen eorum animantium quæ perfecta ſunt, & legitimum verumque ſemen emittunt. Hæc concluſio probatu difficilis eſt, quia innititur tantum experientiæ, quæ tamen in viventibus varia eſt, & authoritati diverſorum & diſcrepantium dotorum: Nam licet certum ſit ſi non Ariſtoteli ſaltem Galeno, ſemini perficiendo teſtes eſſe datos, ratione tamen qua id fiat, tam facilè explicari non poteſt. Hipp. l. de locis in homine venas quasdam ait in teſtes deſinere, & l. de oſſis natura t. 21. & 22. in teſtes inquit immiſſas eſſe radices venarum multipliciter intortarum, firmarum fibroſarumque; ſed & l. de genit. initio, per medios teſtes tranſire ſcribit, & paulò poſt addit Eunuchos non citari ad libidinem, quia nimirùm ademptus ſit illis tranſitus ſeminis; eſt enim inquit via per ipſos teſtes. Fuchſius 4. anat. 1. ex Veſalio l. 5. c. 13. ſcribit, à paraſtatis variciſormibus per tunicas teſtium in ſubſtantiam ipſorum diſſeminari multos vaſorum ſpermaticorum ramos, perinde ut in epate fit à complicationibus venæ cavæ portæque. Ariſtoteles qui anatomiæ ſtudioſiſſimus fuit 3. hiſtor. animal. 1. ait, teſtes tenuibus admodum venulis circumdari, & paulò poſt ſubjungit, à capite teſtis propè ipſum teſtem meatus eſt denſior & nervoſior qui in illo alterutrius teſtis capite iterum in ſe revolvitur, & â capite utrimque digreſſus prorſus ad pudendum abit. Et 1. gener. 4. teſtes inquit non ſunt pars meatuum ſeminariorum, non abſimile iis quæ multi hoc noſtro tempore Medici docent, ſcilicet vaſa ſpermatica, aut potius paraſtatas Variciformes unà cum proſtatis glanduloſis poſſe à teſtibus detrahi ſalvâ manente omnium teſtium ſubſtantiâ; & certè teſtes non tantum avium ſed & quadrupedum diſſecti ſolidi ſunt non foraminoſi ſicut epatis ſubſtantia, & ſi comprimantur, exibit quidem humor albus, ſed qui potius alimentalis quam ſeminalis dicatur. His autem poſitis probatur concluſio de teſtibus, quia imprimis nunquam viſus eſt quiſpiam generaſſe, qui teſtibus omninò caruiſſet. 2. qui etiam compreſſos aut contuſos habent teſtes non habent pariter fæcundum ſemen, eſto vaſa non ſint ſoluta aut interciſa. 3. ſolidam habent teſtes carnem & ſolidum calorem, ideoque in hunc finem producti ſunt, ut cum in iis reſideat vis generativa, ſemen conficiant. 4. teſtes ante coitum ſunt ſemine ingravidati, poſteà verò ſemper elanguent & marcidi ſunt, ergò ſignum eſt in iis eſſe

Semen gignitur in vaſis Sperm.

In teſtibus gignitur ſemen.

by Google

eſſe vim ſeminis generativam, Similiter probatur id de vaſis ſpermaticis, quia imprimis per hæc defertur ſanguis & ſpiritus vitalis ad generationem ſeminis; Deinde quia vaſa ſunt ſpermatica, quibus copioſius ineſt calor, & quibus nulla alia eſt facultas quam ut unà cum teſtibus conficiant ſemen, ut communiter docent Doctores. Adhæc quia per ipſum teſtium ſubſtantiam ſunt diſſeminata, ut teſtantur Authores & experientia, ergò non tantum in ipſis teſtibus ſed etiam in ipſis vaſis proximis quæ ſpermatica dicuntur, conficitur ſemen.

DICES Ariſtoteles 3. hiſtor animal. c. 5. & 1. gen. 4. docet, taurum poſt exectos teſtes generaſſe, ergò nec teſtes generant ſemen, nec ad generationem ſunt neceſſarii. *Reſp.* primò, negando conſequentiam; rarum enim eſt hoc exemplum; & ſi verum ſit, propterea tamen non adimenda vis eſt conficiendi ſemen teſtibus. 2. etiam vaſa ſpermatica gignunt ſemen, quæ ſi illæſa remanſerint & à teſtium ſubſtantia citrà ipſorum corruptionem detracta fuerint, probabile eſt fieri potuiſſe, ut tauri gigneret. 3. incertũ eſt, quæ interna huj⁹ tauri fuerit diſpoſitio ex vaſorum ſpermaticorum conſtitutio; nam conſtat etiam Eunuchos ſemen emittere, licet non generent; & ſcribit Smetius l. 10. miſcell. Guidonem Muſicum cum Maniacus eſſet, unguibus ſibi ſcrotum lacerâſſe & utrumque teſticulum exemiſſe, curatum verò nihilominus ſemen effudiſſe & uxori cohabitaſſe. Similem habet hiſtoriam Schenkius 4. obſerv. 47. fuiſſe quendam fœcundum, licet ſcrotum inane & vacuum eſſet, fortè ideò quod teſtes intrà petitonæum aut ventris capacitatem latitarent, id quod Riolanus l. 5. c. 1. & in calce anatomiæ ex Varobio de fœtu quodam, ſicut & Bauhinus apud Schenk 4. obſerv. 151. & Hildanus 2. obſerv. 59. ſcribunt; notat enim Bauhinus in fœtu 6. menſium teſtes ad os ſactum hæſiſſe; Hildanus extrà abdomen non propendiſſe ſed in ipſa ventris capacitate reſediſſe; Riolanus denique teſticulos intrà peritonæum latitaſſe. Sed an teſtibus an vaſis ſpermaticis ſit porior vis coquendi & conficiendi ſemen? Reſpondeo &

Abſque teſtibus nemo generat.

DICO 4. quamvis utrique parti ſimul ſumptæ competat vis conficiendi ſemen, ita ut nulla id ſine altera legitimè & ordinariè præſtare poſſit; nihilominus tamen probabile eſt vaſis ipſis ineſſe majorem vim & efficaciam; ita docet Gal. 9. uſu partium c. 4. & ſequuntur multi ex medicis. Probatur 1. major virtus & potentia eſt in partibus nativis & ſpermaticis quàm in ſanguineis, quorum calore ſolùm illæ foventur; ſed vaſa ſpermatica tales ſunt, ergò. 2. vaſa ſpermatica etiam ablatis teſtibus conficiunt ſemen ut patet in caſtratis, eſto ſit infœcundum; ergò ſignum eſt majorem iis ineſſe vim & potentiam quam teſtium ſubſtantiæ. 3. major virtus conficiendi ſanguinem eſt in ipſis venis Epatis, quam in ejus carnea ſubſtantia, ergò etiam major virtus generativa in ſpermaticis quàm in teſtibus, quia ubique par eſt ratio. Antecedens verum eſt, quicquid etiam nonnulli Medicorum dicant, quia præterquam quod tertia concoctio quæ nobiliſſima eſt, fiat in ipſis venis, proprium eſt iis chylum attrahere, hunc magis magiſque decoquere, attenuare & in perfectam ſubſtantiam ſanguinis miniſterio carnis Epatis, quæ colorem dat & calorem, commutare; Et confirmatur à ſpiritibus vitalibus, in quibus potiſſima vis productiva ſeminis exiſtit; ſed hi potius ſunt in meatibus & vaſis ſpermaticis quam in ipſis teſtibus, ergò & major efficacia.

Major vis ineſt vaſis conficiendi ſemen.

Etiam ablatis teſtibus conficitur ſemen.

DICES, læſis teſtibus animal fit infæcundum, ergò his ineſt potiſſima virtus ſemen conficiendi, *Reſp.* negando conſequentiam, quia etiam quâvis parte læsâ quæ pertinet ad organum & eliciendam aliquam actionem, vel perit vel minuitur actio, ut patet in viſu, qui non tantum ex offenſione humoris cryſtallini aut pupillæ, ſed cujusvis partis ad oculum ſpectantis minuitur vel omninò tollitur. Deinde retorqueo hoc argumentum in adverſarios, & dico, læſis vaſis ſpermaticis fit animal infœcundum, ergò virtutem potiſſimam habent gignendi ſemen. Sed hæc omnia ingenioſius quam verius dicuntur, quia propter varias circumſtantias & internas ſive differentias ſive diſpoſitiones partium, quò nec oculus nec intellectus noſter penetrat, nihil certi ſtatui poteſt, niſi hoc unicum, quod & teſtes & vaſa ſpermatica ſint organa quæ neceſſariò ad conficiendum ſemen & ad generationem requirantur, licet in uno magis quam in altero incommodent. Et hoc idem de ſpadonibus, Eunuchis & Caſtratis intellige, in quibus aliquando facilè aliquando contrà vis ſeminis generativa & Vaſorum Sperm. efficacia infringitur, quia ſæpè plus aut minus reſtium exectio & nervorum divulſio inhabilitat.

Ad argumenta Initio propoſita Reſpondet Ariſtoteles fusè c. 18. Hic autem brevius primò, delectationem fieri toto corpore vel propter affluxum ſpirituum leniter & blandè ſalientium, vel propter conſenſum, quem hauriunt omnes partes ſenſu præditæ, quemadmodum fieri ſolet, dum ex dolore renum, dentium, capitis aut alterius membri totum corpus dolet. 2. non eſt ſemper verum, claudos generare claudos &c. & ſi fiat, id ſpiritibus qui ſingularum partium vim repræſentant & ideam, tum ſeminis vitio aſcribendum eſt. 3. quod totum corpus ex nimia profuſione ſeminis contabeſcat, id accidere ſolet ex ſubtractione ſanguinis & ſpirituum, tum ex partium inflammatione & exiccatione. Ad quartum de ſimilitudine filiorum cum parentibus reſpondebitur alibi.

DIFFICVLTAS XXVI.

Quæ ſit cauſa generatiua ſeminis.

SUppono, ſemen tantum eſſe viventium, ut plantarum, inſectorum, animalium & ipſius hominis; nam res inanimatæ ut lapides, & metalla habent tantum materiam terream & aqueam ex qua produeuntur; & ipſa elementa vel ex ſe mutuis vel ex mixtorum partibus elementaribus gignuntur.

DICO 1. omnia ſemina producuntur à ſuo generante, eſt Ariſtotelis 1. de gen. animal. c. 17. ubi ait, omnia gigni ex ſemine, ſemen autem proficiſci à generante; nam actio quâ producitur ſemen, eſt ejus cui intimè conjuncta eſt, & ad quod dicit ordinem naturalem, ipſius ſcilicet generantis, ergò ſemen huic adſcribi debet. Ad hæc ſemen producitur ab agente naturali, ergò à ſuo generante, id eſt, ab eo, à quo eſt deciduum; nam & hoc agens naturale eſt, habetque vim ab Authore naturæ ſuum producendi ſemen, & ſe ſuamque ſpeciem per illud conſervandi. Demum illi debetur productio ſeminis, cui debetur generatio; ſed hæc eſt generantis ex Ariſtotele ſæpius in libris de gener. animalium, ergò & illud. Quodnam autem in ſpecie ſit generans, non eſt hic determinare, quia præter arbores, plantas, animalia & hominem, quorum eſt ſibi generare & producere ſimile, etiam aliquando ſol & aſtra concurrentibus elementis id præſtant, ut patet in iis, quæ ex putri materia in ſeminis natura inflexâ & diſpoſitâ naſcuntur.

A quo producatur ſemen.

DICO 2. ſemen fit per vim & potentiam vegetantem probatur, omnes decoctiones quæ fiunt in animali, ut perfectio ſanguinis & lactis, confectio chyli, generatio ſpirituum vitalium, humores item ſecundariorum alterationes & converſiones, fiunt à potentia vegetante, ergò & ſemen quod eâdem actione quâ ſanguis, quâ lac, quâ cæteri humores perficiuntur: non eſt tamen hæc potentia cauſa principalis, ſed anima cui ipſa ſubordinatur & cum calore nativo qui inſtrumenti rationem obtinet, inſervit. Hoc patet in ſingulis ſeminibus, quæ pro generante totum ſuppoſitum, v. g. arborem, leonem, hominem agnoſcont, pro cauſa autem minus principali vim concoctricem & generativam, & pro inſtrumentali calorem ſive intrinſecum ſeminis, ſive extrinſecum ſolis & elementorum; & ſic ſemen v. g. pœoniæ recognoſcit pro ſuo generante ipſam plantam & animam pœoniæ, pro cauſa autem proxima & immediata vim generantem & conſequentē una cum calore plantæ, ſolis, aëris &c. Idem intellige de ſeminibus animalium & hominis ſecundum illud Ariſtotelis multis in locis decantatum, ſol & homo generant hominem; & eſto non habeant omnia animalia ſemen, ut videre eſt apud Ariſtotelem; habeut tamen aliquam materiam ſemini proportionatam, quam ipſi ad generationem conficiunt, & in certis loculis vel meatibus, qui teſtibus correſpondent, ex c. 3. l. 1. de gener. animal. continent.

DICES, omnis generatio in viventibus fit à vi & potentia generante, quæ ideò data eſt viventibus, ut in ſpecie ſe conſervent per hanc, & non per vim concoquentem, ergò falſum eſt, quod ad conficiendum ſemen concurrat vis concoquens. Reſpond. ad generationem ſeminis, ſanguinis, lactis, calculi &c. requiri vim & potentiam vegetantem, ejusq; ſpecies concoctricem & generatricem, illam, quæ coquat & digerat, hanc quæ formam introducat, ut promdenbique ſimul reperiantur; Earum autem differentiam vide infrà diſp. 13. diffic. 3.

DIFFICVLTAS XXVII.

An, & qualis vis reſideat in ſemine.

QUi in ſemine animam actualem ponunt, hi facilè quæſtionem hanc ſolvunt, quia docent vim & operationem omnem ab anima præſente fieri; Major autem difficultas eſt apud eos, qui ſemini animam ineſſe negant & tamen inſignem efficaciam vimque admirabilem illi tribuunt. Cum enim certum ſit, ex ſemine tanquam ex re vili & excrementitia generari omnia viventia & inter ea hominem nobiliſſimum, non immeritò quæritur, an vis ſit in ſemine, an in generante patre vel matre, vel an extrinſecus illi accedat.

DICO primò, quamvis ſemen res ſit inanimata ut alibi conſtabit, nihilominus tamen vim magnam & efficaciam ſibi inſitam habet. Eſt imprimis Ariſtotelis multis in locis, tum maximè 2. de gen. animal. c. 3. ubi ait, ineſſe ſemini quod faciat ut fæcunda ſint ſemina illud nimirùm quod calor vocatur &c. Deinde Hipp. l. de genitura ait, aliud ſemen eſſe debilius aliud fortius, & ab hoc gigni maſculos, ab illo fæminas; & ex hoc ſequitur vim ſemini ineſſe quod confirmatur ratione, quia ſemen calore & ſpiritu pleniſſimum eſt, adeò etiam ut utroque in frigore diſſipato reſolvatur in aquam cum prius eſſet craſſum, ut videre eſt apud Ariſtotelem cit. c. 2. Cum enim ignea & aërea materia reſolvitur, remanet aquea & feroſa: Deinde quia immediatè gignitur ex ſemine planta, animal, homo, & tum maximè, cum ſeparatum eſt à ſuo generante, ne quis in hoc omnem vim ponat & actionem: Deniq; notum eſt omnibus rebus mixtis cujuscunq; etiam ſint ordinis aut dignitatis, vim & efficaciam ineſſe, ut vino, aquæ, plantis, radicib⁹ &c. ergò etiam eandem ſemini non denegabimus.

DICO 2. in ſemine eſt virtus formatrix & generativa: prior eſt, qua partes ſingulæ & organorum apparatus ex ipſa materia ſementiva delineantur, pulchroque ordine connectuntur; poſterior verò qua vivens ſe in ſua ſpecie conſervat. Jam probatur concluſio, quia illæ virtutes ſunt in ſemine per quas gignitur & pro-

Vir formatrix non eſt eadem cum generativa.

producitur fœtus; ſed hoc fit per vim formativam & generativam, ergò tales ſunt in ſemine. Minor admittitur ab omnibus, major probatur, quia hæ virtutes non ſunt in anima patris (an matris, infrà dicetur) quia abeſt; nec in generante, quod ut plurimùm non eſt immediatè præſens, imò ſæpe mortuum, ut patet in patre, ergò in ſemine, quia aliud nihil ſupereſt: quod ſi ab anima matris eſſe dicas, reſpondent aliqui non ineptè, hanc eſſe merè extrinſecam, proinde præter eam quæ matris eſt aliam ſemini intrinſecam eſſe quærendam. Ut itaque conſtet quomodo hæ virtutes ſint in ſemine.

DICO 3. Virtus formatrix & generativa ſunt principaliter in Generante, ut & reliquæ potentiæ vitales, derivanturque ab eo & imprimuntur ſemini, velut quædam vicariæ quæ materiam tractant & conformant: Ita docent meliores hoc ſæculo Philoſophi & Medici contrà Sennertum ejusque adhærentes: probatur primum 1. hæc virtus non eſt Dei tanquam cauſæ primæ, quia nihil facit ipſe absque concurſu cauſatum ſecundarum præſertim in hujusmodi rebus; nec alicujus intelligentiæ, quia hæc ex ſe non habet vim producendi ullum effectum materialem; nec animæ mundi quia hæc fictitia eſt; nec animæ ſeminis, quia hoc inanimatum eſt, ergò Generantis, quia nihil aliud ſupereſt. 2. in Generante tanquam in cauſa principali ſunt omnes reliquæ facultates & potentiæ vitales, ut nutritiva augmentativa &c. ergò etiam generativa. 3. in illo eſt principaliter virtus generativa & & formativa, à quo principaliter fœtus gignitur & producitur; ſed hoc fit à generante, ergò; minor eſt evidens, quia generantis eſt ſuam ſpeciem in individuis conſervare, & præterea nullum eſt agens univocum, quod fœtum ut effectum ſibi ſimilem producere poſſit. Probatur 2. generans in formando fœtu non eſt immediatè præſens nec contingit ipſâ materiam ſeminalem ex qua producendus eſt fœtus, ergò agit per virtutem in medio diffuſam & ſemini impreſſam cum aliter agere non poſſit; antecedens certum eſt, quia ſive Generans ſit vivens ſive mortuum, quod ſæpiſſimè contingit, non eſt immediatè præſens materiæ ſeminali, ut patet de patre, de matre quid dicendum, infrà patebit.

DICES, per potentiam generativam producitur vivens ſecundum diſpoſitiones & formam ſive animam; ſed hoc non fit in productione hominis, quia anima creatur à Deo, ergò nec in homine nec in ejus ſemine datur potentia generativa. Reſpond. negando majorem, quia in generatione humana ſufficit quod vis generativa producat in materia ſeminali eas diſpoſitiones, quæ requirunt formam generanti ſimilem, & ad quas Deus ſupplendo defectum cauſæ ſecundæ, teneatur formam competentem producere & infundere, ideoque etiam verè dicitur homo generare hominem, quia producit omnia illa quæ generationem & formam humanam intendunt.

DIFFICULTAS XXVIII.

An hæ virtutes & potentiæ ſint vitales & ejusdem rationis in ſemine & Generante.

NEmo facilè eſt qui neſciat vim generativam in homine vitalem eſſe; de iis tamen difficultas eſt quæ impreſſæ ſunt ſemini jam à corpore ſeparato; & videtur neceſſarium eſſe ut ſint vitales, quia nimirùm producunt fœtum ut rem vitalem, ergò & ipſas vitales eſſe oportet; non quæritur autem hoc ſolum, an vitales ſint, ſed etiam an ſint ejusdem rationis in ſemine cum iis quæ prius fuerant in Generante, an verò ſiut conſimiles tantùm de novo in ſemine productæ.

DICO primò, virtus formativa & generativa ſeminis non ſunt vitales. Ita docent meliores Philoſophi, & probatur 1. ſunt in re ſubjecta quæ eſt inanimata, ergò nec ipſæ erunt vitales dicendæ; Antecedens fusè patebit Diſp. 19. de partibus corporis animati diff. 15. Probatur 2. actiones quæ per has potentias adminiſtrantur, ut eſt delineatio membrorum & organorum productio formarum partialium &c. non ſunt vitales, ergò nec ipſæ potentiæ. Antecedens probatur, quia ſunt actiones tranſeuntes & generationes ſimplices ſimiles iis quas ſol & calor elementaris in productione corporis ranæ rubetæ aliorumq; ex putri animalium efficit; Neque enim ſol animam ranæ producit ut videre eſt apud Hurtad. Diſp. 9. phyſ. de cauſa effic. creata ſ. 4. ubi poſtquam docuiſſet, ſolem producere plantas principaliter eò quod ex differentiæ conceptu ſit iis perfectior, eſto ex genere ſuo ſit vivens nobilius non vivente, ut pareat in Unione hypoſtatica, quæ ratione ſuæ differentiæ ſit ſimpliciter perfectior quàvis ſubſtantia, ſubdit animalia ratione vitæ ſenſitivæ ſimpliciter eſſe perfectiora ſole, adeoque ab eo nulla produci.

Productio corporis organ. non eſt actio vitalis.

DICO 2. Virtus formatrix & generativa non ſunt eædem numero in ſemine quæ prius fuerant in Generante, ſed ſunt iis conſimiles & de novo primùm productæ. Ratio eſt, quia hujusmodi virtutes in Generante ſunt alterius ordinis quam in ſemine, ergò non poſſunt eſſe eædem numero; antecedens patet quia in generante ſunt vitales quia ſunt animæ, contrà autem in ſemine, quia ſunt rei inanimatæ. Deinde non eſt difficile Generanti producere conſimiles virtutes, quia producendo ſemen ejusque formam producit ſimul omnia quæ ſpectant ad perfectionem ſeminis.

Vir formatrix & generativa non ſunt eadẽ numero in ſemine & generante.

DICES, in ſemine ſeparatũ ſunt eædem virtutes, quæ prius fuerant in conjuncto cum Generante, ergò ſunt eædem numero. Antecedens patet, quia non poteſt nominari aliquod Agens creatum, quod in ſemine conjuncto cum Generante eas deſtruxiſſet, & in ſeparato de novo produxiſſet; ſed nec ratio ul-

la eſt ; quæ id ex aliqua neceſſitate convincetet. Reſpond. in ſeparato & conjuncto ſemine eſſe & manere eaſdẽ omninò virtutes, ſed diſtinctas ab iis quæ ſunt Generantis; nam etiam in boc ſunt virtus generativa & formativa dum caret ſemine, ſicut homo habet potentiam videndi, etiamſi non videat. Itaque hic nihil datur contrà concluſionem, quæ tantum habet diſtinctionem potentiarum inter Generans & ſemen ſive hoc adhuc generanti ſit conjunctum ſive ſeparatum. Et hinc

Vis formativa & generativa ſunt diverſa ſpeciei in ſemine & Generante.

DICO 3. Vis genetativa & formativa non ſunt ejuſdem rationis aut ſpeciei in ſemine & generante. Eſt Conn. Lib. 1. de Gener. c. 4. q. 26. a. 2. ubi docent nec eſſe ejuſdem rationis nec eſſe ejuſdem ſpeciei cum iis quæ manent in generante, nec eſſe de numero earum quæ à viventium formis ut earum proprietates emanant: Et manifeſtum eſt ex ratione, quia hujuſmodi ſeminis virtutes ſunt rei inanimatæ, illæ autem quæ ſunt generantis, manant ab ejus forma & anima tanquam proprietates, unde etiam à principio vitali proptiè vitales appellantur: Nec putandum eſt, viventium corporum fabricam eſſe ſuprà vim naturæ, quia potius miranda eſt, ut habent iidem Conn. citati, infinita potentia divini Artificis, qui ad perficiendam illam fabricam concretæ alicui materiæ qualis eſt ſemen, tantas virtutes & facultates tribuit; deinde conjungitur anima matris immediatè, quæ in conſtruendo hoc corpore miram vim & efficaciam obtinet, ut alibi pluribus dicetur. Quod ſi dicas, non poſſe fieri ſeriem illam totius generati & diſpoſitionum in ſemine abſq; ratione aut conſilio, ergò non poteſt etiam adſcribi hujuſmodi virtutibus inanimatis. Reſp. negando antecedens propter eandem rationem; vel ut habent Conn. quia inquiunt, ſatis eſt hoc totum opus dirigi ab Authore naturæ quibusdam veluti numeris & menſuris, à quo proinde ſemen ad id opus accepit propenſionem & virtutem quodammodo vim artis habentem.

Ad argumentum initio propoſitum Reſp. negando fœtum eſſe vitalem, quia non vivit fætus ante productionem & infuſionem animæ, nec hæc producitur & infunditur ante fætum perfectè diſpoſitum, ergò hic toto tempore præcedente caruit vita & anima, ut infrà Diſp. 11. de infuſione animæ rationalis dicetur. Vel reſpondetur cum Conn. citatis, ad rationem vitalis operationis ſat eſſe proficiſci à principio vitæ conjuncto, licet proximè non oriatur à potentia proptiè vitali, ſaltem à tali quæ vitali connata ſit ejuſque vices agat.

DIFFICULTAS XXIX.

Unde exiſtat tanta virtus in ſemine?

NOn immeritò demirati ſunt multi tam Philoſophi quàm Medici virtutem illam, quæ Embryonem format, & in eo tantum organorum apparatum, tamque admirabilem eorum in ſitu & connexione ordinem conſtruit; nam quiſquis corpus organicum ejuſque pulcherrimam texturam & ſapientiſſimam fabricam conſiderat, neceſſum habet ut opus hoc longè vires naturæ ſuperare, adeoq; à munificentiſſimo Deo delineatum eſſe dicat; & hinc ad præſentem difficultatem, unde videlicet & in quem finem tanta ſeminis vis exiſtat.

DICO primò, nec virtus in ſemine exiſtens, nec ipſius effectus excedit vires naturæ. Ratio eſt, quia virtus hæc producta eſt à Generante, & impreſſa ſemini ut patet ex dictis, ergò naturalis eſt, & non ſuprà vires humanas aut creatas. Et confirmatur, quia plura fiunt per naturam, quæ majora ſunt & pulchriora, quæq; minus ab humano ingenio capiuntur, licet ab ipſo naturæ fonte procedant, ergò & hæc virtus à natura erit. Antecedens probatur inductione eorum quæ viribus naturæ quotidiè in rebus ſublunaribus mundoq; inferiori fiunt; nam metu vacui tam ſtupendi effectus accidunt, ut eos longè ab humano ingenio naturæque ductu alienos eſſe putemus; ſic rarèfactis intrà nubes exhalationibus obvia quæque per excuſſos ignes & fulmina ingenti vi diſrumpuntur; ſic in facie terræ plantæ & quæque vegetabilia pulcherrimè ſuis coloribus, foliis, fructibus & quibusvis partibus exprimuntur; ſic in mineralibus ſtupendæ rerum facies, configurationes & ſpecies reperiuntur; ſic denique omnia ſublunaria ſuo ordine, certiſque & infallibilibus terminis producuntur.

DICO 2. hanc virtutem conceſſit primò poſt mundi exordium Deus omnibus & ſingulis rerum ſpeciebus, quæ deinde in ſingulis generationibus & productionibus tum ſemini tum individuis ad conſervandam univerſi perfectionem imprimitur. Primum deſumitur ex neceſſitate agentium naturalium, quæ, alias ſe mutuò conſervare non potuiſſent, niſi hanc virtutem Author naturæ Deus dediſſet, ne ipſe in neceſſariis unquam defuiſſe crederetur, aut ſolus abſque concurſu cauſarum ſecundarum omnia in hoc mundo inferiori efficere diceretur; & hinc animalibus cunctiſque viventibus tam diverſos organorum apparatus conceſſit, ut per hoc cuncta quæ ad ſui conſervationem & ſpecies perpetuationem ſpectarent, operarentur. Secundum eſt ex illo Geneſis, creſcite & multiplicamini, tum ex cujusvis inſita natura, quam generans unum alteri tribuit, & juxtà quam omnia individua connaturales ſuos producunt effectus, ut patet in primo homine, qui poſtquam à Deo benedictionem & virtutem ſeſe multiplicandi mediis animæ ſuæ potentiis ſortitus fuit, hanc proli ſuique per ſingulas generationes poſteritati impreſſit, quâ etiamnum adhuc tota noſtra humana ſpecies exiſtit, & ad finem usque ſæculi perdurabit, id quod in omnibus aliarum ſublunarium rerum ſpeciebus

bus ad eundem modum fieri intelligeodum eſt. Et hinc

DICO 3. Materia ſemioalis ideo à ſuo generante tantam vim & efficaciam obtiuuit, ut viveos per illam per quam ſe quodammodo in ſemine repræſentat, in ſuis individuis continuari & perpetuari poſſit: nō enim poſſet ſe aliàs vivens in ſuis individuis conſervare, niſi haberet aliquam ejusmodi vim & poteotiam ſuæ materiæ inſitam, quam à generante ſuo accepiſſet. Hic tamco Adverte, ad hanc virtutem requiri calorem & ſpiritum vivificum per ſubſtantiam ſeminis diffuſum & à Genitore datum, tum calorem æthereum à ſole præſertim dilapſum, quia hi fæcuoditatem addunt magnamque efficaciam in rebus gignendis juxtà illud 2. Phyſ. cap. 2. Sol & homo generant hominem, tum Poëtæ, igneus eſt illis vigor & cæleſtis origo ſeminibus, &c. & turſum juxtà illud Ariſtotelis Lib. 2. de gen. anim. cap. 3. Ineſt ſemioi omnium quod facit ut fæcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur, idque non ignis aut aliqua talis facultas, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & oaturâ quæ in eo eſt, proportione reſpoudens elemento ſtellarum. Cæterùm ſpiritus ille qui ſemini inexiſtit non naturalis eſt, aut aoimalis, ut ex Avicenna vult Caſp. Hoffmannus Lib. 1. de Origine gener. humanæ, ſed tantum vitalis, quia imprimis ad ſuperfluum admittitur oaturalis, ut qui à ſanguine non differt; deinde amimalis oullam in generatione vim aut actionem habet, quia hic abeſt omnis potentia & opetatio ſenſitiva; niſi dum ex accidente ſpiritus molorii ad inflanda genitalia accurrunt. Et ſi in profuſione ſeminis caput ſive cerebrum debilitetur, id à defectu ſpirituum vitalium, qui ad vaſa genitalia defluunt & non ad cerebrum ſive generatiooem ſpirituum animalium, oriri intellige.

DIFFICVLTAS XXX.

An hæc vis utrique ſemini & maris & fœminæ inſit.

NOu eſt hic quæſtio quomodo ad generationem prolis & pater & mater concurrat, quia quod mater immediatè coocurrat activè, dicetur Diſp. 11. hujus libri Diffic. 4. de principio productivo hominis; ſed quæſtio eſt, an ooo tantum ſemen patris ſed & maris vim generativam & formativam habeat; & tota quidem cootroverſia conſiſtit circà ſemen fœminæ; de virili eoim noo eſt dubium, quin activum ſit. Eſt ergò quæſtio, an fæmina, à qua nihilominus multa quæ agentis officio ſunt ſimillima, ut conſervatio & concalefactio ſemini intrà uterum, confectio ſangvinis ejusque evocatio ad uterum, &c. Conferat etiam virtutem ad delineandum corpus organicum, id eſt, an vis geuerativa non tantum reſideat in ſemine maris ſed etiam ipſius fæminæ. Circa hanc difficultatem ſunt duæ celebres opiniones ioter Medicos & Philoſophos adeò etiam ut Philoſophi ſuos habeant Medicos & Medici ſuos Philoſophos: Ita enim pro parte Negativa primus eſt Ariſtoteles L. 1. & 2. de Gen. animal. ſæpè jam citatus; docet enim hic pluribus iolocis, fæminis ioeſſe aliquem humorem, qui inter amplexus emittatur, eumque non propriè eſſe ſemen, cum minus propter caloris imbecillitatem ſit perfectus & concoctus: Euo ſequuntur Arabes, D. Thomas 3. p. q. 32. a. 4. Albert. Magn. Durandus, Cajetanus, Dandinus, Lib. 2. de anima comment. 59. digreſſione, in qua de formatione fætus intrà uterum agit; imò & Gal. 2. de natural. facult. c. 3. ubi apertè ſcribit, os, cartilaginem, & omnes omnioò partes fieri ex ſemine menſtruo tanquam ex ſubjecto paſſivo, ex ſemine maris autem, tanquam cauſa efficiente. Pro parte Affirmativa ſunt Hipp. L. de genit. Gal. de locis affectis & alibi ſæpius; Scotus in 3. Diſt. 4. quæſtione unicâ, Conn. Lib. 1. de gen. c. 4. q. 27. a. 2. Fernel. c. 6. ſuæ Phyſiol. l. 7. Veſalius Lib. 5. de fabrica corporis humani c. 19. Valeſius Lib. 2. cootrov. Thomas à Vega io L. ſextum, Gal. de locis affectis, & alii plures partim Philoſophi & Medici partim Theologi. Jam

DICO cum Authoribus ſecundæ opinionis, quod etiam ſemeo fæmineum vim habeat generaodi & formaodi. Probatur primò, calor ſeminalis eſt efficaciſſima diſpoſitio, quæ formæ introductionem attingit; ſed fæmina hujusmodi calotem habet, ergò per eum in ſuo ſemine exiſtentem & à ſe productum activè attingit productionem formæ, & conſequenter in ſe utramque virtutem tam formantem quàm generantem obtinet: major vera eſt ſicut & minor, quia ſenſus & ratio id ſuadent, niſi quis tam abſurdus eſſe velit ut fæminam dicat deſtitui omni calori; 2. ſol per calorem ſuum quo fovet materiam fætus, unà cum homine dicitur generare hominem, ergò multò magis mater, quæ intrà uterum eandem materiam ſuo calore fovet, ad generationem prolis efficienter concurret. 3. Formas ejusdem ſpeciei conſeqvuntur potentiæ ejusdem rationis; ſed mas & fæmina habent tales formas, ergò etiam easdem poteotias, ergò eandem vim generativam & formativam. Ad hanc ratiooem ajunt aliqui, formas ejusdem ſpeciei cooſequi poteotias ejusdem rationis, hoc eſt ejusdem naturæ ſpecificæ, conceditur, ejusdem perfectionis individualis, negatur; cum enim ioquiunt fæmina ſit imperfectum quid iu ſpecie humana, ſic etiam ipſa imperfecta fuerit in genere potentiæ activæ. Contrà, nnnqnam opinio fuit, fæminam concurrere eâ activitate quâ ſemen maris, ſed longè inferiori, tantòque imperfectiori quantò ipſa eſt viro imperfectior; unde etiam fit manifeſtum, fæminam non tantum remotè, ſed etiam proximè diſponere materiam tam ad Embryoois delineationem, quàm ad formæ introductionem. 4. Fætus non ſolùm

Etiam fæmina concurrit activè ad generationem prolis.

lùm patri ſed etiam matri, imò huic ut plurimùm ſimilis eſt; ſed hæc ſimilitudo otirur à vi formatrice, ergò non tantum pater ſed & mater hanc virtutem in ſemen imprimit, ergò uterque activè concurrit. Reſpoudent aliqui, verum eſſe quod ſimilitodo inter prolem & parentes immediatè proveniat à vi formatrice, ſed patris tantum non matris, quæ per diſpoſitiones materiæ, quam communicat, variè efficit, modificat & determinat ad haoc potius quam ad illam effigiem exprimeodam. Conrrà, quia impoſſibile eſt, ur mater materiam efficiar, illamque ad hanc vel illam formam inflectar & non faciat hoc per actionem alicujus potentiæ; ſed hæc potentia nun eſt alia quam formatrix, ergò per illam mater coocurrit & operatur.

DICES 1. ſemen maris eſt activum, ergò fæminę debet eſſe paſſivum, quia ſemper principio activo debet reſpondere priucipium paſſivum; nam una & eadem res noo poteſt ſimul eſſe activa & paſſiva. Reſpond. ſemeo maris, idem intellige proportionalitet de ſemine fœminæ eſſe activum & paſſivum ſecundum partes diverſas, activum quidem ſecundum partes ſpomoſas & ealote plenas, paſſivũ verò ſecundum craſſas & terreſtres; Hinc negatur ſimpliciter antecedens, tum quæ ſequitur conſequeoria, quia nihil implicat, quò minus aliæ partes agant aliæ patiantur, ut paret ex diffic. 23. ubi idem ex D. Thoma objicitur.

Idem eſt activum & paſſivum ſecundum diverſa.

DCES 2. hine ſequi, quod fæmina ſe ſola poſſit generare, cum babeat principium activum & paſſivum, & locum in quo fiat generatio, quæ tria requiruntur. Reſpondetur negando aſſumptum; & ratio eſt, quia virtus fæminæ ita imperfecta eſt & imbecillis, ut neceſſariò, imò ex naturæ lege dependeat à conſortio & virtute maris. Quod ſi rubelliones piſces oomes dicantut eſſe fæminei, teſpondetur id valdè incertum eſſe, ut teſtatur Ariſtoteles Lib. 6. de Hiſt. animal. c. 13. & alii; Deinde tranſear id ita eſſe, quia Hujusmodi animalia valdè imperfecta ſunt, ut non mirum ſi io iis id aoimadvertarur qood animadvertitut in plantis & arboribus, in quibus proprer earum imperfectionem nullæ ſunr mates & fæminæ Cæterùm ſi quæ plura diei ſoleanr, pro ſabulis habenda ſunt; videri poteſt Ariſtoteles l. 2. de gen. animal. cap. 4.

Semen effuſum quare craſſeſcat.

DIFFICVLTAS XXXI.

Cujus naturæ & temperamenti ſit ſemen animalis.

ALiqui ſemen terreom eſſe volunt, aliqui igneum ob ſpirituom admixtionem; alii aqueum & alii demum aereum ob rationes infrà adferendas. Conſtat autem quod adverte, ſemen ſubſtantiâ ſanguineâ & ſpumoſâ; illa quidem quia eſt excrementum alimenti ultimi, ex quo etiam velur ex ſubjecto proprio gignitur, hæc verò quia ſpititu vitali plenum eſt, à corde omnem vim & energiam habet. Jam

DICO 1. Semen ex quo formatur animal, non eſt frigidum & ſiccum. quod non ſit frigidum probatur primò, quia conſtat ſangnine & ſpiritu qui uterq; calidus eſt ut conſtat, ergò ſemẽ noo eſt frigidũ ſed calidum. 2. In ſemine maximè vigent actiones vitales vel quæ ſunt his conſimiles, ergò debet eſſe calidum; nam in frigore omnia languent habetque mors dominium ut patet in rebus calore deſtitutis. 3. Quantò animalia ſunt naturâ frigidiora, tantò minus ad venerem prona, quod ſignum manifeſtum eſt ſemen non eſſe naturâ ſuâ frigidum. Antecedens patet in homine, qui cum inter animalia ſit calidiſſimus, ſemine etiam pleniſſimus eſt, & ad Venerem quovis tempore incitatiſſimus. 4. Frigida extinguunt Venerem ut patet in cibis & alimentis frigidis, cum è contrà quæ ſunt calida, hanc promoveant, ergò ſemen non eſt naturâ ſuâ frigidum. Quod etiam non ſit ſiccum, probatur omnibus iisdem argumentis quæ conrrà friges pugnant, & accedit, quia in ſemine ſpiritus copioſus eſt, quod fieri non poſſet, ſi ſemen ſiccum eſſet; Deinde in corpore ſicco non poſſet eſſe actio quæ ad vitam tenderet, ſicut videmus fieri in ſemine. Taudem experientia docet cum ſemen profluit, illud non tantum eſſe calidum ſed & humore pleniſſimum; ſed & Ariſtoteles vocat corpus tenue humidumque, ſive calorem ſpectes ſive conſiſtentiam. 3. Hiſt. anim. & rurſum l. 2. gen. animal. c. 3. habere naturam aqueam & humidam.

DICES, Ariſtoteles 2. de partibus animal. 3. terreum vocat ſemen, quod idem 2. de gen. animal. c. 2. facit ubi terreum quid ſemini adſcribit; ſed & Gal. 1. aphor. 14. ait ſemen participare ſubſtantiam terream, ergò hinc videtur deducendum eſſe quod ſit frigidum. Reſp. nec Ariſtotelem nec Galenum malè loqui, quia reverà ſemen habet aliquam ſubſtantiam terream, quia videlicet mixtum eſt; malè autem hinc deducitur frigidum eſſe, quia multa ſunt corpora terrea, quæ calida ſunt ut piper & cinnamomum ſexcentaque alia.

DICES 2. Semen ab animali deciſum diffluit in loco & aëre etiam calidisſimo, ergò ſignum eſt eſſe frigidnm; ſed & idem fit in frigido, cum tamen deberet denſari, ut obſervamus in oleo. Reſp. negando conſequentiam; quare autem ſemen & in frigido & in calido diffluat, cauſa eſt, quia ot primum decidit à corpore, ſpiritus omnes à quibus omnis denſitas & craſſities, ut habet Ariſtoteles 3. hiſtor. animal. cap. 22. & 2. de gen. animal. c. 2. in auras evaneſcunt.

Semen effuſũ quare craſſeſcat.

DICO 2. Semen eſt humidum & calidum, ita communiter omnes cum Gal. l. 2. de temp. c. 2. t. aphor. 15. & 1. de ſanitate tuend. cap. 2. probatur 1. ſaoguis ex quo gignitur ſemen, eſt humidus & calidus, ergo & ſemen, imò illo adhuc calidius propter admixtos ſpiritus qui ſangvine ſunt calidiores. 2. Semen participat naturam aëris; ſed hic humidus eſt & calidus, ergò

Semen eſt humidum & calidum.

ergò ſemen eſt calidum & humidum. 3. Humor & calor præſtantiſſimæ ſunt qualitates ad actiones vitales vel hiſce ſimiles & confines exercendas, ergò utraque in ſemine in quo vita omnesque actiones ſunt ſtabiliendæ. 4. Animal ob deciſionem multi & copioſi ſeminis maximè debilitatur & exiccatur, ergò ob defectum humidi & calidi quod utrumque in ſemine dominium obtinet. Antecedens ita explicat Auic. l.3. de animal. c.3. dum ſcribit ex 40. unciis ſanguinis fieri vix unciam unam ſeminis, adeòque unciam unam ſeminis emiſſam plus debilitare quam unicas quadraginta ſanguinis.

DICES Spiritus ſunt ſicci; ſed ſemen eſt his pleniſſimum, ergò & illud eſt ſiccum; major pater, quia ſpiritus igneam habet naturam. Reſp. Spiritus vitales in animali non eſſe ſiccos, ſed humidos & calidos quia habent naturam igneam & aëream, hanc quidem quia huic elemento proptie in qualitatibus reſpondent, illam verò quia tenuiſſimi ſunt & calidiſſimi, adeoque ignem ſecundum quid æmulantur.

DIFFICVLTAS XXXII.

An ſemen à ſanguine & lacte differat?

SUppono, utrumque tam ſemen quam lac gigni ex ſanguine, illud quidem ex ſanguine puriſſimo alimenti ultimi t. de gen. animal. c. 18. in fine, hoc autem ex ſanguine menſtruo 4. ejusdem operis, c. 8.

Affirmatiuam ſequuntur Valeſius l. 1. controv. cap. 22. Thomas à Vega l. 6. Gal. de locis affectis Sect. 7. & nonnulli alii, quamvis id expreſsè nolint docere; & favet iis ratio, quia diverſitas affectionum caloris, ſaporis aliarumque circumſtantiarum non poteſt non arguere diſtinctionem ſpecialem.

Negativam tuetur Ariſtoteles 4. de gen. animal. c. 4. ubi imprimis: dicit ſemen eſſe naturæ ſanguineæ. 2. Lactis naturam eandem eſſe quæ excrementi, ſcilicet ſeminis vel ſanguinis menſtrui, 3. Lac eſſe ſanguinem benè concoctum. 4. Eandem eſſe naturam lactis & menſtruorum. Hunc ſequuntur Avic. Alb. Magnus, Abulenſis & alii, ut videre eſt apud Conn. Lib. t. de gen. c. 4. q. 25. a. 1. ubi & ipſi hanc opinionem probabiliorem judicant.

Semen quomodo differat à ſanguine & lacte. DICO, ſemen non accidentaliter tantùm, ſed eſſentialiter ſeu minimùm ſpecie quâdam incompleta differi à ſanguine & lacte. Probatur primum primò, quia reverà ſemen nec eſt amplius ſanguis nec eſt lac; ſi autem in accidentibus tantum fieret mutatio jam ſemen retineret naturam ſanguinis & lactis, ergò ſemen non differt solùm accidentaliter à ſanguine & lacte. 2. Semen habet alias proprietates & alios effectus ab iis quæ ſunt ſeminis & lactis, ergò non ſufficit diſtinctio accidentalis; antecedens patet experientia & deſumitur ab iis quæ præſente hac diſputatione dicuntur, & quæ alibi de ſanguine & lacte dicentur: Nam lac eſt remotum alimentum quod in ſanguinem convertendum eſt, ſanguis verò proximum, quod immediatè in ſubſtantiam corporis abit, & ſemen denique eſt excrementum, quod corpus quidem non nutrit, habet tamen potentiam & vim in ſe generativam & formativam Embryonis & fœtus, quæ omnia manifeſtè arguunt diſtinctionem plusquam accidentalem; ſimiliter ſanguis extrà venas ſtatim grumeſcit & coaleſcit, ſemen liqueſcit & in aquam velut convertitur, lac autem multis diebus reſervatur in frigido, eſtque nutrimentum ad extrà optimum, contrà ſanguis haurienti venenum, ex quo etiam gignuntur humores alimentales & excrementitii, cum ex lacte fiant caſeus, butyrum & ſerum. Prob. ſecundum, quia ſemen non tantum alias à ſanguine & lacte habet proprietates & operationes, ut manifeſtum eſt, ſed etiam aliam formam ſubſtantialem & non tantum accidentalem; Et ſi vinum v. g. rubrum differt ſpecie ab albo, eſto ſpecie infima, quæ ſemper aliquid eſſentiale ab altero diverſum importat, multò magis id verificari poterit de ſemine, quod licet ſit reſiduum ſanguinis, multâ tamen decoctione in aliam omninò degeneravit naturam. Quod tamen pro tertio hæc diſtinctio ſit ſpecierum duntaxat incompletarum, probatur ex earum Imperfectione, quam cum multis aliis rebus tam inanimatis quam animatis habent communem; In his enim quia viles ſunt & infectioris conditionis, non apparet ſæpè major differentia quam accidentalis, eſto plures per eſſentialem ſalventur: Hoc patet inductione malorum, pyrorum, plantarum, fruticum, florum, ſeminum, muſcarum, ſcarabæorum, erucarum, vermium & id genus aliorum, quæ frequenter in ſe mutuò convertuntur; patet idem in humotibus qui toto perertant corpore illudque variè ſuis qualitatibus & accidentiis afficiunt, ut videre eſt infrà de humoribus, ubi dicetur, omnes humores, qui vel intrà vel extrà vaſa corporis continentur, non obtinere rationem alicujus entis Phyſici, quod conſtituat aliquam ſpeciem completam, cum ſint in continua mutatione habeantque formas ſingulis horis & momentis in alium ſtatum & naturam degenerantes. Patet denique in diverſis generibus vinorum, metallorum, lapidum. &c. quæ omnia mutuas naturas participant, & in diverſis accidentiis aliena ſunt. *Mille ſunt quæ differunt ſpecie incompletâ.*

Ad argumenta & rationes Ariſtotelis reſponderi poteſt, cum non fuiſſe ita locutum in ſenſu formali, ſed accidentali & materiali, videlicet ſemen & lac fieri ex ſanguine velut ex ſuo principio materiali; vel certè dicendum eſt, noluiſſe Ariſtotelem ſpecificam & eſſentialem diſtinctionem in iis rebus admittere, quarum naturæ ſunt incompletæ, ideoque majorem diſcrepantiam non merentur, quam quæ in rebus viliotibus dum in multas ſpecies & formas ſunt ſectiles, reperitur, v. g. in tritico & ſiligine, in bombice & eruca &c. quorum una ſpecies in aliam degeneratę ſolet.

DIF-

DIFFICVLTAS XXXIII.

An & quomodo ſemen maris & fæminæ ſit neceſſarium ad generationem prolis.

EX dictis quidem conſtat non tantum virum ſed etiam fæminam habere & emittere ſemen ; hic autem quæritur an hoc utrumque ſemen ſimpliciter ad generationem prolis ſit neceſſarium.

DICO primò, ſemen fæmineum eſt ſimpliciter neceſſarium prolis. Eſt Hipp. primò de diæta, ubi air, ſi quis animam animæ, id eſt, ſemen ſemini inferri neget, amens eſto: Eſt item Andr. Laur. l. 2. operum Anatomicorum c. 9. q. 16. Peramati l. de ſemine, Valeſii l. 1. controverſ. c. 6. omniumque Medicorum contrà unicum Petrum Garſiam diſp. 36. c. 5. §. mihi autem videtur. Probatur 1. fæminæ efficiunt verum ſemen, ut conſtat ex proximè dictis, ergò per ſe neceſſarium eſt ſimpliciter ad generationem. Probatur conſequentia, quia ideò efficit fæmina ſemen, ut exinde generetur proles, & natura per ſe nihil efficit ad aliquem finem, quin etiam ſit neceſſarium ad eundem finem, alioquin ſuperfluum eſſet medium ad illum finem. Probatur 2. communis eſt & probabilis doctrina Medicorum, conceptionem tunc fieri quando fæcunda ſemina utriusque ſexus ſimul in uterum effunduntur, minus autem ſi contrarium accidat, ergò ſemen fæminæ ſimpliciter neceſſarium eſt ad generationem prolis. 3. probatur, non ſolet fieri generatio, niſi parentum ſemina ita in qualitatibus conveniant, ut unū ab altero in calore, frigore, ſiccitate & humiditate temperetur, ergò reverà ſemen fæmineum eſt ſimpliciter ad conceptionem & generationem prolis neceſſarium: antecedens patet variis experientiis, quia nunquam fæmina concipit, niſi eum ſentit ſe vel ſimul cum viro vel paulò poſt ſeminare:

DICES 1. reperiri fæminas, quæ inter concipiendum vel congreſſum cum viro nunquam ſeminis titillationem ſentiant. Reſp. id ratum eſſe, vel certè ſemper aliquid ſeminis moveri & cum aliquo delectationis ſenſu effundi in uterum, ſive in ipſo congreſſu ſive paulò poſt, ut aliquando ipſæ fatentur fæminæ. Quod ſi aliquæ ex iis non titillantur, nullumve ſenſum in congreſſu habeant, id in peculiarem Vaſorum Spermaticorum conſtitutionem referendum eſt.

DICES 2. ſemen virile ſolùm juvatur à fæmineo, ut facilius & celerius operetur, ergò non eſt ſimpliciter neceſſarium. Reſp. negando conſequentiam; poteſt enim res una aliam juvare, & tamen ſimpliciter eſſe neceſſaria, cùm aliàs nequicquam operaretur.

DICO 2. ſemen viri eſt neceſſarium ex natura rei ad generationem. Hæc concluſio ubique & ab omnibus admittitur, quia eſt tam certa, ut non egeat probatione ; nunquam enim docet experientia, fæminas abſque viro concipere & parere niſi eas, quæ ut honeſtæ habeantur, neſcio quid effingant, id quod etiam in animantibus perfectis & videre, ſicut & in ovis gallinarum ſubventaneis, quæ ad excludendos pullos ſunt inepta. Quod autem Beatiſsima Virgo ſine viro Chriſtum conciperit & genuerit, id maximum noſtræ fidei eſt myſterium, ut ex dictis liquet: Deinde ſeminis virilis vices ſupplevit Spiritus Sanctus &c.

DIFFICVLTAS XXXIV.

Ex quali ſemine fiat conceptus.

CErtum eſt, ex ſemine fieri plantam, arborem, fructum, fœtum, conceptum &c. An tamen ex omni ſemine id fiat, & quibus conditionibus ſeu qualitatibus id eſſe præditum oporteat, controverſum eſt. Et ſolet hæc difficultas, in qua ſolum conceptus ſeu fœtus humanus velut norma & regula omnium reliquorum in triplici vel quatruplici viventium genere propter ſpeciei excellentiam tractatur, alio modo proponi, videlicet, quænam ſemina ſint fæcunda, vel quinam mares aut fæminæ ſint generativæ ſive ſteriles.

Nota, aliter eſſe conſtituta principia & cauſas generationis in plantis, aliter in iis quæ ex putri fiunt, & aliter denique in animalibus perfectis. Nam hæc generantur & fiunt ex utriusque ſexus ſemine inter ſe commixto; animalia autem imperfecta vel ex materia putri, vel ex corpore ſemini proportionato ; & plantæ denique ex ſemine ſimplici vel ſuæ ſpeciei congruo: De ſemine ex quo generatur homo, hic imprimis quæritur, quomodo nimirùm affectum eſſe oporteat; nam conſtat non ex quovis ſemine gigni hominem, nec ex quavis ſeminum miſtura fieri conceptum.

DICO primò, ex ſemine vitioſo nullus fit conceptus. Vitioſum appello, quod putridum eſt, corruptum & vitioſis ſive alienis qualitatibus imbutum. Probatur 1. ſemini fæcundo debet ineſſe virtus generativa & formatrix ; ſed hæc in ſemine vitioſo eſſe non poteſt, ergò nec ex eo fieri conceptus. Major eſt certa, quia ſicut agens certas & determinatas requirit potentias, quibus mediantibus operetur, v. g. animal ut videat, potentiam viſivam, ut ambulet, potentiam progreſſivam unà cum organorum bona diſpoſitione; ita etiam quævis actio ut rectè adminiſtretur, vult habere congruas in Agente qualitates, organaque benè formata, v. g. viſio oculum quoad internas omnes qualitates partiumque ſtructuram benè & laudabiliter formatam. Quod autem hæc in vitioſo ſemine non reperiantur, probatur minor, quia ad virtutes rerum naturalium & earum congruas operationes pertinent connaturales beneque inter ſe commixtæ qualitates, quæ in vitioſo ſemine deficiunt. Probatur 2. ab experientia qua con-

Ex quo ſemine fiat conceptus.

conſtat nunquam ex vitioſis parentibus gigui prolem, uec ex ſemine jam emortuo, deſiccato & eroſo, ſi iu terram defodiatur, aliquam produci plantam; Erhinc

DICO 2. ad generationem Embryonis convenit tale ſemen, quod tam in qualitatibus primis quam ſecundis temperatum ſit; qualitates primas voco, calidum & humidum, ſecundas denſum, album, dulce &c. nam in calido & humido conſiſtit noſtra vita; ex calido & humido gignimur & conſervamur; denique denſitas manifeſtat copiam ſpirituum & caloris; albedo autem & dulcedo ſigna ſunt optimæ decoctionis, & quod omuis abſit corroſivus vapor & mordax exhalatio. Jam probatur concluſio huuc in modum, iu humido & calido temperato conſiſtit noſtra vita, & tota corporis noſtri conſtitutio ergò & principium materiale noſtræ generationis, quod eſt ſemẽ, debet eſſe calidum & humidum, adeoq; in cæteris qualitatibus ita conſtitutum, ut eidem virtus generativa & formatrix inexiſtere, & iu illud operari poſſit; nam ita res aliqua efficitur dum gignitur, prout principium & cauſa conſtitutiva in ſe affecta eſt, cum hoc pertineat ad perfectionem & complemeutum formæ quæ ab Agente univoco producitur.

DICES 1. ſemen eſt calidiſſimum, ut ex dictis manifeſtum eſt, ergò non temperatum. R. quando dicitur, ſemen debere eſſe temperatũ, intelligitur, quod non debeat eſſe nimis calidum, id eſt, igneum, aut nimis frigidum, ſed eo calore imbutum, qui conveniat vitæ hominis; ſimiliter quod debeat eſſe humidum, non humore aqueo ſed pingui & aëreo præditum, quia hic eſt, qui cum calore vitam producit & conſervat.

DICES 2. ſunt aliquando tam mares quàm fæminæ complexionis temperatæ, & tamen nõ gignunt prolem, ergò non ſemper verum eſt, quod ex ſemine temperato gignatur proles. R. non ſufficere ad generandam prolem vel maris vel fæminæ complexionem temperatam, niſi & uterus in quo fit conceptus careat aliquo ſive temperamenti ſive conformationis vitio; deinde ſemina parentum ita debent eſſe proportionata, ut quod in uno deficit, ab altero compenſetur, adeoque ad generationem prolis ſe mutuò temperent; Ideoque ſi

DICAS 3. ſicut mares aliquando calidiſſimi, ita etiam frigidiſſimi prolem generant, quod idem de fæminis intellige, ergò cum mas calidus ſemen calidum & frigidus frigidum in ſe gignat, falſum eſt ex ſemine temperato gigni ſemper prolem. Reſp. ſi ſemen maris ſit vel calidius vel frigidius & tamen gignatur ex ea proles, ſignum eſt, id à fæmineo temperari, inter quod utrumque ſemper aliqua proportio vel convenientia in qualitatibus ſit oportet, licet nobis hæc ſæpiſſimè ſit incognita.

DIFFICULTAS XXXV.

Quid ſit conceptus & quid ad eum requiratur.

QUo ordine & quomodo fiat conceptus, id ſequenti Diſp. dicetur. Hic de mediis ad eum ſermo tantum eſt, & deſcribunt hoc fusè Medici, tum imprimis Andr. Laurent. operum ſuorum anatom. cap. 11. q. 23. & ſequentibus.

Adverte autem, conceptum vel ſignificare ipſam actionem, quâ utriusque parentis ſemina commiſcentur, & quam non malè vocat Andr. Lauren. loco citato actionem uteri; vel non tantum ſimplicem utriusque ſeminis miſturam, ſed & apparatum organorum & partium Embryonis vel fætus; vel quod melius, eam ſeminum miſturam, quam immediatè ſequatur formatio organorum.

DICO 1. conceptus eſt miſtura ex ſemine maris & fæminæ. Ita Ariſtoteles primo de gen. animal. cap. 20. Permiſturam intelligit utriusque ſeminis unionem & perfectam miſtionem, cum aliàs non poſſet fieri conceptus. *Conceptus quid.* Neque tamen intelligenda eſt ſimplex utriusque ſeminis commixtio, ſed cum adjunctis ad conceptionem requiſitis neceſſariis, id eſt, ut ſemina ſint benè & laudabiliter decocta, nec habeant aliquem in qualitatibus defectum, exiſtant in utero ſano, nec in matre ſit aliqua diſpoſitio depravata. Nam ut ex utroque ſemine jam commixto fiat conceptus verus, neceſſum eſt, ut hæc absque notabili labe intrà matris uterum benè conſtitutum recipiantur, tum per præviam alterationem ſufficienter unita paulatim in novi mixti formam abeant, verumque in fieri corpus organicum conſtituant, ut proinde conceptus non fiat ſtatim prima ejaculatione ſeminum iu uterum, nec ſit opus aliquo inſtanti, niſi corporis organici animationem intelligas, quo modo Chriſtus in B. Virginis utero conceptus fuit. qui tamen omninò à communi hominum alienus eſt, Intrà uterum recludat & recondat, fruſtrà ſperatur generatio prolis. Aliqui vocabulum primam addunt; quia ajunt conceptum eſſe miſturam primam per quod intelligunt conceptum fieri non ex pluribus actibus matrimonialibus ſed ex uno tantum; & fortè non malè, quia ſecunda, tertia atque ita reiterata ſeminum commixtio nihil vel materiæ vel virtutis addit priori, ſed potius ejus actionẽ infringit, cum utplurimùm in primarum qualitatum conceutu & harmonia differat: Plembius fund. medic. l. 2. c. 5. Vocat & definit conceptũ eſſe ſeminis ab utero attracti & retenti promotionem ad actum; alii aliter deſcribunt, in re autem conveniunt.

DICO 2. ut conceptus fiat, neceſsùm eſt ut intrà uterum ſemen fæcundum & prolificum maris & fæminæ miſceatur, ſive hoc ſimul illuc ſive diverſis temporibus effundatur. *Ad conceptionem quid requiratur.* Hæc concluſio multa continet, & imprimis ut ſemen maris & fæminæ miſceatur, ne fortè qui putent, fæminam ſe ſola poſſe prolem concipere & generare. Secundò, ut ſemen ſit fæcundum & prolificum, non corruptum aut

vitioſis qualitatibus imbutum, ut conſtat ex iis quæ antecedenter dicta ſunt. Tertiò, ut fiat miſtura intrà uterum, quia hic ſolus eſt locus ad generationem prolis determinatus ſicut ſolus cordis ſinus ad producendos ſpiritus vitales, & ſola cavitas ſtomachi ad primam alimenti decoctionem; & hinc nullus fit conceptus, quando ex defectu viri ſemen non infunditur in capacitatem uteri nec ad eam pertingit. Quartò ut fiat hæc miſtura per copulam, ne Averrhoës cauſam habeat excuſandi quaſdam fæminas, quæ ut honori ſuo conſulant, ſine viro ſe concepiſſe materiamque viri ſementivam intrà uterum adeò cupidum & appetitivum alicubi fortè attraxiſſe, ridiculosè comminiſcuntur. Quintò ut vel ſimul vel aliquâ temporis diſtantiâ fiat ejaculatio utriusque ſeminis in uterum; quamvis enim ad obtinendum finem ſeminis ſit commodius, utramque materiam ſementivam ſimul effundi & commiſceri, quod vis ejus formatrix quæ purè naturalis eſt & nunquam otioſa, primo quaſi momento apparatum organorum intendat; nihilominus tamen probabile eſt, non eſſe tantam ſimultaneæ commiſtionis & ejaculationis neceſſitatem, ſed ſufficere id aliquâ temporis intercapedine fieri quâ videlicet inſitus ſeminis calor & virtus impreſſa à matre foveatur, id quod confeſſione & teſtimonio quarundam fæminarum compertum habetur, quæ ſuam ſeminis effuſionem multis ſæpè horis poſtquam virum cognoverant, ſenſiſſe affirmant. Sextò, ut uterus ſit naturaliter conſtitutus, nec habeat aliquod virium intemperiei, ſolutæ unitatis aut depravatæ compoſitionis, ne ſemen fæcundum ab integritate ſua deflectat & alieno vitio imbutum corrumpatur. 7. Ut tam mas quam fæmina in ſano ſint ſtatu corporis, nec aliqua labe aut vitio quod impedimento eſſe poſſit, afficiantur. 8. Denique, ut fæmina intrà annos geſtationis ſit conſtituta, cum extrà tales & menſibus non amplius naturaliter fluentibus nullus exſpectatur conceptus: Si hujus rei cauſam quæras ideò, quod fæmina poſt menſes ſubſiſtentes nihilominus habeat adhuc materiam ſementivam, quæ cum virili commixta ſit capax generationis, ipſe etiam ſanguis menſtruus nihil conferat ad conceptum & formationem corporis organici, cum hæc fiant ex ſola materia ſeminali, quousq; eâ abſolutâ & perfectâ accedat anima rationalis, ergò videtur poſſe etiam fæminam poſt menſes ſubſiſtentes concipere, vel certè danda eſt cauſa negationis; ſin minus, committitur toties homicidium, quoties hujusmodi fæmina concipit, factisq; ultimis diſpoſitionibus quod fieri probabile, imò certum eſt, infunditur anima rationalis, quæ poſtea ex defectu ſanguinis materni cum ſuo corpore rurſum diſpereat. Reſp. ſi verum eſt, fæminas poſt menſes deficientes fæcundũ ſemen emittere, & ex eo cum virili commiſto formari corpus organicum perfectũ, certũ eſt, ſæpiſſimè hujus & animæ rationalis fieri diſpẽdium, cum ad hujus infuſionẽ deficiat ſanguis maternus, cujus beneficio accedant nutritio aliæq; actiones vitales. Sed quia deficiente ſanguine menſtruo deficit quoq; fæcũditas materiæ ſeminalis in fæmina, in quo ſolo conſiſtit cardo difficultatis & dubii ſolutio, nulliq; ſpiritus vitales à matre ad uterum pro formando & fomentando corpore organico eâ efficaciâ quâ prius confluunt, quod etiam ſæpè durantibus adhuc menſibus contingere ſolet; facilè apparet quæ cauſa ſit, cur fæminæ iis ceſſantibus ceſſant quoq; geſtare uterum: Quamvis aliquando contingat, fæminas etiam poſt hæc tempora concipere & parere, dum natura ſpiritum ſufficientem ſemini corporiq; organico ſuggerit, & demum huic pro nutritione cæteriſq; actionibus vitalibus ſanguinem vitio carentem; Et eadem ferè res eſt cum tempore inceptionis menſium, quo etiam vaſa ſpermatica generant materiam ſeminalem, & fæmina eſt habilis ad generationem, quia in contrarium ſanguis affluit, fovet principium generationis & quod inde producitur corpus organicum, conſervat & augmentet.

DICO 3. plurimum facit uterus ad conceptum. Hoc manifeſtum eſt primò, quia recludit intrà ſe utrumq; ſemen, illudq; complectitur ne calor & ſpiritus inſitus diſſipetur. 2. Habet innatam quandam vim attrahendi ad ſe ſemen non ſecus ac venæ vim habent attrahendi ſanguinem, omnesque partes corporis alimentum. 3. Habet peculiarem appetitum ſatiari ſemine, quemadmodum ventriculus alimento & potu. 4. Coarctat & conſtringit ſeſe uterus, quamprimùm intrà ſe reconditum habet ſemen. 5. Deniq; calore ſuo innato addit fomentum tum ad partes es ſemine formãdas quàm ex ſanguine nutriendas. Si quæras, nunquid probabilius ſit aſtra influere in primam fætus conceptionem ſive in ejus generationẽ, id eſt, quando accedit anima rationalis, quam in ejus partum. R. affirm. ſi tamen aliqua fides adhibenda ſit Aſtrologorum ſive antiquiorum ſive modernorũ fabulis & figmentis ratio eſt, quia in primo cõceptu vel generatione vel formatione fœtus producitur tota complexio totaq; natura, quam quicquid poſſunt aſtra tum variè inflectunt & modificant, non in partu, ubi nihil alienæ qualitatis aut virtutis ipſis organis ſive potentiis ſive etiam ipſi animæ ſuperaddunt. Verum quia incertum eſt tempus conceptionis & generationis, præſtat Aſtrologos pro ſuis deliramentis eligere partum, licet & in hoc plerumq; multis minutis adeoq; tota aſtrorum poſitione & diſpoſitione procul aberrent, quod tamen eorum commodo accidit, ut videl: dum errant, habeant cauſam, quâ ſe purgent & excuſent.

DIFFICULTAS XXXVI.

Quotuplex ſit conceptus.

VIdetur non eſſe niſi unicus conceptus; nam ſi ſemen eſt fæcundum, ſi laudabile beneq; decoctum, mater etiam omni ex parte ſana & ipſa inſuper maris & fæminæ ſemina inter ſe proportionata, fit conceptus naturalis; ſi contrà ſe res habet, nihil gignitur.

Adver-

Adverte primò, appetitum maris & fœminæ eſſe quiddam à natura inſitum, à quo ad hujusmodi actum, qui conſervationi ſpeciei imprimis eſt neceſſarius, ſtimulantur, Secundò, hunc appetitum eſſe homini perpetuum, ut videre eſt apud Ariſtotelem S. 10. probl. 46. & lib. 5. hiſt. animal. cap. 8. Secus autem cæteris animantibus, quia videlicet homo eſt calidior, unde etiam perpetuò generare poteſt: Deinde quia uterus in homine eſt profundior & cervix oblongior, unde etiam facilius marem & quidem ſine moleſtia admittit; beſtiæ verò faciliùs concipiunt, uterum magis ori externo propinqvum habent, frigidiores ſunt & ſicciores homine, nec ſuſtinent marem facilè abſque læſione. Scal. exerc. 131. cap. 4. contrà Card. retulit cauſam totam in generis nobilitatem; O nobile genus leporum!

DICO 1. conceptus in ſe & juxtà intentionem Agentis conſideratus ſemper eſt uniusmodi. Probatur conceptus in ſe ſpectatus ſemper bonus eſt, ergò ſemper uniusmodi; antecedens patet ex dictis, quia nunquam fit conceptus niſi ex materia optima ſementiva, poſitisque cauſis quæ ad concipiendum requiruntur; Deinde natura ſemper intendit ex ſe facere quod optimum, id eſt, conceptum qui ſemper & ubique ſit uniusmodi. Dico tamen quantum in ſe eſt, quia errores omnes qui contingunt, non ex intentione Agentis ſed ex aliquo accidente fiunt. Unde

DICO 2. ſi conſideretur conceptus præciſè, quatenus fit à generante, vel eſt laudabilis, vel monſtroſus, vel vitioſus. Prior fit ex intentione Agentis, quia ſemper facit illud quod optimum eſt, præſertim quando aliunde non impeditur, ſecundus fit ex plutibus cauſis intentionem agentis infringentibus ut dicetur Diſput. ſequenti Difficult. de monſtrorum cauſis. Tertius denique vitioſus eſt, variatione quidem & ad ſpeciem externam multiplex, re tamen unus unòque nomine mola apud Medicos exprimitur. Hanc Gal. lib. 14. de uſu partium cap. 7. carnem otioſam & imperfectam definit: Alii autem ut eam perfectius deſcribant addantque ſiuml cauſam efficientem & locum in quo gignitur, ajunt eſſe carnem otioſam informem & duram in ſolo mulieris utero ex ſemine formationem jam incipiente genitam, ſed propter ſanguinem à quo obruitur, ceſſante. Explicantur ſingula breviter. Dicitur imprimis caro, quia ſubſtantiæ eſt carnoſæ ut ſpectanti patet. Dicitur 2. otioſa, quia nullum habet actum vitalem, ut eſt nutritio, accretio, motio, &c. Et ſi videatur augeti, fit hoc per juxta poſitionem & motum ab utero. Dicitur 3. informis quia non habet formam hominis aut alicujus animalis ſed monſtri potius. Dicitur 4. in ſolo utero fœminæ genitam, ut deſigoetur locus in quo miſcentur ſemina & in quo fieri ſolet conceptus, idque contrà quosdam rum veteres tum modernos, qui crediderunt ſolam mulierem intrà ſe ex affluxu humoris ſeminalis ſanguiniſque menſtrui molam gignere poſſe. Dicitur 5. ex ſemine incipiente formationem, quia neceſſum eſt, ut natura prius incipiat formare animal ejusque membra & organa delineare ſive materia ſeminalis ſit benè conſtituta, id eſt, robuſta & firma, ſive debilis & infirma ut probabilius multis videtur, quia ajunt ſemini robuſto vim ſufficientem ineſſe contrà quaſcunque injurias ſeſe defendendi. Dicitur 6. ideò deficere & deſinere quod à ſanguinis copia obruatur; nam cum ſemen nonnihil in viribus defectuoſum & in qualitatibus vitioſum membra incipit formare, & imprimis membranas effingere, facilè copioſo ſanguine obruitur, adeoque virtus tum formatrix vel tantum effingit quantum poteſt, vel opus imperfectum deſerit, videlicet rudem & indigeſtam molam animâ & vitâ carentem.

Mola.

DICES 1. poteſt mulier ſola intrà ſe ex affluxu ſeminis proprii & ſanguinis gignere molam, ergò non opus eſt viri conſortio. Reſp. ad antecedens, incertum eſſe, an in fœminis fiat mola ſine conſortio viri, quia ſi in fœminis gignatur, etiam in virginibus gigni poſſe concedendum erit, quod tamen abſurdum eſt. Quod ſi tamen in fœmina ſine viri copula gignatur, ex ſolo ſanguine intrà capacitatem uteri effuſo varieque corrupto gigni neceſſum eſt, ſed nec mola hæc propriè dicenda eſt, quia mola non eſt tantum ſanguinis concretio, ſed variis villis, membranis aliisque heterogeneis partibus conflata, quarum formationem ſanguini aſſcribere non poſſumus; ſimiliter errant illi, qui ex ſeminibus crudis & corruptis, vel ex fœmineo maſculum ſuperante fieri crediderunt. Vide Hipp. lib. de ſterilibus & de morbis mulierum, tum ea quæ lib. 2. de ſympt. Diſp. 17. Diffic. 9. breviter dicentur.

Mola non fit propriè ex ſolo ſanguine fœminæ.

DIFFICULTAS XXXVII.

Quare aliquando tam Mas quam fœmina ſit impotens naturaliter.

DE impotentia maris & fœminæ hic ſermo eſt, quantum ex decurſu totius diſputationis facilè eſt conjicere, qua uterque ad generandum incapax & inhabilis dicitur: & de hac quæritur quomodo fiat & quibus ex cauſis.

Adverte 1. hujusmodi impotentiam vel eſſe naturalem purè, id eſt, fieri à cauſis purè naturalibus, vel præſtigioſam & magicam, id eſt, fieri operâ Dæmonis de qua infrà.

Adverte 2. impotentiam ad generandam prolem aliquandò eſſe abſolutè talem, aliquando reſpectivè tantum: nam videmus aliquando virum quod idem de fœmina intellige, eſſe impotentem cum omnibus fœminis & fœminam cum omnibus viris; aliquandò cum certis tantum & non cum omnibus. Jam

DICO breviter, impotentia naturalis tam in viro quàm in fœmina fit ex vitio vaſorum ſpermaticorum & orgaoorum quæ ad generandum ſemeo procreandamque ſobolem à natura data ſunt, vel ex præternaturali conſtitutione totius corporis, vel ex defectu ſeminis ſive is ſit in quantitate ſive in qualitatibus, vel ex mutua ſeminum improportione. Vitia organorum vel vaſorum procreationi datorum ſunt morbi partim ſolutæ unitatis, ut eliſio, ruptio, caſtratio; partim depravatæ conformationis, partim intemperiei ut deſiccationis, inflammationis, humectationis, refrigerationis, laxationis, &c. Vitia ſeminis vel oriuntur à peculiaribus affectibus & morbis, vel à læſis viſceribus, vel à depravatis & vitioſis alimentis. Vitiom denique improportionis mutuæ in ſemine eſt à diſſimili temperamento maris & fœminæ, quæ frequenter ſola cauſa eſt oon gignendæ ſobolis: Differunt enim aliquando adeò io qualitatibus, ut Conjuges penitus ad aliquem generationis actum exercendum ſint inhabiles: & hoc eoofirmatur ab experientia, quia accidit non rarò, ut fœmina cum primo marito gignat proles omnes fœminas, cum ſecundo autem omnes maſculos & cootrà, nullam aliam ob cauſam, quam quia diverſam proportiooem cum ſemine primi mariti ab ea quam cum ſecundo habuit, vel certè quia jam aliæ ſunt uteri & totius corporis diſpoſitiones quam quæ prius fuerant; ſi ergò ſemina ita inter ſe ſunt proportionata, ut ex iis aliquando ſoli mares aliquando ſolæ fœmellæ gignantur, etiam ejus naturæ & diſpoſitionis eſſe poſſuot, ut ex iis nec maſculus nec fœmella gignatur. Et hinc colligitur, impotentiam naturalem fieri ex corporis totius conſtitutione præternaturali, videlicet ex morbis diuturnis, & quorum vitium eſt in ſanguine, ex caſtratione, eliſione, ruptione, infrigidatione, cauſiſque aliis quàm plurimis ut videre eſt apud Medicos practicos & imprimis infrà lib. 2. Diſput. 17. de ſympt. Diffic. 9.

DIFFICULTAS XXXVIII.

Quomodo fiat impotentia opera Dæmonis.

HOc malum vocant maleficium ligaminis, de quo inter alios tractat Delrio diſquiſit. magic. l. 3. q. 4. ſ. 8. Dari autem hanc artem in maleficis docent Canones, Theologi, Philoſophi & alii citati ab Enriquetz l. 2. de matrimonio cap. 8. tum communis praxis Ecleſiæ, quæ ſic affectos poſt triennii experientiam irritam & adjunctâ 7. teſtium juratorum manu ſeparare conſuevit.

NOTA, ex iis cauſis, quibus Diabolus utitur, fieri ſolere, ut qui cum una fœmina eſt impotens, cum altera ſit potens & contrà; vel ut cum ea quam maximè amat ſic ſolum impotens; item ut ablato ligamine duntaxat fiat potens, qui tamen prius erat impotens, quod ideò paucis hic repetitur, ut cooſtet, hanc varietatem non poſſe ex naturali cauſa provenire, ergò tantum ex prodigioſa, oon divina, angelique boni ſed mali.

DICO primò, plurimi ſunt modi & formæ, quibus Diabolus ad hoc malum præſtaodum utitur. Ita docet Delr. citatus & alii, qui plurium quam 50. meminerunt; inter reliquos modos ajunt, magos ſolummodò ligulam cum certis ceremoniis verbiſq; prolatis nectere, Dæmonemque intereà per applicationem ſuorum activorum ad paſſiva perficere, ut tam vir quàm fœmina, ſæpius tamen vir propter implicatos organorum nexus & faciliores pro hoc impedimento diſpoſitiones ad impotentiam quæ in diem, menſem, annum, totam vitam aut etiam ut mulris placet ad uſq; ſolutionem ligulæ vel apertionem clauſtri alicujus durat, inflectatur: reliquos modos pudet hic enarrare, videri poſſunt apud Delr. & alios quos ipſe citat.

DICO 2. ſeptem omninò videntur eſſe cauſæ proximæ hujus impotentiæ quibus Dæmon abutatur. Ita Delr. citatus. prima eſt, dum Conjuges inter ſe odioſos facit. Secunda, cum corpora Conjugum impedit, ne poſſint ullum actum maritalem exercere, qua de re vide memorabilem hiſtoriam apud Vincentium Belluacenſem l. 26. ſuarum hiſtoriarum, quam tempore Henrici Imperatoris cuidem Juveni ipſis nuptiarum ſoleonibus poſt pilæ luſum contigiſſe recitat. Hanc ob prolixitatem redigam in compendium; luſerat Juvenis hic altero nuptiarum die in ſphæriſterio, & quia luſu incaluerat, annulum ſponſalem quem digito geſtabat, ad Veneris idolum quod ære fuſum non procul aberat, appendit: poſt luſum dum veſtes ex integro induit, & annulum recipere ex Veneris manu & digito conatur, ſed ex inflexione digiti non poſſet, miratur primùm, tum triſtatur, quia poſt paululum videt abeſſe. Abit domum turbatus, & quoties novæ Conjugi copulari cupit, ſentit umbram velut & vaporoſum quoddam monſtrum id impedire: rem aperit cuidam famoſo ſacrificulo, qui magiæ addictus eſſe dicebatur; hic clauſas dat litteras & mandat ut ferâ nocte ad quandam aperto campo viam eat, & ibidem annulum ab eâdem Venere tum maleficii ſolutionem expecter, caveat autem ne quicquam loquatur, aut extrà locum ſe moveat, quicquid etiam turbarum occurrat, tantum verò litteras Veneri porrigat; juſſa facit & poſt multas ſpirituum vel dæmonum terrificationes impudica quædam & geſtibus miris laſciva fœmina, quæ curru ferebatur, tranſit acceptiſque litteris annulum rum indignatione reddit, ſimolque maleficium ligaminis ſoluit. Tertia, dum prohibet ſpirituum vitalium tranſitum ad membra generationis. Quarta, dum ſemen exiccat & attrahit. Quinta, dum virgam tempore copulæ & actus matrimonialis flaccidam reddit. Sexta, dum per medicinas ſibi mani-

feſtas & notiſsimas vim actus mortificat. Septima, quæ rarior eſt, dum loca muliebria nimium coarctat, aut viri genitalia retrahit, abſcondit, vel ut vulgò creditur, adimit. Quicquid autem ſit de duobus modis prioribus, qui vix naturales per ullam rationem judicari poſſunt, ultimus eſt omninò præſtigiatoris, quia genitalia non aliter demi poſſunt quam per ſectionem aliamve manualem ſeparationem, quæ adempta reſtituere non eſt in angelica poteſtate.

DIFFICULTAS XXXIX.

An & primi parentes in ſtatu innocentiæ ad propagandam ſuam ſpeciem ut nunc genuiſſent.

STatus quæſtionis eſt, an ſi primi noſtri parentes non peccaſſent, ſemperque extrà reatum permanſiſſent in paradiſo & ſtatu innocentiæ, etiam proles ſuas ut nunc genuiſſent, & ſpeciem ſuam per continuas generationes conſervaſſent; eſt autem ratio dubitandi, quia gignere & educare proles importat ſemper dolores & moleſtias, quæ tamen nullo modo conveniſſent homini in ejusmodi ſtatu poſito.

DICO primò, quam potentiam generativam habebant primi parentes poſt lapſum, eandem & ſpecie & numero habuiſſent etiam in ſtatu innocentiæ. Probatur primò, retinuerunt ubique eandem animam, ergò etiam easdem omnes potentias & facultates tanquam proprietates ab anima emanantes, ergò etiam potentiam generativam; nulla enim facta eſt immutatio circà partes ſive eſſentiales & formales ſive materiales, ſed acceſſit extrinſecus ſaltem pæna peccati, quæ fuit carnis & totius ſuppoſiti corruptibilitas nunquam remediabilis. Probatur 2. retinuerunt primi parentes eandem numero & ſpecie potentiam vegetantem, ergò & generantem quæ ad illam ſpectat; antecedens manifeſtum eſt, quia anima rationalis Adami retinuit omnes gradus ad ſe ſpectantes, ergò & vegetantem; Deinde in eâdem perfectione & in eodem ſtatu manſerunt omnia viſcera & organa naturalia, in quibus reſident potentiæ naturales, actusque earum elici ſolent: Probatur 3. produxiſſent primi parentes in ſtatu innocentiæ materiam ſementivam ut nunc, ergò habuiſſent potentiam generativam, in quam illa ex natura ſua dirigitur. Antecedens patet, quia commutaſſent primi parentes in ſtatu innocentiæ alimentum in excrementa & in ſanguinem, ex cujus reſidua & ſpumoſa ſubſtantia coaluiſſet ſemen intrà vaſa ſpermatica, quæ habebant integerrimè & ſolidiſſimè formata. 4. potentia generativa eſt ad perfectionem corporis humani; ſed tale corpus habebant noſtri parentes perfectiſſimè coagmentatum ſemper, ergò & illam tam poſt, quàm ante reatum. 5. probabile eſt, primos parentes ſenſiſſe etiam in ſtatu innocentiæ titillationes & voluptates, adeoque habuiſſe appetitum exercendi actum generativum, quia conſtabant corpore ſaniſſimo, utebantur alimento puriſſimæ optimæque ſubſtantiæ, & abundabant ſemine ſpumoſiſſimo, ergò reverà habuerunt potentiam generativam etiam adhuc ante reatum; 6. Denique acceperunt in ſtatu innocentiæ à Deo benedictionem ſeſe multiplicandi, ut habetur ex Gen. 1. ergò potentiam & vim eandem generativam quam poſt lapſum. Et hinc quod ſequitur

DICO 2. genuiſſent primi parentes eorumque tota poſteritas etiam in ſtatu innocentiæ ut nunc. Ratio eſt, quia habuiſſent vim & potentiam generativam ut nunc, & confeciſſent tam ſanguinem quam ſemen, ut conſtat ex dictis; Et ne fruſtrà fuiſſet illis hæc potentia & virtus generativa, quam Deus Gen. primo dederat, concepiſſent per actum generativum, ergò etiam genuiſſent filios ſuos ut nunc, quod confirm. ex Gen. 3. ubi dicitur Evæ, in dolore paries filios tuos, ſcil. poſt reatum, ergò ſicut poſt ita etiam ante lapſum genuiſſent, fuitque ſolus Evæ dolor in pænam datus. Ad argumentum initio propoſitum quod videlicet non conveniebat, hominem ante reatum & in gratia poſitum affligi injuriis, doloribus vel ullis paſſionibus quæ hominis partum & generationem comitari ſolent, & conſequenter nec conveniebat eum ut nunc gignere prolem, Reſpondeo &

DICO 3. Si primi noſtri Parentes manſiſſent in ſtatu innocentiæ, genuiſſent quidem proles ut nunc ſed non cum iis accidentibus quibus in reatu. Hæc concluſio deſumitur ex ſacris litteris; nam poſt transgreſſum mandatum Dei dictum eſt Evæ Gen. 3. multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos; in dolore paries filios & ſub viri poteſtate eris &c. Jam formo argumentum ſic; ſi Eva non peccaſſet, genuiſſet filios abſque doloribus, non fuiſſet ſub poteſtate viri, nec ſubjecta fuiſſet variis injuriis & ærumnis, quæ mala poſt lapſum ſunt ſecuta, ergò Eva non genuiſſet proles cum iis accidentibus & paſſionibus quibus nunc & in reatu; ſimiliter non apprehendiſſent ullam corporis aut alicujus actus turpitudinem, nec vidiſſent nuditatem ſuam ex eod. Gen. 3. ubi Adamus Deo vocanti reſpondet, Domine vocem tuam audivi in paradiſo & timui eo quod nudus eſſem, & abſcondi me; cui dixit Dominus, quis indicavit tibi quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno prohibito comediſti &c. Ex quibus apparet multa primis parentibus poſt peccatum in pariendis & gignendis liberis accidiſſe, quorum extrà reatum non habuiſſent vel ſenſum ullum vel cognitionem.

DIFFICVLTAS XL.

An fæmina vel mas ſit calidior?

QUod inter marem & fæminam magna ſit temperamentorum & complexionum diverſitas, in hoc conſentiunt omnes, non tamen in quo major & intenſior ſit calor: & hinc non immeritò apud Medicos, ſed & apud Philoſophos quæſtio eſt, an mares præ fæminis calore ſive innato ſive adventi[illegible]o abundent, id eſt, an habeant temperamentum calidius.

Mas abſolutè eſt calidior fæminâ.

DICO, mas ſimpliciter & abſolutè eſt calidior fæminâ probatur primò Authorirate Hipp. lib. 1. de diæta. de genit. & 6. Epid. 37. Platonis 5. de reſp. Ariſtotelis 4. gen. animal. c. 1. & 6. 2. De partibus animal. c. 2. 3. De Partib. c. 1. l. de long. & brevit. vitæ. 4. Prob. 29. & 10. probl. 10. Galeni 9. ſent. Hipp. 3. 2. de temper. 4. l. 7. de uſu part. 22. l. 3. de cauſ. pulſ. 2. 5. aphor. 62. l. 3. in 3. Epid. 70. 5. Avic. 1. Fen. 1. Doctr. 3. c. 3. & ſeqvuntur pleríque cum Medici tum Philoſophi. probatur 2. ratione primò, mas gignitur ex ſemine calidiori magisque excocto, fæmina autem ex minus valido, ergò ſignum manifeſtum eſt, marem abundare calore præ fæminis. Antecedens eſt Ariſtotelis 2. de gen. animal. c. 6. 4. ejusdem operis c. 5. 2. 3. & 7. de hiſtor. animal. c. 1. & confirmatur ex communi illo Medicorum dicto, quo aliud ſeminum dicitur maſculum aliud fæmineum 2. Ex doctrina Hipp. Gal. & Medicorum gignitur mas, quando ſemen ex dextro teſte in dextrum uteri ſinum effunditur; fęmina autem quando contrarium accidit, & hoc quia dextra ſunt calidiora, ergò maribus intenſior ineſt calor quam fœminis; antecedens confirmatur ex motu, quia mares ut plurimùm moventur in dextro latere, & fæminæ in ſiniſtro ſi tamen verum eſt, quod apud multos dici & credi ſolet. 3. Mas intrà uterum citius creſcit & tardius extrà, fæmina autem è contrà ut habet Hipp. lib. de natura pueri, Gal. de partu ſeptim. cap 8. in 6. Epid. 45. 5. Aphor. 38. lib. 2. de ſemine cap. 5. & Ariſtoteles 4. de gen. animal. cap. 6. Ratio de fæmina eſt, quia calor debilior eſt qui tardius format intrà uterum; extrà hunc verò citius creſcit & ſapit, quia humore abundat, calorque benignus eſt & temperatus, non autem ſiccus & igneus ut in Juvenibus. 4. Semper minus abortui ſubjecti ſunt mares quam fæmellæ, quia videlicet in his acetabula ſunt humidiora ut habet Valeſius in 7. Epid. 7. de ſorore harpalidæ, ergò. 5. Dum fæmina geſtatur & naſcitur, ſemper puerpera diutius purgatur ex levit. 12. & Valeſ. S. Ph. cap. 18. cujus ratio eſt, quia fæmina ob caloris debilitatem non eſt ita potens diſcutere excrementa, ergò minus etiam eſt calida quam dum geſtavit marem. 6. Mas habitu eſt nigro, duro, gracili & piloſo, quæ omnia ſunt ſigna fortis caloris; fæmina autem cootrà albo, molli & glabro, pilique congeniti tenues, plani, longi ex Ariſtotele lib. 4. de Hiſtor. animal. cap. 11. & ex Gal. lib. 11 de uſu partium. cap. 14. 7. Mas facilius fert tam frigus, quam calorem quod certum inditium eſt firmioris caloris. 8. Mas habet venas ampliores, vocemq; graviorem, quod eſt à calore ut habet Ariſtoteles 4. hiſt. animal. c. 11. 7. ejusdem operis c. 1. 1. de gen. animal. c. 9. & Galenus l. 2. de temper c. 4. ergò. 9. Mas tardius caneſcit & fæmina citius; ſæpè autem mas calveſcit & fæmina ferè nunquam ex Ariſtotele 5. de gen. animal. c. 3. & 4. illud quidem ob majorem caliditatem, hoc verò ob ſiccitatem, quæ ut plurimum eſt cum calore. 10. Mas ſtaturâ eſt major, robuſtior, vegetior, lacertoſior, minus obnoxius morbis, ſeneſcit tardius. &c. quæ omnia in contrarium accidunt fæminis ex Ariſtotele 1. de gen. animal. cap. 19. 4. hiſt. animal. 11. 3. de par. cap. 1. L. de long. & brev. vitæ. & ex Gal. lib. 3. de cauſ. pulſ. c. 2. 11. Mas eſt animoſior, conſtantior, liberalior, apertior; fæmina timidior, avarior, ſemper mobilis, &c. Quæ frigoris ſunt ſicut & illa caloris. 12. In Maribus genitalia foras prominent, in fæminis intus ſunt latentia & inverſa, nullâ aliâ ex cauſa, quam quia id caloris eſt operatio, cum aliàs utrinque ſint eadem: probatur denique. 13. Ex neceſſitate, quâ decet fæminam eſſe frigidiorem, ut videlicet reſervet humorem & ſanguinem alimentalem pro nutricatu fætus intrà uterum, quem aliàs totum abſumeret, ſi æqualem cum viro haberet calorem; & hoc argumentum eſt efficaciſſimum, quia deſumitur à priori & ab imperfectione fæminæ.

DICES 1. Iracundia eſt à calore; ſed fæminæ facilè iraſcuntur, ergò: Hæc minor patet experientia, quia furor & excandeſcentia fæminarum vix placabilis eſt aut remediabilis. Reſp. hanc iram non eſſe præciſè à calore, ſed ab imperfectione, quæ facit ut perperam judicent neq; ſint generoſi pectoris, aut injurias illatas contēnant ſicut viri; deinde nō ſequitur eos qui facilè iraſcuntur, eſſe calidiſſimos, quia pendet hoc à peculiari quadā corporis & præſertim cordis. partiumq; adjacentium diſpoſitione & ejus cum cerebro conſenſu, quo utroque pituitoſi ſæpè magis quā bilioſi ſunt præditi. Qui itaq; magnanimus eſt, & prudens, hic facilè paſſiones evincit iramq; temperat, quia judicat non decere virum prudentē indulgere affectibus & paſſionibus animi, eſto ſubſtantia cordis vehementer incaleſcat, meatusq; præcordiorum ampli ſint & patentes, quibus ſpiritus ignei facilè huc & illuc fluctuent: Qui verò cum hac pectoris & vitalium conſtitutione nec firmum habet ſenſum communē, ut ſunt Juvenes, ebrioſi, multæq; fæminę, facilè in iracundiam feruntur, ſive ſint ex natura ſanguinei & melancolici, ſive bilioſi & phlegmatici.

An iracundia ſemper ſit à bile vel calore.

DICES 2. fæminæ multum & copioſum habent ſanguinem, quem etiam non ſatis digerere poſſunt, ut patet in menſtruaris, ergò calidiſſimæ ſunt. Reſp. negando conſequentiam; ſanguis autem quem fæminæ habent, aquoſus eſt

eſt & propter defectum caloris imperfectè concoctus, unde etiam minus digeritur & diſcutitur; ſed nec in ſubſtantiam corporis convertitur, quod ipſum eſt ſignum prædominantis frigoris.

DICES 3. fæmina habet pulſum celeriorem, ergò eſt calida. Reſp. negando conſequentiam; & hoc eſt ab imminuto calore, quia videlicet vaſa coangustata habet ideoque parum dilatantur & citò concidunt.

DICES 4. fæminæ ſunt ad Venerem magis proclives, ergò. Reſp. negando rurſus conſequentiam; quod autem fæminæ ſint ſalaciores, fit ideò, quia ſanguis ad uterum ſæpè defluens vaſa ſpermatica ſtimulat, & ad Venerem incitat, ut videre eſt apud Ariſtotelem 5. hiſtor. animal. 8. & 4. probl. 26. & 29. ubi addit fæminas hanc ob cauſam eſſe in æſtate libidinoſiores. Plura de hac quæſtione legi poſſunt apud Andream Laur. 2. quæſt. anatom. 13. Thom. de Vega Comment. in 6. locor. affect. 5. Bonamicum quarto alim. c. 2. Peramatum de temper. c. 13. & alios.

DISPUTATIO TERTIA,

De formatione fœtus ſive corporis organici.

HOc eſt nobiliſſimæ & immortalis animæ domicilium, in quo formando tantùm laborat natura & vis formatrix, & in quo cognoſcendo tanti viri hactenus decertarunt; adeò enim multa de hoc ipſo ſcribunt cum philoſophi tum Medici, illudque omnem in partem interpretantur, ut incertum ſit, quid ex iis ſtatui poſſit aut debeat. Et mirum profectò in hoc tam tenello & delicato corpuſculo, quod ex materia & virtute ſementiva ſapientiſſimè formatur, animam inhoſpitari poſſe & vitaliter operari; ſed ad decorem eſt hominis, qui ex infimis incipit principiis, & anima formarum feſtiviſſimâ veſtitus ad ſimilitudinem Dei naſcitur; Eſt etiam ad gloriam & perfectionem ipſius corporis, quod cùm primùm omnibus numeris abſolutum eſt, tanquam gratiſſimum animæ domicilium nobilitatur. Et videtur ferè res eſſe extrà hominem, & accedere proximè ad divinam liberalitatem & munificentiam, quæ tunc in primo parente illuxit, cum ipſe de limo terræ formatus ad ſimilitudinem divinæ Majeſtatis aſcendit, factusque eſt homo in animam viventem. In hoc ſanè corpore luculentiſſimè divinam ſapientiam agnoverunt, quicunque olim & noſtris adhuc annis ſtudioſius in ejus contemplatione decurrerunt, & nominatim quidem inter majores noſtros D. Ambroſius l. 6. hexam. c. 9. totoque libro de dignitate conditionis humanæ, tum Greg. Nyſſenus l. de opificio hominis; inter recentiores autem Ludov. Richeomus, qui l. de migratione ſeu valedictione animæ, hoc corpus & imprimis faciem ſed carne pulchrius veſtitam formaque intelligibili ornatam elegantiſſimis verbis & ſententiis expreſſit. Sunt cæterùm circà hoc corpuſculum antequam forma rationalis accedat, multæ magnæq; difficultates, quæ in decurſu præſentis diſputationis non tam ex Medicis quam imprimis ex philoſophis patebunt, ut & illi videant, quantum ſtudium quantoſque labores hi circà hoc impendant, in quo ipſi obiter duntaxat, & prout intentio ſive ſtudium eorum requirit, oblectentur.

DIFFICULTAS I.

Quid ſit corpus organicum.

NOTA, ſub hoc nomine corporis organici, quod tota hac diſputatione adhuc anima caret, comprehendi fœtum, Embryonem, conceptum, & ſecundum multos genituram, quæ tamen ex Hipp. & Ariſt. ſuprà citatis non differt à ſemine; fœtus autem, Embryo & conceptus propriè nihil aliud ſunt quam materia ſementiva intrà matris viſcera concepta, variiſque & decentibus organis delineata, ſive jam animâ præſente vivat, ſive ad eam proximè recipiendam ſit habilitata. Nam fœtus non tantum id dicitur, quod ſufficienter ad animam & vitam eſt diſpoſitum, ſed etiam quod jam animâ informatum vitam habet. Et item de conceptu & Embryone intellige, eſto hoc utrumque ad primam etiam ſimplicemq; ſeminum mixturam, adeoque ad rudem & indigeſtam futuri hominis, leonis, equi &c. molem ſeſe extendat.

Cœterùm quid ſit corpus organicum, apud philoſophos fusè eſt videre, qui de hoc pertinaciter altercantes in varias jam dudum abierunt ſententias: Nam aliqui ut Dand. l. 1. de anima ad t. 3. Volunt per corpus organicum non intelligi ſolùm materiam primam cum formis partialibus, excluſâ animâ ſive actu primo ſubſtantiali, quia hoc pacto corpus tantum eſſet heterogeneum & pars oppoſita animæ, ſed intelligi corpus informatum formis partialibus unà cum vita ſubſtantiali ſive actu primo, quatenus aptum eſt exercere actus vitales ſeu ſecundos, quemadmodum illa verba potentia vitam habentis, idem inſinuant, vitam ſcil. accidentalem. Alii per corpus non ſolum intelligunt materiam ſed etiam naturam, quatenus dat rationem heterogenei, ita ut materia directè, anima autem tanquam pars oppoſita obliquè ſignificetur. Alii docent corpus organicum eſſe materiam cum forma corporeitatis. Alii corpus Chriſti vi

Corpus organicum quid.

verborum directè in ſacramento poſitum non eſſe materiam cum accidentibus, ſed eſſe materiam ſolam. Alii per corpus organicum intelligi materiam informatam formis accidentalibus &c.

DICO, corpus organicum non eſt ſola materia, nec materia cum accidentibus, nec materia cum anima rationali in homine, aut cum ſenſitiva in bruto, nec materia cum forma corporeitatis, ſed materia informata formis partialibus ſubſtantialibus, v. g. forma oſſis, carnis, nervi &c. diſtinctis ab anima & forma accidentali. Ita docent multi hoc ſeculo & literis & lectionibus inſignes philoſophi.

Formale ſignificatur corporis org. nō eſt ſola materia.

prob. prima pars, quod nimirùm corpus organicum non ſit ſola materia; formale ſignificatum corporis eſt aliquod ens conſtitutum per formam ſive ſubſtantialem ſive accidentalem, per quam fotmaliter conſtituitur & denominatur corpus; ſed ſola materia non eſt ens taliter conſtitutum, ergò ſola materia non eſt formale ſignificatum corporis. Major ptob. quicquid reſolvi poteſt in ſubjectum & formá, eſt ens conſtitutú per formam ſive ex ſubjecto & forma; ſed formale ſignificatum corporis organici poteſt hoc modo reſolvi, quia eodem ſubjecto ſive materia remanente poteſt deſinere forma carnis & ſuccedere forma oſſis, nervi, conſequenter nova denominatio eidem materiæ ex mutatione formæ advenire, ergò formale ſignificatum carnis, oſſis, & conſequenter corporis eſt ens formaliter conſtitutum per formam. ptob. minor. quia quod eſt conſtitutum per formam, continet id quod informat & quod informatur; ſed ſola materia non eſt id quod informat & quod informatur, quia ſimul eſſet actus & potentia, ergo.

Nec materia cum accidentib⁹

prob. 2. pars, quod videl. formale ſignificatum corporis non ſit materia cum accidentibus; formale ſignificatum corporis non eſt ſola materia ut jam patuit, ergò materia cum forma; ſed non poteſt eſſe materia cum forma accidentali, ergò cum forma ſubſtantiali ab anima diſtincta ut jam patebit. prob. minor, quia materia cum accidentibus facit tantum ens per accidens & non per ſe, & conſequenter fætus erit ens per accidens, quod eſt abſurdum, quia aliàs etiam diceretur Verbum Dei aſſumpſiſſe corpus per accidens, de quo tamen nemo auſit cogitare.

Nec materia cum anima.

Prob. 3. pars, quod ſcil. materia cum anima non ſit formale ſignificatum corporis organici; Nam formale ſignificatum corporis eſt id, quod conſtituitur per formam, à qua advenit formalis ratio & denominatio corporis; ſed anima rationalis non eſt forma dans effectum formalem corporis, quia quod non eſt formaliter tale, non poteſt date effectum formaliter talem, ſeu quod idem eſt, heterogeneum; ſed anima non eſt talis ſive heterogenea, ergò.

Sed materiali formis partialibus.

Et hinc patet conſequenter, formale ſignificatum corporis organici eſſe materiam cum formis partialibus ut in ſequentibus dicetur: De materia cum forma corporeitatis ſequitur.

DIFFICULTAS II.

An in corpore organico concedenda ſit forma corporeitatis.

CONttovetſia eſt, an detur aliqua forma quæ ſit coæva materiæ, incorruptibilis & diſtincta ab illa quæ facit ens completum cum materia, à qua tanquam ſpecifica actuatut & accipit non eſſe corporis ſed eſſe completum & totum ſpecificum v. g. hominis, equi, arboris, auri &c.

Adverte primo. quamvis nonnulli ex non contemnendæ doctrinæ & ſcientiæ viris fuerint, qui formam hanc corporeitatis in rebus mixtis eſſe docuerint, ut videre eſt apud Conn. l. 1. de gen. c. 4 q. 20. a. 1. non tamen omnibus unam & eandem in hac defendenda fuiſſe opinionem; Aliqui enim concedunt eam in omnibus compoſitis; Aliqui in omnibus tantum viventibus; aliqui ſolùm in homine. 2. quamvis Authores in explicanda hac forma non parum inter ſe diſſideant, ut habent iidē Conn. citati, in hoc uno tamen conſentire, quod in re qualibet naturali detur forma, quæ ſit quaſi quædam prævia diſpoſitio ad propriam & ſpecificam formam; Et ipſe Scotus, cujus etiam opinio non omninò videtur multis improbabilis, in 4. diſt. 11. q. 3. c. 2. ait. ex materia prima & prædicta forma effici incompletum quid, nempe corpus, quod eſt altera pars viventis, proinde corpus ita ſumptum non poni directè in prædicamento ſubſtantiæ, ſed ad eam reduci; addit etiam hanc formam corporeitatis non ubique reperiri, ſed tantum in viventib⁹, nec eſſe materiæ cœvá aut à generatione & interitu liberam, ſed cum ex re non vivente oritur vivens, materiam primam exui omni forma ſubſtantiali quam prius habebat, eique duplicem induci formam, unam ejus viventis quod generatur, alteram corporeitatis, ex qua ſimul cum materia corpus, quod eſt altera pars viventis, coaleſcat: Quod ſi poſtea ex re illa vivente aliud oriatur vivens, ut ex homine vermis, materiam non privari utrâque forma, ſed manere prædictam formam corporeitatis, tantumque expelli formam ſpecificam viventis, & induci aliam viventis quod de novo generatur. At ſi vivens intereat, indeque aliquod non vivens fiat, ut ex homine cadaver, tunc formam ſpecificam viventis quod perit, ceſſare, inque ejus locum novam ſuccedere; Itaque cadaver nihil aliud eſſe quā compoſitum illud completum ex materia illa prima & forma corporeitatis, & hanc aboleri tunc, quando cadaver in aliud mixtum inanimatum aut Elementa convertitur.

Cadaver quid.

DICO, in qualibet re naturali ponere formā corporeitatis diſtinctam à ſpecifica ſuperfluum eſt. Ita plerique ex modernis philoſophis, niſi quis fortè formas partiales de quibus paulò poſt, nomine corporeitatis velit indigitare. Nam Embryo ſive corpus organicum

Digitized by Google

cum immediatè antequam informatur anima rationali in homine & brutali in leone, eſt verè corpus, ſed completom ex materia prima & formis partialibus, quæ ſunt veluti diſpoſitio prævia ad oltimam formam ſpecificam; Et hæ formæ manent etiam pereunte formâ ſpecifica viventis, ut patet in homine demortuo, in quo formæ partiales cum materia prima conſtituunt cadaver. Jam prob. concluſio primo, corpos nihil aliud eſt, quam compoſitum phyſicum ſubſtantiale; ſed quælibet forma ſpecifica conjuncta materiæ facit compoſitum phyſieum, ergo etiam corpus, ergò alia forma non eſt neceſſaria; Major patet, quia non eſt ſpiritus, ergò compoſitum phyſicum, 2. nulla eſt neceſſitas formæ corporeitatis, quia vel ideò requiritur, ut extendat materiam, vel det ei partes entitativas, vel ſubjectet in ſe qualitates; Non primum, quia materia extenditur ſufficientiſſimè per quantitatem; nec ſecundum, qoia materia ex ſe habet partes diviſibiles; nec tertium quia qualitates ſubjectantur in quantitate ut alibi dicetur. Conn. probant hanc concluſionem omnibus ſuis argumentis, quibus impugnant formas partiales ut videre eſt apud eosd. cit. a. 2. apud Peret. l. 5. c. 15. & 16. paſſimque apud alios.

Non datur forma corporeitatis.

DIFFICVLTAS III.

Quid reſpondendum ſit argumentis contrariis.

PRimum argumentum Scoti & qui eum ſeqvuntur, eſt, viventia (quod idem intelligе de rebus non viventibus & heterogeneis) ſunt verè mixta, ergò habent formam mixti; ſed talis non eſt anima, ergò alia cujus ratione dicantur mixta id eſt, forma corporeitatis; minor prob. forma mixti naſcitur ex 4. qualitatibus refractis; ſed anima non eſt tam vilis conditionis ut hinc oriatur. Reſp. quamvis anima non ſit formaliter mixta, quaſi ex miſtione vel elementorum vel aliorum miſtorum orta eſſet, poteſt tamen præſtare quicquid forma miſti in miſtis præſtat; ſicut enim dat eſſe ſenſitivi & rationalis per eandem numero entitatem ſed virtute multiplicem; Ita etiam dat eſſe miſti, ac proinde non eſt opus fingere aliam à quo id proveniat: Et quod ad animam in corpore animato, id etiam ad formam Embryonis ſive corporis organici adhuc inanimati reſpondetur, quia hæc cum formis partialibus dat eſſe Embryonis & miſti ſicut forma lapidis eſſe corporis & miſti. &c.

Secundum eſt, abeunte animâ remanet forma miſti, donèc in elementa reſolvatur, ergò diſtincta ab anima, ergò præter hanc animam datur adhuc forma in vivente videl. corporeitatis. Neque poteſt dici, ſuccedere formam cadaveris, primo quia non poteſt oſtendi quæ ſit cauſa producens illius formæ, & quomodo tam diverſo genere mortis ejuſdē ſpeciei cadaver efficiatur. 2. Sequeretur non eſſe idem numero corpus quod prius fuerat, quia nova forma novum facit compoſitum, quod tamen eſt contrà ſenſum. Quis enim ſibi perſuadeat, non eandem numero carnem eſſe in bove mortuo quæ prius fuerat in vivente. Confirmatur, quia idem ſapor & odor eſt in herba arida, qui in vivente, ergò eadem forma quam ſequantur illa accidentia. Ad hoc argum. non reſpondent omnes uniformiter, quia quidam formas partiales admittunt, quidam rejiciunt, quidam formam cadaveris affirmant, quidam negant. Qui formas partiales admittunt, ajunt has ipſas animâ abeunte remanere & conſtituere cadaver, donec reſolutum omninò ſub alias atque alias formas ſpecificas abeat: Qui ve..ò formam cadaveris admittunt, hi negant antec. Ad probationem dupliciter reſpondent, primo, formã cadaveris produci à temperamento cum concurſu alicujus cauſæ oniverſalis, ſicut fit quandocunque deeſt cauſa principalis proxima; Ita Conn. & alii. 2. nullam dari cauſam proximam & per ſe cadaveris, ſed cauſam aliquam univerſalem, quæ ex neceſſitate naturæ teneatur hunc defectum ſupplere, ne materia maneat nuda. Si quæras, an omnia cadavera hominum v. g. quacunque ex cauſa moriantur, ſint ejuſdem ſpeciei; ſimiliter ſi ex eâdem cauſa intereant viventia diverſæ ſpeciei, ut homines, equi, boves &c. Ad hanc quæſtionem reſpondent primò Conn. cit. a. 3. Cadavera ſive ſint viventium ex una ſive ex diverſa ſpecie, non differre, quorum formæ ex iiſdem qualitatibus tanquam diſpoſitionibus proximis ortum habent, differre tamen, ſi diverſæ fuerint tales diſpoſitiones & cauſæ proximæ, etiamſi ſint duorum hominum corpora, non qood ex diverſitate cauſæ efficientis ut ſic poſſit diverſitas actionis & termini colligi, ſed quia ad hanc determinatam qualitatum temperiem tanquam ad agens proximum non poſſit alius effectus conſequi; Unde non abſurdum eſſe, hominis, equi, bovi &c. in eadem cadaveris ſpecie convenire. Si dicas, lineamenta in corpore hominis mortui eadem eſſe; Similiter colorem, ſaporem in aliis. Reſp. ex his non poſſe formari judicium de veritate & diverſitate formæ cadaveris, licet debeat & poſſit in viventibus, quia in illis per accidens, in his per ſe inveniantur, cujus ſignum ſit, qnod non ita perdurent in cadaveribus. 2. Reſpondet Rubius tr. de modo informandi q. 7. Cadavera ſpecie diſtingui vel non diſtingui prout ſe habeant viventia quibus ſuccedunt, ita ot omnia humana cadavera ſint ejuſdem ſpeciei, equina, item bovina &c. differre verò ſi viventia diverſa fuerint in illa. Ratio eſt, quia qualitates & diſpoſitiones proximæ ſe habent per accidens ad productionem cadaveris, ergò ex illis non poteſt ſumi unitas vel diſtinctio effectus; unde identitas illa figuræ & lineamentorum videtur ſufficere ad indicandam unitatem formarum ſubſtantialium.

Cadavera an ejuſdem ſpeciei.

Tertium eſt, nobilior forme nobiliorem

&

& elaboratiorem materiam poſtulat, ergo anima quæ eſt forma nobiliſſima, non debet immediatè recipi in materia prima ſicut forma elementi, ſed in materia magis elaborata qualis eſt quæ prius informata eſt formâ mixti ex Elementis ortâ. *Reſp.* materiam quæ informanda eſt anima, ſatis eſſe elaboratam & inſtructam forma propria & partialibus, quas alii qui has negant, organa & inſtrumenta appellant; quomodo autem anima uniatur materiæ, ex alibi dicendis patebit.

Quartum eſt, corpus Chriſti idem numero fuit mortuum quod vivum, ergò eandem formam retinuit; non animæ, ergò miſti ſeu corporeitatis; quod ſi forma cadaveris ſucceſſiſſet, ſequeretur 1. verbum aliquid dimiſiſſe quod ſemel aſſumpſerat contra SS. Patres, quia reſumptâ humanitate in reſurrectione neceſſariò oportuit decedere formam cadaveris. 2. ſequeretur, de verbo in triduo illo mortis potuiſſe affirmari cadavet quod eſt abſurdum. Reſpondent hic, qui formam cadaveris admittunt, corpus Chriſti mortuum fuiſſe idem numero quoad identitatẽ materiæ, quantitatis, accidentium ſenſibilium & totius ſuppoſiti, non autem idem quoad identitatem formæ: Illa quæ ſequuntur, abſurda non eſſe, quia docent reverà Chriſtum morientem dimiſiſſe humanitatem & aſſumpſiſſe formam cadaveris, eâque denuò in reſurrectione exutâ reſumpſiſſe humanitatem, ut conſtet eum qui mori non recuſavit, non dedignatum fuiſſe ea ſuſcipere, quæ neceſſariò mortem comitantur. Quod verò ſancti Patres doceant, verbum nihil eorum quæ ſemel aſſumpſit, dimiſiſſe, intelligere de partibus, quæ ad naturæ humanæ integritatem ſpectant, & quas per ſe primò ſeu primaria intentione ac permanenter aſſumpſit, non autem de iis quas ſolum per conſequentiam naturalem & quaſi ſecundaria intentione ac per modum viæ ſeu tranſeuntis, quod in forma cadaveris accidit. Nos verò qui formas partiales admittimus, ſimpliciter dicimus, corpus demortuum conſtitui per materiam & formas ſubſtantiales partiales, atque ita permanſiſſe in Chriſto, donec reaſſumpta fuerit ejus anima rationalis & cum ea humanitas.

Corpus Chriſti in triduo mortuum quomodo idem fuerit atque vivens.

Corpus mortuum conſtituitur per materiam & formas part. ſubſtant.

Quintum eſt, ſi non detur forma corporeitatis, ſequitur non generari hominem, quia non generatur materia nec anima, ergò forma corporeitatis; ſi nec hæc, ergò nihil. *Reſp.* primò, ſi generatur forma corporeitatis, non generaretur homo ſed tantum corpus, proinde non eſſet generatio hominis. 2. neg. aſſumptum, quia ſatis eſt quod inter corpus & animam rationalem producatur virtute agentis rationalis unio, vel ut alii, quod ſubjectum diſponatur, in quod Deus infundat animam rationalem.

Sextum eſt, materia antequam recipiat formam ſpecificam, debet habere partes inter ſe diſtinctas & extenſas; ſed hoc non poteſt eſſe abſque forma corporeitatis, ergò hæc concedenda eſt; major patet, quia forma ſpecifica non recipitur in indiviſibili; minor prob. quia eſſe quantum & extenſum neceſſariò prærequirit eſſe ſubſtantiale alicujus formæ, cum ſit accidentarium quid. R. primò, materiam ſecundũ ſe ac ſine quantitate ſpectatam habere partes diſtinctas & extenſas non actu ſed potentia. 2. ut patet ex concluſione, materiam ſemper habere ejusmodi partes cum actuali diſtinctione & extenſione, quandoquidem ſemper eſt cum quantitate, per quam actualem habeat extenſionem, ut proinde non dicatur recipi formam in indiviſibili, præſertim cum diſpoſitiones conſequentes, inter quas etiam numeratur quantitas, in genere cauſæ materialis novam formam antecedant. Itaque ſupervacuum eſt ponere formam corporeitatis, cum ſingulæ formæ ſpecificæ afſectant ſecum dimenſiones quantitatis ſibi convenientes.

DIFFICULTAS IV.

An in embryone, fœtu vel corpore organico dentur formæ partiales.

NOTA, duplex eſſe corpus, homogeneum unum ſeu ſimilare, & alterum heterogeneum ſeu diſſimilare. Illud dicitur, quod habet partes ejusdem rationis ut aqua, ignis, vinum &c. unde etiam bujusmodi corpus caret anima & operationibus vitalibus tam actu quam potentia, quia eſt ſimpliciter homogeneum, id eſt, ſine apparatu organorum quæ ad operationes vitales requiruntur. Heterogeneum verò ſeu diſſimilare dicitur, cujus partes ſunt diverſæ rationis, propter quod etiam organicum dicitur & inſtrumentale, vel ab anima actu vel in proxima potentia præſente quemadmodum hic ſumitur; Et hujusmodi partes ſunt oculus, manus, pes, digitus, epar, ſtomachus &c. prioris generis ſunt os, vena, nervus, caro ſimplex, membrana, & ſi quæ ſunt aliæ partes in corpore ſimilares, eſto ſint etiam organicæ. Quæritur hic itaque, utrum in corpore heterogeneo ſive animato, v. g. in homine, cane, leone, ſive inanimato ut Embryone de quo hic ſermo eſt, ſit una tantum forma, quæ det eſſe carnis, oſſis, nervi &c. an verò ſint plures quæ uni ſuperiori ſubordinentur, quarum una det eſſe carnis, altera oſſis &c. Nam etiam Embryo ante adventum animæ eſt corpus organicum habetque partes diverſæ rationis, ut proinde & hic difficultas ſit, an forma Embryonis ſicut & anima det eſſe carnis, oſſis &c.

Opinio 1. eſt, in corpore ſive ſimplici & homogene ut Elemento, ſive heterogeneo & mixto ut equo, pede, Embryone, arbore, homine &c. Unam ſolùm eſſe formam ſubſtantialem. Ita docent D. Thom. Cajet. Hervæus, Vaſq. Soar. Peterius Fonſ. Tol. Hurt. Rub. Arriage Conn. & alii plures.

Opinio 2. eſt, præter formam communem totius dari quoque formas partiales, per quas conſtituatur corpus ſubſtantialiter heterogeneum & diſſimilare. Ita dicunt Scotus, Richardus, Picolom. de multitudine formarum, Zabarella, Doctores Pariſienſes, Jandunus, Valeſ. de ſ. phil. c. 4. Niphus 1. de gen. c. 78. ubi teſtatur hanc opinionem eſſe communem omnibus Medicis. Fernel. c. 2. de Elementis, Dandinus, Koninck & multi alii Doctores & Profeſſores moderni, qui hanc ſententiam ſcriptis & voce palam in univerſalibus docuerunt & etiam adhuc docent, quorum ingenium, doctrina & ſcientia non ceſſit nec cedit iis qui ſua typis demandavêre. Unde alii hanc ſententiam ad dogma fidei accedere, alii ſacræ Theologiæ, Conciliis, Sanctis Patribus & divinæ ſcripturæ confòrmem eſſe docuerunt. Quamvis autem doctrina & opinio prima non ſit omninò improbabilis, nec facile etiam gravioribus calculis ut quidam putavêre, contemnenda, cum & Authoritatibus & rationibus nitatur; nihilominus tamen cum Authoribus ſecundæ opinionis.

Formæ partiales dantur. DICO, In corpore organico, quod vel actu informatur anima, vel proximè poteſt informari, & eſt diſſimilare variisque inſtrumentis diſtinctum, dantur formæ partiales, quarum una dat eſſe carnis, altera oſſis, tertia nervi, venæ, & ſic de reliquis. Hæc Concluſio probatur variè à variis, adducam ego eorum rationes & argumenta validiora & firmiora eſto pauciora. Primum itaque argumentum eſt hoc, in corpore organico multæ ſunt partes inter ſe eſſentialiter diſtinctæ; ſed non poſſunt diſtingui per formam totius, neque per accidentia, ergò per alias formas. Major eſt vera, quia os non eſt ejusdem ſpeciei cum carne, hæc cum nervo, vena &c. prob. minor, quod nimirùm non poſſint diſtingui in corpore organico necdum animam habente per formam Embryonis, & in homine per animam; Si enim hæ formæ tribuerent oſſi eſſe oſſis, carni eſſe carnis, tribuerent formaliter; ſed hoc falſum eſt, ergò, & illud prob. hæc minor, quia ſequeretur hinc, hujusmodi formas tribuere eſſe oſſis in quacunque etiam materia reperiantur, & conſequenter caro erit os, nervus vena, & contra, quod eſt abſurdum: Nihil enim aliud eſt os ſecundum hanc ſententiam quam materia cum forma Embryonis vel anima; atque etiam in carne eſt materia cum hac forma vel anima, ergo caro erit os. Neque impedit reſponſio, quod os præter materiam primam & formam connotet diſpoſitiones accidentales oſſis &c. quia diſpoſitiones non ingrediuntur eſſentiam, ergò hac reſponſione non evitatur, quin caro ſubſtantialiter ſaltem ſit os, quia conſtat utrimque ſubſtantiâ oſſis. Secundum argumentum deſumitur ex definitione animæ, 2. de anima t. 6. ubi dicitur animam eſſe actus corporis organici potentia vitam habentis: Et hinc formatur tale argumentum; Actus & potentia, id eſt, quod informat & quod informatur, realiter diſtinguuntur; ſed forma Embryonis inanimati ſive anima ſunt actus corporis organici, & corpus organicum eſt potentia, ergò realiter à corpore diſtinguuntur; Jam ſubſumo; ſed corpus organicum non conſtituitur per formam Embryonis vel animam; neque corpus org. eſt ſola materia, neq; materia informatur accidentibus ut jam patuit, ergò neceſſariò conſtituetur organicum per aliam formam ab anima vel forma Embryonis diſtinctam. aſſumptum probatur, quia ſi corpus org. conſtituitur per animam vel per formam Embryonis, corpus org. non diſtinguetur ab ea forma ſive anima, proinde quia hæc anima ſive forma eſt actus corporis organici, etiam erit actus ſeu forma ſuiipſius, adeoque ſeipſum informabit, & erit id quod informat & quod informatur, ergò nec diſtinguetur realiter. prob. ſequela; illud quod informat corpus organicum, etiam informat id per quod conſtituitur & fit organicum; ſed forma Embryonis vel anima informat corpus organicum, ergo id per quod fit; ſed corpus org. fit per talem formam, quia ſecundum contrariam ſententiam non datur niſi una forma quæ facit corpus organicum & quæ illud factum informat, ergò eadem forma informabit formam id eſt, ſeipſam. Tertium argumentum eſt, in corpore org. quælibet pars organica propriam habet definitionem diſtinctam à definitione alterius, ergò ipſæ partes erunt quoque diſtinctæ per aliquam formam; non per animam aut per formam totius, neque per accidentia, ergò per aliquam aliam formam ſubſtantialem. Quartum eſt, ex actionibus ſpecie diſtinctis colliguntur formæ ſpecie diſtinctæ; ſed diverſa organa habent actiones ſpecie diſtinctas: Cor enim calefacit, epar gignit ſanguinem &c. ergò. Sed hoc argumentum eſt medicorum & claudicat, quia etiam cor gignit ſanguinem ſive ſpiritus & calefacit &c. Argumenta & rationes plures dabunt reſponſa ad objecta; Et hinc eſt

DIFFICULTAS V.

Quid reſpondendum ſit argumentis contrariis.

ADverte. quamvis pleræque objectiones, quæ ſequuntur, ſint corporis organici inanimati, ideoque ad diſputat. 9. de forma ſive anima rationali, ubi idem corpus org. jam animatum repetitur, ſpectent; huc tamen rejicere volui, quia utrobique reſponſa partium in ordine ad formam corporis org. animati & inanimati conveniunt, & ne res una in diverſis locis ad tædium lectoris repetatur; Itaque ſi

DICAS 1. antequam advenit ultima forma hominis vel bruti, Embryo vel fœtus vel corpus organicum informatur præter formam propriam ſubſtantiali venæ, oſſis &c. Se-

Sequitur ultimam formam eſſe accideos: Nã ex communi axiomate, illnd quod advenir enti ſeu ſubſtantiæ conſtitutæ in ſua ſpecie infima, eſt accidens; ſed hoc accidit in quovis animali, ergò. Nam hæc ſola eſt via dignoſcendi quæ ſit forma accidentalis & quæ ſubſtantialis, R. neg. ſequelam. Nam ut docent Theologi, etiam unio hypoſtatica advenit humanitati Chriſti, quæ eſt ens in actn & compoſitũ ſubſtantiale per formam, & tamen uuio illa non eſt accidens. Similiter infanti multa advenit ſubſtantia per nutritionem, & tamen illud outrimentnm non eſt accideos. Itaque diſtingneoda eſt ſequela hoc modo, qood advenit enti in actu completo, quod in eodem genere prædicamentali alteri formæ ſubordinatur & ulterius perfici & compleri poteſt, eſt accidens, negatur; quod advenit enti quod amplius io eodem genere perfici non poteſt, conceditur eſſe accidens. Sed anima non advenir carni, oſſi, in actn completo ut in eſſe carnis, oſſis, perficiatur, ſed in ratione viventis. Alii ſic reſpondenr, quicquid advenit enti in actu conſtituto, quod non eſt plura ſed unum ſimpliciter io actu, conceditur eſſe accidens; quod antem non eſt unum ſimpliciter, ſed multa ſubordinata ad unam formam totalem & ultimatam, negatur eſſe accidens, quia anima non advenit ſoli carni, oſſi, ſed etiam toti materiæ diſpoſitæ ac per formas partiales ad animam rationalem ordinatæ, quæ reſpicit indiviſibiliter totam materiam ut ſubjectum proximum.

Ens completum nõ admittit aliam formã ſubſt.

DICES 2. Ex conelusione ſequitur quod Embryo vel homo oon ſit unum ens, ſed multa entia actu, quia unitas ſequitur formam, ergò ſi plures ſunt formæ, plura etiam erunt entia actu, R. cum diſtinctione; Nam Embryo homo & quodvis animal dupliciter conſideratur, primò materialiter, ſecundò formaliter; Hoc quidem qnatenus Embryo vel homo eſt, ac per unam formam tantum conſtituitur & ſic eſt unum Ens ſimpliciter actu; Nam forma oſſis, carnis, non eſt forma Embryonis organiſati vel hominis, ſed alia propria Embryonis vel anima, & ſic falſum eſt quod homo ſit multa entia actu ſeu quoddam aggregatum; Illud autem rectiooe corporis ejusque partium, & ſic noo eſt unnm ſed multa actu, quo multa faciunt unum per ſe non ratione idenditatis ſed ſubordinationis vel compoſitionis. Quod ſi quæras, An forma nervi, oſſis, ſit forma imperfecta & perficiatur per aliam formam; Vel ut alii, An nervus, ſit Ens incompletum, compleatur autem per formam aliam. Reſp. Eſſe ens perfectum & completum in ratione oſſis & mixti, etiam dum adhuc eſt ſine animâ, non autem in ratione viventis; Er hoc modo etiam humanitas Chriſti in ratione naturæ humanæ eſt ens perfectum & completum, reſpectu tamen perſonæ incompletum eſt pars; Similiter linea & ſuperficies ſignificanr ſpecies corporis completas, & tamen reſpectu corporis non ſunt completæ, quia in hoc materiali includuntur; ſi autem carnem quis ſumat pro ſobſtantia non amplius perfectibili per ullam aliam formam, tali ratione poteſt dici Ens completum.

Forma oſſis quomodo perfecta

DICES tertio, Anima eſt actns corporis organici, ergò partes organicas conſtituit formaliter in eſſe organi, ergò easdem diſtinguir & diverſas facit, ergò non eſt opus aliâ formâ per quam id præſtetur. R. Anima eſt actus ultimus & completus corporis organici conceditur, primus & ſubordinatus ad illum negatur, ergò partes organicas conſtituit formaliter in eſſe organi, ultimatè & tanquam forma completa cui partiales ſubordinaorur, conceditur, per ſe ſola negatur. Duæ ultimæ conſequentiæ abſolutè negantur, quia os in eſſe oſſis non diſtinguitur per animam, ut patet ex ſupradictis, ſed per formam ſuam partialem: Quod de anima dicitur, idem etiam de forma Embryonis propria & partialibus ante adventum animæ intellige, quia & hæ ſont actus corporis organici, ſcil. inanimati, eſto non ultimatus, cum in ratione viventis compleatur per animam ſive actum ſuperiorem; Nam ſi Deus hoc corpus inanimatum conſervarer ab ulteriori perfectione, jã naturalis ejus act^us^ eſſet forma Embryonis cũ formis partialibus.

Anima ration. per ſe ſola non conſtituit corpus organicum.

DICES quarto, oculus v. g. immediatè, proximè & formaliter eſt talis per potentiam viſivam; ſed hæc potentia emanat ab anima tanquam radice & principio remoto; ſicut ergò ratio oculi proximè & immediatè tribuitur potentiæ viſivæ, ita radicaliter animæ, ergò fruſtrà fingitur alia forma. R. negando majorem, quia etiam in pede eſt potentia viſiva in actu primo, non autem in actu ſecundo, propter defectum organorum, quæ proinde cum aliis accidentiis conſtituunt oculum, qui naturâ prior eſt potentiâ viſivâ in actu exiſtente, imò & tempore, quia etiam Embryo necdum animatus habet oculum & potentiam viſivam diſpoſitivè. Deinde oculus tribuitur radicaliter animæ tanquam formæ ſuperiori & completæ conceditur, proximè & immediatè negatur, quia hoc habet à formis partialibus.

DICES quintò, Si ponendæ eſſent formæ partiales, fieret maximè propter diverſitatem quam videmus in figura, temperamento, & operationibus; ſed hæc cauſa non ſufficit, minor probatur, Alioqui tot ponendæ eſſent formæ partiales in uno oculo v. g. quot habet tunicas vel humores. Nam ſicut totus oculus eſt heterogeneus reſpectu anris, ita etiam una tunica reſpectu alterius, à qua diverſa eſt vel magnitudine, vel colore, vel duritie, vel alio accidente. R. neg. minorem, ad probationem dico, nihil abſurdnm eſſe quod in uno oculo multæ ſint admittendæ formæ partiales, & tot qnot in eo reperiuntur tunicæ nervi, venæ, humnres, quia de his omnibus & ſingulis cootrovertitur ad quas etiã probandas tot hactenus rationes & argumenta adducta fuerunt.

DICES ſextò, ſequitur partes corporis organici noo eſſe continuas, quia quæ ſpecie diſtingvuntur, continuari non poſſunt; Sequelam aliqui concedunt in brutis, ſed abſurdnm eſſe

eſſe inde patet, quia ſic non eſſet unum per ſe animal, ſed aggregatum quoddam ut acervos lapidum. Ad hoc argumentum reſpondebitur in ſequenti Diſputatione, Diffic. 18. ubi dicitur etiam continuationem eſſe ratione materiæ & quantitatis, aliam ratione formæ ſubſtantialis completæ. Nam in corpore organico ſive vivente ſive non vivente eſt continuitas ratione materiæ, quantitatis & formæ completæ, non autem partialium, adeoque licet os non ſit continuum cum carne in eſſe oſſis, quod habet à forma partiali, eſt tamen continuum cum nervo, carne, venâ &c. ratione formæ completæ, id eſt Embryonis ſive animæ, quæ omnia adæquatè & completè informat.

DICES 7. Forma carnis ſi eſt ab anima diſtincta, ſequitur eundem hominem eſſe per animam rationalem individuum quoddam hominis animatum, & per formam carnis alterū individuum mixtum inanimatum; ſed hoc eſt abſurdum, ergò. probatur ſequela majoris; Quia tam anima quàm forma carnis ſunt ſingulares, ergò conſtituunt materiam in ultima ſpecie. Probatur minor, quia homo non poteſt ſimul eſſe homo & beſtia, ergò nec poteſt eſſe ſimul mixtum inanimatum & homo. R. neg. ſequelam majoris. Quia ſicut falſum eſt, corpus quod eſt ſpecies quantitatis, eſſe ſimul formaliter longitudinem, latitudinem & profunditatem, licet in ſe materialiter contineat & includat ſuperficiem & lineam, quæ ſunt ſpecies completæ quantitatis; Ita etiam licet forma carnis ſit ſpecies certa mixti inanimati, adveniente tamen anima eidem materiæ non ſunt duæ ſpecies diſtinctæ, ſed ex utraque fit mixtum animatum formaliter, ſicut ex linea & ſuperficie unà cum profunditate fit corpus formaliter: Quod autem de anima, idem de forma Embryonis nec dum animati in ordine ad formas partiales intellige.

DICES 8. Si dantur formæ partiales, ſequitur quod caro hominis mortui cum carne hominis vivi ſit univocè caro, eademque adeò numero; hoc eſt contra Ariſtotelem primò de partibus animalium cap. 1. Vbi dicitur, oculum, carnem, hominem poſt mortem eſſe æquivocè talia. R. Caro, oculus, dupliciter ſumitur, primò, ut ſunt mixtum quoddam ex materia & forma partiali; ſic caro in ratione carnis ſeu mixti mortua & viva eſt univocè caro; ſecundò in ratione organi ſeu inſtrumenti ad operationes vitæ, & ſic habet ab anima quod oculus operetur vitaliter, quo in ſenſu intelligendus eſt Ariſtoteles, quod caro, oculus &c. ſint æquivocè talia poſt mortem, ſicut homo pictus & verus.

DICES 9. Repugnat formam ſubſtantialem eſſe diſpoſitionem ad aliam formam ſubſtantialem, quia diſpoſitiones dant eſſe diverſæ rationis à forma, ſicut & diverſi prædicamenti. R. neg. aſſumptum, quia hoc eſt in controverſia, proindeque debet probari, non autem pro certo aſſumi, quia Experientia docet contrarium; Deinde falſum eſt quod diſpoſitio ſemper debeat eſſe diverſi prædicamenti à forma cujus eſt diſpoſitio, quia accidentia ad formam ſubſtantialem & accidentalem ſicut primæ ad ſecundas qualitates ad ſecundas poſſunt eſſe diſpoſitiones.

DICES 10. Non poſſunt eſſe duæ totales formæ in eâdem materia, ergò nec una totalis & altera partialis, quia par eſt ratio. R. neg. conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia ſi eſſent duæ totales formæ in eâdem numero materiâ, conſtituerent duo diverſa individua in ſpecie infima ſub iiſdem accidentibus, & ita idem individuum eſſet bis corpus, quod non contingit hic, quia non ſunt idem numero individuum caro & homo, quia neque forma carnis eſt in tota materia hominis ſicut eſt anima; Et quamvis omnes hæ formæ conſentur partiales, non tamē faciunt unā formā totalē niſi impropriè ſumptam, quia non eſt ultima, ſed adhuc ſubordinata & amplius perfectibilis.

DICES 11. Nulla eſt neceſſitas conſtituendi has formas, ergò. Nam non conſtituitur corpus per eas formaliter organicum, cujus anima eſt actus. R. neceſſariæ ſunt formæ partiales duplici de cauſa. prima eſt, ut diſponant proximè materiam ad formam totalem & ultimam; Altera, ut ad operationes animæ inſerviant ſaltem mediatè, quia potentiæ animæ ſine iis nec eſſe nec operari poſſunt, quod ab effectu colligimus, licet non ſint neceſſariæ ut immediatè ad operationes vitales conducant. Dico itaque, requiri formas partiales, & ut per eas corpus fiat organicum contrà eos qui hoc per animam fieri docent, & ut materialiter illud diſponatur & conſtituatur. *Formarū part. quæ neceſſitas.*

Quæres quomodo caro ſit animata R. ratione materiæ quam eandem animat anima, dici poſſe animatam, ſicut dicitur anima equi extenſa ratione materiæ extenſæ per quantitatem; non eſt autem neceſsè, ut forma carnis ab anima informetur, indeque animata dicatur; Caro enim ut ſic, non eſt ſubjectum animæ ſed ejus diſpoſitio, ideoque non eſt animata; ergò anima non recipitur in carne, ſed in ejus materia, quæ tamen tanquam diſpoſitio requirit formam partialem carnis. Plura ſunt argumenta quæ objici ſolent & poſſunt, ut primò, Anima eſt actus corporis organici, ergò anima conſtituit formaliter partes organicas in eſſe organi, ergo eaſdem diſtinguit & diverſas facit, ergò non eſt opus alia forma per quam id præſtetur. 2. Quid quod adeſt & abeſt ſine corruptione ſubjecti, eſt accidens; ſed anima adeſt & abeſt ſine ſubjecti corruptione, ergò eſt accidens. 3. anima rationalis conſtituit hominem, animal, vivens, ergò etiam dabit gradum miſti, ergò ſupplet reliquas formas omnes &c. Sed ex dictis facilè patet, quid ad hæc reſponderi poſſit. *Caro quomodo animata.*

DIFFICULTAS IV.

Quæ ſit cauſa efficiens fœtus ſive corporis organici.

Materia ſeminalis prolifica cum primùm in matricē infunditur, ita ex ea ſolet effor-

mari& delineari fætus ſive corpus organicum ſicut ex calce&lapidibus dom⁹ conſtruitur, vel ex annoſa quercu Mercurius ſculpitur; Jam de hujus principio efficiente tam principali quam minus principali difficultas eſt, an ſit mas vel fæmina, vel uterque: Sed

Vis generativa diverſa à formativa

Adverte primò, aliud eſſe virtutem generativam & aliud formativam, quia prior inducit formam ultimatam in materiam, altera verò congruè ſolum delineat, parteſque in ſitu, connexione, cavitate, & ordine ad cujuſque uſum & dignitatem componit.

Animalia quadam quare imperfecta dicantur.

Adverte ſecundò, Non ſemper fætum ejuſdem eſſe rationis, nec etiam eodem modo produci; nam imprimis alius eſt hominis & animalium perfectorum quæ producuntur intrà matricem, alius eſt oviparorum, inſectorum, quæque ex putri naſcuntur, ut videre eſt apud Ariſtotelem 1. de gener. animal. c. 1. & hæ extrà uterum progignantur; Adhæc alius eget multo & vario organorum apparatu antequam acquirat formam & nomen veri animantis, ut patet in homine & animalibus perſectis, quæ antequam conſtituantur animantia, variè delineari & efformari ſolent, ideoque etiam prius accipiunt nomen fætus& Embryonis, quàm in hominem & animal perfectum abeant; Quædam denique non multâ egent organorum diſtinctione, ut plantæ, inſecta, quæque ex patri nata ideò imperfecta dicuntur, quia imperfectam habent organorum ſtructuram, adeoque imperfectas eliciunt operationes, ſecus atque animantia perfecta, quæque ex optima corporis delincatione optimè quoque operantur.

Naturalia quadam quare Imperfecta dicantur.

Cæterùm Non exigua ſemper hac in re mota fuit controverſia inter Medicos & Philoſophos tum veteres tum modernos, quodnam illud ſit, à quo tam ſapienter tamque ſolerter exſtruatur corpus organicum: Extiterunt non pauci, qui tam ſtupendum opus admirati in eam iverunt ſententiam, ut docerent hanc virtutem non eſſe ipſum generans vel ipſius generantis, ſed eſſe opus principii longè nobilioris, quam etiam Arabes apud Averrh. 7. Metaph. comment. 31. vocarunt divinam: Et Galenus lib. de formatione fœtus nondum ſibi ait conſtare, an mundi anima per ſeipſam corpora viventium architectetur, & ideò à ſe in re tam ancipiti nihil poſſe ſtatui, quamvis putet hujuſmodi virtutem, quæcunque ea ſit, eſſe ſummam ſapientiam. Sennertus lib. 1. ſuarum Inſt. cap. 10. ait, in hac difficultate tam Veteres quàm Modernos Philoſophos, imò & Galenum ipſum quaſi deſperaſſe; ipſe autem poſtquam multorum ſententias, & inter alias opinionem Fernelii lib. 1. de abditis rerum cauſis rejeciſſet, ſuam ut veram & doctoralem proponit, ſtatuitque totum opus formationis eſſe animæ, quæ in ſemine præſens ſit, adſcribendum; Et idem multis hypomn. 4. cap. 6. tum aliis in locis repetit, hanc ſcilicet formationem fieri à forma vel anima quæ exiſtat in ſemine. Et hoc idem docet Caſp. Hoffmannus lib. de formatione hominis, & alii. Hoc tamen errore & magno & in fide periculoſo, ut alibi probabitur, omiſſo.

Vtriuſque ſexus ſemẽ concurrit ad efformanda organa paſſivè.

DICO primò, utrumque ſemen & maris & fæminæ concurrit paſſivè in fætum. Ita docent cùm Hipp. Galenus, Andr. Laur. Peramatus. Garzias, aliique cum Philoſophi tum Medici & Connimb. 1. generat. cap. 4. quæſt. 28. art. 1. De ſemine fæmineo non eſt difficultas, quia non habet eum calorem eoſque ſpiritus quos habet virile, ergò quantò minus viribus ad efformandum Embryonem concurrit, tantò plus materiæ, quæ paſſivè ſe habet, ſubminiſtrat. De ſemine virili ſumunt Philoſophi rationem ex definitione generationis viventium, nempè filium oriri à patre ut à principio conjuncto; Conſtat autem ut ait Hurt. diſp. 1. de gener. ſubſtant. ſect. 2. & rurſum diſp. 2. de cauſis & ordine gener. ſect. 6. §. 90. principium conjunctum non ſumi pro loci propinquitate inter effectum & cauſam, ſed quia Pater per ſemen eſt principium conjunctum filii & quia aliquid Patris reperitur in filio, ideoq; filius eſt perſona conjuncta patri; ſed ſi ſemen virile non concurrit paſſivè, filius non oritur à patre ut à principio conjuncto ſed extraneo, ergò. Probatur minor. Quia ſi ſemen non manet in filio, nihil patris in illo remanebit, quia pater per ſolum ſemen concurrit; nec ſufficit ſemen eſſe deciduum à patre, quia tam ſemen quàm pater remanerent adæquatè extrà filium, ergò filius eſſet extraneus, id quod confirmatur, quia ſemen in contraria ſententia tantum faceret ut pater ageret per illud; ſed agere per virtutem à ſe emiſſam non facit effectum cum agente conjungi, ergò. Probatur minor; quia agere immediatè per ipſam ſubſtantiam conjunctius eſt, quàm agere per aliquid à ſe diſtinctum; ſed agere per ſubſtantiam propriam non facit effectum conjunctum agenti, nec ejus filium ut patet in Deo, dum creat Angelos aut animam rationalem, ergò ad producendum filium requiritur, ut aliquid agentis in illo maneat, ergò requiritur plus quàm agere. Hæc Hurtadus.

Etiam activè.

DICO ſecundò, Ad efformanda organa concurrit utrumque maris & fæminæ ſemen activè. Eſt ſententia communis Medicorum; Probatur, ex materia ſeminis, quæ eſt partim ſanguinea partim ſpirituoſa, efformantur organa; ſed materia ſpirituoſa habet vim activam in illum effectum ad quem ex natura ſua dirigitur. Probatur minor, quia ſpiritus ignei ſunt, quod manifeſtum ſignum eſt, eſſe activos, diriguntur que ad organa non ut materia, quia propter nimium raritatem non poſſunt coagulari, ergò ut efficiens; imò & uterus multùm agit in organa cùm fovendo tum præſtando influxum in partes delicatiores. Nam ex ſententia Hurtadi non tantum formæ partiales, ſed & unio in generatione humanâ producuntur à forma materna unà cum virtute ſementivâ utriuſque ſexus; Ratio eſt, quia etiam filii ſunt ſimiles matri, gignitque biliosa biliosum &c.

DICO tertiò ad formationem actualem corporis organici concurrit etiam mater activè immediatè. Ratio eſt, quia ad generationem filii concurrit ſola mater activè immediatè, ergò etiam ad formationem organorum: niſi tamen quis velit dicere, ſufficere ſubſtantiam ſementivam & virtutem formantem, cum hanc utramque non ſuperet ille effectus. Probatur antecedens. Nam ſi res imperfectio res non poſſunt eſſe cauſa adæquata immediata rerum nobiliorum, ſed ad earum concurſum requiritur cauſa immediata æque nobilis cui reſpondeant omnes formalitates effectus, ſequitur ad producendum fœtum, opus eſſe concurſu alicujus agentis principalis, quod æquè ſit nobile, eumque effectum immediatè producat, cujusmodi non poteſt eſſe virtus ſive formatrix ſeminis ſive generatrix, ſed anima matris, quæ immediatè eſt præſens, & ſemen in utero, contingit. Si de cauſa principali formationis quæras, Reſpondeo &:

Materia ſementiva ſufficit producere organa cum virtute formativa

DICO quartò, Cauſa efficiens principalis fœtus & organorum eſt generans, minus principalis virtus generatrix ſeu formatrix, quam ceu vicariam ſemini impreſſit generans; Et iis omnibus inſervit calor ſive vitalis ſive ſolaris & Elementaris. Probatur concluſio hunc in modum: Embryo ejusque organa vel producuntur à Deo, vel ab intelligentia Avicennæ, vel ab anima mundi, vel ab anima exiſtente in ſemine, vel à proprio generante, quod unum adhuc ſupereſt; ſed non producuntur à Deo tanquam à cauſa prima, qui hæc non ſolet opera naturæ facere ſine cauſis ſecundis, niſi tamen hæ omninò abſint & ab illa ſuppleri debeant; Nec ab intelligentia Avicennæ, quia nulla ſubſtantia creata & à materia ſeparata poteſt ſua vi aliquam formam in materiam inducere, ut videre eſt apud Phyſicos & Conimb. lib. 1. phyſ. cap. 9. quæſt. 2. art. 2. Ubi cholcadem illam Avicennæ rerum omnium ſublunarium effectricem penitus improbant & expungunt: Nec ab anima mundi, de qua etiam multi Galenum incuſant, quia hæc vana & fictitia demonſtratur ab iisdem Conimb. lib. 2. cæl. cap. 1. quæſt. 1. art. 3. Quod nec ab anima ſeminis, dicetur alibi, ubi probabitur nullum animalium ſemen eſſe animatum. Ergò reſtat ut organa producuntur à generante, cujus proprium eſt ſe ſuamque ſpeciem propriis non alienis viribus conſervare & perpetuare. Et hoc generans aliquando eſt univocum ut pater & mater reſpectu prolis, (nam tota vis eſt ab anima rationali in homine applicata fœtui per uterum,) aliquando æquivocum ut Sol & Aſtra, vel etiam Deus in eorum ſententiâ qui ſcarabæum cælo nobiliorem faciunt, quando videl. non tantum formantur organa, ſed & anima producitur, quia hanc ut diſp. 8. patebit, Deus ex materia putri producit.

Quæ cauſa principalis organorũ in fœtu.

An ſcarabæus cælo nobilior.

DICES primò, Formatio corporis organici non eſt actio ſubſtantialis, quia non eſt generatio, ſed quædam ſolummodo diſpoſitio materialis, quam proximè ſequitur introductio animæ, ergò opus non eſt recurrere ad animam matris, quia poteſt id præſtare virtus formativa & generativa. R. neg. antecedens; ſive enim per generationem filii intelligatur ſola formatio corporis organici absque infuſione animæ, ſive ſimul cum hujus inductione, ſemper eſt actio ſubſtantialis, quia non tantum producitur anima, ſed educuntur etiam è potentia materiæ formæ partiales ſubſtantiales, quæ non poſſunt à ſolo accidente produci, ſed egent ſubſtantia quæ ſit cauſa immediata principalis: Nec refert quod formæ partiales dicantur diſpoſitiones materiales, quia non tantùm accidentia ſed etiam ſubſtantiæ habent ſæpè rationem diſpoſitionum, ut patet in corpore organico, cujus formæ partiales ſubſtantiales ſunt diſpoſitiones, animæ rationalis. Et quamvis anima matris non producat animam filii, dicitur tamen verè generare totum filium, quia producit omnes diſpoſitiones, quæ naturaliter exigunt introductionem animæ rationalis.

Formatio corporis organici non poteſt produci ab accidentiis.

DICES ſecundò, Hinc ſequitur in maribus non eſſe eam vim activam, quod videtur abſurdum, quia nunquam poſſunt eam exercere, quia diſtant ab utero; fruſtrà autem & otioſa eſt potentia quæ non poteſt redigi in actum. R. neg. ſequelam majoris; quia per accidens eſt, quod mas non poſſit operari ut mater, quia videlicet abſens eſt; ſi autem eſſet applicatus fœtui, illum ut mater, imò & celerius & perfectius efficeret. Cum itaque mas & fœmina ſint ejusdem ſpeciei, & omnes ſimiles in ſubſtantia, ideò ex ſe nec petunt corpus maſculinum potius quàm fœmininum, ſed ſunt indifferentes ad utrumque; nec etiam fruſtranea eſt potentia in patre, quia cùm ſit ejusdem ſpeciei cum fœmina, omnes habet quas ipſa, ſolumque intervenit hoc, quod non poſſit immediatè exercere propter abſentiam, faceret autem ſi ita ut mater fœtui applicaretur, quod tamen per virtutem vicariam ſemini impreſſam compenſat, hæc Hurtadus.

Mas per accidens non operatur in filium ut mater.

DICES tertiò. Quando mulus gignitur ex aſina, hæc non poteſt eſſe cauſa principalis, quia mulus eſt perfectior, ergò aliunde quærenda eſt cauſa, ut certè pater equus eſſe debet. R. primò, ad gignendum mulum concurrere & equum & aſinam eò modo quo pater ex dictis, neque argumentum hoc eſt contrà concluſionem. Secundò, dubium eſſe an mulus ſit perfectior aſinâ, quod autem ſit robuſtior & grandior, id oritur ex accidentibus ab equo acceptis, ex cujus ſemine fit. Et ſumitur perfectio eſſentialis ex actionibus nobilioribus, ut pater in Lynce, qui quamvis habeat perſpicatiorem viſum homine, eſt tamen longè ignobilior, quia nulla Lyncis operatio conferri poteſt cum intellectu humano; Deinde mulus eſt impotens generationis, quæ eſt actio omnium nobiliſſima, imò nobilior quàm ſit nutritio & productio novæ unionis inter materiam & formam, ergò hinc ſequitur aſinā eſſe nobiliorem quia habet vim gignendi.

An mulus ſit imperfectior quã aſina.

Perfectio eſſentialis unde accipiatur.

Quod ſi DICAS Ariſtotelem 6. hiſtor. animal. cap. 24. dicere: Mulum in terra Syria ſuper Phœnicem coire & parere, quod idem aliis in locis atteſtatur; Reſpondendum eſt, id nihil convincere, quia non eſt toti ſpeciei commune eſt proprium. Deinde Plinius lib. 8. cap. 44. negat id ſimpliciter juxtà vetus illud Proverbium, ſcilicet cum mulus peperit, id eſt, ad Kalendas Græcas. Quæ autem hactenus de viviparis, id eſt, de homine & animalibus dicta ſunt, ea quoque proportionaliter de oviparis & plantis intellige: Et hinc eſt

DIFFICVLTAS VII.

An ſit idem modus formationis in plantis & oviparis qui in viviparis.

DE his quæritur quomodo formentur & quam proportionem habeant cum formatione viviparorum; Nam certum eſt, etiam in his eſſe ſeriem & ſtructuram organorum.

Ovipara quomodo generitur

DICO primò, In ovis tres ſubſtantiæ reperiuntur, quibus fit perfecta generatio & formatio, nimirùm pars ſeminalis, albumen, & vitellum. In primo conſiſtit ſecundum Ariſtotelem 3. de gener. anim. cap. 2. Virtus generativa, ex ſecundo fit formatio & delineatio organorum, ex tertio nutritio. Contrà verò Hipp. lib. de natura pueri docet, materiam formationis eſſe vitellum, & nutritionis albumen. Hæc tamen generatio oviparorum, quæ fit omninò ut in viviparis, cum multo egeat calore, ut ovum extrà uterum ab aëre refrigeretur, incubare oportet matrem & calorem fovere, aut certè ovum ponere in loco calido; De his ad longum vide Guil. Harveum Anglum l. de gen. animalium, Aquap. l. de format. ovi & pulli, Aemilium Pariſanum, Aldrovandum & alios.

Plantarũ generatio.

DICO ſecundo, Quem modum ſervat natura in formatione animalium, eundem etiam prorſus habet in procreatione ſtirpium & plantarum, Nam inprimis plantæ ſemen in terram veluti uterum ſuum projicitur, animalis autem utero fœmineo tanquam fœcundâ terrâ ſuſcipitur. Secundò, ſemen plantæ calido in humidum agente inflatur & tumeſcit in terra; animalis autem eandem ob cauſam turgeſcit & inflatur in utero. Tertiò, Plantæ ſemen trahit humorem è terra, maris ex utero & proximis partibus fœminæ. Quartò, Planta tam ex proprio ſemine quam ex accedente terræ humore naſcitur, animal quoque cùm ex ſemine tum ex humore matris. Quintò, Poſtquam plantæ ſemen fuit inflatum, erumpit planta, & idem in animalis ſemine cernitur. Sextò, in planta primum formantur frondes, aut quicquid iis eſt ſimile, deinde inter frondes exurgit planta, in animali primum præparantur panniculi, & inter illos omnia membra formantur. Septimò, in planta poſt illa folia fiunt radices, quibus alligata terræ alimentum trahit; in animali poſt panniculos umbilici vaſa formantur, quibus utero alligatur fœtus, indeque accipit alimentum; primis enim diebus nec animal nec planta opus habet adventitio alimento, ſed utrique ſeminis humidum ſufficit; ſequentibus autem temporibus cùm partes creſcunt, aliundè copioſius alimentum attrahendum eſt: Hic tamen adverte, non eſſe eandem rationem in formatione partium animalis & plantæ, ut Dandino & aliis placet: Nam quicquid ſit de partibus, an videlicet una priuſquam altera formetur, vel an omnes ſimul, ut infrà videbitur, in planta diſpar omninò eſt ratio, quia in animali tantus eſt ſingulorum membrorum conſenſus & correſponſio, ut unum ſolum non poſſit exiſtere, quin etiam adſint reliqua præſertim principaliora & quæ ad vitam ſimpliciter neceſſaria ſunt; hoc autem in planta falsû eſt, quia poſſunt eſſe radices, tametſi nullus exiſtat truncus, & ſic de reliquis. Verum tamen eſt, aliquomodo inter ſe utriusque viventis partes in generatione convenire, quia octavò in animali cor, Epar & cerebrum, quæ maximæ ſunt dignitatis, primò adumbrantur; in planta radix, nodus, & germen ceteris exterioribus ſuffulciuntur, quæ proindè ultimò cum noviſsimo cortice producuntur, ſicut in animali artus exteriores ut manus, pedes &c. Denique in animali ad formandum fœtum ſubjicitur virtus & ſemen utriusque parentis; in plantis, ubi non eſt hæc ſexuum diſtinctio, quidpiam eſt proportione correſpondens tanquam agens in materia; ſeminis enim pars ſuperior ſeu cuſpis vim habet agendi, ut ait Ariſtoteles loco citato non de ſeminibus plantarum tantum, ſed inſuper etiam de ovis, reliquum verò corpus velut ſubjectam materiam.

DIFFICVLTAS IIX.

An virtus ſeminalis poſt membrorum delineationem in fœtu remaneat.

QVæritur hic, An virtus à generante ſemini impreſſa, poſtquam omnia in fœtu membra efformavit, non tantum in eodem fœtu, ſed etiam accedente animâ rationali in homine, vel ſenſitivâ in leone remaneat. Quicquid alii reſpondeant.

DICO 1. In homine & animalibus perfectis poſt completam formationem datur potentia, quæ membra, ſi forte diſuniantur, particulari generatione reuniat & affingat; & hæc eſt ejuſdem ſpeciei cum illa quæ eſt in generante, non autem cum illa quæ fuit in ſemine, & quæ corpus organicum formavit. Probatur prima pars: Quia

Virtus reunien. ſoluta non eſt ejusd. ſpeciei cũ formatri-ce.

Quia teſtatur experientia non dari ullam oſſium fracturam aut potius alicujus ſolutionem, quæ, niſi aliunde quid obſtet, per hanc virtutem non reparetur. Probatur ſecunda pars; Actio per quam membra diſunita tam in filio quàm in parente reuoiuntur, eſt vitalis, virtus ipſa reuoiens eſt principii, vitalis, & oritur à forma tanquam ejus proprietas, ergò in utroque filio ſcilicet & parente & ejusdem ſpeciei, ſecus autem illa, quæ fuit in ſemine & membra delineavit, quia hæc non eſt vitalis, nec oritur ab anima ſed eſt ſeminis; unde etiam manifeſtum eſt, has facultates eſſe diſtinctas & longè inter ſe diſſitas; eſt autem prædicta virtus, quæ ſcilicet generanti & genito inhæret, eadem re eum nutriente ut dicetur Diſp. de potentia vegetativa in genere, quia una & eadem virtus ſufficit ad præſtandam generationem totalem, & ad continuandam partialem beneficio & miniſterio nutritionis, tum ad partes quæ de novo accedunt, aptâ compoſitione ſituque adglutinandas, cùm ejusdē ſit facere & reficere, ut ajunt Connimb. nuper citati.

DICES, Si datur in animali virtus quæ ſoluta reuniat, ergò partes ſolidæ diſſectæ ſemper regenerabuntur, quod eſt contra Hipp. 6. Aphor, 19. contra omnes item Medicos & ipſam experientiam: Nam os v.g. confractum nunquam coaleſcet generatione novæ partis, ſed extrema partium labra callo tantum uniuntur. Reſp. primò, hujusmodi coalitionem non eſſe propriè regenerationem, quia partes per humidum intermedium tantum ita uniuntur, ut extremitates fractæ ſe non immediate contingant. Secundò, ſæpè fieri ut partes reſectæ in integrum medio humido reſtituantur v.g. in parvulis, & quorum partes ſolidæ adhuc molles ſunt. Tertiò, Rem dubiam & incertam eſſe, quare oſſa v.g. confracta non reuniantur integrè; Nonnulli cauſam ponunt in defectu materiæ ſeminalis, ex qua partes illæ productæ fuerant; ſed contrà eſt, quia etiam virtus nutritiva poteſt ex ſanguine benè decocto oſſa nutrire, ergò etiam poterit ex eâdem materia ſanguine ſcilicet oſſa confracta reſtituere; imò de facto aliquando in adultis reparantur membra ſolida, ſæpius autem in infantibus propter humiditatem, quæ in partibus undique prædominium habet. Optima hæc videtur cauſa eſſe quam habet Galenus lib. de ſemine cap. 17. & quam etiam ſeqvuntur Connimb, quia ſcilicet virtus illa in homine jam genito non eſt amplius tam vehemens ad partes ſolidiores reficiendas ſi confringantur, cùm id plus operæ requirat quàm illa quæ prius extitit in ſemine, ad illas de integro coo formandas, ut proinde non mirum, ſi jam non poſſit ſaltem redintegrare, quod prius etiam generare & de novo producere poteſtat.

Quare oſſa confracta non reuniantur integrè.

DICO 2. Virtus ſementiva poſt formatum corporis perit vel ceſſat in ſubjecto. Ratio eſt, quia eſſet fruſtranea nulliusque uſus in corpore, in quo organa tantum ſunt reparanda ſi damnum patiantur, non de novo producenda. ergò probabiliſſimum eſt perire inſtar fulminis fulminantis vel qualitatis ſonantis, id eſt, evaneſcere quemadmodum calor in aqua calida reducente ſe ad priſtinum frigus perire & ceſſare ſolet. Antecedens patet; quia nullibi reperitur in rebus naturalibus virtus vel potentia, quæ non poſſit aliquando remotis obſtaculis in actum aliquem reduci, ergò nec virtus formatrix in corpore jam ſufficienter delineato concedenda eſt, quia nullius actionis productiva eſt, ſed nec poteſt ſemotis omnib⁹ etiam obſtaculis, quia corpus jam perfectum eſt, nullâque indiget ulteriori perfectione, atque ita ceſſat omnis ejus actio & finis agendi.

Virtus formatrix poſt corpus formatum ceſſat vel perit.

DIFFICULTAS IX.

Quo tempore poſt unita inter ſe ſemina incipiat formatio.

ALii citius, alii tardius formationem hanc incipiunt. Nam qui ſemini animam tribuunt ut Sennertus, Hoffmannus & alii, primo ſtatim momento quo materiæ ſementivæ conjungitur, membra fœtus delineari docent; Et hoc videntur omnes quoque dicere, qui ſemini & vitam & animam ineſſe negant, ut ſunt omnes ferè orthodoxi Philoſophi & Medici. Thomas autem Fienus Medicus & Profeſſor Lovanienſis tractatu de formatione fætus. quæſt. 8. concl. 11. putat, die tertio poſt ſeminalem commixtionem incipere formationem fætus in utero, hâc perſuaſus ratione, quòd membranæ quibus fætus involvitur, ad ſummum die quinto vel ſexto, teſte Experientiâ, conformentur, hæc autem conformationis actio vel biduum, vel triduum duret, ex quo reliqvum ſit, ut conformatio incipiat circà diem tertium. Diſſentit autem Fienus à Sennerto & aliis in his duobus; primò quod anima rationalis non ſit in ſemine primo inſtanti quo in uterum effunditur, ſed quod tertio primum die ſuperveniat; Secundò, quod non per traducem propagetur, ſed à Deo infundatur.

Suppono primò, Aliam eſſe quæſtionem quando incipiat Embryo formari, & aliam quando incipiat animari. Secundò, Animam rationalem non derivari per traducem, ſed creari à Deo, & infundi in corpus jam ultimò formatum. Tertiò, Formationem hanc non eſſe actionem vitalem, nec pendere à principio vitali, niſi quatenus virtus illa profluit à generante & imprimitur ſemini. Jam

DICO primò, Formatio fætus ſive Embryonis non incipit die tertio, ut Fienus docet; Probatur, virtus formatrix cæteræque diſpoſitiones ad declinandum & formandum Embryonem non adveniunt ſemini primùm die tertio, ergò nec eo primùm inci-

incipit formatio; Antecedens patet, quia anima ſive ſtatuatur cauſa efficiens formationis juxtà Sennertum, Caſpar. Hoffmannum & alios, ſive virtus formatrix à generante ſemini data, non tantùm die tertio ſed & primo ſtatim ineſt ſemini, ergò nulla eſt ratio, quare præſentibus diſpoſitionibus ad formandum corpus organicum requiſitis hæc actio formativa incipiat die tertio, & non primo, ſecundo, quarto, aut unquam. Nam vis formatrix purè naturalis eſt, agitque in ſubjectum dum ei convenienter applicatur, videl. primo ſtatim momento, quo ſemen fæcundum exiſtit in utero naturaliter ſeſe habente. Formatio trium membranarum, quibus fœtus involuitur, & quam ad diem ſextū determinat Fienus, nihil convincit, quia ſive tales die quinto, ſexto, ſive ſeptimo & octavo perficiantur, ridiculum eſt, harum inceptionē à die tertio auſpicari, adeoque naturam ſine culpa primis diebus otioſam credere.

DICO ſecundo, Formatio Embryonis ſeu fœtus primo mox incipit momento, quo ſemina fæcunda in uterum effuſa perfectè commiſcentur, niſi tamen aliunde quid impediat. Hæc opinio, ut dixi, eſt etiam eorum qui vitam actualem & præſentiam animæ tribount. Probatur autem primò: quia nulla eſt ratio, quare vis formatrix non incipiat formare materiam ſementivam, & ex eâ organorum apparatum conſtruere tum, quandò præſens eſt ſemini & adſunt reliquæ diſpoſitiones, neca liunde impedimentum aliquod accedit, id eſt, ipſo die primo & à tempore primæ ſeminum miſturæ. Secundò, vis formatrix ſimpliciter determinatur ad actionem ſuam, quæ eſt membrorum delineatio, neque ab ullo agente naturali ad certum tempus conſtringitur, ergò tum ordiitur ſuam actionem, cum ipſa ad hanc exercendam in ſubjecto capaci præſens eſt, id eſt, immediatè poſt unionem ut commiſtionem utriusque ſeminis. Dixi tamen, niſi aliundè fiat impedimentum, quia fieri poteſt, ut ſive ab externo ſive ab interno hæc actio vel omninò impediatur, vel nonnihil retardetur, adeoq; à variis intervenietib' infringatur. Neq; tamē illud primùm tēporis ita accipiendū eſt, quaſi natura immediatè poſt cōmiſtionē ſeminū pleno opere in delineandū Embryonem feratur, quia ſufficit eam à fæcunda ſeminatione in id opus intendere, ad quod ipſa ex ſe dirigitur. præſertim cùm nunquam ſit otioſa aut deficiat in neceſſariis.

DIFFICULTAS X.

Quo die vel quo tempore abſolvatur corpus organicum.

ADverte, Fœtum alium eſſe marem aliom fœminam, & in ſemine non ſemper aut ubique ſimiles eſſe diſpoſitiones ad futuram generationem, id eſt, eandem ſpirituum copiam, caloris valorem, robur virtutis formatricis, conſtitutionem uteri &c. Eſt autem ſenſus quæſtionis, quantum temporis intercedat ab inſtanti conceptionis usque ad infuſionem animæ in homine, quo ſpatio cenſetur perfectum & abſolutum corpus organicum; de perfectione ad motum & partum hic quæſtio non eſt.

DICO primò, non poteſt abſolutè per intellectum humanum cognoſci, quo die, quâ horâ vel quo tempore perficiatur corpus organicum, ut introducatur anima rationalis in homine, ſenſitiva verò in leone, quicquid etiam Hipp. Galenus, & Medicorum plurimi delirent. Probatur primò, non poteſt perfectè ab intellectu humano cognoſci perfectio ipſius corporis organici, quæ requiritur ad inductionem animæ ſive rationalis ſive ſenſitivæ, nec latitudo vel proportio inter agens & paſſum, id eſt, inter virtutem formatricem & materiam ſementivam, ergò non poteſt conſtare quo tempore perfici poſſit corpus organicū, Antecedens verum eſt, quia non poſſumus penetrare & percipere ea quæ in rebus naturalibus occultiora ſunt, noſtrumque ſenſum fugiunt, cujusmodi ſunt diſpoſitiones agentium & paſſivorum. Probatur ſecundò, magna eſt diverſitas ſeminis, caloris ejus, uteri materni, & virtutis formatricis, juxtà quorum conſtitutionem jam tardius, jam citius, jam debilius & ſegnius, jam fortius & promptius, non tantùm in una ſed etiam in aliena ſpecie formatur Embryo, ergò tempus per intellectum humanum ſciri non poteſt.

DICO ſecundò, Probabile tamen eſt, quod mas citius & fæmina tardius formetur, ex Ariſtotele 7. de hiſt. animal. cap. 3. Probatur; In ſemine maſculo virtus eſt validior, calorque vegetior, ergò probabile eſt hunc citius formari. Et confirmatur hoc à ſimili: Nam quantò in agendo expeditior eſt ſtatuarius & in arte perfectior, omnia etiam ejus inſtrumenta ad artem exercendam magis accommodata & habilia, tantò facilius, ſed & citius format ſtatuam, id quod in reliquis artibus pariter obſervamus. Ergò probabile imò veriſimillimum eſt marem citius formari & fæminam tardius. Ut autem conſtet, quid univerſaliter Medici circa conformationem corporis organici doceant.

Quanto tempore formatur fœtus.

DICO tertio, In maſculo fit partium conformatio diebus triginta, & in fœmina quadraginta circiter, numerando à prima uteri conceptione ſeminumque commiſtione. Hæc doctrina communis eſt apud Medicos, deſumpta primùm ab Hipp. tum à Galeno, eorumque poſteris. Nam Hipp. lib. de natura pueri, mas. inquit, habet primam concretionem diebus triginta, fæmina verò quadraginta duobus quam longiſſimè; Et hinc non malè dico, circiter, quia non conſiſtit terminus conformationis in indiviſibili, id quod ex ipſo Ga-

Galeno manifeſtè appatet, qui de formatione factus ; ideò Medicum illum reprehendit, quod poſtquam ſemel vidiſſet abortum 32. dierum ſpatio perfectè delineatum, ſubitò in omnibus & ſemper ita eſſe affirmaret. Non, inquit Galenus, oportet ſtatim in univerſum pronunciare de re quam ſemel aut bis videtis, Non enim, addit, unus eſt præfinitus termi- nus expreſſæ formationis, quemadmodum nec motionis neque abſolutionis, neq; egreſ- ſus ex utero; Ubi tamen adverte, diſtingue- re Galenum tempus expreſſæ formationis ab eo quod eſt motionis, abſolurionis & egreſſus; Et meritò quidem, quia non eſt idem terminus à conceptione ad abſolutam usque membro- rum & corporis organici abſolutionem, qui eſt ad motum & egreſſum: Sed & formationis ſunt quatuor diſtincta tempora apud Hipp. ut refert Galenus primò de ſemine. Nam primo tempore vult Hipp. nihil videri quam ſemina commixta jamque coagulata & cruſtulâ quâ- dam obducta; Secundò, ait, rudem quandam partium adumbrarionem & molem quaſi car- neam conſpici; Tertiò, trium principiorum, ut cordis, Epatis, & cerebri prima rudimenra & ſtamina cerni; quarto, demum perfectam & abſolutam partium omnium diſcretionem vi- deri & conformarionem. Cæterùm rationes temporis nullæ ſunt firmæ, omnes tantum probabiles etiam illæ quæ ſumuntur ab expe- rientia, ut videre eſt apud Andr. Laur. de par- tium conformatione cap. 12. apud Plembium lib. 2. de fundamentis medicis cap. 5. apud Sennertum lib. 1. de formatione fœtus, & a- pud Caſparum Hoffmannum lib. 2. de gene- ratione hominis cap. 32. ubi lectori Mercuri- alem de generatione hominis 18. Peramatum de procreatione hominis 5. Coſtæum de hu- mano conceptu, Augerii libros duos de hum. partu, Bonamicum 5. alim. 4. & ſequentibus commendat.

DIFFICULTAS XI.

Quo ordine efformentur membra, an unum citius altero.

NOTA primò, non tantum hic quæri, An omnes partes ſimul incipiunt formari, ſed etiam, an dum ſimul formari incipiunt, et- iam ſimul abſolvantur. Secundò, Præter partes quæ fætui totâ vitâ ſunt propriæ, eſſe nonnullus, quæ ſunt cum fætu quamdiu eſt in utero, & hujusmodi ſunt tres illæ membranæ quæ fætum involvunt, & in utero ab omni in- juriâ defendunt, à medicis autem Amnion, Chorion, & Alantoides appellantur. Chori- on quæ & ſecundina dicitur, hos habet uſus, ut arteriis & venis, quas plurimas hinc inde ſparſas & in ſe diſſeminatas habet, utero alli- getur fætus, nec aliquo duriori contactu of- fendatur, præſertim cum eum totum invol- vat. Alantoides figurâ ſimilis eſt farcimini & involvit ab umbilico tantum partes inferi- ores; uſus ejus eſt, ut urinam fætus umbilico effuſam excipiat, unde multis conſtat rugis & anfractibus quibus urina continetur, ne per mordacitatem aut fætum lædat, aut ſecundi- nam corrodat. Amnion proximè fætum continet molli ſuavique contactu; Rarior eſt, ut ſudores è toto exeuntes ſecernat, & ut tueatur fætum à contactu duriori ſecun- dinæ.

Uſus trium membranarum fætus.

Cæterum inveſtigationem quæſtionis ob- ſcuram eſſe fatentur omnes, & plerique fermè cum Galeno medici, qui ſoli Deo & naturæ id cognitum eſſe docent: Hiſce conſentit quo- que regius Pſalmiſta David, cum ait, confite- bor tibi Domine quia mirabiliter ſum forma- tus, informem maſſam meam viderunt oculi tui. Sunt autem variæ Authorum hâc in re ſententiæ; Galenus lib. de partium confor- matione diſſentientia loqui videtur, quia nunc cor & Epar ſimul vult formari, ut lib. 1. de ſemine cap. 7. nunc Epar prius effingi, nunc venam umbilicalem nunc partes omnes ſucceſſivè, non autem ſimul organiſari con- tendit; hoc illuſtrat Exemplo domus, quæ non ædificatur ſimul, ſed fundamentum pri- us, mox parietes tandemque tectum; & ita cum fætu eſſe putat; Expreſsè tamen lib. de formatione fætus cap. 3. primam delineatio- nem Epati aſſcribit, ut & Hipp. lib. de natura pueri, quâ in ſententiâ ſequuntur nonnulli Medici ut Donatus cap. 2. de utero gerentibus & alii. Probant, quia ea pars primò forma- tur quâ maximè indigemus; ſed talis eſt Epar, quod veluti horteum præbet alimentum, quia ſugit animal ſanguinem ab Epare quo alitur. Contrà eſt ut Epar gignat ſanguinem, debet prius chylum attrahere à ſtomacho: Si non gignit, ſed à matre attractum nonnihil alterat, tunc debet ſanguinem attrahere per vaſa um- bilicalia, proinde hæc & ſtomachus erunt priora, vel certè concedendum erit, Epare tunc opus non eſſe ſicut nec quâvis aliâ parte. Alii multa de tribus bullis garriunt, eaque pri- us in utero conſpici, & proinde præ cæteris partibus gigni contendunt, id quod etiam Hipp. lib. citato teſtatur, cùm ait, in geni- tura ſex dierum ſe vidiſſe rubrum & rotun- dum quiddam venularum lineamentis variè diſtinctum: Sed hæc nihil etiam roboris ha- bent aut firmitatis, quia eſto hæ bullæ ſemper conſpiciantur primum in ſemine, nihil tamen aliud concluditur, quàm rudimenta trium partium principaliorum ut cordis, Epatis & cerebri ſemper conſpici ſimul, formari ſimul & perfici ſimul, licet nec aliæ minus princi- pales negligantur. Ariſtoteles lib. de Ju- vent. & Senectut. lib. 3. de part. animal. cap. 4. & lib. 2. de generat. animal. cap. primo & quarto docet cor primò formari.

Quæ membra citius aut tardius formentur.

Et hunc ſequuntur multi tam ex Philoſophis quàm ex Medicis, ut Avicennas, D. Thomas, Albertus Magnus, Dinus, Dandinus, Jac. Foroliu: Thomas de Garbo & alii. Rationes ſunt, quod Cor ſit origo caloris, quo corpus foveatur, & quod primò vivat ultimoque moriatur, ſed reſpondetur ad primum, calorem fovere corpus per ſpiritus vitales, qui ſunt ex ſanguine ſubtili; ſanguis autem ex Epate juxtà ſententiam Medicorum. Ad ſecundum R. Dubiũ eſſe an Cor primò vivat & ultimò moriatur, quia teſtatur Joſephus à Caſta lib. 5. Indic. Hiſtor. cap. 22. Juvenem poſt Cor extractum fuiſſe locutum, imò ipſe Galenus ait, victimas extractis extis ſuo tempore ambulaſſe. Dicitur autem primò vivere quia eſt principium vitæ, & ultimò mori, quia eſt fons caloris omniſque actionis vitalis.

Quæ partes primò formentur. DICO primò, Tres membranæ, quæ veluti ſepimentum tegunt & obvallant ſeminis interiorem & nobiliorem partem ex quâ conſtat corpus organicum, omnium primò ab eâdem causâ, à quâ fœtus, efformantur. Hæc ſententia eſt ferè omnium modernorum Medicorum cum Hipp. Galeno & Ariſtotele; cum Hippocrate quidem lib. de naturâ pueri; cum Galeno verò primò de ſemine, & Ariſtotele de generatione animalium. Hinc Authoritati favet ratio, videlicet ut ſemen ejusq; virtus his membranulis tecta & obvallata potentius & perfectius agerent, ſpiritus ipſius non evaneſcerent aut diſſiparentur, tenelluſque & mollis Embryo primis diebus ab uteri duritie non offenderetur. Et accedit ultimò experientia, quâ docent Medici, perpetuò ſemen primis diebus effundi membranulis hiſce incluſum, id quod jam dudum Hipp. quoque atteſtatus fuit.

Omnes partes ſperm. ſimul formantur. DICO 2. Partes omnes ſpermaticæ non tantum incipiunt ſimul formari, ſed & perficiuntur eodem tempore, nec una citius alterâ. Concluſionem hanc docet Fernelius lib. 7. ſuæ Phyſiologiæ cap. 10. Vbi ex medicorum quorundam opinione dicit Epar primò formari; Ex ſuâ autem, partes omnes ſimul. Valeſius Lib. 2. controverſ. cap. 5. Pettus Garſia doct. 3. cap. 1. Hurtadus Philoſophus 2. de cauſis & ordine gener. ſect. 7. Andr. Laur. quæſt. 27. Mercatus lib. 1. de part. claſſe 3. art. 2. & paſſim alii. Probatur primò; Fruſtra formaretur una pars abſque aliis, ergò non eſt probabile unam citius alterâ fieri. Antecedens patet, quia non poſſet cor fovere totum corpus, niſi ſimul ſint partes, cùm nec ſe necalias partes alat abſque ſanguine vel ſpiritibus vitalibus, quod ſine Epate fieri non poteſt, hoc enim ſubminiſtrat ſanguinem per venam cavam toti corpori. Probatur ſecundò. Partes diſſimilares ſe invicem juvant & conſervant v. g. Cor à cerebro refrigeratur, Cerebrum à corde caleſit, & ne ſuffocetur cor calore, temperatur à pulmonibus per aërem vel per arterias iuxtà uterum. Probatur tertiò firmius. Nullæ ſunt operationes organorum vel partium fœtus ante adventum animæ rationalis, ergò non eſt ratio cui una citius quàm altera formetur: Adhæc, calor uniformiter per totam ſeminis maſſam velut inſtrumentalis cauſa formationis diffuſus eſt; Eadem eſt omnium cauſa finalis, nec toto delineationis tempore fætus indiget aut Epatis ſanguificatione, aut cordis influxu, aut cerebri ſenſatione, ſed ſuo ſe calore fovet. Probatur quartò Authoritate Hipp. qui libro de diæta & libro de locis in homine, delineantur, inquit, partes omnes ſimul & augentur, nec aliæ prius aliis, nec poſterius, ſed majores prius apparent minoribus; Et rurſum, mihi inquit principium corporis videtur nullum eſſe, ſed omnia principium ſimul & omnia finis, licet hoc rideât Connimb. 1. de generat. cap. 4. quæſt. 29. art. 1. & 2. ubi Cor & Epar primò formari docent. vide Ariſtot. lib. 2. de generatione animal. cap. 4. & Galenum 14. de uſu partium, tertiò, ubi ait, uno temporis momento multa & admirabilia fieri circà generationem animalis.

DICES primò, in plantis quædam partes prius fiunt, quædam poſterius, & in animalibus quædam fiunt intrà uterum, quædam extra ut dentes, capilli, cornua, ergò idem ordo ſervabitur in utero & in generatione hominis R. neg. conſequentiam, quia vegetativa valdè imperfecta ſunt, nec habent eum conſenſum inter ſe partes eorum, cùm animam habeant penitus materialem & diviſibilem. Quod autem quædam in animalibus extrà uterum gignantur, ut dentes, cornua, capilli, mirum non eſt, quia ſunt res inanimatæ, & quia tantùm ſpectant ad ornatum, fiuntque non ex ſemine ſed ex humoribus excrementitiis. Vide Valeſium controverſiarum, cap. 6.

DICES 2. quem ordinem ſervant artificialia, eundem etiam ſervant naturalia; ſed illa unum prius alterum poſterius conſtruunt, ut patet in domo, ergò & hæc. Reſp. Argumentum & ſimilitudinem hanc planè craſſam & ruſticanam eſſe, nec aliquâ reſponſione dignam quia tam clauda eſt, ut nullo pede inſiſtere poſſit.

DICES 3. quæ facilius & minori cum induſtriâ ſeu labore fiunt, etiam citius fiunt; ſed vena, arteria, nervus, membrana, tunica, ſunt factu longè faciliora quàm cor aut Epar, ergò etiam citius fiunt, ergò falſum eſt, quod partes omnes ſimul fiant. Reſp. neg. minorem; quia ſicut æquè citò calor magnus magnum lignum comburit ac parvus parvum; Ita virtus fortior æquè format ſubſtantiam cordis quàm debilior nervum, tunicam, &c. Secundò reſpondetur, retorquendo argumentum in Adverſarios hoc modo; æquè citò formantur venæ, arteriæ, nervi, tunicæ, membranæ, &c. Sed Cor, Epar, aliæque partes ſive organa heterogenea nihil aliud ſunt, quàm congeſtio & coagmentatio nervorum, arteriarum, venarum, tunicarum, membranarum, &c. Ergò non fiunt citius aut facilius; Nam ut ſequenti Diſputatione videbitur, in univerſum partes corporis organici ſunt vena, arteria, nervus, membrana, tunica, tendo, fibra,

fibra, cartilago, os, & cutis; & ex his conſtruitur totus homo, totum animal ante nutritionem & accretionem. Sed de totâ hâc quæſtione vide Hoffm. lib. 2. de generat. hominis cap. 21. & ſequentibus.

DIFFICULTAS XII.

Quæ ſit cauſa ſimilitudinis inter proles & parentes.

Similitudo inter prolē & parentum trip. TRiplex communiter ſolet eſſe genus hujus ſimilitudinis; unum ſpeciei, alterum ſexus, tertium effigei. Primæ ſimilitudinis cauſa eſt ipſa natura agentis univoci, quod ſuam actionem ita determinat, ut ſpecificum ſuæ naturæ producat. Secundæ cauſa eſt debilitas vel robur virtutis activæ ſeminis, tum aliqua materiæ diſpoſitio & transmutatio ab extrinſeco, ſicut docet Galenus lib. 2. de ſemine cap. 4. & 5. Albertus Magnus libr. 16. de animalibus. tract. 1. cap. 14. & lib. 18. tr. 1. c. 2. & alii. Tertiæ cauſa eſt difficilis & obſcura, quā præter alios ipſe etiam Ariſtoteles lib. 4. de gener. animal. cap. 3. ex profeſſo tractat. Sicut autem ſimilitudo, quæ potiſſimùm conſiſtit in colore, tum membrorum figurâ & delineamentis, & de quâ hic præciſè ſermo, non eſt adeò facilis explicatu; ſic etiam è contrâ diſſimilitudo inter infinitos penè toto terrarum orbe homines unum ex maximis divinæ bonitatis & providentiæ operibus exiſtit; Nam aliàs, ut benè notant Connimb. citati quæſt. 30. nec filius à patre, nec vir ab uxore, nec hoſpes ab hoſpite, nec Amicus ab hoſte internoſci potuiſſet, ex quo ingens rerum humanarum confuſio & perturbatio ſequeretur. Cùm itaque in duobus potiſſimùm, colore ſcilicet & membrorum delineamentis conſiſtat præſens ſimilitudo.

DICO 1. Communis cauſa unde colores naſcuntur, ſunt primæ quatuor qualitates interſe commiſtæ. Eſt hoc Ariſtotelis de coloribus, & Alberti Magni lib. 18. de animal. tr. 1. cap. 4. & lib. 22. tr. 1. cap. 5. tum aliorum communiter Philoſophorum, & patebit alibi de qualitatibus ſecundis in ſpecie, eorumq; cauſis. Nam ex qualitatibus primis oriuntur omnes qualitates ſecundæ, ergò etiam colores.

DICO 2. Principalis cauſa temperamenti quod eſt in filiis, ſunt progenitores, qui in generatione compoſiti omnia tribuunt, quæ ad eſſe & conſervari hujus requiruntur. Probatur; omnes diſpoſitiones quæ ſunt naturales corporibus natorum, ſunt effectus ad cauſam aliquam univocam ſpectantes; Sed hæc cauſa ſunt progenitores, quibus ab Authore naturæ datum ab intrinſeca virtute ſuam ſpeciem in ſingulis individuis conſervare, ergò ad eos principaliter ſpectat temperamentum filiorum.

Adverte tamen, ad hoc non parum licet ſecundariò & minus principaliter conferre influxus ſolis & corporum cæleſtium, quæ plurimùm ingenia, mores & qualitatum compoſitionem immutant & modificant. Itaque

DICO 3. Cauſa principalis proxima & ordinaria quâ filii parentes colorum ſimilitudine ſequuntur, ſunt ipſi parentes, immediata verò & minus principalis nativum temperamentum, in quo jam virtus materna jam paterna ad colorem proprium imprimendum excedit, vel etiam æqualiter influit. Probatur; Nam temperamenti, quod acceperunt filii, principalis cauſa ſunt progenitores ut patet ex dictis, ergò etiam ſunt cauſa principalis colorum, qui ipſi oriuntur à temperamento tanquā à causâ immediatâ & minus principali.

DICES, Sæpè fit ut colores in prolibus deflectant, licet idem à parentibus temperamentum fuerit impreſſum: Et hujus rei variæ extant hiſtoriæ & Exempla, ergò non ſemper verum eſt quòd colores ſequantur temperamentum. Reſp. id ordinariè fieri & niſi aliqua gravis cauſa incidat, ob quam virtus formatrix, quæ non tantùm circà delineamenta membrorum, ſed etiam circà colores occupata eſt, vehementer ad aliam perſonam aliosq; colores inflectatur, cujus cauſa infrà reddetur. *Unde colores in prole deflectant.* Vel certè reſpondetur in ejusmodi caſu communicari proli longè aliam qualitatum primarum complexionem, ob quam poſteà alieni ſequantur colores. Et videtur hoc probabiliter eſſe dicendum, quia alteratio & mutatio eſt circà primas qualitates, non ſecundas, quæ activæ non ſunt, quæque ordinariè & citrà ullam detractionem ſequuntur ſuum temperamentum, id eſt, ſuas primas qualitates, quibus ex ordine naturæ debentur.

DICO 4. Similiter, quòd filii parentes membrorum delineamentis referant, præcipua cauſa ſunt parentes, immediata verò & inſtrumentaria virtus formativa, quæ è parentibus ad hanc illamque figuram imprimendam & exprimendam determinatur: Si autem quandoque etiam fiat, ut hæc virtus nonnihil deflectat, & ad aliorum ut Avorum, Proavorum, cognatorum vel etiam alienorum membra exprimenda divertat, dicendum eſt juxtà plerorumque opinionem, importunè ſeſe hic ingerere & obtrudere potentiæ imaginatrici ſpeciem aliquam & imaginem, quæ longè antè etiam à Proavis aut Avis inſuſta fuerat parentibus, obliteſcere autem enim quæ recens eſt, quæq; propterea nihil in ſobole præſtat, ſicut prior, quæ in generatione pronepotis quaſi reviviſcit & excitatur. Quod ſi nec progenitorum virtus in ſemine uſque ad tertiam aut quartam generationem conſervetur, & proles nec patri nec matri, ſed nec avo aut proavo ſimilis ſit, quod tamen mirum eſt & præter naturam evenir, id habet cauſam vel contumaciam nimiam & inobedientiam materiæ, quæ ad ſolius ſubſtantiæ & ſpeciei, non ad accidentium ſimilitudinem trahi poteſt, vel vehementem fixamque matris imaginationem tempore conceptionis, quæ circa hoc potius quàm illud objectum occupatur, vel certè alias cauſas, de quibus infrà de monſtris.

DIF-

Digitized by Google

DIFFICULTAS XIII.

Quid hac in re præſtet imaginatio.

Multum, qnàm efficaciter aliquando agat imaginatio, ut cùm fœtui quoenm bic agitur, alienam etiam rei cogitatio figuram imptimit. De hâc autem inſignis eſt difficultas, quia non facilis eſt explicatu, quomodo nimirùm fiat, ut apprehenſio vel imaginatio qnæ frequens eſt in mnlieribus gravidis & pericnloſa fœtui, tam varias in hunc notas imptimere & ad quemvis facilè cogitatum internè inflectere poſſit. Nam

Opinio prima quorundam eſt, ab imaginatione poſſe colorem, figutam & ſimiles qualitates per ſe produci; unde hoc modo rem explicant: Mater v. g. dum intentius objectum apprehendit, & ejus imaginem in ſpirititibus, quibus cerebri meatus pleni ſunt, imprimit, hæc mediantibus ſpiritibus tanqnam vehiculis ad uterum delata materiam fœtus decentet imbuit, & vim ſormatricem quæ ſemini inhæret, ita modificat, nt færum eo modo delineet, ſicut per matrem imago in ſemine repræſentata fuit.

Opinio 2. habet, Imaginationem pet ſe ac vi ſuâ nullam producere qualitatem, alterare autem, quatenus ſpiritus & hnmores commovet, ex quorum variâ agitatione & coitione variæ in corpore qualitates poſtea producantnr. Ita D. Thomas lib. 3. contra gentes, cap. 103. & plerique alii ſaniores Philoſophi contra Avicennam. Cum his Itaque

Quid efficiat imaginatio. DICO 1. Nulla vis ineſt imaginationi immediatè aliquid producendi præter actû imaginativum. Eſt hoc contrà Avicennam lib. de anima; Ubi hanc vim imaginationi, tribuit, ut non modò intrà corpus imaginantis ſuos habeat effectus, corpusque proprium immutet, ſed etiam alienum, adeòque pluvias inducat, tempeſtates excitet, ægros ad ſanitatem revocet, jumenta in pateos deturbet. Probatur concluſio à priori, perfectio effectus debet contineri in ſnâ causâ vel fotmaliter vel virtualiter; Sed talis effectus non continetnr in imaginatione, ergo. Quis enim dicat, perfectionem ram mirabiliũ effectuum ineſſe imaginationi? Quis concedat, inquit, Delrio, cùm quis de auro cogitat, ſe imaginatione aurum vel virtualiter vel formaliter comprehendere? Sic enim quisque officinam auri in ſe haberet. Solùm ergò imaginatio repreſentativè continet objectum, quod multò minus eſt, quàm quando cauſa dicitur continere effectum virtualiter vel ſormaliter; Dicitur immediatè propter concluſionem ſequentem. Nam

Imaginationis effectus. DICO 2. Imaginatio præſertim vebemens, & quam vehemens appetitio ſequitur, vim interdum habet producendi & movendi mediatâ qnâdam ſubordinatione ſpirituum & humotum tum facultatis motricis in corpote. Ita docent illi qui ſunt opinionis ſecundæ: Hanc rem autem pulchrè explicant aliqni in hunc modum: Cùm inquiunt, imaginatio rettactat retum objectarum ſenſu perceptarum ſimulacra, excitat potentiam appetirivam ad iram, timorem, & ſimiles affectus, quò mediis ſpiritibus & bumoribus hominem ſic ulterant, & afficiunr, nr calore tubeſcat, frigore palleſcat. &c. Et hæc cauſa etiam eſt, cur ſaliva fluat, cùm videmus alinm dnlce quid vel acidum comedere: Similiter cauſam aſſignant Medici, Cor prægnantes abortiant, ſi cibum deſideratum non obtineant, quia calor & ſpiritus qui ad retinendum in ntero fætum datus, relicto utero ad venticulum apperentem confluit, ut in metu videmus eum recurrere ad Cor, & ita fœtus calore deſtitutus retineri non poteſt, niſi vis retentiva excellens fuerit. Huc etiam ſpectant noctambuli, in quibus operatur vis imaginativa quæ ſervidos ſpititus evocat ad cerebrum appetitumque excitat, qui ita excitatus partes inſtrumentales motns excitat & ad motum impellit transmiſſis ſpiritibus in nervos motorios: poſſunt enim omnibus etiam ſenſibus externis ligatis motorii ſpititus membra deportare ad ſufficientẽ deambulationem, quia à parte poſteriore cerebri in ſpinæ medullâ, à quâ netvi procedunr, meatus laxiores ſunt, quàm ab anteriori, unde oriunrur nervi ſenſuum exteriorum, quo fit ut corpus impulſu ſpititus animalis rapiatur in ſublimè & ſuſpenſo lenique gradu quæque editiſſima penerret. Quod autem inoffensè ita pergant nec labi eos contingat, ideò fit, quia omnia ſine metu aggrediuntur, nec ab externis objectis rerrentur, ſicut in vigilantibus fieri ſolet: Unde etiam Lev. Lem. lib. 2. de occultis naturæ miraculis, quod ad compellationem proprii nominis ſubitò decidant, hanc dat rationem, quia. ſcilicet ſpiritus à quibns elevabantur, ſubitò diſſipantnr. Adeo, quæcunq; imaginatione fiunt, non excedunt vires ſpirituum & humorum tum virtutis motricis in corpore.

Noctambuli quomodo ſe moveant.

Spiritus motorii quomodo operentur.

Quare noctambuli non terreantur.

DICES. Non videri probabile quod imago & conceptus repræſentativus coloris, ubi color intentionale tantum, id eſt, imminutum & imperſectum habet, verum nihilominus colorem poſſit producere, quia videtur ſequi, quod aliàs ſemper imago coloris ab anima expreſſa id præſtare poſſit ant debeat. Reſp. id mirum non eſſe, cùm non ordinariè ſed tantùm aliquando id fiat; Et quando imaginatio vebementer hoc modo corpus commovet, non intelligendum eſt, quaſi imago coloris, quæ in oculo recipitur, immediatè ſimilem colorem producar, quia id fit tanrùm mediatè, quatenus ſcilicer per eum vel per aliam ſpeciem ab illâ fluentem imaginatio colorem illum apprehendit, quam ſubinde, ſi intenta ſit, in materiam fætus ad modum explicatum imprimitur: Et hæc eſt communis opinio quam etiam olim Albertus Magnns lib. 23. de animâ tr. 1. cap. 5. docuit. Quâcunque autem ratione per virtutem ſormatricem, ſpecierum impreſſionem & imaginationem ſimilitudo fiat, ſatis manifeſtum eſt, quomodo vis tota ſeminis in

Quomodo vis formatrix exprimat ſpeciem parẽtis in ſobole.

nis in fætu tam qualitatum contemperationem quàm congruam membrotum delineationem exprimat, & ipſa adjutrix imaginatio mirabiles ideas & ſpecies parentum, avorum &c, potentiæ ſormatrici per ſpiritus ſubminiſtret. Hoc videtur optimè Ariſtoteles 12, probl. ſect. 10, agnoviſſe, dum quærit, cur partus humani inter ſe adeò ſint diſſimiles, quia, inquir, in homine cogitationum varietas ingenii multiplices notas imprimit; Et rurſum 4. de genet. animal. quod ſpecies parentum ad quatuor generationes ſeſe extendant. Quod poſt conceptum fætum ſive tenellus ſit ſive grandiot, variæ ſubinde notæ & maculæ per appreheoſionem imprimantut, id fit per commotionẽ ſanguinis & ſpirituum, quibus mediantibus virtus fotmatrix objecti & fortiter apprehenſæ rei ſpeciem in ſætu exſculpit, per ſanguinem quidem ut alimentum, per ſpiritus verò, ut ſpecierum delatores. Quod tandem eo in loco notas & nævos fieri videamus, quem caſu mater inret aliquam fortè apptehe oſionem attigerit, cauſa eſt, quod vis formatrix, quæ aliàs indifferens eſt & indeterminata ad locum, per imaginationem, quâ ſpiritus celettimè moventur in corpore, certo quodam loco, ut humeris, brachio, fronte, facie, labiis &c. determioetur. De moribus & naturâ, quibus filii pareotes teferunt, conſtat hæc dependere à temperamento, quod in utròqoe parentum infixum eſt; cui addi poteſt nutrimentum intrà & extrà uterum, conſueta vivendi ratio, nutrices, converſario, educatio, ſocietas, aſtta & plura alia quæ animos Juveniles & flexiles in hanc vel illam potius naturam motesque facilè pertrahunt. Vide de his Marcum Marci Medieum Prageuſem, lib. de ſuâ Ideâ operatrice cap. 5.

Unde diſſimilitudo.

DIFFICVLTAS XIV.

An formatio fœminæ ſit error Naturæ.

NE quis nimium incuſet naturam, quòd fœminam in genere animalium produxerit, vel etiam ne quis fœminam penitus è numero entium perfectorum rejiciat, eamque vilius habitam inrer ſterquilinia reponat; Ideò viſum eſt, hic quæſtionem & difficultatem inſtituere, quâ occaſione producatur fœmina, an per errotem naturæ, vel per ſe, & an generatio fœminæ naturæ error dicendus ſit.

NOTA 1. In generatione animalium præter multa alia concurrere natutam particularem & univerſalem: Illa dicitut, quæ non ordinariè adeſt io generatiooe animalis, ut calor minus validus in ſemine, venti auſtrales, aliæq; cauſæ ſpeciales & coocurrentes. Hæc verò eſt, quæ abſtrahit à cauſis particularibus, & in ſe ſumpta ſimpliciret ad generariooem animalis pertinet, ut progenitor ejusque natuta ſpecifica, quæ ſemper in id quod eſt perſectius, incumbit.

NOTA 2. Nonnullos eſſe qui volunt, generationem ſœminæ per ſe intendi à causâ particulari, Alios, qui doceot, generationem fæminæ reſpectu naturæ particularis eſſe quidpiam deficiens & occaſionatum propter virtutis ſeminalis debilitatem, vel propter materiæ indiſpoſitionem, vel propter cauſas aliquas extrioſecas, &c.

Fæmina reſpectu cauſæ alicujus particularis eſt quid Imperfectum.

DICO 1. Si habeatur reſpectus ad naturam particularem, ſœmina eſt aliquid deficiens & occaſionatum, adeoque error naturæ dicendus, ratio eſt, quia virtus activa quæ eſt io ſemine maris, intendit producere ſibi ſimile, id eſt, quid perfectum ſecundum ſexum maſculinum: Quod autem ſæmina generetur, hoc fit propter virtutis activæ debilitatem, vel propter aliquam matetiæ indiſpoſitionem, vel etiam propter aliquam transmutationem ab externo. v.g. à ventis auſtralibus in quibus humidum prædominatur & hæc eſt doctrina D. Thomæ 1. parte. quæd, 92. art. 1. ad 1.

Fæmina reſpectu cauſæ vel naturæ univerſalis eſt quid perfectum.

DICO 2. Si fiat reſpectus ad naturam univerſalem, tunc ſœmina non eſt aliquid occaſionatum, ſed ex intentione naturæ quæ ad generationem ordinatur. Ratio eſt, quia natura univerſalis noo tantum intendit & deſiderat marem, ſed etiam ſæminam, & hoc ad conſervandam ſpeciem; Hæc autem intentio, quæ nimirùm eſt naturæ univerſalis, dependet à Deo, qui eſt univerſalis author naturæ. Ita docet idem qui ſuprà D. Thomas in 2. ſent. diſt. 20. quæſt. 2. art. 1. & lib. 3. contra gentes, c. 94. cum multis aliis quorum conſentiens opinio eſt, fœminam per ſe intendi à naturâ univerſali, noo autem à particulari.

Natura univerſalis intendit tam marẽ quam fœminam.

Fæmina intenditur per ſe à natura univerſali, non à particulari,

DICES. Si fœmina generetur ex ſpiratione veototũ auſtralium & ex imaginatione parentum, quæ in delineandâ prole & effingendo ſexu miram vim obtinet, tunc inteoditur per ſe à causâ particulari, ergò falſum eſt reſpectu naturæ particulari fœminam eſſe aliquid occaſionatum. Reſp. neg. antecedens; nam inprimis ſive venti auſtrales, ſive alii quicunque ſpirent, ſemper generans in quantum ex inclinatione propriæ oaturæ agit, iotendit id quod eſt perfectius, id eſt, marem: Deinde ſi generans imaginatiooe fœminam percipiat, ut eam mediante hâc facultate imaginatrice gignat, etiamſi tunc dicatur produci fœmina ex inſtituto generantis prout agit per electionem, non tamen dicetur per ſe intendi ab illo in quanrum operatur ex inteotione naturæ, quia hæc ſemper intendit generationem maris, quocuoque taodem modo voluntas agentis ſe habeat.

Generatio fœminæ quomodo intendatur.

Et hinc congruenter cum Connimb. 1. de generat. cap. 4. quæſt. 16. art. 4. dicendum eſt, generationem fœminæ non inrendi per ſe à progenitore in ſe ſumpto, intendi tamen ab eo, ſi conſideretur ſimul cum iis, quæ prohibent, quòminus mas generetur, promovent autem ut ſœmina producatur. Cum enim ſexus ſœmineus non ſit imperfectio petegrinæ ſpeciei, ſed aliquid ordinarium eſto minus perfectum, agens autem particulare conetur ſervare

vare

vare ſpeciem, quam tamen non poſſit conſervare absqne fœmina, certè nemo æſtimabit, progenitorem etiam ſecundum ſe conſideratum adeò à fœminæ productione abborrere, quaſi monſtrum ſit; Sed potius eam minus intendi per accidens quam hoc, & dari in intentione agentis ſive generantis per accidens quosdam quaſi gradus. Quando verò Ariſtoteles fœminam vocat marem occaſionatum, illum duntaxat comparat cũ progenitore per ſe ſumpto, quia primi agentis cura, providentia & intentio agentis particularis ſecundum hanc conſiderationem per ſe ſpectant fœminæ productionem.

DIFFICULTAS XV.

An ſit diverſitas ſexus in omnibus viventibus.

Unde differentia maris & fœminæ.

DIffert mas à fœminâ non tantum genitalibus ſed etiam totâ partium complexione, à cujus imperfectione illa ſexuũ diverſitas procedit. Quod autem genitalia intus lateant fœminis, hanc & medici & Phyſici dant rationem, quia, ſcilicet calor in maribus partes intus formatas & delineatas tam fortiter foras protrudit, quod in fœminis propter ejusdem debilitatem fieri non poteſt. Hanc protruſionem aliqui, ut Dandinus rejiciunt, ideò quod Peritonæum & inteſtina rumpi poſſent; ſed dicunt ſufficere formationem debilem & imperfectam; Deinde ſic eſſe formata & diſpoſita genitalia in mare & fœminâ, quantum ad generandam prolem neceſſitas requirat, ut ſcilicet ille agat & hoc patiatur. Sed illa caloris protruſio non ſic accipienda eſt, quaſi per impulſum partes obvias rumpat, quandoquidem fit ſuaviori modo & nemine etiam advertente, quatenus ſcilicet calor attenuat, reſolvit, diducit, adeoque partes reconditas per appetitionem majoris ſpatii conſequenter propellit. Jam itaque quæritur, an & plantæ & omnis generis viventia ſive animalia hanc cõplexionis & organorum habeant diverſitatem, ut diverſum ſexum conſtituant.

In animalibus perfectis eſt Varietas ſexus.

DICO 1. In animalibus perfectis ſanguineque præditis reperitur, imò neceſſarius eſt uterque ſexus. Eſt Ariſtotelis 1. de genet. animal. cap. 1. & 2. ejusdem operis cap. 1. & 4. Ubi habet: marem & fœminam eſſe propter generationem, & 4. ibidem cap. 1. ait, marem & fœminam definiri virtute & imbecillitate; Conſtat autem hæc concluſio non tantum manifeſtâ Experientiâ, quæ docet nunquam fieri generationem in animalibus perfectis vel à ſolâ fœminâ vel à ſolo mare, ſed ſuadet id etiam ratio non poſſe fieri inprimis, quia fœmina ex naturâ ſuâ ordinata eſt ad generationem, eſto mas primò quæratur & procuretur ab eâdem naturâ; Deinde quia ſemen maris eſt invalidum absque ſemine fœminæ; Denique quia mas non habet in ſe receptaculum ullum, quo ſemen reponere ex eoque generare prolem

Mas & fœmina neceſſarius eſt ad generationem.

poſſit, ergò non tantum ipſe ſed & fœmina ad conſervandam ſpeciem neceſſario requiritur.

DICO 2. In animalibus imperfectis, inſectis, exangnibus, quæque ex putri naſcuntur, non datur neque neceſſarius eſt ſemper uterque ſexus. Eſt item Ariſtotelis 1. de gener. animal. cap. 1. Et 2. ejusdem operis cap. 4. Ubi docet, in rubellionibus & anguillis nullum inveniri marem. Ratio obſcura eſt, niſi dicamus generis ignobilitatẽ id non requirere, ut proinde facilè ſolæ fœmellæ quocunque tandem modo fiat, ſuæ ſpeciei conſervationem ut plurimùm conſequantur. Dico, ut plurimùm, quia habet Ariſtoteles lib. 1. de generatione animal. cap. 1. exanguia quædam habere marem & fœminam ut ſobolem ejusdem generis procreent; & paulò poſt, eorum, inquit, quæ locum mutare ſolent, aut natando, aut volando, aut gradiendo, nonnulla toto genere ſuo ſexum utrumque obtinere. Et confirmatur hoc experientia, quæ teſtatur muſcas, apes, aliaque id generis imperfecta coire, exindeque procreare & conſervare ſuam ſpeciem, vide Harueium Anglum lib. de gen. animal. & alior.

DICO 3. Varietas ſexus non reperitur in fruticibus & plantis, multòque minus in mineralibus. Eſt rurſum Ariſtotelis loco citato contrà Cardanum l. 8. de ſubtil. & alios quosdam. Et ratio eſt, quia plantæ cùm ſint immobiles neque congredi poſſint ad gignendum, hoc obtinent à naturâ, ut earum ſemina in terram projecta, facilè ſeſe multiplicent, ut proinde fruſtrà in producendâ ſexus varietate natura laboraſſet: Et eadem eſt ratio eum teſtaceo animalium genere, quæ greſſilia non ſunt, quæque ſaxis adhærentia vivunt, ut habet idem Ariſtoteles loco citato, quia naturâ plantis ſimillimá conſtant. Quod ſi tamen

DICAS, Ariſtotelem lib. de plantis & alibi ſæpius docere, etiam in plantis eſſe utrumque ſexum, cujus ratio eſt, quod in iis reperiamus aliquam virtutum & qualitatum differentiam, ut conſtat de filice & plurimis aliis in quibus & mas & fœmina reperitur. Reſp. imprimis Ariſtotelem nihil aliud velle, ut ex 1. de gener. animal. cap. 1. in fine conſtat, quàm eſſe inter quasdam plantas quandam ſimilitudinem & proportionem ſexus, ideò quòd quædam ſint arbores, quæ fructum ferant, & quædam quæ non ferant fructum, ſed ferentes ad maturitatem adjuvent, v. g. inter ficum & caprificum. Deinde quòd inter quasdam plantas ejusdem etiam ſpeciei aliquam differentiam in virtute & qualitatibus reperimus, ideòque per abuſum & impropriè marem & fœminam appellamus, id mirum non eſt, quia in genere plantarum & imperfectorum animalium infinitæ fermè ſunt ſpecies incompletæ quæ in ſe mutuò transmutantur, & rurſum à ſe vel plus vel minus propter ſoli naturam, materiæ diſpoſitionem aliasque cauſas degenerant, ut videmus in tritico & ſiligine, in thymo & ſiſimbrio, in rapis & raphano, in bombyce & eruca, &c. Itaque filix mas alte-

Quomodo ſit ſexus inter plantas.

Plantarũ transmutatio.

rius

rius eſt ſpeciei ſed incompletæ à filiæ fœminâ, differtque in ſolo radicum vel trunci vel foliorum robore tum in majori virtute agendi propter validiorem qualitatum contemperationem, quod idem de reliquis omnibus vegetabilibus intellige. Mineralia minus ſexum merentur, & ſi quis iis à Cardano aliiſque affingatur, is ſolâ eorum perfectione & imperfectione eludendus eſt, ut videmus in adamante, Saphiro, Rubino, &c. quorum unus altero nobilior eſt & præſtantior.

Mineralia ſexum non habent.

DIFFICVLTAS XVI.

An dentur Hermaphroditi.

Hermaphroditus eſt animal brutum vel rationale, quod habet utriusque ſexus genitalia, proinde controverſia eſt, an reperiantur tam homines quàm bruta, quæ habeant utraq; hæc maris & fœminæ genitalia, & non tam generent ut mares quàm ut fœminæ. Et videtur res valdè obſcura, imò penè improbabilis, ut qui vir eſt, ſimul ſit fœmina & contrà. Nam ideò uterque ſexus inter ſe quoad naturalem contemperationem qualitatum & ipſas partes generationi dicatas diſſident, ut mirum videatur, fœminam ſimul eſſe virum & hunc fœminam.

Species hermaphroditorum 4.

NOTA, Communiter quatuor numerari ſpecies hermaphroditorum. Una, quando homo in ſexu maſculino potens eſt, id eſt, quando membra genitalia quæ vir habet, ad generationem tantum valent, cætera autem quæ fœminæ, tantum extrinſecus apparent. Secunda eſt, quando virtus generativa in membris fœmineis tantum prædominatur. Tertia eſt, quando vivens in utroque ſexu propter depravatam partium diſpoſitionem eſt impotens. Quarta contrà, quando ubique eſt potens de quo tamen meritò dubitatur, ut videre eſt apud Bauhinum libr. 1. de Hermaphroditis cap. 4.

Suppono, Hermaphroditos ſemper habere à primâ corporis formatione utriusque ſexus genitalia, aliquando à partu ſpectabilia, aliquando primis menſibus & annis latentia, ſucceſſivis tamen temporibus prodeuntia, ut fit quando fœmina ſimul tranſit in virum, id quod infrà patebit.

DICO 1. Dantur Hermaphroditi, id eſt, homines & bruta cum utriusque ſexus genitalibus, proindeque cum utroque ſexu. Eſt commune hoc, & patet quotidianâ experientiâ, neque eſt contrà rationem: Nam primò non impedit hoc operatio naturæ, quæ in longè pluribus & difficilioribus ſæpè ludit & aberrat. Secundò, nec impedimentum eſt ex capacitate corporis humani, quod commodiſſimum eſt recipere & ſuſtentare hunc utrumque ſexum & utrasque partes genitales. Tertiò denique nec obſtat diverſa genitalium complexio, quia in eodem ſexu ſunt partes omnes diverſarum complexionum, quæ nihilominus ſe mutuò in agendo non impediunt; Et eſto, impediant ſe in agendo, minimùm id in eſſendo non faciunt, ergò dari poſſunt homines, qui utrasq; partes genitales in ventre inferiori partim abſconditas partim extrinſecus prominentes habeant.

DICO 2. Poteſt fœmina tranſire in virum, ita tamen ut ſimul maneat fœmina, ratio hujus eſt, quia habet ejusmodi fœmina genitalia viri per errorem naturæ formata, & tamdiu intrà corpus abſcondita, donec calor, qui primis annis eſt remiſſior aut hebetior, circà annos pubertatis vegetior factus unà cum ſpiritibus ea protrudat. Hujus Exempla vide apud Authores, & maximè apud Bauhinum citatum.

DICO 3. Sicut autem fœmina in virum tranſire non poteſt ſi prius non habuerit genitalia viri formata & intus latentia, ſic neque vir poteſt ullo modo mutari in fœminam, Ratio utriusque eſt, quia carent partibus quæ ad virum & fœminam requiruntur, & quæ per nullam naturæ potentiam de novo produci poſſunt aut ſuccreſcere. Neque dicas, genitalia fœminæ eſſe virilibus ſimillima, tantum autem inverſa; quia reſponderur, nihilominus hæc virum non conſtituere quia per nullum naturæ conatum licet etiam validiſſimum citrà diſpendium vitæ ſic inflecti poſſunt: Unde ſi in fœminâ per calorem potentiorem virga virilis nonnunquam ipſis annis pubertatis vel juventutis protrudatur, eam prius errore naturæ formatum fuiſſe, intusque latuiſſe putandum eſt; Deinde non poteſt vir ideò in fœminam mutari, quia præterquã quod omnia vaſa & organa ad generationem ſpectantia id non concedant, tranſiret etiam in aliquid imperfectius cum immutatione connaturalis temperamenti, quod abſurdum eſſet.

DICO 4. Poteſt fieri, ut Hermaphroditus aliquando in genitalibus fœmineis prævaleat, aliquando in virilibus, aliquando in utrisque ſit impotens, rarò autem vel nunquam in iisdẽ potens. De primis nemo dubitat, quia poſſunt utraque membra eſſe imperfecta & ad generandam ſobolem eſſe inhabilia: Et poſſunt ſimiliter jam in hoc jam in illo ſexu adeò prævalere, ut ad generationem non minùs quàm in diſtinctis individuis ſint laudabiliter diſpoſita. Ultimum parit difficultatem, quia videtur non impedire hoc diverſa complexio nec earundem perfectio; Quamvis enim viri vaſa ſpermatica habeant diverſam complexionem ab iis quæ ſunt fœminæ, non tamen propterea ſe mutuò impediunt, quin ab unâ & eâdem formâ tam in eſſe quam in conſervari gubernentur, quia conſtat, etiam in eodem ſexu cor eſſe longè alterius temperamenti quàm ſit cerebrum, pulmo, ventriculus &c. Sed nec imperfectio in utrisque partibus quicquam poteſt impedire, quia hæc ad eam conditionem à naturâ elevari poteſt, id eſt, à generante & cauſis in productionem ſimul concurrentibus, ut Hermaphroditus tam fœminam ſuſtinere poſſit quàm virum agere.

Et confirmatur, quia longè majora reperiuntur'in humano genete, quæ beneficio naturæ ad ejusmodi perfectionem eleventur. An lepores utroque ſeau potentes ſint, quia hermaphroditi dicuntur, varii variè loqvuntur; multi negant, multi affirmant; Quærantur venatores, curioſi Philoſophi, & Bauhinus lib. 2. de Hermaphroditis cap. 2.

DIFFICVLTAS XVII.

An dentur Gygantes, Pygmæi, Fauni, Satyri, Syrenes, Nymphæ, Tritones, Hyppocentauri, &c.

OMiſsâ Paracelſi ejusque ſectatorum fabulâ, quâ plures hominum ſpecies ex variis quatuor Elementorum monſtris abſurdè, impiè, contra fidem & plus quàm imperitè comminiſcuntur; Advertè, Omnia naturæ monſtra, de quibus tut volumina tam apud prophanos quàm apud Eccleſiaſticos ſcriptores, tam apud Poëtas quàm apud hiſtoricos extant, ad faciliorem captum optimè dividi in aërea, aquea, ſeu marina, & terreſtria; Ignea nulla dantur, tum quia hoc Elementum nimis rarum eſt & ab omni habitatione remotum, tum quia adeò activum exiſtit, ut omnia deſtruat & comburat. Sunt autem aërea monſtra quo homines ſimilitudine referunt, & de quibus bic eſt quæſtio, Sphynges, Harpyiæ. Marina Tritones, Nereides, Syrenes. Terreſtria Gygantes & Pygmæi, pumiliones, qui viſcera terræ inhabitant & ſpiritus maligni ſunt, ejusdemque naturæ cum laribus & ſpiritibus domeſticis ſeu familiaribus, Satyri, Cynocephali, Hippocentauri, Fauni, Sylvani, & ſi quæ ſunt plura, de quibus vide Pierium, Plinium, Geſnerum, Ptolomæum, Strabonem & aliua recenriures.

Monſtra aerea dantur.

DICO 1. Dantur monſtra aërea, ut ſunt Harpyiæ, & Sphynges: Illæ quidem ſub ſpecie veri ſparguntur à Virgilio aliisque Poëtis pro fabulis; Nihilominus tamen veras aves eſſe & reperiri docent varii Hiſtorici, ut Apollonius, Macrobius, Rhodiginus &c. Sphynges dari affirmat Pieriua lib. 6. hyerogl. ubi ait: Eſſe facie virgineâ, habere ungues & alas ut harpyiæ, & ſe talem Veronæ vidiſſe coramque ſpectaſſe: Has tamen Solinus ſimiis adnumerat, & dicit etiam comis villoſis, mammis prominulis & ad feritaris oblivionem dociles eſſe.

Monſtra marina.

DICO 2. Eaperientiâ conſtat dari monſtra marina, & quidem naturaliter; talia ſunt Syrenes, Nymphæ, Tritones, quicquid etiam majores noſtri de liis fabulati ſint. De Syrene vel Nymphâ narrat Lud. Guicciard. in deſcriptione belgii & Civitatis Harlementis, hanc Anno 1403. à piſcatoribus ea lacu quodam Holandiæ fuiſſe adductam, veſtitam, & aſſuefactam eſui panis & lactis multos annos viaiſſe; mutam quidem, ſed tamen nere, crucem formare, & reliqua opera domeſtica didiciſſe. Geſnerus lib. 4. de aquatilibus ait, Anno 1544. à Philippo Archiduce Auſtriæ Syrenem mortuam ſpectaculi causâ unà cum duobus Satyris vivis Genuam fuiſſe adductam. Tritones etiam in mari reperiri teſtantur Authores. Nam memoriâ noſtrorum parentum in mari Friſico talem fuiſſe repertum ſcribit idem qui ſuprà Lud. Guicciard. Et in mari Norvvegico alterius meminit Geſnerus lib. 4. de aquatilibua Anno 1531. qui oblatus Regi Poloniæ interierit ſtatim, quia cibum omnem reſpuerat.

DICO 3. Etiam dantur monſtra terreſtria. Eſt commune hoc apud Authores: Nam dari inprimis Satyros, qui ſunt ea certâ ſimiarum ſpecie, fusè habetur apud Geſnerum lib. 1. ubi de Cynamolgis loquitur, eosque hominibua ſimiles capitisque canini in Indiâ & Æthiopiâ reperiri teſtatur. Deinde nec Hyppocentauroa reperiri alicubi implicat aut generari, ſi ex homine & equo, ſaltem ea certâ animalium ſimilium ſpecie; Quod ſi tamen nomine centauri & Hyppocentauri intelligatur animal compoſitum ea duabus naturis v. g. humanâ & Equinâ, negatur centauros unquam fuiſſe, vel naturaliter eſſe poſſe, cùm non tantùm formæ ſed etiam diſpoſitiones illæ, quas formę ita diverſæ requirunt, ſint incomparibiles, ſeq; in operando invicem impediant. De Gyganribus res digna eſt quæſitu, an unquam fuerint ejusmodi ſemidei, ſub quâ gente aut natione primum, & à quibus oriundi parentibus.

Terreſtria.

Gygantes fuerunt.

DICO 4. Quicquid ſit de pygmæis, qui narrantur eſſe gens parva Orientis, Gygantes omninò fuiſſe, vel adhuc in quibusdam terræ locis (accipiendo pro Gygantibua hominea proceræ ſtaturæ) reperiri certum eſt; Probatur primò ab eaperientiâ communi & hiſtoriarum teſte luculentiſſimo, quia non tantùm legimua fuiſſe ſingulis quaſi ſeculis miræ & inſolitæ magnitudinis homines, ſed etiam noſtris annis ejusmodi mortales oculis noſtris aut eorum oſſa conſpeximus. Probatur ſecundò ratione, quia non eſt naturæ contrarium talia formare corpora & talem organorum apparatum, cum nec materia deſit, nec virtus agentium naturalium, ergò poſſibiles ſunt, ſemperque fuerunt Gygantes. Verum ſub quâ gente aut natione primum fuerint hi ſemidei, & à quibus oriundi parentibus, dubium eſt; Ab Angelia damnatis & mulieribus mixtis fuiſſe primùm genitos putant Juſtinus Martyr, Clemens Alexandr. Tertull. Orig. D. Ambroſius, Lactantius & alii. Refelluntur hi à D. Auguſt. lib. 15. de Civitate Dei, cap. 23. à D. Chriſoſt. homil. 22. in Geneſin, & à totâ Eccleſiâ Catholicâ, quæ ait, hanc ſententiâ eſſe Hæreticam, & ex merâ ignorantiâ ſancti Patribus adſcribendam. Unde communiter docent S. Patres, Gygantes fuiſſe procreatos ab aliis hominibua, qui cùm prius pietatem & juſtitiâ coluiſſent, poſtea ſeſe in libidinem & inconceſſa conjugia profuderint. Sed quo tempore? R. ab ipſo mundi exordio, quia Adâ ipſe, Eva, Cain, Abel & Seth proceriſſimâ

fue-

fuerunt ſtatura, ut ſancti Patres communiter docent. Deinde etiam certum eſt, ante diluvium fuiſſe proceriſſimos homines, ut teſtatur ſanctus Auguſtinus de Civitate Dei cap. 9. De his Gyganthibus plura vide apud Salianum in ſuis annalibus Eccleſiaſticis Anni Mundi 1042. Quæ cæterùm de Faunis narrantur, vel fabulæ ſunt, vel certè Dæmonum præſtigia. Satyri verò, ſphynges Cynocephali & plura ejusmodi monſtra annumerantur ſimiis à Plinio, Solino, & aliis, ut videre eſt apud Bauhinum cit. cap. 13.

DIFFICVLTAS XIIX.

An omnia hujusmodi monſtra hominibus annumerari poſſint.

CONſtat dari inter feras & bruta animantia aliquando monſtra quædam quæ loqui aliaque non tantum operationibus humanis ſed & rationabilibus ſimillima facere ſciant, ut conſtat ex ſancto Hieronimo in vitâ S. Anthonii, ubi Satyrus fetum & terrificum monſtrum cum ipſo ſancto locutus fuiſſe illique viam monſtraſſe narratur: Et de his ipſis quæritur, an inter homines numerari poſſint, ſintque prædita animâ rationali, à quâ informentur.

Advette, Non eſſe hic ſenſum quæſtionis, an feræ cum hominibus miſceri poſſint, indeque prolem gignere; Neque an ſub figurâ monſtroſâ monſtroſisque & ferarum organis homo hominisque anima rationalis latere poſſit. Nam primum eſſe verum ex hiſtoriis conſtat, & ex Marco Marci lib. de Ideâ operatrice cap. 8. Secundum dicitur Diſp. de informatione animæ rationalis. Punctum itaque difficultatis conſiſtit in hoc, unde nimirùm conſtet, ſub ſpecie humanâ exiſtere brutum, & ſub brutali hominem, quia id utrumque fieri poſſe patet alibi.

Monſtra an ſpectent ad homines. DICO, Si hujusmodi monſtra præter figuram humanam nihil humanæ rationis oſtendant, ſed potius, ut penè hactenus omnia faciunt, in actionibus ſuis præter aliquas ex longo uſu & inſtructione aſſuefactas bruteſcant, meritò ab hominum cenſurâ ſunt eliminanda. Quod ſi autem præter ea quæ à continuo hominum conſortio didicêre, ſufficientia rationis ſigna edant, non inter bruta ferasque numerari poſſe, ſed ab Adamo per ſeminalem generationem aut propagationem deſcendere certum eſt; Ratio prioris eſt, quia ſub ſpecie brutali reperiuntur bruta cum eâ phantaſiæ perfectione, ut ad eliciendas eas actiones, quas forma ſenſitiva requirit, ſint multis hominibus longè dociliora & ſubtiliora, ut patet de Elephantis, ſimiis, aliisque exterioris Aſiæ & Aphricæ brutis, quorum organa, humores & ſpiritua benè excocti ſunt. Neque verò excedunt hæc vires & operationes naturæ feralis, cujus terminum Deus in magnâ latitudine juxtà organorum diſpoſitiones, quæ ſingulis animantium ſpeciebus communes ſunt, locavit non minus quàm in homine, cujus ingenium, docilitas, actiones & operationes ita variæ ſunt & diſcrepantes, ut alterius naturæ eſſe quis diceret. Ratio poſterioris eſt, quia licet humanæ formæ diſpoſitiones & organa in ſitu, connexione, & temperamento ſint corrupta & immutata, ut nihil penè dignum homine exerceri poſſit, adeoque omnes actiones videantur brutales vel his etiam ignobiliores; nihilominus tamen humanus animus inter eas eluceſcere per quædam intervalla ſolet, & anima quę ad depravatas corporis diſpoſitiones nimium alligata vim ſuam & potentiam, quam à creatore Deo habet, oſtendere, id quod in omnibus hominibus, quascunque monſtroſos unquam orbis dedit, manifeſtè deprehendimus. Certum itaq; eſt, aliquam bruti ſpeciem ſub formâ penè humanâ cum optimâ phantaſiâ poſſe non minus exiſtere, quàm hominẽ cum animâ rationali ſub monſtroſâ membrorũ delineatione & mirando partiũ defectu, cum intellectu etiam ſæpè brutorũ phantaſiâ ignobiliori: Plura vide Diſp. 11. de infor. animæ in fine.

Ad argumentum illud D. Hieronimi de Satyro reſpondetur, illum vel Dæmonem fuiſſe vel animal brutum, quod ex mandato divino viam viro ſancto ſuprà propriam naturã oſtenderit, ut putat Baronius l. 3. de annal. Eccl. anni 343. Et hoc idem teſtatur ipſe S. Antonius, quando teſte S. Hieronimo poſt loquentem Satyrum ita Alexandriam urbem alloquitur; Et quid nunc ait dictura es O Alexandria! beſtiæ Chriſtum loqvuntur, & tu pro Deo portenta veneraris; unde apparet, ſolam loquelam non facere hominem, ut apparet num. c. 22. ex Aſina Balaam, ex pſitracis, corvis, &c. Et quid non faciunt ſimiæ, quales artuum inflexiones & doctas pedum librationes non exhibent, quæ longè excedunt formationem crucis & venerationem ſacrorum? Exempla aliunde habentur.

DIFFICVLTAS XIX.

Quæ ſint cauſæ monſtrorum.

Monſtrum quid. PEr monſtrum intelligitur hic fætus non metallorũ, plantarum &c. ſed propriè brutorum animantium hominisque potiſſimum, qui à legibus naturæ exorbitat. Sed

Adverte 1. monſtrum nihil aliud eſſe niſi affectum naturalem à rectâ & ſolitâ diſpoſitione ſecundum ſpeciem degenerantem. Colligitur ex 4. de gen. animal. c. 4 & 2. Phyſ. c. 82. Dicitur effectus naturalis ad excludenda monſtra artificialia quæ fiunt præter intentionem artis & artificis. Dicitur degenerans à rectâ diſpoſitione, quia effectus naturalis ideò dicitur monſtrum, quia deficit ab eo quod debebat fieri juxtà legem naturæ. Dicitur ſolitâ, ut oſtendatur talem effectum ſolere rarò contingere; Additur ſecundum ſpeciem, non quod monſtrum ſemper debeat eſſe alterius ſpeciei, ſed

ſatis eſt ſi effectus qui ordinariè & debitè conveniunt ſpeciei, inſigni aliquo defectu deflectant à naturali diſpoſitione ejusdem ſpeciei in figura, quantitate & qualitate, v. g. ſi homo unimanus, monoculus, biceps &c. naſcatur.

Monſtrum quomodo intendatur à natura.

Adverte 2. monſtrum non intendi à natura per ſe primò ſed ſecundariò, quia natura ſi non impediatur, fertur in effectum debitum juxtà perfectionem ſuæ ſpeciei, idque primò & per ſe; ſi autem impediatur, facit quantum poteſt, & illud intendit ſecundariò, v. g. natura per ſe 1. intendit generationem ignis quam aſſequi non poteſt niſi mediante corruptione formæ ligni; illam itaque intendit primariò & hanc ſecundariò. Prob. natura per ſe 1. intendit perfectam aſſimilationem effectus in ſpecie; ſed monſtrum eſt effectus à tali perfectione degenerans, ergò per ſe non intendit primariò ſed ſecundariò; ſi autem natura non poteſt id producere quod perfectum eſt, intendit id quod minus perfectum eſt, ergò. Quod ſi dicas monſtrum hoc modo non eſſe effectum caſualem. Reſp. verum eſſe, ſi effectus comparetur ad cauſam efficientem impeditam vel impedientem ſimul, quia his poſitis neceſſariò ſequitur effectus monſtroſus, falſum autẽ, ſi comparetur præcisè ad cauſam efficientem particularem impeditam, quia ſequitur effectus præter illius cauſæ intentionem etiam in actu poſitæ, & intendit natura producere effectum ſibi ſimilem ſine vitio & errore, proindeque præter intentionem primariam accidit: ſuppono autem reſpectu Dei nullũ eſſe monſtrum caſuale; ratio eſt, quia monſtrum intenditur à Deo non quatenus defectus eſt, ſed quatenus ad aliquem finem ſibi cognitum ordinatur, inter quos poteſt eſſe v. g. varietas univerſi. Jam

DICO, monſtra variis ex cauſis accidunt. 1. ex abundantia ſeminis; ſic D. Aug. l. de Civ. Dei cap. 9. ſcribit, vidiſſe ſe dentem molarem Gygantis, cujus magnitudinem noſtrates vix centum adæquarent; Et hac de cauſa infantes aliquando dentati naſcuntur. Quod ſi aliquando virtus formatrix fœtus ſit æqualis ad utrumque ſexum, vel ad unum determinatum ſexum in delineatione non ſit intenta, hermaphroditi naſcuntur; Et ſimiles figuræ monſtroſæ rarius apparent in partibus cordi vicinis, quod vis formatrix circà interiora ſit fortior, circà exteriora & remotiora debilior.

Cauſa monſtrorum.

2. Ex defectu materiæ, unde oriuntur unipedes, unimani & pumiliones. 3. Ex miſtura ſeminum diverſæ ſpeciei, quæ actionem mutuã impediunt, unde ſemibeſtiæ & ſemihomines aliquãdo naſcuntur; hoc maximè contingit in mari, ubi diverſi piſces coëunt, & in Aphrica, ubi animalia ex aquarum penuria ſeſe in quibusdam locis aquoſis congregant & ſua ſemina commiſcent. Hic ſi quæras, an ſi homo & brutum miſcerentur, homo vel brutum naſceretur, & ſi duo bruta diverſæ ſpeciei, etiam tertia ſpecies ſemper exurgeret. Reſp. ad primum, omiſſis aliorum opinionibus, ſi ſemen hominis in agendo prævaleret, hominem naſciturum, ſi bruti, brutum, ad ſecundum. Reſ. id dependere ex natura ſeminis, ut ſi utriusque animantis ſemina ſint æqualia, naſcetur tertiũ, quod utriusque naturam æqualiter participet; ſi autem hujus vel illius exuperet, animal cum ſuis diſpoſitionibus generabitur, quod in ſpecie ad hujus vel illius naturam accedat.

Ex diverſo ſemine quid naſcatur.

4. Ex loco, in quo recipitur ſemen ad generationem prolis concurrens; Contingit enim aliquando, ut ea de cauſa materia non bene diffundatur nec ſingulæ partes membratim exprimantur; ſimiliter contingit ob loci diverſitatem ſemina ſeparati, & poſtquam generatio incepit, inter ſe confundi; Ex priori naſcuntur corpora defectuoſa, ex hoc poſteriori verò bimembres &c. 5. Ex intemperie primarum qualitatum; & ſine exuperante calore ſi fiat terreſtriũ partium evaporatio magna, naſcetur infanti barba in utero, quod noſtro ſeculo in Luſitania contigiſſe narratur à Conn. 1. de gen. c. 4. q. 30. a. 2. Et contrà deficiente calore vel certè humido abundante aliqui in pueritia caneſcunt, quorum Exempla refert Plin. l. 7. c. 2. 6. Ex ingenti paſſione & affectu, ut timore, imaginatione vel deſiderio quæ debilitant vim formantem, eamque cum materia perturbant; unde Avic. l. 5. de anima narrat, gallinam ovis incubantem & milui aſpectu territam pullos capitibus milui excluſiſſe: Et ſimilia fiunt, dum aliquando parentes albi Europæi prolem nigram æthiopæam generant, ut docent Conn. citati. 7. Ex prava diſpoſitione cæli & aëris, quæ ſuas qualitates fætui imprimunt, ideòque in Ægypto crebrius monſtra naſcuntur. 8. Ex ultione divina perſequente libidinem & peccata parentum. Ita narrat Thom. Cantuar. l. 2. de apibus, cuidam nobili, quod dies feſtivos venatione prophanaſſet, prolem canino rictu & auribus pendulis fuiſſe enatam. Si quæras 1. an monſtra, quæ habent duo capita, vel pedes inferius duplicatos, ſint unum animal vel duo. Reſp. ex Ariſtot. 4. de gen. animal. cap. 4. id eſſe diſcernendum ex principio vitæ, ſcil. corde, quod ſi unum fuerit, unum fore animal; ſi duo, duo &c. Si quæras 2. An hujusmodi monſtra ſemper informentur forma & anima rationali. Reponſionem hujus vide infrà Diſp. 11. in fine.

Quæ monſtra ſint unum vel duo animalia.

DISPUTATIO QVARTA,

De partibus Hominis Orientis Ejuſque Corporis Organici Inanimati.

RAtio hic videtur ſuggerere, ut poſtquam de formatione fœtus necdum animati actum ſit, etiam de omnibus ejus & ſingulis partibus agatur, atque ita non tam inter Medicos quàm Philoſophos, quibus utriſq; cognitio hæc ſummè neceſſaria eſt, conſtet, qualis ſit totius compoſitio, quæque partes ſint homogeneæ, & quæ item heterogeneæ. Neque ſic æſtimanda eſt Senrentia Galeni, qui lib. 6. de Hipp. & Platonis decretis cap. 9. docet, Medicum oportere de corporis inſtrumentis, id eſt, de partibus, Philoſophum verò, de animæ facultatibus doctrinam ſuam inſtituere: Nam hic idem ſui ubique immemor in 2. de anatomicis adminiſtrationibus cap. 1. & 2. corporum ſectionem Philoſopho quoque magnoperè utilem eſſe affirmavit; Et meritò quidem, quia cùm cognitio animæ & potentiarum ejus quæ ſunt propter operationem, maximè ad Philoſophum pertineat, etiam inſtrumenta & corporis totius conſtitutio eidem cognoſcenda & explicanda veniunt: Et ſicut nec Medicus quicquam accomodatè de corpore dicit, ſi animam & ejus potentias neſciat, propter quas illud fabricatum eſt; Ita nec Philoſophus de facultatibus corporis omnia ad facilem loquetur captum, niſi corpus cognoſcat, quod ad animum operantē requiritur, quia hic eſt pars & forma animalis, cujus explicatio pendet à materia ſua oppoſita, quam, quam informat & cui, dat eſſe & vivere; Et conſtat ex ipſo Galeno 8. de uſu partium, aliisq; in locis, Ariſtotelem non modò fuiſſe curioſiſſimum in diſſerendis corporibus, partibusq; ſingulis inſpiciendis, ſed etiam hâc de re omnium primò docuiſſe & ſcripſiſſe: docet etiam Dand. lib. 3. de partibus homogeneis ad initium, corporū diſſectionē ad duplicem finem ſpectare, primò, ut ex eà ſitus partium & ſtructura totius corporis cognoſcatur, & quomodo anima cum ſuis potentiis per ejuſmodi partes operetur; Secundò, ut ſciamus adbibere media ſingulis partibus, easque reſtituamus ſi fortè malè habuerint; Et hæc pars ad Medicum propriè ſpectat, ſicut prior unà cum Medico ad Philoſophum. Agetur autem hic ſolùm de partibus ſpermaticis: de carnoſis cæteriſque omnibus alibi, ubi anima quæ vitam dat & operationes vitales, acceſſerit.

DFFICVLTAS I.

Quid ſit pars corporis.

PEr corpus non intelligitur hic tantum corpus vivens & animatum, ſed etiam illud quod proximè poteſt animari quale eſt præſens organicum, & de quo hactenus actum fuit. Quæritur igitur, quomodo definienda & deſcribenda ſit pars hujus corporis tam viventis quàm proximè vitam babentis, intelligendo non omnem partem, ſed eam de quâ infrâ.

Galenus ad initium libri de uſu partium definit partem eſſe, quæ nec undequàque cum aliis ſit conjuncta, nec omninò ab illis ſeparata, ſeorſim & per ſe ita cobærens, ut propriam habear circumſcriptionem, aliquâ ex parte cum aliis & cum toto copulata, ex aliâ proprio finita termino, &c. Sed hæc deſcriptio nimis latè patet, quia etiam partes inanimatas comprehendit, oſtenditque generalem cujusque partis notitiam. Avic. 1. fen. 1. can. doctrina 5. cap. 1. definit partem, corpus quod ex primâ humorum permixtione gignitur, ſicut humores ſunt corpora ex primâ ciborum permixtione generata, & cibi ex primâ Elementorum temperatione. Sed hæc nimis ſtricta eſt, quia convenit tantum partibus homogeneis & ſimplicibus, niſi tamen Avicennas intellexerit, quod partes heterogeneæ ſint ex pluribus bomogeneis conflatæ; Nam ſi tales ex humoribus aut ex primâ Elemenrorum permiſtione natæ ſunt, conſequenter etiam illæ, quamvis aliàs partes homogeneæ producētur immediatè ex humoribus, & partes heterogeneæ ex homogeneis. Couciliator diff. 38. dicit, partem eſſe corpus ſolidum & ſpiſſum, ex humoribus genitum, & naturę viribus inſignitum: ſed hoc etiam cum priori coincidit, licet à nonnullis Medicis & inprimis à Valeriola ſummoperè extollatur; ſed his miſſis.

DICO, Pars eſt corpus toti cohærens, communiq; vità conjunctum & ad illius functiones & uſus comparatum: Ita Fernelius l. 2. de *Quid ſit pars.* Elem. c. 2. & communiter Medici. Dicitur imprimis corpus, ſcilicet Phyſicum ſubſtantiale, quia conſtat materia & forma, quæ faciunt compoſitum Phyſicum: Dicitur ſecundò, toti cobærens, quia eſt cum toto continuum, ſive materialiter ſive formaliter de quo infrà: Dicitur tertiò, communi vità conjunctū, intellige vel actu vel potentia, illud cùm præſens eſt anima & informat, hoc cùm eſt in proximâ potētiâ ad informandū; Et hinc excluduntur partes omnes inanimatæ, quæq; ſunt inhabiles ad vivendum, quia non cohærent toti, licet conducant ad actiones & uſum ut ſanguis. Dicitur quartò, ad illius functiones & uſum, non præciſè ſicut ſanguis & humores aut Spiritus, qui non ſunt animati, ſed ſicut ejusmodi partes, quæ vel animâ jam informantur, vel proximè poſſunt informari; non enim ſufficit ut aliquid uſum in corpore obtineat, quemadmodum de ſanguine, humoribus & ſpiritibus manifeſtum eſt, quæ ſunt partes ad vitam ſimpliciter neceſſariæ, ſed requiritur inſuper ut continuentur

cum corpore & informentur ab animâ. Et hinc

Colligitur, hâc definitione comprehendi omnes partes tam homogeneas quam heterogeneas, quæ ſe mutuò componunt, quæque communi vitâ fruuntur, vel proximè frui poſſunt. Nam dum corpus organicum vitâ & animâ caret, partes quidem non habet communi vitâ conjunctas, ita tamen conſtitutas, ut proximè eâ conjungantur, quia ſunt in viâ ad hanc terminationem.

DIFFICULTAS II.

Quomodo dividatur pars Corporis.

Variæ ſunt diviſiones partium, quas quisq; ſive Medicus ſive Philoſophus pro lubitu & ingenii ſui captu ſibi format; ut autem conſtet quæ ſit communior apud utrosque opinio & doctrina.

DICO primò cum Rubio 2. de anima; quæſt. 8. num. 210. cui plures alii ex Philoſophis conſentiunt; pars corporis vel eſt primaria ut cerebrum, cor, Epar, Ventriculus, oſſa, nervi, & quidquid animatum eſt; vel ſecundaria, quæ non conſtituit quidem primariò corpus, ad hujus tamen naturalem conſtitutionem pertinet, cujusmodi ſunt ſanguis, humores, ſpiritus, quæque ad ornatum ſunt vel propter melius eſſe, ut ungues, capilli &c. Ariſtoteles 1. de hiſtoria animal. cap. 1. diviſionem facit in ſimilares & diſſimilares, & ſimilarium in molles, humidas, ſiccas & ſolidas; ſed quia diviſiones hæ vel nimis ſunt generales, vel minus cognitionem partis explicant; Ideò

Partis diviſio. DICO ſecundò cum Medicis, Pars primò dividi poteſt in continentem, contentam, & impetum facientem: Continens dicitur, quæ toto corpore eſt tam carnoſa quam ſpermatica. Contenta, quæ intrà venas & vaſa continetur, ut ſemen, lac, ſanguis & humores. Impetum faciens, quæ toto corpore impetuosè oberrat, ut ſpiritus vitalis & animalis, qui totum corpus celerrimè pervagantur. Secundò in carnoſam & ſpermaticam: Hæc oritur ex ſemine eſtque omnis quæ ante adventum animæ per ſimplicem generationem formata fuit corpus organicum, in cujus terminis adhuc hæremus. Illa eſt ex ſanguine materno, & accedit primò poſt infuſionem animæ ejusq; operationes vitales, v. g. poſt nutritionem & accretionem. Tertiò in ſimilarem ſive homogeneam, & diſſimilarem ſive heterogeneam; prior eſt illa, quæ in partes undique ſimiles ejusdemque rationis dividitur, ut os; poſterior contra ſe habet, ut digitus. Quartò In principalem & minus principalem; Illa eſt quæ ſimpliciter ad vitam eſt neceſſaria, vel quæ toti corpori vitam & vitales actiones communicat, ut cor, Epar, cerebrum, ſtomachus &c. Hæc verò quæ non ſimpliciter ad vitam confert, ut naſus, digitus, brachium, teſtes &c. quia iis etiam abſentibus vita non adimitur. Quintò in animatam & inanimatam, de quibus in ſequentibus. Plures diviſiones vide apud Authores.

DIFFICULTAS III.

Quomodo diſcrepet Pars, Inſtrumentum & membrum.

Quamvis hæc ſynonima eſſe videantur, & ſignificare rem eandem, ut patet in oculo, qui eſt pars hominis & totius compoſiti, Inſtrumentum verò ſive organum viſionis, & denique membrum hominis viventis; Quia tamen diverſa ſignificatione & ratione formali apud Medicos accipiuntur, ideò dicam breviter, quid illi ſentiant. Et hinc NOTA, Os, carnem, venam, nervum vel habere reſpectū ad conſtituendum totum compoſitum, vel ad actionem qualiscunque ea ſit, vel ad operationem quæ competit ſolis partibus. Jam

DICO primò, ſi os, vena, nervus, oculus, pes, manus &c. habeant reſpectum ad totum, meritò nuncupantur partes: Ratio eſt, quia illud dicitur pars quod componit totum; ſed hoc facit oculus, pes, manus, vena, ergò in ordine ad totum compoſitum dicuntur partes, videlicet integratores, quia integrant totum.

DICO ſecundo, ſi os, vena, oculus, reſpiciunt actionem, dicuntur eſſe inſtrumenta; probatur, quia illud dicitur inſtrumentum, quo mediante perficitur actio in genere cauſæ inſtrumentalis: ſed hoc faciunt os, vena, oculus, pes & alia quæ ſunt inſtrumenta & organa ad motum, ad viſum, ad deferendum ſanguinem, ergò. Neque tamen hoc faciunt ſolùm partes heterogeneæ, ut oculus viſionem, pes deambulationem, manus apprehenſionem, ſed etiam homogeneæ, ut arteriæ pulſationem, venæ diſtributionem ſanguinis, os motum, nervus delationem ſpirituum animalium, qua ratione etiam hæ partes dicuntur inſtrumenta, quia ſcilicet edunt actionem propriam, proindeque errant, qui putant, partem homogeneam opponi inſtrumentariæ, quia poteſt & hæc eſſe inſtrumentum, adeoque verum eſt in ordine ad compoſitionem, falſum in ordine ad actionem.

DICES, etiam oculorum tunicæ ſuas habent actiones & tamen non dicuntur inſtrumenta, ſed partes, ergò etiam in ordine ad actionem aliquid dicitur pars. R. oculorum tunicas & humores non habere actionem propriam & adæquatam, ſed aliunde dependentem, unde dicuntur partes tantum non inſtrumenta, adeoque non omnes partes dicuntur inſtrumenta, ſed illæ tantum, quæ eliciunt actionem ſibi propriè competentem & non beneficio alterius, ut vena quæ ex ſe independenter ab alio diſtribuit ſanguinem: Et hinc manifeſtum eſt, omnes partes heterogeneas eſſe inſtrumentarias, quia omnes habent actionem propriam & continuantur cum toto, ut oſtendit earum continuitas, connexio, ſitus, figura, magnitudo, numerus, quæ omnia magis in his quam in homogeneis elucent. *Eſſe partē eſt etiam eſſe inſtrumentum & contra.* Advette tamen, in omni parte heterogeneâ eſſe

eſſe aliquem partem homogeneam, quæ ſit principalis cauſa actionis, ut nervus in muſculo, in oculo tunica retina, reliquæ uſum præſtant; quamvis nec errant qui dicunt etiam tunicas oculorum eſſe inſtrumenta, quia ſi totum eſt inſtrumentum & organum, etiam erunt ſingulæ ejus partes quæ faciunt totum. Pendet itaque modus & ratio loquendi ex communi uſu & praxi Medicorum.

DICO tertiò. Si pars aliqua corporis operationem ſuli parti heterogeneæ competentẽ recipiat, illa non tantum inſtrumentum ſed & membrum dicitur, Ratio eſt, quia illud dicitur propriè membrum quod eſt in corpore animatum & præcipuum animæ inſtrumentum; ſed hoc de partibus heterogeneis verum eſt, ergò illæ non tam inſtrumenti quàm membri rationem obtinent. Harum autem, ut Medici benè advertunt, quadruplex eſt ordo; primus conſtat ſolis partibus homogeneis vel ſimilaribus ut muſculus, qui conſtat carne ſimplici, fibris, venis, arteriis, nervis & membranis. Secundus ex primis coaleſcit, ut articulus, qui continet muſculos, oſſa: Tertius ex ſecundis ut digitus, qui continet articulos. Quartus denique ex tertiis ut brachium.

Membrũ quid.

Partium ordo quadruplex.

DICES, Fruſtrà aſſignantur partes homogeneæ in corpore vivente, cum nullæ dentur, quia nulla dantur homogenea in rebus mixtis, quæ ex diverſis materiis Elementorum conſtant, ideoque ſola Elementa dicuntur propriè corpora homogenea. Reſp. Quando partes aliquas corporis appellamus homogeneas, non præciſè & abſolutè loquimur, ſed quoad ſenſum tantum: Nam vena v. g. os, aut nervus licet conſtent ex materiis diverſorum Elementorum, eorundemque contrariis qualitatibus, ab unâ tamen formâ partes homogeneas appellamus, & quod undique in partes ejuſdem rationis juxtà ſenſum noſtrum & earum formas dividamus, quod in partibus heterogeneis propter diverſas earum formas partiales fieri non poteſt.

An mixta ſint homogenea.

DIFFICULTAS IV.

Quot ſint partes Corporis Organici necdum animati.

NOn tantum in corpore animato, ſed etiam in eo quod proximè capax eſt animari, reperiuntur partes ſimilares & diſſimilares, de quibus utriſque hic quæſtio eſt, quotnam earum in Embryone, quem proximè anima informabit, reperiantur; Et videtur ratio convincere multas eſſe, quia totum corpus organicum etiam carne & muſculis carens multiplici texturâ formatum, & mille quaſi membris variatum exiſtit. Deinde niſi multæ eſſent, fruſtrà tantoperè veteres & modernorum nonnulli in inquirenda vi formatricè inſudaſſent, ipſa etiam virtus facilè unam atque alteram partem effinxiſſet.

NOTA, Omnes partes quibus conſtat corpus organicum, ex ſolo ſemine formatas eſſe, ideoque vocari ſpermaticas. Cæteræ quæ poſt adventum animæ per actiones vitales ut nutritionem & accretionem accedunt, & de quibus in ſequentibus dicetur, ex ſanguine materno fiunt. Jam

DICO 1. Partes ſpermaticæ ſive ſimilares ſive diſſimilares, quibus totum corpus organicum hominis & brutorum ut futurum animæ domicilium conſtruitur, nec plures nec pauciores ſunt quam cutis membrana, tunica, os, cartilago, vinculum, tendo, vena, arteria, nervus & fibra. Hæc concluſio probatur ſolâ experientiâ, quâ conſtat, has partes ſolas & nec plures nec pauciores in humano corpore reperiri, quibus tàm ſoletter tamque ſapienter efformantur animalium corpora.

Spermaticæ partes quæ.

DICES, Medulla oſſium & adeps ſunt etiam partes corporis organici, ergò non tantũ illæ quæ in concluſione ſunt poſitæ. Et hoc idem de corde & Epate intellige, quia aliàs fruſtrà diſputaretur, an inter partes ſpermaticas cor, an Epar an cerebrum primò formetur. Reſp. primò, medullam oſſium nullam eſſe in corpore organico vel Embryone necdum animato, quia hæc eſt excrementum nutritionis quo caret hoc corpus, Et idem intellige de adipe, quæ per nutritionem partibus animaris adcreſcit. Secundò. In corde & Epate duplicem reperiri ſubſtantiam, unam carnoſam, quæ non ſpectat ad hunc locum; alteram ſpermaticam, quæ vel eſt nervoſa vel fibroſa, vel venoſa, vel membranoſa, vel arterioſa &c. Et quia hæc ſimul cum aliis partibus gignitur & formatur, ſequitur hanc quæſtionem nullam eſſe, nec mereri tantas Medicorum altercationes; Nam earo viſcerum gignitur poſt adventum animæ per nutritionem reliquæ autem partes furmantur toto decurſu, quo producitur & delineatur corpus organicum. Quæres, quid de cerebro & ſpinali medulla dicendum, quia etiam videntur eſſe partes ſpermaticæ. Reſp. Utramque partem non differre à nervo & eſſe ſubſtantiam & partem hujus molliorem, proinde ſub hoc à Medicis contineri, quouſque corpus & annos & incrementum ſumat.

DICO 2. Partes heterogeneæ ſunt quamplurimæ in corpore organico, ita tamen ut omnes componantur ex homogeneis ſpermaticis: Hoc verbum ideò additur, ut excludantur partes carnoſæ, quæ in corpore animato concurrunt ad compoſitionem partium heterogenearum, ut patet in digito, qui componitur ex venis, nervis, oſſibus &c. tum muſculis & partibus carnoſis, quæ ſolæ deſunt in corpore organico. Jam probatur concluſio, quia eædem ſunt partes heterogeneæ & organicæ in corpore organico inanimato, quæ in animato, ſi carnem ſimplicem muſculorum & viſcerum, tum materiam adipoſam, aliaſque ſubſtantias inanimatas ex alimento productas excepetis; ſed in hoc plurimæ ſunt, ergò & in illo. Hæc minor vera eſt &

patet ad ſenſum, quia qui Petrum videt viventem, mille in eo iterumque mille videt partes heterogeneas inter ſe ſpecie diſcrepantes; Major probatur, Nam corpus vivens omni carne deſtitutum idem eſt quod corpus organicum immediatè ante adventum animæ, vel ſolis partibus ſeminalibus conſtans; Sed illud partes habet quam plurimas heterogeneas v.g. oculos, aures, digitos, manus, pedes, crura, ergò & hoc. De his autem vide Diſputationem de partibus corporis animati; de ſpermaticis ſit in præſenti.

DIFFICVLTAS V.

Quid ſit Cutis, Membrana & Tunica.

DICO primo, Cutis, quam aliqui veſtimentum & cuſtodiam totius corporis vo-
Cutis quid cant, corium etiam dicitur; Eſt tota ſibi continua & univerſum corpus complectitur, niſi ubi propter neceſſarias quaſdam operationes perforata eſt, ut in oculis, ore &c. ubique poroſa eſt, ut calor, ſudores, fuligines, & excrementa commodè perſpirare poſſint. Nullam exercet operationem vitalem, quia non coquit nec nutrit, nec pulſat, nec movet &c. ſed eſt tantum ad ornatum & ut det partibus internis figuram, calorem & conſiſtentiam; Eſt etiam tegumentum, fovetque & conſervat omnes, ne ab extrinſecis injuriis offendantur. In teſtaceis animalibus eſt duriſſima, in quibuſdam durior, ſiccior, craſſior, in aliis mollior, in homine maximè temperata, quia tenuis, mollis, levis, rara & perſpicua, ut habet Ariſt. 3. de hiſtoria animalium, cap. 11. propterea ſentit etiam Concil. diff. 43. ex Oribaſio, quendam Regem Perſarum paraſſe ſibi feneſtras ex humano corio, propter inſignem ſcilicet tenuitatem & perſpicuitatem: In uno tamen loco eſt craſſior v.g. in capite, manibus & pedibus propter externas injurias, quam in alia, facie nimirum, In aliquibus etiam locis facilè ſeparatur, in aliis difficulter propter inſertos tendines & muſculos, ut in facie, quæ etiam cauſa eſt cur ibi moveatur. Mediâ eſt temperatione inter nervum quo eſt humidior, & carnem quâ ſiccior, unde & maximi & exquiſitiſſimi eſt ſenſus, ut proinde non immeritò ad ſenſum tactus principaliter ſpectet. Huc refertur cuticula, quæ inanimis eſt, & ab excrementitiis vaporibus, qui tranſudant ab interiori parte per poros, progeneratur. Ut autem hæc in omni ætate & tempore abſumitur, ita quoque prodocitur promptiſſimè, quia cum ſit veluti tenuiſſima pellicula cæparum, facilè atteritur, & per novos vapores rurſum concreſcit.

DICO ſecundò. Membrana, quæ eſt ſimilis ſpiſſæ & tenuiſſimæ cuti, id ſingulis partibus eſt, quod cutis univerſo corpori; unde etiam eoſdem habet uſus: Convenit enim omnes partes, fovet & conſervat ut oſſa, quæ omnium robuſtiſſima ſunt. Denſa eſt & *Membrana quid.*
robuſta, ut arceat injurias, leviſque, ut ſit mitis & ſuavis contactus molliorum membrorum, Eſt etiam tenuis, ut non gravet: quam ob cauſam caret carne; in uno tamen loco craſſior eſt & denſior quàm in alio propter rationes, de quibus ſatis providit natura: Nam in omento eſt tenuior, quia pinguior; In inteſtinis gravior, quæ vocatur peritonæum, & ſic ubique natura compenſat in uno quod negat in alio. Membranæ, quibus involvitur cerebrum, ſunt duæ, una cui cor, peritonæum cui inteſtina; ſuccingens ambit coſtas, & pericranium extrinſecus calvariam. Reliquæ fermè omnes quia parvæ ſunt, proprio carent nomine, ſi eas exceperis, quæ oculos contegunt: Oriuntur ex nervis aut ſubſtantiâ & partibus quas involvunt, ſed formantur in prima fœtus formatione non aliter ac reliquæ partes ex materia ſementiva: Quis enim dicat menynges ex cerebro, & peritonæum ex inteſtinis oriri? Et hæc eſt ſententia Hipp. lib. de genit. & de natura pueri; Galenus de formatione fœtus, de ſemine & de uſu partium 14. cap. 11. aliorumque præclariſſimorum Medicorum.

DICO tertiò, Tunica non eſt ejuſdem ſubſtantiæ cujus eſt membrana. Hæc eſt multorum, & ut videtur, opinio probabilior;
Ratio eſt, quia tunica propter villos longos, *Tunica quid.*
obliquos & latos veras habet operationes, ut tractionem, retentionem, expulſionem &c. Membrana autem ſolum unum & ſubſtantiam ubique ſibi ſimilem. Habent autem ſuas tunicas ventriculus, inteſtina, veſica, uterus, venæ, arteriæ &c. per quas nutrimentum attrahunt, & excrementum aliaque vocivarepellunt, id quod experimento eſt in vomitu, in dejectione alvi, omniumque ſuperfluitatum & humorum excrementitiorum profuſione.

DIFFICVLTAS VI.

Quid ſit Os.

DICO, Os communiter deſcribitur quod ſit pars ſimilaris, duriſſima & alba ad cæ-
teras partes ſtabiliendas deſtinata: frigidum *Os quid*
eſt & ſiccum, terreæque prorſus naturæ, unde etiam omnis ſenſus expers, ut habet Ariſt. 3. de partibus animal. cap. 10. & 3. de anima cap. ult. Eſt enim os duriſſimum, ſolidiſſimum, craſſiſſimum, maximeque ponderoſum, genitum ex craſſâ ſeminis portione cum aduſtione quâdam & humoris conſumptione. Uſus oſſium eſt, ut ſint baſis ad ſuſtentandam carnē nollam: Natura enim animali ſubjecit oſſa aut flectendi gratia ſi moveantur, aut conſervandi ſi ſunt immobilia ut coſtæ, quæ propter ſalutem viſcerum pectus claudunt. Unde colligitur tres eſſe uſus oſſium, primus eſt ut erigant & ſtabiliant carnem; ſecundus ut motum præſtent; tertius ut conſervent partes præ-

præcipuas, quibus veluti muri durisſimi à natura ponuntur, ut thoracis & capitis oſſa ad cuſtodiam cordis & cerebri. Uſus adhuc alii ſunt qui ſenſibus & operationibus variis impertiuntur, ut aurium auditui, apprehenſioni manuum, ambulationi pedum, &c. Oſſa majora habent cavitates & medullam, ne eſſent nimis gravia, minora non habent, ut ſint robuſta; habent tamen caverulas quibus conduntſuum nutrimentum. De leonum oſſibus narrat Ariſt. lib. 3. de hiſt. animal. cap. 7. quod habeant medullam perexiguam & tenuem, & quidem in oſſibus paucisſimis, cum ſit animal fortisſimum. Quæ enim animalia ſunt calidiora, illa etiam habent oſſa duriora, ut patet in volucribus rapacibus. In avibus tamen dicuntur fæminæ habere oſſa duriora quàm mares, contrà verò in cæteris animalium generibus. Piſces oſſa non habent ſed ſpinas; Delphini tamen habent, quia ſunt vivipari & ſanguinei. Quæ animalia nec ſpinas habent nec oſſa, ut ferè exangues & piſces vivipari, vermes, reptilia &c. cartilagines habent, propterea etiam videre eſt ſpinas in ſerpentibus minoribus, oſſa verò in prægrandibus. In Teſtaceis autem & cruſtaceis teſta aut cruſta eſt inſtar oſſis, quia hæc mollia ſunt & frigida; unde etiam indigent exteriori propugnaculo. Quot autem oſſa ſint in animalibus, videre eſt apud Anatomicos; horum multitudo maximè neceſſaria eſt in corporibus, non tam ad ſuſtentandam carnem, quàm ad motum, robur & firmitatem. Pulchra profectò & admirabilis eſt ſtructura, compoſitio & nexus, non aliter ac ſi os unicum eſſet; præcipuum autem & quaſi origo, ut in 3. de hiſt. animal. cap. 7. & 2. de partibus cap. 9. notavit Ariſtoteles, eſt ſpina dorſi, ſic dicta quod ejus pars poſterior ſit acuta & veluti ſpinoſa, quia eſt os durisſimum & maximum, juxtaque Ariſtotelis rectitudinem velut in navi carina poſitum, ut habet Gal. 12. de uſu partium cap. 10. & 11. cui latera, puppis & prota innituntur, ſic ut ad ſpinam reliqua corporis oſſa reducantur, ut cum ea colligentur. Dividitur ſpina in collum ſive cervicem, dorſum, lumbos & os ſacrum, & conſtat tot oſſibus, ut hominem omnem in partem movere ſe poſſit; adjunguntur cæterùm oſſa capitis collo, crurum & tibiarum oſſi ſacro, thoracis & brachiorum partibus intermediis, ſicut etiam vertebræ, quæ ita dicuntur, quod corpus omnem in partem moveant. Et hæc oſſa omnia faciunt firmam illam compactionem, aridum & oſſeum hominem, monſtrum terrore plenum ſi carne nudum ſit, aſpectu autem jucundum ſi carne undique veſtitus. Vt autem omnia oſſa arctisſimè copularentur, produxit ſapientisſima natura ad ſingulorum connexionem motum & tutelam vincula intermedia in extremitatibus, Tendines item & cartilagines quibus ſe mutuò exciperent & ad finem expeditumque motum exactè ſingula quadrarent.

Leo quare tam fortis.

DIFFICVLTAS VII.

Quid ſit Cartilago, Vinculum, Tendo & Fibra,

DICO primò, Cartilago omnia fermè oſſa excipit, ut apparet in naſo, coſtis & oſſibus pectoris: Eſt ſimillima oſſi quoad ſubſtantiam, ut habet Ariſtoteles 3. de hiſt. animal, cap. 8. & 2. de partibus animalium cap. 9. quia ambo ex materia eadem vel magis vel minus ſiccatâ ſunt concreta. Quod eſt in Oviparis piſcibus ſpina, & in ſanguineis os, id eſt in quibusdam animalibus cartilago. Media itaque ſubſtantia eſt inter os & carnem; oſſe quidem mollior, carne autem durior, ut patet in auribus, quæ nec curvatæ franguntur, nec etiam facilè læduntur licet prominerant, quod tamen fieret ſi carneæ eſſent, cum jam ſint ſolidiores & duriores. Vſus Cartilaginis eſt conjungere & copulare partes, facilitare motum & juvare, tueri oſſa ne nimio motu conterantur & frangantur; prohibere etiam ne caro à duritie oſſis lædatur inter motum, conferre ad reſpirationem in aſpera arteria efficiendam, in gutture ad vocem formandam &c.

Cartilaginis uſus.

DICO ſecundò, Vinculum etiam dicitur ligamentum, & eſt pars illa exanguis alba, licet minus ſolida & dura quàm cartilago, quia oritur ab oſſe, vel à cartilagine, vel à prædura membrana. Vſus ejus primus eſt colligare, vincire & copulare oſſa & cartilagines, ut oſſa pectoris & cartilagines coſtarum; tum cartilaginibus cartilagines ut in Larynge & alis naſi; denique oſſa oſſibus, ut in genu, digitis &c, Vnde patet vel maximè neceſſarium eſſe, dum oſſa tam multa colligat, ut quaſi os unum continuum eſſe videatur, quia præter capitis oſſa reliqua penè omnia vinculis colligantur. Vſus ſecundus eſt, facilitare motum firmioremque & certiorem facere ut oſſa, quæ naturâ ſuâ ſunt gravia & ad motum inepta beneficio vinculi expeditè & abſque offenſo conſtanter trahentes muſculos ſequuntur: Et ſi oſſium & cartilaginum articuli his vinculis ex coëuntium partium extremitatibus ortis colligati non tenerentur, facilè quovis fermè motu laxarentur: ſunt tamen tam mollia, ut tum facilè flectuntur læduntur & laxantur, non tantum non impediant aut retardent motum, ſed promptisſimè ſequantur, juvent & exequantur. Adverte, hic quæſiviſſe occaſionem Galenum lib. 2. de locis affectis cap. 6. quemadmodum Dandinus & alii Ariſtotelici advertunt, ut Ariſtotelem carperet; Hic enim cùm vincula in cordis finibus contineri videret, nervos eſſe putavit, proindeque malè cum veteribus nonnullis hos à corde oriri docuit.

Vſus vinculorum.

DICO tertiò, Tendo nihil eſt aliud quàm vinculum, neque differt alio modo quàm uſu & permiſtione affuſæ carnis. Vinculum enim ab-

Tendo.

abſolutè id dicitur, quod tantū vim habet vinciendi & colligandi & continendi; Tendo autem ejusmodi vinculum eſt, quod ita vincit & colligat, ut vinctas & colligatas partes nō tantum contineat, ne motæ à ſua ſede recedant, ſed eas quoq; flectere & movere poſſit. Conſtat hoc primò, quod ex oſſe aut cartilagine unde muſculi principium eſt, non naſcatur nervus, ſed vinculum; Secundò quod Tendo maximâ parte conſtet ex vinculo, ut omnes Medici ſentiunt, nec nervus ſine illo movere poſſit; Tertiò quod vinculi non nervi proprium ſit oſſa & articulos flectere, eorumque flexionibus ac motibus famulari. Plura vide apud Dand. lib. 3. de partibus homogeneis, & alios.

DICO Quartò, Fibra, quæ etiam dicitur filamentum, & villa quæ per muſculos ſparſim apparet, & corpus valdè ſubtile & tenue inſtar fili oblongum & album. Vſus ejus eſt, ut partes fit met & motum adjuvet; ſunt triplices, aliæ ſunt rectæ & in longitudinem poſitæ, quarum munus dicunt eſſe ut attrahant; aliæ transverſæ quæ expellunt; aliæ denique obliquæ quæ retinent.

Fibra triplices.

DIFFICULTAS VIII.

Quid ſit Vena.

DICO, Vena communiter deſcribitur, quod ſit vas membranoſum ſimplici tunicâ conſtans, triplicique fibrarum genere intertextum, ſanguinem craſſiorem pro toti-us corporis nutritione deferens. Dicitur inprimis, quod ſit vas membranoſum, quia vena ſubſtantialiter nihil aliud eſt quam membrana in longitudinem, rotunditatem & cavitatem efformata, ut deferat ſanguinem alimentalem per totum corpus. Dicitur ſecundò, ſimplici tunicâ conſtans, quia vena tenuis eſt & rara, quam natura unicâ tantum tunicâ vel membranulâ effinxit; unde conſtat venam eſſe membranam materialiter, ſicut panis materialiter nihil aliud eſt præter aquam & farinam concoctam. Dicitur tertiò, triplici fibrarum genere intertexum, quia harum beneficio trahit alimentum & retinet expellitque noxium; Et has fibras videre eſt in elixatione animalium eorumque majorum venarum. Dicitur quartò, ſanguinem craſſiorem per corpus nutriendum deferens, quia cum hic ſanguis necdum perfectè coctus ſit, craſſior adhuc exiſtit, nec eget niſi venâ tarâ & tenui, quâ concluſus facilè conſervatur, ſecus quàm in arteria, quæ ideò craſſior eſt, quia ſanguinem continet ſubtiliorem & rariorem: Et hinc manifeſtum eſt, venas ideò pervias eſſe, totoque corpore diſpergi, ut ſanguinem undique deferant; Deinde uſum earum eſſe, ut contineant ſanguinem magis magisque perficiendum & coquendum. Mitum profectò, tantam ineſſe venis virtutem ad conſervandum ſanguinem, ut mortuo etiam animali ſanguineque & corpore refrigerato hic nihilominus intrà venas non concreſcere dicatur, quod tamen extrà has quamprimùm accidere ſolet; ut notant Dand. citat. & alii.

Vena quid

Vena tenuior eſt, & arteria craſſior.

DIFFICULTAS IX.

Vbi oriantur Venæ ſecundum Galenum & plerosque Medicos.

GAlenus tum aliis in locis tum maximè lib. 6. de Hipp. & Platonis decretis docet, ſanguinis officinam eſſe Epar, & ibidem venas exoriri radicaliter, id eſt, prodire ex ſubſtantia Epatis non ſecus ac truncus arboris ex radice. Et hoc idem multis ſeculis antè docuit Hipp. lib. de alimento, ubi ait, radicatio venarum Epar, arteriarum Cor. Rurſum lib. de principiis, 4. de morbis, lib. de formatione fœtus, & ſecundo Epidem: Vocat venam cavam jecorariam. Hos ſequuntur omnes penè Medici, ut Fern. lib. 1. de partibus corporis humani, cap. 11. Andr. Laur. lib. 1. quæſt. anatom. 29. & alii.

Argumentum primum eſt, Venæ ſunt majores circà Epar quam circa Cor, ergò in Epate habent originem. Quod ſi dicas, venam cavam eſſe propè cor majorem; Reſpondetur id fieri propter ebullientem ſanguinem & calorem cordis; Deinde ex parte quâ vena cava jungitur cordi, multò eſt anguſtior, quam quâ Epati applicatur, ergò Epar eſt ejus Origo.

Secundum eſt, Vena portæ oritur è concava parte Epatis, indeque in meſenterium, inteſtina, aliasque partes deſcendit, ergò ſi hæc ab Epate oritur, etiam orietur cava.

Tertium eſt, Ibi oriuntur Venæ ubi fons ſanguinis exiſtit, quia venæ propter ſanguinem deferendum formatæ ſunt; ſed hoc Epar eſt, ubi etiam quatuor humores ſeparantur, ergò.

Quartum eſt, Si Cor eſſet fons & principium ſanguinis, totum alimentum vel totus ſanguis inde deberet in totum corpus diſtribui, quod tamen abſurdum & falſum eſt. Nam omnes partes ſub ſepto transverſo hauriunt ſanguinem ab Epate & non à Corde; imò ipſum Cor & omnes partes pectorales hauriunt ſuum nutrimentum ab Epate; deinde ille ſanguis qui eſt in dextro cordis ſinu, non eſt magis concoctus quàm qui eſt in Epate & reliquis venis.

Quintum eſt, inter Cor & Epar non niſi una continetur vena, quæ inſufficiens eſt, ut per eam ſanguis omnis à corde ad Epar, & rurſum ab Epate ad Cor poſſit remeare, cum è contrà in Epate duæ ſint venæ amplisſimæ, una portæ, quæ nutrimentum ſuſcipit, & cava, quæ largè diſtribuit, cordique ſanguinem pro gignendis ſpiritibus vitalibus defert.

Sextum

Sextum eſt, Vena portæ omneſque ejus rami, non conjunguntur cordi, ſed Epati, ergò hoc erit etiam venarum origo.

Septimum eſt, Si venæ oriventur ex corde, etiam pulſarent, quia etiam dexter ſinus cordis pulſat: ſed hoc falſum eſt, ergò & illud.

Octavum eſt, Tota Epatis ſubſtantia eſt ſanguinea, & nihil aliud niſi ſanguis concretus, adeoque ad gignendum ſanguinem Epate nihil accommodatius.

Nonum eſt, Nunquam debilitatur ſanguificatio, nunquam etiam accedit hydrops niſi corruptâ ſubſtantiâ Epatis, ergò ipſum eſt officina ſanguinis & principium venarum,

Decimum eſt, Ex corde non poteſt ingredi ſanguis in venam cavam, quia id impediunt membranulæ tres tricuſpides tanquam oſtiola foris hiantia & intus recluſa, ne in dextrum cordis ſinum ſanguis ingreſſus, refluat in cavam.

Vndecimum eſt, Sanguis in dextro cordis ſinu eſt tenuisſimus, & omninò disſimilis illi qui eſt in venis, ſimilis autem illi qui eſt in venis Epatis, ergò.

Duodecimum eſt & ſumitur ab ipſa Galeni & Hipp. autoritate. Hippocrates enim vocat venam cavam jecorariam, ut patet 2. Epid. Et lib. de formatione fœtus. Galenus verò 6. de placitis Hipp. & Platonis aliquot adfert rationes ad ſtabiliendam ſuam ſententiam, & inter cæteras ſimilitudinem inter arbores ejusque radices, caudicem & ramos, tum inter venam cavam ejusque radices & ſureulus variè per Epatis carnem ſparſos, Vt itaque hæc Medicorum opinio cum Fernelio claudatur, advertendum ſte, hunc non probare venarum originem, ſed id tanquam verum & indubitatum ſupponere, ut patet ex eo loco, ubi de venis agit.

DIFFICULTAS X.

Quid Ariſtoteles Ejusque ſequaces ſentiant.

DOcet hic lib. 3. de partibus animal, cap. 4. & 5. lib. 2. de generatione animal. cap. 4. lib. de ſomno & vigilia, de Juvent. & Seneƈt. aliisque plurimis in locis, Cor eſſe principium venarum. Eum ſequuntur Averrh. lib. 2. colliget. cap. 9. Avicennas in 1. Fen. 1. can. doƈt. 5. cap. 1. Cùm anteà in 3 de animal. cap. 1. & 3. & in 6, animal. cap. ult. multa in utramque partem diſputaſſet. Toriſanus item comment. 12. & 44. in ſecundum artis p. Conciliat. diff. 47. Andr. Veſalius quod notatu dignum lib. 3. de Fabrica corporis humani cap. 6. Et hanc ſententiam confirmant Arabum interpretes, Hugo ſenenſis, Gentilis, Jac. Forel. Et Dinus vir magnus comment. in lib. Hipp. de natura fœtus, ubi diſputat an teſtes ſint præcipua membra in generatione, & concludit, Cor omnia præſtare, & quidem per membra adjuvantia, ut motum per cerebrum, generationem ſeminis per teſtes & ſanguinis per Epar &c. Argumenta ſunt ſequentia.

Primum. Quod in rebus omnibus unitas optima ſit & tutisſima. Nam ſicut omnes facultates pertinent ad unam formam & eſſentiam; Ita etiam omnia membra quæ facultatum ſunt inſtrumenta, ad unum membrum revocati debent, quia natura ſemper facit quod eſt melius, nimirùm, ut omnis multitudo ad unum revocetur, adeoque ut ab eo cætera dependeant, cum præſertim pluralitas principiorum adferat corruptionem & confuſionem, quòd tamen natura in humano corpore ita evitavit, ut non tantum uni unam præeſſe formam, ſed etiam totius vitæ & omnium facultatum parentem & moderatorem Cor exiſtere voluerit.

Secundum. Cor primò vivit & ultimò moritur; ergò debet eſſe principium omnium operationum & conſequenter membrorum quibus fiunt operationes.

Tertium. Cor eſt in medio tanquam rex in regno, ex quo loco omnia adminiſtrat, omnibusque partibus ſanguine, calore & ſpiritu ſubvenit.

Quartum. Eſt fons caloris & officina ſpiritus. Sicut autem in mundi adminiſtratione cauſa prima non immediatè agit, ſed ſemper cauſis ſecundis utitur, ſic etiam cor ubique per certa membra & facultates in ejusmodi membris exiſtentes operatur: Ex quo collige, hanc quæſtionem maximè dependere ab ea, quâ de principatu cordis alibi diſputabitur.

Quintum. In dextro cordis ſinu continetur ſanguis, tanquam in fonte & receptaculo, in Epate verò tanquam in canali, ubi nulla eſt cavitas, ſed plexus & rivuli multi.

Sextum. Venæ per Epar diſſeminantur veluti viæ multiplices per agrum; Cordi verò aſſident & intrinſecus affixæ ſunt, ut patet in arteria magna & venâ cavâ, quarum extremitates vel initia ibi comparent, ſecus in Epate.

Septimum. In baſi cordis quatuor vaſorum inſignia conſpiciuntur oſtia, & eâdem ratione hiantia, ut aorta, arteria venoſa, & vena arterioſa, & vena cava; ſed convenit inter omnes priora tria à corde hautire originem, ergò & vena cava, quæ multò eſt amplior & hiantior, ubi dextrum cordis ſinum egreditur; quæ ratio multum convincit, ſi præſertim & illud accedat, quod à vena cava velut à trunco unico venæ omnes ſurſum & in totum corpus ſicut ab aorta reliquæ totius corporis arteriæ diſſeminantur.

Octavum. Venarum ſubſtantia prorſus exanguis eſt, & ab heparis ſubſtantiâ, quæ tota mollis & quaſi ſanguis concretus, aliena. Cordi verò ſimillima & arteriis; Nam vena & arteria non diſſentiunt ſubſtantiis, niſi quod illa ſit tenuior, hæc craſſior & denſior.

Nonum. Vena cava, etiam per diligentisſimam inſpectionem multorum magnorum vi-

vitotum, poſtquam à corde deſcendit, per gibbum Epatis & totam ejus ſubſtantiam penetrat, & ulterius progreditur, nullo modo autem in ipſo Epate ſuam ducit originem: Contrà verò in finibus cordis arteria magna & vena cava maniteſtisſimè trabit originem, & ſubſtantiam ejus non penetrat; Neque tantum aorta & vena cava oriuntur à corde, ſed etiam vena arterialis, quæ nullo modo venam cavam, ut putat Galenus, attingit, cum utraque orificia plurimùm inter ſeſe diſcrepeat, & cava ſextuplo ſit tenuior quam arteria venoſa, quam è ſiniſtro cordis ſinu prodire omnibus manifeſtum eſt. Quam diligens autem & quam curioſus inſpector fuerit Ariſtoteles, cum hic ad ſenſum appellandum ſit, videri poteſt Plinius, lib. 16. cap 8.

DIFFICVLTAS XI.

Quæ ſit verior ſententia de Origine venarum.

NOTA. Principium aliud eſſe radicationis, aliud diſtributionis ſive derivationis ſecundum Medicos. Illud eſt quod ex ſua ſubſtantia fundit & protrudit aliquid, ut ſemen ex ſe germen, arbor tamum, radix truncum, &c. Hoc verò, è cujus interiori ſinu aliquid prorumpitur radix ex terra, minera argentea ex lapide, ubi ambo in ſubſtantialibus diſcrepant. Jam quæſtio eſt, quomodo otiantur venæ; Et ratio dubitandi eſt, quia viſcera à quibus otiri dicuntur, alterius ſunt ſubſtantiæ cum venis, tum etiam in generatione poſteriora.

Vnde oriantur venæ. DICO primò. Venæ nec oriuntur ab Epate nec à corde tanquam à principio radicali. Ante probationem adverte, Cor & Epar duplici conſtare ſubſtantiâ, carnoſa ſcilicet & ſpermatica; illam conſtituit caro ſimplex quæ viſcerum eſt, hanc verò venæ, arteriæ, nervi, membranæ, tunicæ, fibræ &c. Jam probatur concluſio; Si venæ radicaliter ab Epate vel corde oritentur, fieret hoc vel à parte carnoſa vel à ſpermatica, vel ab utraque conjunctim ſumptâ; ſed nullum ex his verum eſt, ergò nec illud. Probatur ſequela majoris; quod non fiat à parte carnosa, quia hæc in generatione poſterior eſt venis, gignitur que primùm accedente animâ per nutritionem quæ eſt actio vitalis; Deinde eſt alterius ſubſtantiæ quam ſint venæ, ergò non poteſt eſſe harum principium radicale. Quod nec fiat à parte ſpermatica, probatur, Quia vena non gignitur ex nervo, vel arteria, vel membrana, vel ex alia vena, vel ex his ſimul ſumptis, ergò non ex parte ſpermatica. Quod denique nec ex utraque parte ſimul ſumpta, probatur; Quia Epar & Cor hoc modo acceptum ſunt aggregata per accidens, id eſt, ex plurimis formis partialibus congeſta, & alterius cum venis ſubſtantiæ vel naturæ, nec ſimul cum venis, ſed longè poſt producta, ergò non poſſunt eſſe venarum principia radicalia.

DICO ſecundò. Nec venæ oriuntur ab his viſceribus ut dicantur principia diſpenſationis. Et contrà pleroſque Medicos & Galenum lib. 6. de placitis Hipp. & Platonis cap. 8. ubi ait, ſi principium diſpenſationis materiæ, quâ totum corpus alitur, quæris, non invenies aliud viſcus commodius quam Epar, Intellige autem per principium diſpenſationis ejusmodi membrum, quod dat materiam vel nutrimentum toti corpori. Cum itaque venæ non poſſint continuari cum Epate, ut à quo differunt ſpecie juxtà diſcrepantiam formatum partialium, ſequitur omninò ab eo non habere originem. Probatur; quia Epar non diſpenſat nec diſtribuit ſanguinem in corpus ejusque partes, ſed venæ per Epar diſperſæ perque totum corpus diffuſæ, ergò non poteſt eſſe principium diſpenſationis; Et hoc idem de corde intellige; quod tametſi juxtà mentem Ariſtotelis omnem ſanguinem in venam cavam refundat, & hâc mediante in totum corpus, recipit tamen eum à venis Epatis incoctum, crudumque è ventriculo, meſenterio & inteſtinis: Sed nec malè dixerit, quisquis ſanguinem principaliter à corde, & à venis immediatè in univerſum corpus diffundi & diſtribui dixerit.

DICO tertiò. Si baſis & initium ſeu fundamentum partis reſpiciatur, à qua venæ primò ducunt originem, ſive illud fiat per continuitatem ſive per contiguitatem, probabilisſimum eſt, illud cor eſſe. Probatur primò. Quia ſola cordis ſubſtantia eſt, ex cujus interiori parte prodit vena cava, ergò huic ſoli deſerendum eſt principium; Antecedens patet, quia per omnes reliquas partes inſtar canalium aut viarum tranſeunt venæ & diſſeminantur, quod maximè videre eſt in ſubſtantia Epatis, in qua nullius venæ initium figitur & terminatur, ſicut in ſubſtantia cordis, à quo in univerſum corpus excurrunt, donec tandem in viſceribus, in muſculis, omnisque generis partibus per minutisſimas extremitates quemadmodum radices in terræ ſinu deſiuant. Probatur ſecundò. quia à corde tanquam à principio vitæ prodeunt omnes operationes vitales, ergò probabile eſt, hinc manare venas, ſanguinem, ejusque perfectam decoctionem. An tamen in corde per continuitatem ſive per contiguitatem terminentur, incertum eſt; at probabilius id fieri per contiguitatem, quia ſunt partes diverſæ ſpeciei, quæ per medium heterogeneum connectuntur & uniuntur.

DICO quartò, Etiam Epar poteſt aliquo modo dici principium venarum; Et hoc contrà Plembium Medicum Lovanienſem, qui lib. 2. de fund. Medicis nullo id modo dicendum eſſe ſcribit: ſed probatur primò. Quia in Epate potisſimum ſuum habent effectum venæ, id eſt, coqvunt & perficiunt aliquo modo ſanguinem, qui maximè à calore Epatis fovetur & conſervatur. Secundò, Ita conformatum

tum eſt Epar, ut ab illius ſubſtantiâ plurimæ hinc inde venulæ erumpere, & juxtà Anatomicorum doctrinam, in univerſum corpus diffundi videantur. Tertiò, Epar eſt commune quaſi venarum receptaculum, videlicet, venæ cavæ, portæ, umbilicalis &c. Et officina eſt, ubi ſeparatio fit humorum utilium ab inutilibus, ut alibi dicetur, ergò poteſt aliquo modo venarum principium dici. Cæterùm quomodo concoctio in Epate & corde fiat, dicetur ſuo loco.

DIFFICVLTAS XII.

Quid ad argumenta utraque reſpondendum ſit.

ARgumentum primum Galeni ridet Valeſius, idemque retorquet in ipſum Galenum, quia orificium cavæ longè amplius eſt prope cor quam ullibi; ſimiliter pars venæ, quæ ſuprà Epar cordi proxima eſt, multò major exiſtit, quam quæ ſubeſt Epati, quia ſcilicet plus ſanguinis ad partes ſuperiores quàm ad inferiores mitti debet, cùm non tantum nutriantur ſicut inferiores, ſed etiam ſinibus cordis ſanguinem ad gignendos ſpiritus vitales deferant. Deinde multis in locis reperiuntur multi nervi majores quam in cerebro ubi oriuntur, v. g. nervus opticus craſſior eſt in oculo quàm prope cerebrum, quia res naturales non tantum ex ſtatu præſenti, ſed ex fine metiendæ ſunt: Et ſic non ſemper craſſius eſt quod eſt infimum, ſed ſolùm ſi ſit utilius, ut apparet in arborum radicibus, quæ ideò ſunt tenuiores ut commodius hauriant ſuccum; truncus autem firmior & craſſior ut ſuſtentet totam arborem; ſic vena amplior facta eſt in gibba hepatis parte quàm in corde, ut faciliùs inde reciperet ſanguinem & ad cor transmitteret; ſic oculi nervus eſt craſſiſſimus, ut reciperet ſpiritum copioſiſſimum: Quod ſi autem vena cava in Epate ſit grandior, ideò fit quia accedit nova materia, quæ in corde ob loci anguſtiam deſint, & in Epate facilè accreſcere poteſt, adeoque aperire portam venasque Meſaraicas extendere ad alimentum attrahendum. Itaque negatur in hoc Galeni argumento conſequentia.

Ad ſecundum argumentum R. Falſum eſſe, quod vena portæ oriatur ex ima parte Epatis, ut paulò poſt dicetur.

Ad Tertium, Reſpondetur negando Epar eſſe fontem ſanguinis ibique generari; quia ſanguis eſt in corde tanquam in ſinu proprio: In Epate autem ſolum ut in canali, ſcilicet, in venis; Deinde in Epate gignitur ſanguis imperfectè, quia per venas meſaraicas attractus incipit paulatim per calorem hepatis alterari & concoqui. Quod ſi Galenus concedit principalem ſanguinem illi membro deferendum eſſe, quod eſt principium nutritionis, certè cor aſſignari debet, quia hoc eſt propriè dictum principium, cùm omnis mutatio fiat ab illo membro, quod eſt fons & origo caloris, à quo efficienter fit nutritio. Separatio humorum fit meritò ab Epate tanquam à miniſtro cordis & famulo, ſicut jam prius idem officii genus præſtitit ventriculus, cùm materiam alimentalem Epati adoptavit & præparavit, ideoque nihil hinc à Galeno & Medicis concluditur.

Ad quartum Reſp. Negando minorem; ad ejus probationem dicitur partes omnes inferiores imò & ipſas ſuperiores haurire ſanguinem ab Epate tanquam à primo & radicali principio; & hoc ut melius intelligas, Adverte, ſanguinem in Epate ab impuritatibus ſeparatum ad venam cavam deduci, ideoque in omnes partes tam ſuperiores quàm inferiores diſtribui; qui ad ſuperiores aſcendit, partim dextrum cordis ſinum ingreditur ad gignendum ſpiritum vitalem, partim per alterum ramum non procul à corde diviſum, in omnia membra diffunditur; ſpiritus autem vitales per arterias diffuſi ſanguinem non benè concoctum in venis attenuant & diſponunt ſuo calore ad corporis ſubſtantiam, & ille qui defertur ad cerebrum, nonnihil à frigore cerebri contemperatus, nervos ingreditur, efficitque motum & ſenſum, atque ita tota vita noſtra adminiſtratur ab uno corde, & Epar tanquam miniſter exhibet materiam tam ad nutritionem quàm ad generationem ſpirituum. *Negando.*

Ad quintum. Reſp. negando antecedens, quia nihil impedit, quò minus ſanguis crudus & incoctus ab Epate ad Cor, alius autem ſufficienter, coctus ab hoc ad Epar remeare poſſit, & quidem per eandem viam ſine confuſione, quia hoc idem fieri ſolet in venis meſaraicis & portæ, ubi ſanguis ab Epare ad partes inferiores nutriendas deſcendit, chylus autem à ventriculo & inteſtinis per eaſdem vias ad Epar aſcendit, adeoque ſe mutuò ſine confuſione & permiſtione tranſeunt, ut communis eſt Medicorum doctrina.

Ad ſextum, Reſp. negando antecedens, quia certum eſt venam portæ oriri à cava & cum corde copulari, ut patet ex peritiſſimis Anatomicis, & ex ipſo Ariſtotele, lib. 1. de hiſtor. animal. cap. 18. lib. 5. ejuſdem operis cap. 8. aliiſque in locis: Ubi porta dicitur propago cavæ, & in Epate ſummo naturæ conſilio ad inteſtina per meſenterium emitti, ut inde alimentum ad Epar adducat; Et eſto cernatur hæc vena portæ in cava Epatis ampla, dividitur tamen in viſceris hujus ſubſtantiâ in plurimas exiguas venulas, quarum nonnullæ ſanguinem hinc inde per Epar diſſeminant, aliæ verò cavæ propaginibus ita connectuntur, ut quaſi continuari videantur: Ad inferiora verò Epatis cum tendunt, coëunt ſenſim, donec omnes *Vena porta oritur à cava.*

ex viſcere emergentes magnum illum efficiant truncum.

Ad ſeptimum. R. negando aſſumptum; quia primò, venæ ſunt nimis molles pro vehementi illo motu ſuſtinendo. Secundò, quia ſinus dexter cordis non eſt tam calidus, nec ſanguis adeò tenuis, quæ duo tamen ad pulſum ſpectant. Tertiò, Vena quæ cum corde conjungitur, anguſta eſt, cùm tamen ad pulſum amplitudo requiratur. Quartò, longè alia eſt conditio venæ & arteriæ, quia illa ab Epate haurit ſanguinem, hæc verò ex corde ſpiritum & ſanguinem.

Ad octavum, Reſp. negando conſequentiam; quia etiam ſubſtantia cordis eſt ſanguinea, & nihil aliud niſi ſanguis quaſi concretus beneque compactus, ipſis etiam venis longè ſimilior quàm ſubſtantia Epatis.

Ad nonum, Reſp. negando conſequentiam; quia etiam affecto corde deficit ſanguificatio & bona nutritio ut manifeſtum eſt. Quod autem affecto Epate ſequatur hydrops, cauſa eſt, vel quod ſanguis non benè diſtribuatur ob multiplices venulas quæ per Epatis ſubſtantiam diffuſæ & diſſeminatæ ſunt, vel quod obſtruantur aut quovis modo afficiantur, vel quod non fiat transmiſſio ſanguinis ab Epate ad venam cavam, vel quod in ſubſtantia Epatis aut nulla aut exigua fiat decoctio. Nam certum eſt etiam in Epate fieri decoctionem, & præſertim rubificationem, ſed non tanquam in primaria officina & principio venarum.

Ad decimum, Reſp. Incertum eſſe propter quem uſum ſint illæ membranulæ tricuſpides, & poſſe cõfingi alias rationes, nimirùm ne ſanguis ex corde nimis confeſtim in cavam refluat, aut ad generandos ſpiritus vitales minus detineatur.

Ad undecimum, Reſp. Sanguinem qui in dextro cordis ſinu deprehenditur, vel eſſe arterioſum, vel illi proximum, adeoque differre ab eo qui ibidem concoctus in Epar refluit & in venas diſtribuitur: Et ſanguis ille qui in venis Epatis exiſtit, non habet ſuam perfectionem ab ipſo Epare ſed à corde à quo ille remeat.

Ad duodecimum, Reſp. Ex Authoritatibus Galeni & Hipp. nihil concludi: Nam & vena cava dici poteſt jecoraria, quia Epar non tantum attingit, ſed etiam ſubingreditur & penetrat; ſimilitudo Galeni claudicat, ſicut de omnibus ſimilitudinibus dici ſolet.

Ad primum argumentum Ariſtotelis reſponderi poteſt breviter, ex hoc quod cor ſit principium vitæ ſeu operationum vitalium, male concludi, eſſe quoque membrorum & venarum principium; quia aliàs nervi ſuam hinc quoque deducerent originem, quod tamen falſum eſſe teſtantur plerique Philoſophi. Sufficit itaque quod à corde per calorem vitalis facultas deriveiur in univerſum corpus, idque mediis arteriis, quæ in omnes partes & viſcera diſperguntur.

Ad ſecundum, Reſp. Falſum eſſe quod Cor primò vivat, quia vivunt cum eo partes omnes ipſo inſtanti quo infunditur vel producitur anima; ſed nec ultimò moritur propter eandem cauſam; quia ſicut anima in inſtanti dat omnibus partibus vitam, dum ipſa vel producitur vel infunditur, ita etiam eodem inſtanti infert omnibus mortem, dum ipſa perit & deſinit informare. Quod autem videatur coc primò vivere & ultimò mori, mirum non eſt; quia cùm ſit fons & origo caloris, vita autem in calore conſiſtat, illud meritò cenſetur præ omnibus aliis partibus vitales operationes exercere; Negatur tamen conſequentia, quod videlicet omnia membra à corde deriventur.

Ad tertium ſicut & ad quartum. Reſp. negando conſequentiam. Hinc enim quod cor in medio corporis exiſtat, quod ſit officina caloris vitalis & ſpirituum vitalium, non licet inferre, quod etiam ſit principium venarum, quia eſſe principium vitæ & caloris & eſſe originem venarum ſunt independentia, ne cogamur alias etiam partes à corde contrà communem doctrinam & experientiam derivare.

Ad quintum, Reſpondet Andreas Laur. oper. anatom. quæſt. 29. ex Galeno 4. de uſu partium, in Epate ideò non eſſe cavitatem aliquam, quia ſubſtantia ſua ſanguinem ita omni ex parte mutuo contactu complecti debet, ut illi formam, calorem, perfectionem, & ideam ſanguinis imprimat; Neque ad omnem concoctionem neceſſarius eſt ſinus, id quod etiam in teſtibus patet, ubi cum multis quidem plexibus, ſed abſque aliqua cavitate fit ſeminis generatio. Negatur itaque conſequentia.

Ad ſextum, Reſp. Falſum eſſe quod vena cava ita cordi infixa ſit, ut cum eo ſit continua; quod etiam diſſeminentur venæ omnes per Epatis ſubſtantiam veluti viæ per agrum, id nihil concludit aut convincit.

Ad ſeptimum, Reſp. negando venam cavam à corde oriri, ſicut tria illa vaſa, videlicet, arteria magna, arteria venoſa, & vena arterioſa, quia aliam habent hæ ſtructuram, penituſq; diverſam à formatione venæ cavæ, ut patet apud Anatomicos.

Ad octavum, Reſp. Subſtantiam venarum nec cordi nec Epati ſimilem eſſe, unde nec ab unius nec ab alterius ſubſtantiâ prodit. ut patet. Et quamvis Gal. l. 4. de uſu part. c. 2. dicat, venas ideò ab Epate oriri, quod natura ſua ipſi ſint ſimiles; lib. tamen de formatione fœtus cap. 5. dicit; ſubſtantiam venarum nihil habere ſimilitudinis cum ſubſtantia Epatis: Ecce quàm conſtans in verbis & doctrina Galenus.

Ad nonum, Reſpondere poſſunt moderni Anatomici, an illi ſint diligentiores in diſſecandis & inſpiciendis corporibus, quàm olim Ariſtoteles fuerit.

DIF-

DIFFICVLTAS XIII.

Quid ſint arteriæ & ubi oriantur.

DICO primò. Arteria communiter deſcribitur, quod ſit vas ſaliens, à ſiniſtro cordis ſinu originem ducens, ſanguinemque tenuiorem & ſpiritum vitalem continens. Dicitur inprimis quod ſit vas, quia arteria cava eſt, & intus pervia ſicut vena, ut ſpiritus & ſanguinem per totum corpus deducat & in omnes partes diſtribuat, quod non faceret, niſi rationem vaſis haberet. Dicitur ſecundò, Vas ſaliens ſive pulſans, quo diſtinguitur à vena quæ quieſcit, tegiturque tunicâ ſimplici tantum, cùm arteria ſit longe craſſior, habeatque fere tunicam quadruplicem. Dicitur tertiò, Originem trahens à corde, quia oritur è ſiniſtro cordis ſinu, ut eſt communis Medicorum doctrina, & Ariſtotelis 3. de hiſtoria animal. cap. 3. alibique ſæpius. Dicitur quartò, ſanguinem & ſpiritum continens, quia uſus præcipuus arteriarum eſt, ut ſanguinem ſpirituoſum in corde elaboratum per omnes corporis partes vehat, & unà cum calore eundem ſubminiſtret: Ad quam potentiam autem ſpectent pulſatio & generatio ſpirituum vitalium, alibi dicetur, quia falſum eſt, has facultates ad aliquod potentiæ genus à naturali ſeu vegetante diſtinctum pertinere.

Arteria craſſa eſt.

DICO ſecundò, Arteriæ non oriuntur à corde, ſicut nec venæ ab Epate, probatur primò ex Hipp. lib. 1. de diæta, & lib. de locis in homine: Ubi vult nullam partem oriri ex alia. Secundò, Arteria eſt prior corde, ſicut vena Epate, eſtque alterius naturæ & ſubſtantiæ, ergò ſicut ab Epate vena oriri non poteſt, ita nec arteria à corde. Quod ſi dicas, aliam eſſe rationem cum arteriis & aliam cum venis, quæ ideò probabiliter non oriuntur ab Epate, quia nullius venæ ſive initium ſive finis apparet in ſubſtantia Epatis, ſed omnes mediam ejus carnem penetrant & ulterius diffunduntur: Arteriæ autem ſunt ita infixæ cordi, ut ad ſenſum hinc oriri videantur, ergò meritò ſuum à corde tanquam à principio generationis ortum ducunt.

DICO tertiò, Arteriæ oriuntur à corde non tanquam à principio materiali ex quo ſive generationis, ſed tanquam ex principio locali ſive diſpenſationis, ut habet Plembius lib. 2. de fund. Medicis. Quod cor juxtà primum ſenſum non ſit principium, patet ex dictis, quia videlicet eſt arteriis in generatione quid poſterius, eſt alterius naturæ & ſpeciei, nec cohæret cum iis per modum continuitatis ſed contiguitatis tantum. Quod autem oriantur à corde juxtà ſecundum ſenſum, patet primò, quia ibidem eſt arteriarum initium, ubi cor ſecundum partes ſpermaticas, ut fibras, membranulas, tunicas in prima corporis organici conſtructione ex materia ſeminativâ formatum eſt. Secundò, quia ita ſubſtantiæ cordis adhæreſcit principium arteriæ magnæ, ut ab ejus non tantum ſpermaticâ, ſed etiam carnoſâ ſubſtantia, cui in generatione nutrimentali per medium heterogeneum unitum eſt, avelli non poſſit; Deinde figitur arteria in ſiniſtro cordis ſinu, nec ulterius progreditur, quemadmodum venæ per carneam Epatis ſubſtantiam faciunt, ergò à corde ſuum habere originem dici poteſt, ſi non generationis ſaltem diſpenſationis, ut ſpiritum & ſanguinem à corde hauſtum in omnes partes corporis deportet, & ubique ſuo calore vitali venis in perficiendo ſanguine nutrimentali aſſiſtat.

Colligitur, Venas & arterias non oriri à corde vel Epate, quia ſunt alterius ſubſtantiæ, & non conjunguntur vel continuantur cum his viſceribus per formam eandem partialem, ſed per formam totius, & per materiam quandam heterogeneam.

DIFFICVLTAS XIV.

Quid ſint nervi & ubi oriantur.

OPinio prima eſt Ariſtotelis 3. de hiſtoria animal. cap. 5. Nervos ex corde oriri; Argumenta ejus hæc ſunt. primum; In finibus cordis conſpiciuntur nervi plurimi, qui videntur veluti radices aliorum. Secundum: Præſtat unum eſſe principium &c. Tertium: Ibi oriuntur nervi, ubi arteriæ, quæ in ſubſtantia nervis ſunt ſimiles, ergò nervi oriuntur ex corde.

Opinio ſecunda. Eſt Thomæ de Sarbo, qui 39. ſumm. medic. docet: Nervos neque oriri ex corde, neque ex cerebro, ſed ſe primum formari non ſecus atque reliquæ partes corporis, quod an verum ſit, paucis inquirendum eſt: Cæterùm quod Ariſtoteles & Galenus inter ſe diſſentiant, mirum non eſt, quia conſpiciuntur nervi tum cordi tum cerebro copulari; Et hinc opinio 3. eſt Galeni, nervos oriri à Cerebro; Et hunc ſequuntur Medici plerique qui argumentis infrà dicendis in hanc doctrinam meritò conſentiunt. Jam

DICO primò, Nervus qui eſt pars corporis oblonga veluti arteria & vena, alba, rotunda, teres, frigida & ſicca, deſcribi ſolet, quòd ſit pars ſimilaris ſpermatica à cerebro vel ſpinali medulla procedens, & ad devehendum ſpiritum animalem deſtinata, ut membris ſenſum motũq; præſtet: Per hunc n. ſenſus omnis & motus in toto corpore perficitur, & per hunc ſpiritus animalis ejusmodi functionibus neceſſarius è cerebro ad omnes partes mittitur: Non omnes manifeſtum intrinſecus meatum habent, ſed ſoli optici, quemadmodum ſenſu id patet, & Gal. lib. 8 de uſu partium cap. 6. & lib. 16. cap 6. & lib. 7. de Hipp & Platoni decretis cap. 4 & 5. tradidit: Duo ſunt nervorum genera; quidam ſpectant ad præſtandum ſenſum, qui molliores ſunt & breviores, molliores quidem, quia operatio ſenſus id poſtulat: Tertiò, quia multi ſpiritꝰ diffuſione indigent; Breviores autem, quia ad proxima organa & quidem lineâ rectâ ducuntur: Quidam pertinent ad exequendum motum, & hi ſunt duriores, quia prodeunt ex ſpinali

Nervus quid.

medulla, quæ cerebro durior eſt, & quia magna membrorum pondera movere debent. Habent nervi duplicem membranam, duriorem unam externam, & alteram molliorem internam, quæ eſt quaſi medulla in arboribus, & in hâc conſervatur virtus è cerebro tranſmiſſa ſingulis partibus tam ſenſum quàm motum communicans. Solus Tactus habet nervos utriusque generis, quia nimirùm præſtant motum & ſenſum; reliqui autem ſenſus habent nervos ſibi tantum proprios & ſenſui inſervientes, quamvis etiam plerique Medici ex Galeno lib. 7. de admiſt. anatom. cap. 8. doceant, omnes nervos ſenſorios eſſe etiam motorios, ſi præſertim ad inſtrumentum conveniens deferantur, & hoc manifeſtum eſſe in nervo auditorio, cui ſurculus ad linguam delatus motum præſtet: Numerantur in univerſum nervorum 38. paria: octo in cranio naſcuntur, ſeptem è cervice prodeunt, duodecim è dorſo, quinque è lumbis, & ſex ab oſſe ſacro. ut videre eſt apud Anatomicos.

Origo nervorum. DICO ſecundò. Cerebrum eſt ex parte origo nervorum: Ita docet Galenus multis in locis, & cum eo omnes Medici & plerique inſuper Philoſophi. Probatur primo: Nervi ſunt ejusdem ſubſtantiæ cum cerebro, quia interior pars nervi cerebrum, exterior autem menynges ad amuſſim refert. ergò oriuntur è cerebro. Secundò. Nullibi ſiſtunt & deſinunt nervi niſi in cerebro & ſpinâ, tantoque ſunt molliores quantò cerebro proximiores, quia recedentes magisque remoti fiunt duriores, ergò: Tertiò: Magna nervorum copia conſpicitur in cerebro, à quo etiam quotquot ſunt in univerſo corpore, oriri videmus, aut certè ex ſpinæ medullâ: Neque eſt ullus muſculus, cui non inſeratur nervus à cerebro vel ſpinâ deflectens; à corde autem nullus deducitur, imò nervum hoc accipit à cerebro. Quartò, Multa ſunt animalia, quæ carent corde, non autem nervis tanquam motus inſtrumentis. Quintò, Ligato nervo perit ſenſus & motus infrà ligaturam, & non verſus cerebrum, & ſi à corde eſſent, non læderetur eorum operatio iis in partibus. Sextò, In apoplexia, quæ eſt affectus cerebri & non cordis fitque ex obſtructione nervorum, perit & ſenſus & motus, ergò manifeſtum ſignum eſt, nervos non à corde aut aliunde, ſed à cerebro ſuum ortum habere. Dixi tamen ex parte, quia juxta doctrinam Galeni & Medicorum exterior pars nervi oritur ex menyngibus, non totus nervus ſed pars ejus interior tantum oritur ex cerebri ſubſtantia.

Ad primum Argumentum Ariſtotelis Reſpondetur, non eſſe nervos qui in corde conſpiciuntur, ſed fines membranarum, quæ ſunt cordi proximæ, & fibras quæ non tantum membranas cum corde copulant, ſed etiam ipſius cordis ſinus continent, ne perenni motu nimium concutiantur, vel cor aliqua ex parte lædatur. Et in corde nullus eſt ſenſus niſi tactus, qui eſt omnium maximè materialis; unde etiam non eget tantoperè nervis, imò illi nervi qui putantur eſſe cordis, non tribuunt motum aut ſenſum, nec conſtant ex nervoſa ſubſtantia, ſed fibroſâ. Dato autem, Cor prius cerebro formari, quid tum? poteſt enim Cor accipere nervum à membro ſe poſteriori & absq; detrimento vitæ, quia in prima conformatione omnia ſunt mollia, nec eſt difficile coaleſcere cum iis quæ aliundè accedunt, maximè cùm nervus non penetret intimam cordis ſubſtantiam, ſed extrinſecus tantum applicetur.

Ad ſecundum, Reſp. Quamvis nervus & arteria appareant in ſubſtantia ſimiles, ſunt tamen diverſis naturis prædita, & ad alium finem uſumque comparata.

Ad Tertium, Reſp. Nihil aliud concludi, quam cordi principatum dari quod ultrò conceditur, Neque enim quicquam derogatur huic principatui cordis, etiamſi ſtatuatur nervos à cerebro & non à corde propagari: Hic tamen cum aliis adverte, quamvis cerebrum multò majus ſit corde, in producendis tamen naſis longè infœcundius eſſe: Nam è corde ſtatim prodeunt ſex vaſa ampliſſima, utrimque terna; duo arteriæ rami, unus ſurſum, alter deorſum, ad pulmones arteria venoſa ex ſiniſtro ſinu, & vena cava ex dextro: Cerebrum autem licet plures promat nervos, ii tamen adeò exiles ſunt, ut ſi omnes ſimul ſumantur, magnitudini vaſorum cordis nullo modo æquiparentur.

DIFFICULTAS XV.

Quid ſit cerebrum & ſpinalis medulla.

CErebrum hic additur, quia eſt verum principium & pars nervorum, quia ut habetur ex antecedentibus, in ipſo hi oriuntur & quia ſunt ejusdem rationis & naturæ, hoc ſolùm diſcrepantes, quod qui in principio ſunt molliores, paulatim propter munus & officium ſuum fiant duriores & ſolidiores. Ut itaque paucis natura cerebri & ſpinalis medullæ, quæ utraque eſt pars ſpermarica, conſtet,

DICO primò, Cerebrum communiter medulla & quidem medulla capitalis ad differentiam ſpinalis appellatur, quia inter menynges continetur, cum quibus ſicut & cum venis, arteriis nervisque partem corporis heterogeneam conſtituit, homogeneam verò ſi has omnes excluſeris: Numeratur inter partes præcipuas corporis, imò ex mente Andreæ Laur. & aliorum Medicorum præſtat cordi, quod tamen verum eſt ſi mentis operationes reſpicias, falſum ſimpliciter ſi operationes vitales, quia illæ diriguntur à cerebro ubi anima intellectualis ſedem habet, hæ verò à corde quod vitæ fons & principium eſt, meritoque pars principaliſſima hominis viventis. Cerebrum eſt penè ejusdem conditionis in homine & in cæteris animalibus, niſi quod majoris ſit quantitatis in ho- *Cerebru[m]*

homine propter functionum animalium varietatem majoremque perfectionem. Figuram habet à cranio, intra cujus varios ventriculos anfractuoſos continetur, ideoque continuatum quidem eſt ſed pluribus modis interſtinctum; Subſtantiam habet medullarem & minimum quidem pinguedinis, multum tamen glutinoſi humoris ut habet Hipp. l. de principiis. Multa ſunt quæ de hoc agunt anatomici, dum capitis omniumque cerebri partium conſiderationem fusè pertractant, ſufficiat autem hic paucula de ejus temperiè & uſu, motu & ſenſu dicere. Nam innata temperatiune frigidum eſt & maximè humidum; dico innatâ, quia per acceſſum calidiſſimi ſpiritus plus caloris habet quam frigoris; Cum enim in hoc membro plurimus contineatur ſpiritus, imò ampliſſima vaſa calido ſpiritu plena ſint, fieri non poteſt, quin caleſcat tantoperè, ut calor frigiditatem ſuperet: Oportuit autem eſſe frigidum, tum ut ſpiritus qui ſenſui & motui erat famulaturus, temperaret calorem, tum ne calore nimio ex corde aſcendentis inflammaretur: Debuit etiam eſſe molle & humidum, tum propter ſenſiones quæ in capite ſpecierum aut ſpirituum Impreſſione & ſuſceptione vigent, tum propter nervorum propagationem, quæ ex materia dura non fieret; Nam & flexiles nervos eſſe & ſpiritum ex cerebro tranſmiſſum promptè ſuſcipere neceſſarium fuit. Eſt itaque cerebrum animalibus propterea inſitum à natura, ut nativo ſuo frigore ſpiritum à corde aſcendentem præcalidum atque ad ſenſum & modum minus opportunum temperaret atq; ad ſentiendum & movendum aptum efficeret, ſimulque nervos effunderet, quibus temperatus ſpiritus tranſmitteretur. Moveri etiam Cerebrum experientia teſtatur, quia detracto cranio motus compreſſionis & dilatationis in animali vivo expreſsè conſpicitur, & quidem in parte anteriori propter ampliſſimos ſinus & copioſiſſimum ſpiritum aſcendentem à corde, non autem in poſteriori, ubi exiguus eſt ſpiritus & ſinus anguſtiſſimus. Et propter hunc motum provida natura nonnihil removit Cerebrum à cranio, ut ſuaviter attolli & relabi poſſet, quemadmodum cor à pericardio, ubi tamen motus major & celerior propter calorem qui in cerebro longè mitior eſt. Sed unde aut à quo principio hic motus. Reſpondet Dand. l. 4. de part. heterog. c. 36. eſſe à Calido influente atque humidum attollente, non autem ab aliqua virtute vitali quæ in cerebro nulla ſit, nec ab ipſo cerebro, cum nulli huic ſint villi, ut à ſeipſo dilatari & comprimi poſſit. Andr. Laur. oper. ſuorum anatom. q. 11. ait moveri vi propria & inſita. Alii hunc motum à virtute vitali cieri volunt, quod probabilius eſſet ſi eodem motu cum arteriis moveretur, quod tamen falſum eſſe docent anatomici. Sit quicquid ſit, reſpirat etiã cerebrum non minus quam cor, quo moto ſuſcipimus & reddimus aërem tam ore quam naribus, tum ut nonnihil locus quo ſpiritus

Motus cerebri unde.

continentur, refrigeretur, tum ut odorũ meatus dilatentur & excrementa cerebri purgentur, ſpiritusque à prioribus contractis ſinibus ad poſteriores trudantur. Confirmant hoc etiã ſternutamenta, in quibus cerebrum ſeſe contrahit ad noxiæ rei excluſionem, quia quod in thorace eſt tuſſis, id in cerebro ſternutamentũ eſt, naturaliſq; hic motus eſt non animalis, quia non eſt in noſtra poteſtate, Deniq; ſenſus in cerebro nullus eſt ut patet ex Ar. 2. de part. c. 7. & 10. & l. hiſt. animal. c. 19. tum ex Gal. qui 1. de ſympt. cauſis c. ult. dixit cerebrum fuiſſe conditum, non ut eſſet ſentiens organum, ſed ut ſentiendi organis vim præberet; Et confirmat hanc doctrinam experientia qua conſtat, cerebrũ quacunque re vulneratum non ſentire: Et eſt eadem hujus rei ratio quæ oſſium, nervorum & pilorum de quibus ait Ariſt. l. 1. de anima t. 79. quod non ſentiant, quia videl. non habeant eam qualitatum mediocritatem ac temperationem quam tactus poſtulet: Frigore namq; & humore nimio abundat cerebrum, & cum inferiorum partium exhalationes continentur excipiat, perpetuò nimium doleret, dum ab iis præternaturaliter afficeretur. Itaq; dolores qui ſæpè ſentiuntur in capite, à membranis & non à cerebro veniunt.

DICO 2. ſicut è cerebro nervi molliores qui pro ſenſu valent, ad partes & viſcera molliora, ita duriores è medulla ſpinæ quæ eſt propago cerebri, ad motum in partibus ſolidioribus ciendum prodeunt; neque enim cerebrũ poteſt eſſe principium nervorum duriorum neque ſpina molliorum, ut proinde non fruſtrà partes cerebri poſteriores ſint duriores quam anteriores. Nam priores cerebri nervi molles ſunt, quia ad ſenſum motumque ſi non omnes ſaltem aliqui in oculo, lingua, larynge, faciei muſculis &c. formati ſunt; poſteriores verò duri, quia ad motũ ſolum deſtinati ſunt, tum ad tactum quo nullus planè privatur nervus. Non ineptè itaque cerebrum dici poteſt fons, & ſpina fluvius, vel illud radix, hæc caudex & truncus. Cæterùm quot ſint nervi, & quomodo ex vertebris ad utrumque latus & in omnem corporis partem emittantur, conſulendi ſunt Anatomici, qui hæc fusè tractant & tã inter Medicos Andr. Laur. quã inter Philoſophos Hier. Dandinus l. 3. de partibus homogeneis c. 32.

Medulla Spina.

DIFFICVLTAS XVI.

Quomodo ex his partibus fiat corpus Organicum.

Mirum, Corpus organicum, cujus admirabilem texturam totus jam dudum obſtupuit orbis, tam paucis conſtare partibus, & in ea forma, quâ ſenſibus objicitur homo, exprimi. Nam ſi partes omnes homogeneas & ſimilares conſideres,

duodecim ut tredecim numero & non plures in univerſo corpore organico ante adventum animæ reperies; Si heterogeneas & inſtrumentales, mille fortè & plures, quas ad omnes actiones ſuas ſive materiales ſive immateriales requirit homo. Quæritur itaque quomodo ex his partibus, quæ tam paucæ ſunt, fiat corpus organicum tam admirabili ſapientiâ & munificentiâ conformatum.

Suppono primo. Embryonem ante adventum animæ vel rationalis ſi ſit hominis, vel ſenſitivæ ſi ſit bruti, habere non tantum omnes partes homogeneas ex ſemine concretas, ſed etiam heterogeneas, ut brachium, manum, oculum, digitum, pedem, ventriculum, Epar &c. non nutriri tamen, ideoque nec carne, nec pinguedine & humoribus, qui nutritione conquiruntur, conſtare, adeoque eſſe minutum corpuſculum, ut teſte Fernelio aliiſque Medicis vix quidem magnitudinem formicæ ſuperet, nihilominus tamen capax recipere animam, & ab ea non tantum informari, ſed etiam operationibus vitalibus ut nutritione, accretione, motu &c. nobilitari.

Suppono ſecundò. Semen generantis non eſſe in re ipſa corpus homogeneum, ſed habere partes craſſiores, rariores, tenuiores, calidiores, ſicciores, adeoque naturam ab hac cauſa determinari, ut ex una parte conſtruat os, ex alia nervum, cartilaginem, venam, tunicā &c.

DICO primò, Nihil eſt in corpore organico quod vires naturæ ſuperet. Prob. Quia in corpore organico ſunt partes ſimilares ex ſemine formatæ, diſſimilares ex priorib⁹ cōſtātes, qualitates & virtutes materiæ ſemēntivæ, quæ omnia ſunt purè naturalia, i. e. opera ipſi⁹ naturæ, ergò in Embryone nihil eſt quod ſuperet vires naturæ: Et confirmatur, quia tota corporis organici conformatio; partium ſingularum ſitus, continuitas, connexus, & quicquid diſpoſitionum reperitur, eſt ab illa duplici virtute ſeminis, videlicet à formante & generante, quam Deus olim primis parentibus ad propagandum genus ſuum dedit, & quam adhuc tota poſteritas à ſuis progenitoribus accipit, quarum nulla vires & limites naturæ excedit.

DICO ſecundò. Sicut ex materia quatuor Elementorum producuntur ab agentibus naturalibus omnia mixta hujus mundi ſublunaris, quorum immenſam varietatem faciunt diverſæ formæ & accidentia; & ſicut ex paucis literis formantur voces & verba, quibus omnium rerum ſive naturalium ſive divinarum, ſive materialium ſive immaterialium & ſpiritualium naturæ & eſſentiæ infinitis pcoè ſactis & voluminibus explicantur; Ita ab uno utriuſque parentis ſemine, quæ materia eſt viliſſima, fiunt per vim generatricem & formatricem partes ſimilares non tam numero paucæ quam ſpecie inter ſe diſtinctæ, ex quibus ſimul componuntur omnes heterogeneæ & organicæ, quæ ad perfectionem corporis inprimis organici tum hominis requiruntur. Et hoc eſt quod Galenus & cum eo multi veterum jam dudum adeò mirati fuêre, videlicet: ex materia tam vili tamque abjecta fieri opus tantæ magnificentiæ tantæ ſapientiæ & potentiæ. Nihilominus tamen facit hoc virtus generativa & formatrix, quæ utraque eſt generantis vicaria: Ipſa enim ex parte ſeminis ſicciore, frigidiore, & terreſtriore producit formas oſſium, & hæc ad formandum hominis corpus organicum ita ordine collocat, unitque per tendines & vincula, quemadmodū pro actionibus vitalibus & inprimis pro motu neceſſum eſt; Ex parte autem ſubtiliore, humidiore, & calidiore format venas, arterias, nervos, membranas &c. eaſque ſingulas ita inter ſe combinat, adaptatque oſſibus & viſceribus proximè per nutritionem formandis, ut ex iis omnibus gignatur id quod intendit natura, manus videlicet, digitus, pes, venter, thorax, caput, & demum homo vel animal brutum, utque ipſum ſua congruè operari poſſit, idque muneris exequi, ad quod natum eſt, vitæque prorogandæ ratio requirit, videlicet alimentum intrà corpus aſſumere, illud decoquere, in ſanguinem convertere, eo ſe nutrire & augere, oculis videre, manibus palpare, pedibus ambulare &c.

DIFFICVLTAS XVII.

Quomodo hæ partes Corporis Organici inter ſe continuentur.

NOn eſt ſenſus quæſtionis, an & quomodo omnes partes corporis organici per unam animam informentur, quia conſtat diſputari adhuc de corpore inanimato, diciturq; non tantum partes continuas ſed etiam diſcontinuas poſſe animari, modo ſint contiguæ: Nec etiam quæritur, An revera partes illæ continuentur invicem, quæ habent diverſas formas ſubſtantiales, quia de hoc infrà agetur. Difficultas itaque eſt, quomodo partes omnes tam homogeneæ quam heterogeneæ inter ſe continuentur, id eſt, connectantur.

Adverte primò. Aliam eſſe conjunctionem mediatam, aliam immediatam; Hæc eſt cùm una pars alteri ſine intermedio alterius partis copulatur, ut fit in arteria & nervo; hic enim immediatè cum cerebro, & illa cum corde conjungitur: Illa autem eſt, quando fit contrarium, ut patet in nervis, qui mediis ligamentis ſive vinculis continuantur cum oſſibus.

Adverte ſecundò. Continuationem poſſe dupliciter fieri, ſemel per medium ejuſdem rationis & ſpeciei, & rurſum per medium diverſæ, ut patet in baculo, qui mediâ ex parte viridis eſt & mediâ ex parte aridus & rurſum in oſſe, quod eſt continuum in ſe & cum tendine; nam pars viridis continuatur per medium ejuſdem rationis, arida autem cum viridi continuatur per medium diſſimile & heterogeneum; ſic os integrum eſt ſibi continuum, quia habet ubique eandem rationem idemq; me-

medium homogeneum, minus autem eum tendine cui conuectitur per medium diverſum.

DICO primò. Duæ partes diverſæ ſpeciei ut nervus & ligamentum, non poſſunt eſſe continuæ per medium homogeneum, imò nec duæ partes ejuſdem rationis, ut duo oſſa, niſi tamen ex ſe mutuò oriantur ut fit in nervis & cerebro. Ratio prioris eſt, quia hoc ipſo quod ſint partes diverſæ ſpeciei, habent duas formas alicubi terminantes, ubi videlicet deſinit forma nervi & incipit forma ligamenti, quam utramque formam connectit humidum aliquod heterogeneum. Ratio poſterioris eſt, quia ſi duo oſſa connecterentur per medium homogeneum, id eſt, oſſeum, jam non eſſent duo oſſa, ſed unum; Dixi, niſi ex ſe mutuò verè oriantur, quia hic deficit medium connectens quod ſit diverſæ rationis.

DICO ſecundò. Datur continuatio partium tam ſimilarium quàm diſſimilarium immediata in corpore organico. Hoc patet ex inſpectione corporis organici: Nam cerebrum connectitur immediatè cum ſpinali medullâ & cum nervis, quia ex cerebro oriuntur; Cor copulatur arteriis & ſecundum Ariſtotelem venis; Cutis continuatur cum venis & nervis &c.

DICES. Si cor immediatè connecteretur cum arteriis, jam eſſet ejuſdem rationis & ſpeciei cum iis; ſed hoc falſum eſt & contra priora, ergò & illud. Reſp. per immediatam connexionem intelligitur, quando nihil earum partium intercedit, quæ manifeſtæ ſunt & integrantes dicuntur, non autem humidum illud heterogeneum & intermedium, quod inſtar unionis ſive coaguli connectit. Et hoc modo multa conjunguntur immediatè, quia nimirùm nulla eſt pars manifeſta & integrans intermedia, ut patet in vinculo, quod immediatè conjungitur cum oſſe, eſto fiat id per medium aliquod humidum, quod non habet rationem partis, quia habetur pro humore partim oſſis, partim vinculi.

DICO tertiò. Datur etiam reverà partium in corpore organico unitio & copulatio mediata. Hoc ſimiliter probatur ab experientia, quia cutis connectitur per nervos & venas multis aliis partibus: Nervorum aliqui continuantur cum oſſibus mediis ligamentis, alii cum muſculis mediis tendinibus. Et ad hunc ſenſum continuatur cerebrum cum ſuis menyngibus quibus involvitur, & cum cranio mediis ſcilicet aliis partibus. Sed quomodo continuatur totum? Reſpondeo &

DICO quartò. Omnes partes corporis organici habent inter ſe continuationem ſive mediatam ſive immediatam. Hoc oſtenditur ſequentibus inductionibus: Nam inprimis cerebrum non continuatur quidem immediatè cum menyngibus, nec cum cranio, quia in illis tanquam in vaſis concluſum eſt, ſed cum ſpinali medullâ, ut oſtenditur ex ſectione anatomicâ; unde etiam in principio ubi medulla cum cerebro continuatur, eſt illi

Partes quomodo ſint continuæ.

adeò ſimilis, ut videatur eſſe ejuſdem rationis: Propterea enim natura ad unitatem ſervandam intendit, ut partes in extremitatibus in quibus debent continuari, eſſent valdè ſimiles, nec una refugeret alterius ſocietatem. Oſſa verò continuantur cum ligamentis quæ ex oſſibus exeſcunt per meatus, & per eoſdem ſeſe ita oſſibus inſinuant, ut videantur tandem fieri ejuſdem naturæ; unde non poſſunt ab oſſibus ſeparari ſicut ex eorum glabrâ terſâq; ſuperficie apparet. Iiſdem ligamentis continuantur oſſa cum nervis motoriis, & conſequenter cum aliis partibus cum quibus nervi ipſi continuantur, prætereà continuantur oſſa cum carnibus & cum aliis partibus. Nervi continuantur ſecundum Philoſophum cum corde, ſecundum Medicos verò rectiùs cum cerebro; ſimiliter cum ſpinali medullâ, unde etiam ſunt eâ parte molliores & medullæ valdè ſimiles; Multi item continuantur cum oſſibus mediis ligamentis, & ii cum muſculis mediis tendinibus, alii cum carnibus mediis muſculis, & denique cum omnibus iis partibus quæ ſenſu motuque prædità ſunt. Membranæ & tunicæ vel continuantur cum ea parte à qua pendent, vel cum eo membro quod ambiunt in extremitatibus. Venæ & arteriæ continuantur ex una parte cum eo membro à quo prodeunt, ex alia verò parte cum iis membris, ad quæ in corpore animato ſanguinem deferunt pro nutritione & ſpiritibus. Cutis denique continuatur cum venis & nervis, & videtur etiam continuari cum partibus, quæ ipſi ſubjectæ ſunt mediâ ſubſtantiâ quâdam minus durâ, quæ inter hujuſmodi partes & cutim intercedit. Unde etiam fit ut partes cuti ſubjectæ ſeparentur ſine læſione cutis; atque ita omnes partes inter ſeſe quoquomodo continuantur.

Partes diverſæ in extremitatibus quare ſimiles.

DICES. Vena cava eſt ſejuncta ab oſſibus, & digitus manuſque à pectore & pede, ergò hæ partes non ſunt inter ſe continuæ. Reſp. non eſſe inter ſe continuas immediatè, verum eſt, mediatè falſum. Non enim fieri poteſt, ut quævis pars cum qualibet altera conjungatur, ſed ſufficit ſi mediis aliis mutuò copulentur.

Colligitur. Poſſe etiam continuari immediatè & per medium non heterogeneum eas partes quæ ſunt diverſæ rationis, ut eſt nervus & cerebrum, quia in principio ſunt ejuſdem naturæ, à qua tamen paulatim, dum ulterius progrediuntur, deflectunt: Neque mirum eſt hoc, quia habent formas penitus materiales; quam ob cauſam etiam non ſunt ſpecies ita completæ & perfectæ, quales obſervamus in aliis rebus, quæ dignitate & organorum apparatu præſtant: Hujuſmodi etiam ſunt folia, quæ ex trunco & ramis arborum excreſcunt, quia licet videantur eſſe alterius naturæ & rationis, nihilominus tamen immediatè per medium homogeneum à trunco & ramis ſeu frondibus exereſcunt. Alia autem eſt ratio

cum iis partibus, quæ & in principio & fine diſpares ſunt, ut vena & caro Epatis, cor & arteria, quia non poſſunt hæ partes per medium homogeneum conjungi, quia nullibi confinitatem aut naturæ ſocietatem habent.

DFFICVLTAS XIIX.

An & quomodo partes diverſarum formarum poſſint eſſe continuæ.

SI verum eſt, os, carnem, venam, nervum, membranam &c. eſſe partes ſpecie diverſas, verum etiam eſt, eas continuari non poſſe ex Ariſt. 5. Phyſ. cap. 4. cap. 41. Cùm itaque tam ex hactenus dictis, quam ex ſententiâ & doctrinâ magnorum virorum conſtet, partes corporis organici habere diſtinctas formas partiales, adeoque ſubſtantialiter differre, videndum eſt, quomodo continuari poſſint, & quomodo corpus organicum ab aggregatione per accidens vindicetur.

Continuitas duplex. NOTA. Continuitatem eſſe duplicem; unam ratione materiæ & quantitatis tantum, alteram ratione materiæ, quantitatis & formæ ſubſtantialis adæquatæ. Priori modo continuus eſt juxtà eos, qui unam tantum in vivente formam conſtituunt, ramus arboris ex unâ parte aridus, ex alterâ viridis, quia utraque pars cohæret ſibi per materiam communem & per quendam humorem ſive lentorem, quo aliàs partes cohærere ſolent: poſteriori continuum eſt corpus quod informatur ab unâ formâ adæquatâ aut animâ, ſive hæc ſit ſenſitiva ut in bove, ſive rationalis ut in homine.

DICO 1. Corpus organicum proximè ad vitam & animam diſpoſitum eſt ſibi undique continuum quoad materiam & quantitatem, non autem quoad formas ſubſtantiales partiales. Primum probatur; Quia illud eſt ſibi materialiter continuum, quod undique per materiam communem lentumque humorem copulatum & unitum eſt; Sed ita eſſe in corpore organico experientia & doctrina anatomica probat, ergò. Erad hunc modum continua eſt pars rami viridis cum aridâ, brachii motrui cum vivente, lineæ rectæ cum circulari, motus ſurſum deorſum, &c. Probatur ſecundum, Corpus organicum conſtat multis partibus ſpecie diſtinctis, ut oſſe, nervo, vena &c. ergò non poteſt ſecundum eas eſſe continuum, & propterea additur in notabili, formæ ſubſtantialis adæquatæ, quia corpus organicum inanimatum habet formas multas ſubſtantiales inadæquatas, per quas ab hac diſcontinuitate ſalvari non poteſt. Unde

Partes omnes ſunt continuæ ratione materiæ & formæ completæ. DICO 2. Partes omnes in corpore organico tam animato quam inanimato ſunt continuæ non tantum ratione quantitatis & materiæ, ſed etiam ratione formę ſubſtantialis completæ & adæquatæ. Hoc rurſum additur ad excludendas formas ſubſtantiales partiales ſive inadæquatas, quarum ratione partes in quovis corpore ſunt diſcontinuæ. Probatur; Vnam tantum formam habent partes corporis organici adęquatam, & unam tantum animam partes omnes bruti vel hominis à quâ informantur; ergò etiam unam tantum formam adæquatam omnes communem habent per quam continuantur.

DICES ex Ariſtotele 5. Metaph. cap. 6. Vbi ait, ea eſſe unum numero, quorum materia eſt una, intellige numero; ſed os & ligamentum ſunt una numero materia, ergò etiam unum numero, ergò continuantur contrà primam concluſionem hujus difficultatis, quæ habet, quod partes formis diverſis ſubſtantialibus conſtantes non poſſint continuari. Reſp. Omninò continuari ratione materiæ ſed non ratione formarum ſubſtantialium partialium; omnia enim dicuntur continuati, quæ habent aliquam materiæ & qualitatum convenientiam, ut patet in ramo qui partim viridis eſt, & partim aridus; quia propter continuationem materiæ pars viridis continuatur cum aridâ. Ita autem non poſſunt eſſe unum aut inter ſe cōtinuari quæ diviſas & diverſas habent materias v. g. baculus in duas partes fractus & diviſus, quia jam ſunt duæ numero materiæ. Et hunc communem ſenſum hominum ſecutus eſt Ariſtoteles loco citato; Cum definit ea eſſe unum numero quorum materia eſt una; proindeque innuit ea eſſe numero diverſa, quorum materia eſt diverſa & diviſa.

Colligitur. Etiam illa poſſe animari, adeoq; una anima informari, quæ non ſunt continua, modo ſint contigua, & hoc poſſe dici de quibusvis partibus corporis tam homogenei quàm heterogenei.

DIFFICULTAS XIX.

An hæ partes ſpermaticæ ſint calidiores quam ſanguineæ vel carnoſæ.

HIc ante omnia advertendum eſt, calorem influentem ſive adventitium ab innato, de quo utroque alibi pluribus, non differre aliter quam ſubjecto; Nam calor quamdiu ad huc exiſtit in ſanguine & ſpiritibus vitalibus, influens & adventitius dicitur, quando verò per nutritionem ſive per ſimplicem generationem & unitionem tranſit in partem viventem, v.g. in carnem, in os, nervum &c. Eſt & appellatur innatus, non quod cum ſemine tantùm in prima formatione corporis organici membris acceſſerit, ſed quod talem ex continuata deperditione reſtauret, non ſecus ac novum alimentum ſubſtantiam abſumptam, & quod jam concurrat ad veram & perfectam conſtitutionem partis, ad cujus integritatem requiritur. Nam certum eſt calorem innatum continuò perire cum humido novumq; accedere, qui priorem foveat, conſervet & reſtauret, ac proinde ejus naturam & denominationem retineat ſicut nova materia, quæ dum per generationem vel nutritionē os, carnem reſtaurat, os caro dicitur. Cæterùm

Poſſunt vel comparari partes ſpermaticæ cum ſpermaticis, vel carnoſæ cum carnoſis vel

vel carnoſæ cum ſpermaticis; Et pugnat Jobertus pro partibus ſpermaticis, quas ſimpliciter eis eſſe carnoſis calidiores; Argumenta infrà afferentur & ſolventur.

Suppono 1. dari calorem extrinſecum, adſcititium, & influentem, qualis unà cum alimentis quotidiè in corpore producitur & cum ſanguine diffunditur; alium verò inſitum, innatum, primogeneum, radicalem, qualis reperitur in ipſis partibus animatis, daturq; iis in prima conſtructione corporis organici, vel etiam ſucceſſivè per nutritionem. 2. Nullum calorem qui eſt in partibus carnoſis ſive ſpermaticis, eſſe permanentem, ſed quotidiè unà cum ſubſtantiis partium perire, novumq; generatione ſubſtitui. 3. Inter has omnes partes eſſe quaſdam molliores ut pulmones, alias ſolidiores, ut cor, renes. 4. Calorem habere præter partes extenſivas & intenſivas ſive graduales etiam entitativas correſpondentes partibus ſubjecti, ut videre eſt lib. 2. Diſput. 11. Diffic. 8. Et his ad quæſtionis ſtatum intelligendum poſitis,

DICO 1. Partes ſpermaticæ inter ſe comparatæ non ſunt æqualiter quoad partes intenſivas & entitativas calidæ; Et idem intellige de partibus carnoſis. Prob. 1. De partibus intenſivis, quia certum eſt, arterias eſſe calidiores quam Venæ aut nervi, & hi quam ligamenta aut oſſa, idque non tam ex communicatione ſpirituum vitaliū quam ex officio quod in his minorem in iis majorem & intenſiorem requirit calorem. Prob. 2. De partibus entitativis, quia illæ partes plus habent caloris, quæ habent plures partes entitativas materiæ; ſed hoc de oſſibus v. g. quæque ſunt ſolidiores verum eſt, ergò & illud. Prob. 3. De partibus carnoſis, quia caro cordis calidior eſt quā pulmonum, & ſubſtantia Epatis quam ſplenis tam quoad partes intenſivas quam entitativas caloris, idque ex natura & officio, quemadmodum patet de prioribus.

DICES 1. Ex dictis ſequitur, oſſa eſſe calidiora quam ſint venæ nervi, quia ſunt ſolidiora, habentque plures partes entitativas materiæ. Reſp. eſſe calidiora quoad partes entitativas, id eſt, habere plures partes entitativas caloris verum eſt, intenſivas falſum.

DICES 2. etiam quoad partes extenſivas aliquæ partes ſunt calidiores, ergò non tantum quoad partes intenſivas & entitativas. Reſp. neg. antec. quia nulla pars vivens in corpore humano eſt, quæ non ſit calida in ſtatu naturali ſumpta, unde omnes partes extenſivè ſunt æquè calidæ tam quoad calorem influentem quam innatum.

DICES 3. Partes quò ſicciores, eò etiam ſunt calidiores; ſed oſſa ſunt ſicciora reliquis, ergò, Antec: patet in beſtiis truculentioribus, qualis eſt, Leo qui eſt ſicciſſimus & calidiſſimus. Reſp. neg. antec. quia licet partes ſicciores ut ſunt oſſa, propter ſoliditatem plures habeant partes entitativas caloris, non habent tamen intenſivas propter defectum humidi radicalis, & propter ſiccitatem non ſunt tam receptibiles ſpiritus influentis, quia caloris abundantia eſt in humido. Quod ad leonem, cujus oſſa colliſa ignem etiam emittunt, reſpondetur, nec ipſius ſiccitatem, nec audaciam nec fortitudinem probare quicquā, vel quod ſit calidiſſimus & calidior homine, quia hæc omnia proveniunt à natura propria, à calore ſiccitati juncta bonaque & firma membrorum compoſitione; Oſſa colliſa ignem concipiunt propter ſoliditatem, quod & alia oſſa animaliū ſed & ligna faciunt. Manet itaque certum & indubitatum, hominem eſſe calidiſſimum calido influente & innato, quodq; conjunctum eſt humido primogeneo.

Homo calidior leone.

DICO 2. nullæ partes viventes habent calorem influentem, qui ipſis ſit proprius. Prob. calor influens vel Informat actu vel potentia; ſi illud, jam eſt innatus juxtà notabile; ſi hoc, ergò eſt ſanguinis & ſpirituum, qui ſunt adhuc extrà conſtitutionem partis & ſaltem in via & tendentia ad eam fovendam & deperditum reſtaurandum, ergò partes viventes non habent calorem proprium, quem influentem dicere poſſimus, ſed talem, quem cum ſanguine & ſpiritibus accipiant, qui que in ipſatum Conſtitutionem naturalem tranſeat; & hoc modo dicuntur verè abundare calore influente plusquam ſpermaticæ.

An viſcera habeant calorem influentē.

DICO 3. Ita inæqualiter participant calorem naturalem partes ſpermaticæ & carnóſæ, ut quædam ex his quædam ex iis plures habeant partes & entitativas & inteuſivas. Eſt contrà communem conſenſum Medicorum, qui abſolutè docent, partes ſpermaticas eſſe calidiores calore innato: Ante probationem repete ex dictis, non tantum dici calorem nativum, qui in prima formatione datur viſceribus & imprimitur, ſed qui etiam per nutritionem & adgenerationem alimenti ultimi iiſdem accedit. Jam Prob. Concluſio 1. non eſt eadem omnium partium conſtitutio naturalis, non idem officium aut functio in eliciendis operationibus, ergò non omnium idem calor qui ex influente in innatum tranſeat naturalemque partis Conſtitutionem perficiat. 2. Iis in partibus præſtat calor nativus, ubi humidū innatum & primogeneum abundat; ſed in plerisque carnoſis plus eſt humidi nativi, ergò & calidi. Major vera eſt, Prob. minor; In carnoſis plus deperditur ſubſtantiæ & plus adgeneratur alimenti ultimi, ergò quia abundant humido radicali & calido, & non tantum quia molles ſunt & laxæ, ſpermaticæ verò ſolidæ & duræ; Nam calor maximè viget in partibus carnoſis, quia abundant venis & ſanguine, ideoque plurimum humidi depaſcit, quod per novam adgenerationem reſarciri debet. Dixi tamen in plerisque, quia probabile eſt in quibusdam membris ſpermaticis, v. g. in tunicis craſſioribus ſtomachi ſive arteriarum eſſe calorem vehementiorem, quam in carne ſimpliciant fortè ſplenis, pulmonum & quorundam muſculorum, qui ex officio ſuo non tanto egent calore. Et confirmatur Concluſio; quis enim credat in carne cordis aut Epatis aut re-

Partes carnoſæ ſunt calidiores quā ſpermaticæ.

nuum

num minus eſſe caloris, quam in Cerebro, oſſibus, cartilagine &c. in quibus omnibus deficit humidum vitale, & operationes omnes vegetantes.

DICES 1. potiſſima operatio eſt à partibus ſpermaticis, ergò iis etiam debetur potiſſimus calor. Reſp. neg. antecedens; Quamvis autem utræque partes ita operentur, ut neutra ſola, ſed ſemper mutuis auxiliis id præſtare poſſint; plus tamen pro carnoſis convincit ratio, ſi non quoad omnes actiones, v.g. motum & ſenſum, ſaltem quoad vitales: Deinde non valet ab operationibus ad calorem argumentari, quia quædam actiones pauco calore contentæ ſunt.

DICES 2. arteriæ ſunt calidisſimæ, quia vehunt ſpiritus vitales. Reſp. verum eſſe, quod ſint calidiores, quam fortè partes aliquæ carnoſæ; Deinde calorem quem habent, non participant propriè & per ſe ſed per accidens & præſentia ſpirituum.

DICES 3. ſemen ex quo ſunt partes ſpermaticæ, calidius eſt ſanguine, ex quo ſunt carnoſæ, ergò calor illarum partium major eſt. Reſp. etiamſi verum ſit antec: nihilominus tamé negatur conſequentia, quia in formatione fœtus perierunt ſpiritus, quorum beneficio ſemen habetur ſanguine calidius; Neque adveniunt novi, niſi qui cum ſanguine ſunt materia nutritionis, quique in partibus converſis ſunt copioſiores & efficaciores.

Calor influens an detur & quomodo.

DICES 4. partes carnoſæ ſolo calore influente vel adſcititio, qui eſt in ſanguine & ſpiritibus, abundant, ergò innatus ejusque dominium debetur ſpermaticis. Reſp. neg. ſimpliciter antecedens; Eſt autem inanis & fictitia diſtinctio in calorem influentem & innatum, niſi in quantum hic inhæſivus eſt, ille autem extrinſecus & adventitius, ut qui nulli debetur parti ut ſic, niſi ſanguini & ſpiritibus; ac proinde nulla pars vel membrum dicitur habere calorem influentem, niſi in quantum illum per adgenerationem cum ſanguine & ſpiritibus recipit, quo inſtanti innatus eſt non influens. Et ex hoc fundamento multa cadunt, quæ de utroque hoc calore fusè & ad nauſeam à Medicis ſupponuntur & aſſeruntur.

DICES 5. partes ſperm: ſunt ſolidiores & ſicciores, ergò calidiores, intelligē ſemper intenſivè. Reſp. neg. conſequ: quia poteſt eſſe calor intenſior in aqua quam in ferro, niſi tamen aliud ferrum requirat, quod in membris ſpermaticis non fit, quia ſunt ſolidiores & ſicciores ut ſuſtenteut hominem, ad quod autem non requiritur intenſus calor. Si Corollarii loco

An calor influens vel innatus ſit intenſior.

QVÆRAS, An calor influens vel innatus intenſior ſit, Reſp. ſicut calor influens ita etiam immotus non eſt ubique in viſceribus æquè intenſus, ſed & innatus nullibi ſuperat intenſione influentem, ſicut hic illum, qui tamen ambo aliquando ſunt æquales. Omnia probantur per ſenſum & rationem; hæc quidem quia requirit hoc officium & munus viſcerum, ut propter varietatem operationum non ubique habeant calorem æqualem; illo verò, quia imprimis calor influens in ſanguine arterioſo intenſior eſt quā in venoſo; ſimiliter in carne cordis quam lienis aut muſculorum, in tunicis arteriarum quam venarum, in ſtomacho quam cartilagine, oſſe, cerebro &c. Deinde calor ſpirituum vitalium intenſior eſt quam ullus viſcerum aut partium ſpermaticarum, ſed & quilibet ſanguis perfectè coctus ſuperat calore ſubſtantiam cerebri, oſſis, cartilaginis, &c. Decebat autem calorem innatum eſſe temperatum, ut cuivis parti pro exercendis ſuis operationibus conveniret, neque æſtuare & ſanitatem oſtendere, quod eveniret, ſi calore influente foret intenſior. Quod ſi dicas, ſæpè calorem ſanguinis potisſimum eſſe à calore interno viſcerum, præſertim ſi alimenta ſint natura ſua frigida; Reſp. eſſe partim à ſanguine & ſpiritibus partim à viſceribus membrisque ſpermaticis, unde etiam probabile eſt multas partes habere calorem influentem & innatum æqualiter diffuſum, quia in multis non invenitur ratio cur aut quomodo unus intendat alterum aut deprimat.

Quomodo pueri abundent calore innato & juvenes influente.

Et hinc Colligitur quomodo illud Medicorum & Philoſophorum intelligendum ſit, pueros abundare calore innato, Juvenes Influente, de quo alibi. Nam ſi fiat comparatio puerorum cum pueris & Juvenum cum Juvenibus, & ſit ſenſus quod pueri habeant plus humidi vel calidi innati quam influentis, & Juvenes contra, certi nihil determinari poteſt & eſt quæſtio ſine peculiari conſideratione; ſi verò ſit ſenſus, quod in pueris ſit plus caloris innati, id eſt, intenſivè ſumpti quam in Juvenibus, falſum eſt, quia abſolutè hi calidiores ſunt quam pueri & calore influente & innato, quia ſicciores; per calorem tamen intellige contradiſtinctum calide & humido primogeneo, quo pueri qui viſcera omnia habent mollia & laxa primisque principiis proxima, abundant. Vide Diſp. 17. hujus libri, & præſertim Diffic. 10.

DISPUTATIO QVINTA,

De Elementis quæ ingrediuntur hominem Orientem ejuſque Corpus Organicum.

HIs ipſis compactum eſt Corpus Organicum ejuſque partes ſingulæ, quæ proinde ad eorum cognitionem paulatim deducunt; Et duo quidem infrà pedes totidemque ſuprà nos habemus, ipſa tamen in gratiam hujus corporis à cauſis naturalibus accerſita confluunt, ut illud tam nobile & tam artificioſum opus de quo hactenus, conſtituant; Certè nihil eſt, in quo Elementa deficiant, nullum prorſus vel artis vel naturæ ſimulacrum, ubi ipſa ſi non ſuis, ſaltem alienis ornamentis non conſpiciantur: Hoc nimirùm ad univerſi perfectionem ſpectat, ut ea quæ Deus creavit, omnibus ſpeciebus eorumque perpetuis generationibus non tantum materiam, ſed quæ diſpoſitiones etiam ſunt ad formam quæque terminant omne perfectibile, ſubminiſtrent. Creavit Deus terram & aquam, & ex iis cætera cuncta, quorum ſpecies cum corporibus ſimplicibus omnis adhuc poſteritas contuetur, efformavit; Et in his vivimus & occidimus; orimur & morimur, accreſcimus & decreſcimus, tandemque corporibus noſtris vel æternùm apud inferos uſtulandis, vel apud ſuperos glorificandis perpetuamur; Maximæ profectò ſunt vaſtitatis hæc corpora, tantisque à Deo Conditore dotibus inſtructa, ut multa de iis ab humano ingenio dici & excogitari posſint, ſufficientia nunquam. Primum & nobilisſimum cœlo contiguum ignis eſt poſitus ut illud lambat non lædat, qnia non minus regionis terminis quam naturâ cœlo affinis eſt, continetque in ſeipſo principia lucis, ut æqvum fuerit inter purisſimum ſimpliciter quod eſt cœlum, & inter noſtratia elementa non pura, medium quaſi locum occupare; nec verendum, ne cœli vicinia obſcuretur, quia & illi ſuus fulgor eſt adeoq; dignus qui ſpectetur & ipſe. Ignem ſequitur aër, quem liberrimè circà nos Deus moveri juſſit, & quem elegantisſimè quidam vocant reciprocandi ſpiritus ſpatium, teneram omnium corporum veſtem, cœlorum omnium indicem, organum temporum, quo anni partes temperantur, D. autem Nazianzenus orat. 34. vehiculum avium ſedemque ventorum; Et hic eſt qui omnia penetrat, vacua ſpacia implet, motuque ſumma & ima evertit, quique cœli itati armamentarium dicitur, quando ſcil. hinc tonat, fulminat, grandinat &c. Succedit aqua quam propterea natura fabricaſſe credit Plinius l. 2. c. 65. ut cum terra arida & ſicca conſtare per ſe ac ſine humore non poſſet, nec rurſum ſtare aqua niſi ſuſtinente terrâ, mutuo complexu jungerentur; ſed cohæret terra perinde atque elementum ignis abſque omni humore ſeu glutine, nec aqua forrè rueret, etiamſi terra ſuo objectu non ſuſtineret; ſuus proinde & huic Elemento honor eſt isque maximus, quod oſtendant res omnes à poteſtate liquoris conſiſtentes. Infimum locum habet terra, quæ non ſubit in imbres nec rigeſcit in grandines aut præcipitatur in torrentes ut aqua, nec denſatur nubibus furitque procellis ut aër juxt. Plin. cit. c. 63. ſed quæ benigna, mitis, indulgens inque uſus mortalium ſemper ancilla multa generat funditque ſponte odores, ſapores, ſuccos, colores; hæc nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper, noviſſimè autem à reliqua natura abdicatos ut fidelisſima mater operit ſuoque complectitur gremio; Et de his 4. corporibus Dei cognoſcendi cauſa qnædam & in genere & in ſpecie dicenda videntur, ne ut ait ille appetitores artis, deſertores artificis complectamur ſpeciem, cujus non miremur Authorem. Sit itaque

DIFFICVLTAS I.

An & Quomodo corpus Organicum hominis Orientis ſit compactum ex Elementis.

DUpliciter dicitur aliquod corpus conſtare ex Elementis; 1. ex eorundem qualitatibus. 2. ex materia & ſubſtantia ſive mediatè ſive immediatè; Et de his utriſque dum quæritur,

DICO primò. omnes qualitates elementares non tam alterativæ quam motivæ ſunt in corpore Organico hominis orientis; Ratio eſt, quia hoc corpus eſt mixtum perfectum, ergò neceſſum eſt ut conſtet omnibus qualitatibus elementaribus; Calore quidem imprimis, quia hoc ipſo perficitur Embryo fitque decentiſſima partium ſtructura, ſed & inſtrumentum eſt omnium actionum vitalium, ut habet Ariſt. l. de ſpiritu ubi ait naturam hoc tanquam Inſtrumento exercere actiones; l. de iuu; & ſeneſt. ubi ſcribit calorem naturalem in animalibus incipere cum vita; & rurſum, quodvis animal vivere beneficio caloris naturalis; humore verò, quia nec calor ſine ipſo exiſtere poteſt, nec anima vitaliter operari, quod confirmat idem Ariſt. 1. hiſt. animal. c. 3. ubi ſtatim ad initium ait, humorem omne genus animalium continere, ſine quo aliàs in pernitiem agatur; Et idem docet de long.

long. & brev. vitæ, cum ait, humorem calidum & accretionis & vitæ animam eſſe. Frigore denique & ſiccitate, quia ſunt ad contemperationem, ad miſti perfectionem omnesque actiones quæ in Embryone corporeq; organico tam ante quam poſt acceſſum animæ, ſi non per ſe, ſaltem per accidens fiunt.

DICO 2. corpus organicum hominis orientis compactum eſt ex ſubſtantiis Elementorum ſaltem mediatè. Eſt imprimis rationis, quia Elementa ſecundum ſe tota ad conſtituenda univerſa mixta ſunt ordinata; Deinde Ariſtot, 2. de gen. cap. 8. ubi ſtatim ad initium, omnia, inquit, miſta corpora, quæ circà terram ſunt, ex ſimplicibus conſtant omnibus; & ſubjungit duas rationes, quarum prima hæc eſt, corpora miſta quæ circà terram gignuntur, conſtant terra & aqua, ergò aëre & igne. 2. Eſt, unumquodque nutritur ex iis quibus conſtat; ſed viventia nutriuntur ex Elementis inter ſe coalitis, ergò ex iisdem conſtant. Confirmatur Concluſio inductione, quia conſtat imprimis homo ex materia terrea non tantum quia corpus ejus terræ conformè eſt, ſed quia etiam S. Scriptura id teſtatur, cum ait è terra prodiiſſe hominem, & in eandem denuò eſſe reſolvendum: ſimiliter aërem & aquam docet humidum in corpore organico cum aqueum tum pingue & aëreum, quo utroq; abundat, illo ut calorem intemperet & refrigeret, hoc ut ſit partim ſubjectum partim pabulum caloris nativi. De igne dubium eſt cum præſertim eum negare videatur Ariſt. ut qui omnia conſumat & deſtruat; ſed nec opᵘ eſt ejus ſubſtantia, cum corpus organicum non fiat immediatè ex elementis ſed ex aliis miſtis, nec requirantur neceſſariò omnes elementorum ſubſtantiæ ſicut qualitates, de quibus ſeq: Diſput.

DICES 1. Adamus primus noſter parens è luto terræ formatus eſt, & Eva ex ejus coſta prodiit, ergò ex materia unius elementi. Reſp. lutum illud non fuiſſe ſolam terram ſed acceſſiſſe ſimul aquam cum aëre & igne ut patet ex ipſo luto, quod ut habet Salianus die 6. divinorum operum, coagulum erat ex aqua & terra cæteriſque elementorum ſubſtantiis formatum; Et ex hujusmodi luto poſſet Deus adhuc formare hominem aut ejus corpus organicum, quod tamen non eſſet generatio ordinaria.

DICES 2. ſufficit materia terrea & aquea ad conſtituendum hominem, ergò ſuperfluę ſunt reliquorum Elementorum ſubſtantiæ. Reſp. neg. ſimpliciter antec. ut patet ex dictis, & habetur ex Ariſt. l. toto de long. & brev. vitæ, ubi univerſim in viventibus requirit humidum aëreum, aitque eas plantas & ea animalia eſſe longioris vitæ, quæ habeant humidum pingue & aëreum, de quo alibi pluribus.

DICES 3. homo ejusq; corpus organicum producitur ex miſtis, videl: ex ſemine & ſanguine, ergò non ex Elementis. Reſp. etiam hiſce principiis ineſſe ſubſtantias elementares, quia nec ſemen nec ſanguis eſt ſola terra aut ſola aqua ut ex ſe manifeſtum eſt; gignitur itaq; homo ejusq; corpus organicum ex Elementis non immediatè ſed mediatè ſicut pleraque alia mixta. Ut autem conſtet natura Elementorum tam in genere quam in ſpecie, dicam quid hactenus cum Ariſtotele dixerint & ſcripſerint poſteri tum Philoſophi tum Medici, ideoq; ſit

DIFFICULTAS II.

An alicubi exiſtat Elementum.

QVæſtio eſt, an omnia corpora & compoſita Phyſica, quæ in hoc mundo ſublunari continentur, elementa ſint, an mixta an utraq; ſi primum & ultimum convincitur, jam conſtat dari Elementum in rerum natura; ſi medium, fruſtrà diſputatur de elementis, cum nulla dentur. Quod autem hoc verum eſſe videatur, hinc patet, quia nec ratio nec ſenſus pro iis pugnant; Nam quicquid in hoc mũdo ſpectabili ſenſibus occurrit, id mixtum eſt, nec ullibi reperitur. Corpus aliquod ſimplex; Deinde fruſtrà eſſent bujusmodi Elementa & ad nullum finem directa, quia non inſerviunt uſibus humanis, in quem finem aliàs pleraque videtur Deus conſtituiſſe.

DICO, dantur reverà elementa in hoc mundo ſublunari. Prob. 1. ex Ariſt. qui multis in locis de iis egit, ut 2. de gen. c. 3. ubi propter numerum Elementorum diſputat contrà veteres Philoſophos. 5. met. c. 3. ubi elementum definit. 3. cæl. c. 3. ubi rurſum exponit definitionem elementi. 1. Cæl. c. 2. & 3. ubi ex motibus firmiſſimè probat, dari corpora ſimplicia, id eſt, elementa, & his competere motus ſimplices, ſicut mixtis mixtos. Prob. 2. Elementa ſunt ad perfectionem totius univerſi, ergò neceſſum eſt ea dari: Antec: patet, quia convenit præter corpora mixta dari etiam alia corpora quæ non ſint mixta, & ex quibus mixta generentur quæq; compleant vaſtisſimũ illud ſpatium inter mundum hunc terrenum & concavitatem lunæ; Nam ut Prob. 3. non poteſt illud compleri corporibus mixtis propter defectũ lationis aut motus ſimplicis, qui fit usq; ad cõcavum lunæ, ergò conveniens, imò neceſſariũ fuit illud ſubtilisſimis & lucidisſimis corporibus, aëre ſcil. & igne ab Autore Deo compleri. 4. Communiter dividitur totum univerſum in mundum cæleſtem qui cælos & omnia luminaria comprehendat; In angelicum, qui omnes Angelorũ ordines contineat; in mundum magnum, videl. in omnes Creaturas tam ſuperiores quam inferiores, tam corporeas quã incorporeas; In elementarem qui ex 4. elemẽtis componatur; & deniq; in mundũ parvum qui complectatur hominem, quiq; ideò dicatur parvus, quod ſit veluti ſumma & collectio rerum omniũ; Nam hic eſſe ſuum habet cum lapidibus, id eſt, generationẽ, vivere cum plantis, ſentire cum animalibus brutis, & Intelligere cum Angelis. Prob. 5. ſenſus convincit dari elementa, quia aër quem inſpiramus, mixtum non eſt, nec aqua quã bibimus, eſto non ſint elementa pura propter vaporum & exhalationum acceſſus, quod non impedit elementi ratio-

ti rationem, ergò cum hæc corpora non ſint mixta, reſtat ut ſint Elementa.

Ad rationes initio datas reſpondetur falſum eſſe, omnia corpora quæ ſenſibus noſtris occurrunt. eſſe mixta, quia præter aerẽ & aquã omnia meteora, quę in mundo aereo conſpicimus, media ſunt inter mixtum & elementum; Dari autem ſuprà aerẽ corpus aliquod puriſsimũ quod compleat longisſimum illum tractũ usq; ad cælum lunæ, dicetur infrà: falſum etiam eſt, fruſtra exiſtere elementa in rerũ natura, quia præterquã quod ſint ad perfectionẽ univerſi, cedunt etiam in materiam omnium corporum generabilium, adeoq; vel maximè inſerviunt uſibus humanis.

DIFFICVLTAS III.

An ſit unum Elementum, an duo, tria vel quinque.

DUm conſtat dari Elementa, quærendum eſt, quot eorum exiſtant; Nam de numero non tantum veteres olim litigarunt ut patet ex 2. de gen, c. 3. ſed vocant hoc inſuper in dubium tum Cardanº tum alii ex modernis ut ex infrà dicendis parebit.

DICO 1. nõ eſt unũ tantũ & ſpecie & numero Elementũ ut voluerunt veteres, quotũ alii aquã, alii ignẽ, alii terram conſtituebant, ut videre eſt apud Ariſt. 3. cæl. c. 5. 1. Metaph. c. 3. & ſequentibus tum aliis in locis. Prob. 1. plures ſunt motus ſimplices ſpecie diſtincti, ſcil. ſurſum & deorſũ, tam ſimpliciter quam ſecundũ quid, ergò plura ſunt Elementa, quia uni corpori ſimplici unus debetur motus ſimplex ex Ariſtotele, qui putat hoc argumento firmiter probari numerum & pluralitatem Elementorum. 2. Si unum tantum eſſet elementum, una etiam eſſet tantum combinatio primarũ qualitatum; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud; Aſſumptum patet, quia uni elemẽto unus debetur motus ſimplex & duæ qualitates in extremo compatibiles. 3. Sequeretur nullum eſſe dolorem nec ægritudinem nec 4. genera complexionum, quia hæc ſingula oriuntur ex combinatione 4. Elementorum faciuntq; dolorem & morbos; hoc argumentum eſt Hipp. l. de natura hom. ſtatim ad initium quod etiam commemoratur & laudatur à Medicis & Philoſophis. 4. Prob. inductione, quia imprimis ignis eſſe nõ poteſt, cum hic ſummè rarus ſit & tam à ſenſibus quam ab uſibus humanis partim alienus partim remotus: Nec deinde aqua, quia hæc eſt ſummè frigida & vitæ inimiciſsima proles: Nec deniq; aer aut terra, quia nec ex iis mixta generari nec nutriri nec vivere poſſunt.

Non datur unum Elementum.

DICO 2. nec duo tantum ſunt Elementa, videl: aqua & terra, aut ignis & terra, aut aer & terra, ut diverſi ſtatuerunt veteres. Ratio, quia una tantum eſſet contrarietas, cum tamen ad ſenſum & rationem duæ ſint, ſcil. calor & frigus, humor & ſiccitas, ut fierent perpetuæ generationes & corruptiones in rebus ſingularibus; Deinde vel æquè ambo eſſent activa & ſic in ſe mutuò nõ agerent nec tertium producerent, vel unum eſſet altero fortius, & ſic debilius corrumperetur ab altero. Nec tria ſunt ut ignis aqua & terra, quia duo extrema debẽt habere duo media, alioquin corrumperent illud, ſi foret unicũ; Nec ſal, ſulphur & Mercurius ſunt Elementa, ut noſtris tẽporibus contrà naturam Elementorum magna cum arrogantia nugantur imperiti & indocti cum ſuo fanatico Paracelſo Chymici. Nec 5 ſunt, quem numerum Moniaei Manichæi commenti ſunt, ut videre eſt apud S. Aug. l. de hæreſ. hæreſi 46. & apud Epiphan. in catalogo dogmatum manichæorum l. 2, tom. 2. ſed & Manichæos hac quoq; in parte ſecutus eſt Oſiander, ut patet ex l. Staphyli de juſtit. hominis contrà Oſiandr. Norimberg. An. 1553. edito. Nec deniq; infinita ſunt, ut ex antiquis Democritus, Epicurus, Anaxagoras & alii delirarunt, ut videre eſt apud Ariſt. 1. Phyſ. c. 4. 3. Phyſ. c. 4. & 5. 3. cæl. c. 4. aliiſq; in locis.

Non ſunt duo Elementa, aut tria.

DIFFICVLTAS IV.

An elementa ſint quatuor.

MUlta ſunt argumenta & rationes quibus tam Philoſophi quã Medici elementa eorumq; numerum probant; An autem ita efficacia ſint ut convincant & demonſtrent, lis eſt apud multos, & controverſia apud eos, qui optimis etiam rationibus contenti non ſunt, niſi ſimul rem oculis videant palpentq; manibus. Apud Ariſt. reperiuntur inter alias probationes hæ duæ ſequentes; prima 2. cæl. c. 3. videl. datur cælum quod circulariter movetur, ergò datur terra, quæ naturaliter quieſcit; Datur terra, ergò datur ignis, ergò etiam aqua & aer quæ ſunt media, ergò dantur 4. Elementa. Secunda 4. col. c. 4. uni corpori ſimplici debetur unus motus ſimplex; ſed ſunt 4. motus recti ſimplices, ergò dantur 4. elementa, quia à motibus rectis deſumitur tantùm numerus elementorum, cum cælũ moveatur circulariter. Jam itaq; de prioribus conſequentiis quæritur an bonæ ſint; Et reſpondent interpretes Ariſt. primam conſeq. videl. datur cælũ quod circulariter movetur, ergò datur terra, bonam eſſe hoc modo; Unus motus debetur tantum uni corpori ſimplici; ſed cælum movetur circulariter, ergò terra illo motu non movetur ſed naturaliter quieſcit, cum habeat rationẽ centri phyſici. Quod ſpectat ad ſecundã, rectè ſequitur, datur terra quæ eſt frigida, ergò datur aliud Elementũ calidum, quia hoc valet etiam in miſtione, ubi neceſſariò frigori opponitur calor & calori frigus. Tertia conſeq: dantur extrema elementa, ergò etiam media, bona eſt, ſuppoſito quod docet experientia ignem & terram non eſſe contraria niſi una qualitate, calore ſcil. & frigore, cum conveniãt in ſiccitate; ſi enim dato uno contrario datur & alterum quod probatum eſt, non ſufficit dari contrarium ſecundũ unam ſed etiam ſecundum utrãq; qualitatem, ergò datur aliquod elementum contrarium igni ſecundum utramq; qualitatem, ſcil. aqua, & aliud eodem modo contrarium terræ, ſcil: aer. His poſitis

Elementa ſunt 4.

DICO, 4. tantum ſunt elementa, nec plura nec pauciora, terra ſcil: aqua, aer & ignis, quæ non ſolum Ariſt, ſed etiam alii graviſſimi Philoſophi aſſeruerunt, argumentiſq; firmisſimis commonſtrarunt. Prob. 1. experientia qua conſtat præter

aqnam, terram, aerem & ignem non dari alia ergò. 2. Tot ſunt elementa quot qualitatum primarum combinatioues; ſed hæ ſunt 4. ergò & illa: Et hoc argumentum eſt Ariſt. 2. de gen. c.3. minor prob. nam prima combinatio eſt caloris & ſiccitatis quæ igni competit. 2. Caloris & humoris, quæ aeri. 3. Frigoris & ſiccitatis quæ terræ, & 4. Frigoris & humoris quæ aquæ, Prob. 3. Ex Ariſt. 4. cæl. c. 4. ut ſuprà, tot videl. ſunt elementa quot motus recti ſunt principia; ſed hæc ſunt 4. ergò & illa, quia cuilibet corpori ſimplici coovenit unus motus per ſe ſimplex. Prob. minor, unum enim principium eſt ſumma levitas, quæ eſt cauſa motus ſurſum ſimpliciter, & hæc couvenit igni qui eſt leviſſimus; alterum eſt ſumma gravitas, quæ eſt cauſa motus deorſum ſimpliciter, & hæc ſpectat ad terram quæ eſt graviſſima. Tertium eſt levitas ſecundum quid, quæ aeri; qoartum gravitas ſecuodum quid, quæ aquæ competit; Nam unum quidem ſurſum & alterum deorſum petit, non tamen ſimpliciter ſed ad medium & ſecuodum quid, quia nou habet illud ſummam levitatem, nec hoc ſummam gravitatem. Prob. 4. Firmius, datis duobus extremis dantur duo media, quia unum medium non iotegrè complet diſtantiam duorum extremorũ, ergò dantur 4 elementa. Conſirm. quia ſicut iuter calidum & frigidum non unum ſed duo ſunt media; Ita etiam inter ſummũ leve quod ſequitur ſummum calidum & ſiccũ, & inter ſummum grave, quod ſequitur ſummum frigidũ & ſiccum, duo debeut dari media & non unum, argumenta quæ ignem de quo potiſſima eſt difficultas probabunt, infrà ſequeotur.

Element. eſt corpus ſimplex.

DICES 1. ſi elementum eſt corpus ſimplex, ergò non eſt compoſitum. R. Elemeutum eſſe corpus & compoſitum compoſitione phyſica conceditur, mixtione negatur; vel eſt compoſitum ex qualitatibus binis io ſummo compatibilibus conceditur, ex 4. contrariis ſe mutuò frangentibus, oegatur.

DICES 2. media elementa non videntur diſtingui niſi ſecundum magis & minus, ergò non niſi accidentaliter, ergò non erunt 4. elementa. R. oeg. autec. magis autem & minus in eâdem eſſeutia vel in eodem ſuppoſito nou mutant quidem ſpeciem, mutaor tamen iu diverſis prout hic ſunt; Nam aer & aqua habeut diverſas eſſentias, ut ex ſe manifeſtom eſt.

DICES 3. ſi tollatur terra, tunc aqua magis deſcendet ad ipſum centrum terræ, ergò eſt ejusdem naturæ cum terra, ejusque locos quem de facto habet, non eſt ei uaturalis, R. neg. conſeq. quia aqua oon deſceudit ideò, quod ſit ejusdem ſpeciei cum terra, ſed quod cupiat eſſe infrà omnia leviora, ne detur vacunm.

DIFFICVLTAS V.

Quid ſit Elementum.

VAriè qnidem apud Authores ſumitur Elemeutum, hic autem pro 4. illis corporibus ſimplicibus, igne ſc. aere, aqua & terra, quæ ideò ſimplicia dicuntur, quia non componuntur ex contrariis: Et in hoc ſignificato, prout ex iis omnia mixta & corpora ſublunaria conſtituuntur, aliquot ejus tum apud Ariſtot. tum apud alios habeutur defiuitiones. Gal. enim 8. de plac. vocat Elementa minimas partes eorum quorum ſunt Elementa. Fernel. lib. 2. de elem. cap. 3. ait Elementum eſſe corpus ſimplex, ex quo quidq; primum conſtituitur. Ariſtot. 5. met. cap. 3. ait elementum eſſe id ex quo primo ioexiſtente indiviſibili ſpecie. in aliam aliquid componitur: Et 3. cæl. cap. 3. ait elem. eſſe id corporum, in quod alia corpora dividuntur, in quibus ineſt potentia aut actu; Ex quibus omoibus colligitur elem. eſſe corpus ſimplex in quod alia corpora reſolvuotur, vel uno verbo, Element. eſſe corpus ſimplex non miſtum:

Elementum quid.

DICO, conſenſu omnium tam Medicorum quam Philoſophorum optimè definivit Ariſtot. elemeotum, dum loco cit. ait, eſſe id ex quo aliquid componitur primo inexiſtente iodiviſibili ſpecie in aliam, id quod in hunc modum etiam ſcribunt Conn. 2. de gen. cap. 3. q. 1. c. 1. Explicatur hæc definitio; Dicitur primò, eſſe id, ſcil. corpus, qoia Elem. eſt corpus ſubſtantiale Phyſicum, unde excluditur materia prima quæ non eſt corpus ſimplex. 2. Dicitur ex qoo, ad ſignificaudum Elementa ratione mixti ſe habere inſtar cauſæ materialis. 3. Dicitur primo inexiſtente, ad diſtinctionem eorum quæ componunt quidem, ſed ipſa ex aliis componuntur, ut ſunt caro, nervus, oſſa: Hæc enim compouunt animal, ſed ipſa ex Elementis componuntur, & hæc ſunt prima corpora, quæ exiſtont in nervis, oſſibus, carne. Dicitur 4. indiviſibili ſpecie in aliam ſpeciem, quia non reſolvitur amplius Elementum in alias naturas completas ſeu in alia corpora ſimpliciora; reſolvitur quidem in materiam & formam, ſed hæ uon ſunt naturæ completæ aut ſpecies integræ, ſed tantum partes ſpeciei. Hac itaq; definitione 4. exprimuutur. Primò quod Elem. ſit cauſa materialis ejus cujus eſt elementum. 2. Quod ſit corpus primũ & qnod non componatur ex aliis corporibus. 3. Quod exiſtat in eo cujus eſt elementum. 4. Quod non poſſit reſolvi in alias naturas ſeu ſpecies completas: Ex his facilè colliguntur omuiom aliarum definitionum explicationes, maximè ejus quâ elem: dicitur corpus io quod alia corpora reſolvuntur, quia compẽdioſa eſt & aperta; Nam per corpus excluditur materia & forma; per ſimplex rejiciuntur mixta; per illud, in quod alia corpora reſolvuntur, exclòditur cælum in quod alia corpora nou reſolvuntur.

DICES, aer & ignis producta ſunt ex terra & aqua ut habetur ex dictis, & apud Salianũ, Molinam, Corn. à lapide & plures alios, qui in opera 6. dierum ſcripſerunt, ergò minimùm aer & ignis nou ſpectant ad præſentẽ elemeuti definitiouẽ, R. 1. quando dicitur ex elemẽtis fieri omnia 1. intelligendũ eſſe de productiõe naturali nõ extraordinaria qua Deus in defecto cauſę ſecundæ primò produxit ex materia 1. à ſe creata tam elemẽta qnam mixta quæ ſpectabaut ad pulchritudinẽ & perfectionẽ univerſi. 2. Quâvis aer & ignis ex aqua & terra producta ſiut, ipſa tamẽ eſſe elemen- [illegible] ta etiam,

Digitized by Google

ta etiam, & in eodem genere entis ſimplicis conſtituta; ſic quamvis per naturalem etiam actionem aqua in aërem vel ignem transmutatur, non eſſe tamen transmutationē corporis mixti de quo ſenſus eſt definitionis, adeoq; ſignificari, omnia corpora mixta tandem reſolvi in Elementum, & hoc in nullum aliud ſe prius. Quod ſi dicas, reſolvi in materiā quæ prior eſt; Reſpondetur, fieri reſolutionem in materiam tanquam in rem & naturam incompletam; deinde negatur materiam prius fuiſſe elemento tanquam toto ſuppoſito, quia Deus non creavit materiam primā eamq; ad tempus reliquit informē, ſed cum ea ſimul produxit ex nihilo formam aquæ & terræ, quia aliàs malè diceretur terram fuiſſe creatam; Nam materia terræ non eſt terra, ſed eſt pars quæ cum forma terram ſive compoſitum totum conſtituit, & eſt potiſſima denominatio entium & corporum phyſicorum à forma: poteſt tamen nihilominus materia prima ſub definitione elementi comprehendi, quia eſt maxima pars unde mixta per elementa conſtituuntur, ut advertunt Connimbr. citati.

DIFFICVLTAS VI.

Quæ ſint cauſæ Elementorum.

DE cauſis, quæ tam intrinſecè quam extrinſecè corpora ſimplicia conſtituunt, hic quæſtio eſt; Et de his

Cauſa materialis. DICO 1. cauſa materialis Elementorum eſt materia prima; Eſt communis omnibus hæc concluſio, quia quicquid eſt rerum generabilium & corruptibilium, habet materiam ejuſdem rationis; Et hoc modo pertinet Elementum ad genus cauſæ materialis, quia materia prima eſt id, ex quo tanquam ſubjecto compacta ſunt elementa, quę proinde ſunt minima & ſimpliciſſima pars ejus rei cujus ſunt elementa, ut habet Gal. 1. de elem. cap. 1. 5. & 8. de plac. Hipp. & Plat. vide Ariſt. 2. Phyſ. c. 3. 3. cæl. c. 8. 5. Metaph. c. 2. 7. Metaph. c. ult. aliiſque in locis de cauſa materiali.

Finalis. DICO 2. Cauſa finalis intrinſeca elementorum eſt propria cujusq; operatio ad quam per ſe ordinantur: Extrinſeci fines ſunt plures; Nam imprimis producta ſunt Elementa ab Authore naturæ & concurrunt ad perfectionem & pulchritudinem totius univerſi, quia non ſunt pars minima hujus mundi ſublunaris, ſed occupant potiſſimam partem immenſi illius ſpatii quo cælos circumaguntur vel motrices ſpiritus vel formæ proprię. Deinde exiſtunt in rerum natura ut ex iis fiant variorum corporum generationes, qua de cauſa etiā qualitatibus activis & virtutibus inſtructa ſunt. Adhæc ſingula ſingulos ſuos fines habent reſpectu viventium, quia terra eſt, ut omnis generis fructus & alimenta proferat adeoq; pedeſtribus animalibus inſerviat, metalla, lapides aliaque pretioſa ſuis viſceribus enutrita recondat, & quicquid in uſum humanum converti poteſt, id diviti manu promat; Aqua innumeras copias & ſpecies piſciū profert, peregrinantes longiſſimis itineribus ſuſcipit facitq; ne mixta exiccentur & in pulveres diſpergantur, ſed humore & lentore concreta concreſcant. Aër homini & animalibus in reſpirando ſuccurrit; Ignis autē ut tam animata quam inanimata maturentur, coquātur, & qui mediū vitę eſt, calore foveantur.

Efficiens. DICO 3. cauſa efficiens elementorū eſt rerum omniū opifex ſi ſecundū ſe tota ſpectentur; ſi autem ſecundum partes, ſeipſa invicem cauſant, ut patet ex eorum mutua transmutatione, licet etiam ſæpè ab aliis cauſis producātur v. g. à cælis cauſiſq; ſecundis quāplurimis; primum patet ex dictis & Gen. 1. quia creavit Deus totā terram totamq; aquam & ex utraq; produxit productione phyſica ignem & aërem per modum veri & proprii Agentis phyſici; ſecundū patet ex transmutationibus elementorum, quia præter cælos & aſtra quæ varias ſæpè mutationes & alterationes in his inferioribus ſuſcitant, concurrunt varia agentia, ut patet cum beneficio variorum activorum quæ paſſivis applicamus, ex aere aquam & contrà ex aqua aerem producimus.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ ſint formæ Elementorum.

DE materia nulli dubium eſt eſſe eandem cum illa quæ eſt reliquorum corporum ſublunarium; de forma autem non conſentiunt omnes, quia videntur nonnulli ex antiquioribus ejus fuiſſe ſententiæ & inter eos Gal. 1. de uſu part. tum 1. de Elem. ut dicerent, qualitates primas eſſe ipſas formas ſubſtantiales, ita ut ignis v. g. conſtituatur in eſſe ignis à calore & ſiccitate, nec aliam habeat formam ſubſtantialem. Sed

Formæ Elementorum quæ. DICO, Elementa habent ſuas formas ſubſtantiales diverſas à qualitatib⁹ primis non minus quam reliqua corpora naturalia. Hæc doctrina eſt uniformis omnium exceptis forte paucis; Et prob. 1. ratione, quod uni eſt ſubſtātia, non poteſt alteri eſſe accidens; ſed qualitates primæ ſunt mixtis accidētia, ergò nō erunt Elementis ſubſtantiæ; Antecedens eſt axioma deſumtū ex Ariſt. 1. Phyſ. l. 21. ubi ait, quod verè eſt, nulli accidit. Prob. 2. nulla forma ſubſt. per ſe eſt ſenſibilis, quia remotis omnibus qualitatibus ſenſibilib⁹ à corpore ſubſtantia ejus non cadet ſub ſenſum, quia nec erit frigida nec calida, nec alba nec nigra &c. ſed 4. 1. qualitates p ſe ſunt ſenſibiles, ergò. 3. Subſtantia non eſt ſubſtantię contraria; ſed qualitates ſunt ſibi invicem contrariæ, ergò non ſunt formæ ſubſtātiales. 4. Elementa non diſtinguuntur eſſentialiter p qualitates ſed per ſuas formas, à quibus ſemper & ubiq; deſumitur differentia eſſentialis, ergò habent formas ſubſt. diſtinctas à qualitatibus primis. 5. Qualitates ſuſcipiunt magis & minus, intendunturq; & remittuntur, quod nulli formæ ſubſt. Elementorum aut aliorum corporū competit, ergò. 6. In quolibet Elem. una tantum eſt forma ſubſtantialis, duæ autem qualitates, ergò tales non poſſunt eſſe formæ ſubſtantiales. Confirmatur Authoritate Ariſt. quem vide 3. met. c. 5. l. de ſenſ. & ſenſib. l. 2. de gen. c. 9. aliiſque in locis.

DICES 1. Hipp. l. de nat. hom. exprimit Elementa per naturā frigidi, calidi, ſicci & humidi,

Digitized by Google

quia videl. nullam aliam in iis agnoſcit formā. Reſp. Hipp. facere id quod alii ſæpè facere ſolent, cum incognitum per cognitum explicant; Nos enim ſæpè utimur vocabulis accidentium ad indicandas ſubſtantias, quia accidentia ſunt notiora nobis & ſenſui magis familiaria, quomodo etiam aliqui gravitatē & levitatē vocant formas ſubſtātiales Elementorū.

DICES 2. Elementa dicuntur componi ex qualitatibus tangibilibus, imò vocantur etiam differentiæ, ergò hæ qualitates ſunt Elementis eſſentiales. R. componi ex iis tanquā ex diſpoſitionibus materialibus, non autem tanquam ex partibus eſſentialibus; dicuntur etiam differentiæ, non tamē eſſentiales ſed accidentiales.

Res definiuntur per accidentia ut plurimum. DICES 3. Ignis definitur per calorem 2. de gen. c. 3. ergò calor eſt de ejus eſſentia & conſequenter forma; Conſtat enim quæ in definitione ponuntur, eſſe de eſſentia rei. R. neg. conſeq. probatio vera eſt in definitionibus propriè dictis, quales paucæ reperiuntur, unde ſæpè neceſſitate compulſi deſcribimus res per ſua accidentia, ut ex ſe manifeſtum eſt.

DICES 4. ignis agit non ut ignis eſt, ſed ut calidus. ergò calor erit ejus forma. R. neg. conſeq. quia ſi calor eſſet ejus forma, non ſolum per calorem eſſet calidus, ſed etiam per formā ignis quod tamen eſt falſum. Rectè autem dicitur ignis non agere ut ignis, quia ſic conſtituitur in eſſe ignis per formam ſubſtantialem, quæ requirit accidentia ut inſtrumenta.

DICES 5. principium motus eſt natura, quę eſt ſubſtantia ut conſtat apud Phyſicos; ſed qualitates Elementorum ſunt eorum motuum principia, ergò erunt ſubſtantiæ. Reſp. qualitates Elementorum eſſe principia motus inſtrumentalia & ſecundaria verum eſſe, prima & principalia, falſum.

Colligitur 1. nec levitatem nec gravitatem eſſe formas Elementorū contrà Cardanum l. 1. de Elem. quia hæ qualitates per ſe à ſenſu comprehenduntur non tantum in hominibus ſed etiam in brutis animalibus. 2. Elementa carere omni anima contrà Platonem in Timæo, & contra Manichæos ut de iis narrat Nicephor. in hiſtor. Eccleſiaſt. l. 6. c. 31.

DIFFICULTAS VIII.

An forma Elem. ſuſcipiant magis & minus.

Quid ſit ſuſcipere magis & minus. Rem ſuſcipere magis & minus vel intendi & remitti nihil aliud eſt, quam ex naturali ſua conditione & ab intrinſeco eſſe alterabilē & mutabilem adeòq; habere latitudinem, intrà cujus terminos jam acquirat gradus minus jam magis perfectos.

Opinio 1. eſt Averrh. 3. cæl. comment. 67. nullas formas præter Elementares ſuſcipere magis & minus. 2. Scoto & aliis quibusdam attribuitur, formas quidē ſecundū ſuas eſſentias eſſe ſicuti numeri indiviſibiles, eſſe tamē diviſibiles præter animā rationalē, quatenus recipiuntur in materia & ſecundum ſuos gradus exiſtentiæ quam habeant in materia.

Adverte, illud ſuſcipere magis & minus, vel referri poſſe primò ad individua unius vel diverſæ ſpeciei. 2. Spectari aliquam nobilitatem & præeminentiam ſive etiam perfectionem in diverſis ſpeciebus. 3. Senſum eſſe, an ex intrinſeca ſua natura, vel ratione quorundam principiorum & proprietatum individualium formę aliæ ſint aliis perfectiores, quemadmodum de anima rationali quæri ſolet. ſi itaq; ſenſus ſit de formis unius ſpeciei, falſum eſt quod in perfectione eſſentiali ſuſcipiant magis & minus, quia forma unius leonis nō eſt perfectior quā alterius eſſentialiter; Quod ſi tamen de formis in diverſis ſpeciebus & juxtà aliquam præeminentiam, nobilitatem & perfectionem individualem ſive ſubſtantialem id intelligatur, verum eſt quod ſuſcipiant magis & minus, quia imprimis anima hominis nobilior & perfectior eſt quam anima bruti; deinde juxtà probabilem multorū doctrinam anima unius hominis ſubſtantialiter eſt perfectior quam alterius ut infrà dicetur. Cæterùm quia difficultas tantum intenſionem & remiſſionem formarum Elementarium quoad gradus majores & minores concernit.

DICO, ſicut nulla forma ſubſtantialis, ita nec ulla ex Elementis ſuſcipit magis & minus, id eſt, intenſionē & remiſſionem. Prob. 1. quod ſuſcipit magis & minus, illud debet introduci per motum, id eſt, ſucceſſivè; ſed nulla forma ſubſt. ita introducitur, quia datis ultimis diſpoſitionibus fit in inſtanti, ergò nec forma elementaris ſuſcipit magis & minus; major certa eſt, quia intenſio & remiſsio conſtituit ſpeciem motus & qualitatem; minor eſt Phyſicorū, qui ajunt ad ſubſtantiam, id eſt, ad formam ſubſtantialē non eſſe motum, quia videl. producitur in inſtanti. Prob. 2. ibi datur magis & minus, intenſio & remiſsio, ubi datur contrarium, quia magis & minus non poſſunt eſſe niſi eum ſuſceptione & abjectione formarum contrariarum; ſed in ſubſtantiis non datur contrarium ut patet apud Logicos, ergò nec magis & minus. *Nulla forma ſubſtantialis, nec Elementorum ſuſcipit magis & minus.*

DICES 1. Elementa non ubiq; ſunt pura, ergò ſuſcipiunt magis & minus. R. neg. conſeq. quia hæc impuritas non eſt à formis quia formæ ſubſt. elementorum non mutantur, ſed eſt à qualitatibus vel alienis ſubſtantiis admixtis, ut patet in igne noſtrate, qui omninò eſt ejusdem ſpeciei, habetq; eandem formam cum elementari qui eſt ſuprà aerem, ſed impurior eſt propter pabulum quod abſumit & comburit.

DICES 2. formas & eſſentias cognoſcimus per operationes; ſed hæ ſuſcipiunt magis & minus, ergò & illæ. R. 1. operationes ideò intendi & remitti, quia immediatè pendent à diſpoſitione ſubjecti. 2. Nullam eſſe paritatem inter formas & operationes, quia illæ ſunt ſubſtantiæ, hæ autem accidentia.

DICES 3. ſæpè vocari unam ſubſtantiam magis talem, ut patet ex Ariſt. 7. met. c. 3. ubi ait compoſitum eſſe magis ſubſtantiam quam materiam & formam; & rurſum 2. de anima c. 1. ubi ſtatim ad initiū vocat ea corpora magis ſubſtan-

tias

tias quæ naturalia ſunt. Reſp. magis ſubſtantiam variè dici & intelligi poſſe, ut 1. in prædicando, quo modo genus dicitur magis ſubſtantia quam ſpecies quia de pluribus prædicatur. 2. In cognoſcendo, & ſic ſenſibilia corpora ſunt magis ſubſtantię quia ſunt nobis notiores quam incorp⸗ ⸗reæ. 3. In operando, & ſic aqua eſt magis ſubſtantia quam aër quia fortius agit. 4. Quoad perfectionem & ſubſiſtentiam, & ſic compoſitum eſt magis ſubſtantia quam forma & materia adhuc ſeparatæ.

DIFFICULTAS IX.

An Elementa reperiantur alicubi pura, & quæ impuritatis cauſa.

PRæter rationem ſenſus docet, imum locum occupare terram, ſuprà hanc eſſe aquam, & deinde aërem; ſolus ignis difficultatem habet, de quo pluribus infrà. Sed an hæc elementa ubiq; reperiantur impura, an verò alicubi ſint in ſuo ſtatu nativo abſque aliena & peregrina qualitate, controverſum eſt; Nam quicquid terræ calcamus pedibus, quicquid aquarum palpamus manibus, & quicquid aëris inſpitamus, id totum impurum eſt & alienis qualitatibus & ſubſtantiis immixtum; ſic ubiq; circà terrenum globum cum aëre permixti ſunt vapores aquei & cum aqua exhalationes terreæ, ut nutriat, ſapiat, frigoreq; condenſetur; ſic terra cohæret humido, quouſque penetrat ſolertia hominum & induſtria ad inquirendos ejus theſauros, qui non niſi ab impuritatibus generantur; ſic deniq; corpus igneum fulgentiſſimis ſubinde plenum eſt meteoris, ut appare ret ex cometis aliorumque corporum ignitorum frequentiſſimis coruſcationibus.

Elementa ſunt alicubi pura. DICO itaq; 1. quamvis elementa magna ex parte alienis qualitatibus affecta ſint, certum tamen videtur, nonnullas ſaltem eorum partes adhuc in primogenea ſua integritate perſeverare. Prob. 1. de Igne, quia hic prope concavum lunæ non eſt permixtus qualitatibus aut materiis aliorum elementorum, ergò ignis eo in loco eſt puriſſimus, tum etiam quia ibi eſt cœlo maximè affinis. Prob. antec: quia vapores non aſcendunt ſupra 52. miliaria verſus concavum lunę ut notat vitellio l. 10. perſpect. propoſ. 10. Petrus Nonnius opuſc. de crepuſculis, multiq; alii, & tamen reſtat maximum ſpatium, quod exhalationes explere non poſſent, licet univerſa terra in eas reſolveretur, ergò maxima pars ignis libera eſt à qualitatibus aliorum corporum, quod voluit Ariſt. 2. meteor. c. 3. ubi ait, ejus corporis, quod eſt ſub luna, partem inferiorem eſſe alienis qualitatibus permixtam, ſuperiorem autem integram & liberam. Prob. 2. de terra, quia ab hujus ſuperficie uſq; ad centrum ejus ſunt aliquot millia miliarium ex ſupputatione Ptolomæi, quamvis juxtà aliorum ſententiam pauciora; ſed aquæ non tam altè deſcendunt infrà terram, multò minus aër & ignis violenter illuc impelluntur, ergò reſtat ingens adhuc ſpatium, ubi terra adhuc pura eſt & ſincera. Prob. 3. de aqua & aere, quia probabiliſſimum videtur, aquam adhuc tueri aliquas partes, quas à conditore ſuo primitus incorruptas & ſimplices accepit; & ſimiliter aeré eſſe ſecundū potentiſſimas partes, ubi igni contiguus eſt, ab alienis qualitatibus innocentem, quod neutrum à nobis ſub ſenſum cadat; Ita docent cum Philoſophis plerīq; Medici eorumque Princeps Gal. in l. Hipp. de natura hom. comment. 38. & l. de elem. cap. 5. & 6.

DICES 1. omnia Elementa ſunt ſapida & colorata ubique, ergò impura ubiq; & mixta, quia color & ſapor ſunt ex mixtione. Reſp. neg. conſeq. quia non tantum mixta ſunt ſaporoſa & colorata, ſed etiam elementa, quia ſunt corpora Phyſica proindeq; ſub ſenſum cadentia. Quod autem color & ſapor dicantur eſſe ex mixtione, non intelligendum eſt, quod ſint ſolius corporis mixti, ſed quod maximè ſequantur varias commixtiones & harmonias qualitatum ſecundarum, ſicut qualitates ſecundæ primas conſequi ſolent. *Color & ſapor non ſunt ex ſola miſtione.*

DICES 2. omnia Elem: ſunt corruptibilia, ergò debent aliquando corrumpi, ergò alterari & impura reddi. Reſp. neg. conſeq. quia ut aliquid dicatur corruptibile, ſufficit potentia paſſiva ad corruptionem, etiamſi non adſit potentia activa quæ corrumpat, & tale corruptibile non neceſſariò corrumpitur actu; Deinde requiritur etiam agens aliquòd, cui inſit potētia activa corrumpendi; Et hoc modo Ignis & terra habent quidem potentiam ut poſſint corrumpi in ejuſmodi locis remotis, ſed nullum Agens eſt præſens quod ea corrumpat.

DICO 2. ut Elementa dicantur impura, non ſufficit qualitatum alteratio, ſed requiritur inſuper alieni corporis ſive ſimplicis ſive mixti præſentia & perfuſio. Prob. 1. quia terra propè centrum erit puriſſima, quamvis nonnihil aliquis calor innixus ſit ejus frigori; & aqua ſole calefacta, ſi nihil alienæ ſubſtantiæ accedat, erit nihilominus puriſſima. Prob. 2. quia elementorum impuritas ſupponit plurium & diverſarum qualitatum commixtionem, ergò alienorum corporum perfuſionem.

DICO 3. hæc perfuſio alienorum corporum eſt tantum juxta poſitio; ratio, quia aliàs jam ceſſaret formalis ratio Elementi, & malè faceret, qui v.g aquā vocaret elementum, cum eſſet corpus verè & propriè mixtum. Neq; dicas, non adeſſe 4. primas qualitates, nec poſſe ibi reperiri, ſi v.g. aqua & terra commiſcerentur, proinde non eſſe opus, ut in tali commixtione ceſſet ratio formalis Elementi, & exurgat nova forma mixti ad quam neceſſariæ ſint 4 primæ qualitates, earumq; contrariæ actiones; Quia reſpondetur, hoc ipſo quod deſint 4. qualitates primæ, non poſſe fieri perfectam miſtionē, & propterea Elementa non ceſſare dici & eſſe Elementa, quę alienis corporibus perfuſa ſunt. Confirmat hoc experientia in vaporibus & exhalationibus, quę nec mixta ſunt nec elementa, ideò, quia deſunt iis aliquæ ex primis qualitatibus & quia corpora ſunt impura, perfuſa ſcil. ex portionibus terræ & aquæ; hinc etiam vocantur mixta imperfecta.

DICO 4. Cauſa efficiens hujusmodi impuritatum ſunt Aſtra quæ ſuis influentiis miras frequenter impreſsiones faciunt in his inferioribus, imprimis verò ſol qui ſuo calore calefacit aërem, terram, & aquam, tum & elementorum aliorumque corporum mixtorum pugnæ per ſuas qualitates activas. Cauſa finalis eſt utilitas viventium & major aptitudo ad mixtorum generationes. Formalis & materialis cauſa eſt partim qualitas peregrina in Elemento recepta, partim præſentia ejusmodi ſubſtantiarum quæ Elementis impuritatem adferunt.

DIFFICVLTAS X.

An Elementum poſſit naturaliter totum corrumpi.

ALiud eſt Elementum fieri impurum & aliud corrumpi, quia quando fit impurum, ſervatur nihilominus forma & eſſentia Elementi, ut patet in aqua quam impuram etiam bibimus, & quæ reverà elementum eſt formaliter & eſſentialiter, tantumque alienis qualitatibus ac corporibus perfuſa; Quando autem corrumpitur elementum, ſolvitur nexus inter qualitates connaturales & unio inter materiam & formam, adeoque deſinit ratio formalis Elementi & tranſit in aliud vel mixtum vel elementum, per quemcunque corruptionis modum id fiat. Quæritur itaque an per hanc corruptionem Elementa ſecundum aliquas tantum partes an ſecundum totum pereant, ſive poſt unam corruptionem alia de novo reſtituatur ſive non. Nam

Adverte, corruptionem totius dupliciter intelligi poſſe; ſemel ut omnes partes totius elementi corrumpantur, novæque ejusdem ſpeciei & bonitatis ſubſtituantur; ſemel autem ut totum elem. ſecundum omnes partes deſtruatur nullæque novæ ſuccedant. His poſitis

Aqua tranſit in aërem.

DICO 1. poteſt reverà corrumpi elementum ita ut deſinat eſſe Elementum; hoc patet de transmutatione naturali elementorum, v.g. de aqua quæ per calorem rarefacta tranſit in aërem; Conſtat etiam experientia, tam aquam quam aërem vera putrefactione corrumpi, quod in magnis morbis Epidemicis Medici obſervant & nos in ſtagnantibus aquis per fœtorem advertimus. Neque dicas, Vapores tantum & exhalationes quæ tam aëri quam aquæ permixtæ ſunt; putreſcere, ſervatis formis Elementaribus. Quia utraque verè putreſcunt. quod confirmatur, ex eorum humida conſtitutione, ob quam facilè corruptionem incurrunt, quam nec raritas in aëre nec frigiditas in aqua impedit, quia poſſunt ſecundum utramque hanc qualitatem alterari, & conſtat etiam ſpiritus vitales putreſcere, qui tamen & ipſi rari ſunt, imò juxta multos aëre rariores.

Spiritus vitales putreſcunt.

DICO 2. poteſt fieri, imò defacto fit, Elementum ſecundum aliquas partes corrumpi, novasque ſubſtitui. Patet hoc in aëre, qui corruptus ſemper ad priorem integritatem reducitur, quod certè nunquam fieret, niſi partibus corruptis novæ ſuccederent integræ, quæ locum putrefacti Elementi denuò implerent. Si quæras, quorſum veniat aër corruptus, Reſp. tranſire in aliud elementum, potiſsimùm verò in terram, in cujus Cineres omne putrefactibile convertitur.

Aer corruptus tranſit in terram.

DICO 3. Totum aliquod Elementum non poteſt naturaliter corrumpi. Prob. 1. experientia, quia ſi id naturaliter fieri poſſet, jam tot annorum millibus fuiſſet notabilis aliqua pars hujus vel illius Elementi corrupta, ergò etiam aliud notabiliter auctum, quia uno corrupto neceſſariò debet augeri aliud, quod tamen eſt contrà experientiam. Adverte tamen, ſemper per temporum viciſsitudines quantum in uno Elemento decedit, tantum in altero compleri quod peculiariter in terra aqua & aere manifeſtatur; ad hæc enim prout accedit ſol & recedit, ita etiam calefiunt vel frigefiunt, ergò quando apud nos eſt æſtas & ſol calefaciendo terram adjuvat aerem, in contraria mundi parte eſt hyems, & ſol frigefaciendo aerem adjuvat terram, atque ita quantum hic per æſtatem generatur aeris, tantundem ibidem tunc corrumpitur, & quantum ibi producitur vel aquæ vel terræ, tantum hic corrumpitur.

DIFFICVLTAS XI.

Quæ ſit magnitudo & figura Elementorum.

HÆc Controverſia quod primam partem valdè incerta eſt penderque tota ex opinione Mathematicorum, qui etiam omnes nunquam propter varia genera pedum, paſſuum, ſtadiorum & miliarium conveniunt ut videre eſt apud Conn. l. 2. cæl. c. 14. q. 1. a. 1. Clavium in primum caput ſphæræ & alios. Cæterùm quia hic inſtitutum non eſt omnes partes & regiones terræ, tum Oceanum & ſingula regnis adjacentia maria deſcribere, ſed ea Geographis relinquere, apud quos etiam fuſiſſimè habentur; Idcircò

DICO 1. Veriſimilis eſt ſententia, qua ſtatuitur ambitus terræ miliarium 19080. & diameter 6070. Ratio, qua id firmiter probetur, nulla ſuppetit, ſequiturque Clavius potiſsimùm opinionem Ptolomæi, qui ponit 22500. profunditas aquæ vix ad duo vel 3. miliaria extenditur, imò ut nautæ hujus temporis atteſtantur, in multis locis vix ad ſemimiliare, quia hi ubique fundum reperiunt, etiam in ſummo Oceano quem exactiſsimè explorant. Quantum autem mare cedat terræ quoad magnitudinem ſpectando faciem ipſius, non ſatis liquet; Neque credendum Scaligero exerc. 38. qui putat æquale ſpatium occupari à terra & ab aqua; Res tota æſtimari pot-

poteſt ab Authoribus diverſis, qui totum orbem cum univerſis Iuſulis, maribus, fluminibus & contineutibus exactisſimè deſcripſerunt, rum etiam ex ipſâ profunditate aquæ & vaſtitate terræ, ut videatur tum quæ pars vel quod Elementum cedat alteri. Aeris profunditas habet circiter miliaria 52. quia eò usque juxtà ſcriptores pertingere poſſunt vapores & exhalationes, nec ultetius ob calorem & ſiccitatem ignis; Vide Clavium & Authores quos ipſe citat, ex quibus deducit, aerem multò minorem eſſe globo terræ: Profunditas ignis putatur eſſe miliarium circiter 120578. incipiendo à ſumma altitudine exhalationum usque ad concavum lunæ. Major eſt itaque ignis quam ſit terra, aqua & aer ſimul ex ſupputatiune Clavii, ex quo ſicut & ex aliis hæc fuſius haberi poſſunt.

Profunditas Elementorum.

DICO 2. Elementa nullam certam ſibi poſtulant figuram; Ratio, quia aliàs hae ſublatâ eorrumperentur, ut habet Ariſt. 3. cœli c. 8. ſed Elementa ſæpè mutant figuram neque tamen corrumpuntur; Deinde Elementa ſunt propter miſtionem; ſed ſi haberent certam figuram, non poſſent miſceri, ergò. Quod ſi dicas 1. ignem ſemper facere figuram pyramidalem, ergò certam figuram habebit. Reſp. ignem apud nos facere illam figuram propter materiam quâ indiget; Cum enim abſumatur ab aere ambienre, ibi major eſt, ubi plus eſt materiæ in imò quam in ſummo, unde manifeſtum eſt, ignem facere figuram pyramidalem.

Vnde figura pyramidalis ignis.

DICES 2. guttæ aquæ in globum ſe contrahunt, ergò ſignum eſt, hanc eſſe figuram aquæ. Reſp. ideò aquam conglobari ut fugiat contrarium ambiens, ut docet Ariſt. 1. met. c. 1.

DICES 3. omnia Elementa habent figuram circularem ut patet ex ſphæra; at ſine dubio ſunt in ſtatu ſuo natutali, ergò naturaliter eam ſibi vendicant. Reſp. ignem habere figuram circularem à cœlo, aerem ab igne, terram & aquam ideò, quod tendant ſecundum omnes partes ad centrom, ad quod non poſſunt magis accedere quam efficiendo figuram circularem, cum undique perpendiculariter ferantur ad ceotrum.

Vnde figura rotunda

DIFFICVLTAS XII.

Quomodo & per quam potentiam reducant ſe Elementa ad priſtinum ſtatum.

REductio aquæ aliorumque Elementorum ad nativas qualitates manifeſtam habet experientiam, ſed explicatu non usque adeò facilem; Neque verò id ſolum in Elementis obſervamus ſed etiam in corporibus mixtis, v. g. in ferro candente, qnod igne ablente rurſum frigeſcit, in homine, qui dum forti exercitio incaluit, quiete iterum defervefcit &c.

DICO 1. Elementum non reducitur ad qualitatem ſuam naturalem ab aere ambiente, nec à quibusdam particulis, quæ intactæ remaneant à contraria qualitate, nec per gradus remiſſos ejusdem qualitatis, qui manent in elemento, nec denique immediatè à ſua forma ſola. Prob. primum, quia experimur aquam reduci ad majus frigus quam ſit aeris ambientis, ut ſi media æſtate aqua ebulliens in aere collocatur, quia hæc paulatim infrigeſcet majusque acquiret frigus quam aer in ſe habeat. Prob. ſecundum, Agens v.g. ignis agit in totam aquam, ergò totam calefacit ergò nulla eſt pars, quæ maneat frigida, quod etiam ipſo ſenſu poteſt explorari. Prob. 3. quia aqua ut teſtatur experientia, teducitur ad magnum frigus; atqui gradus remiſſus non poteſt eſſe cauſa intenſi frigoris, ergò non reducitur ad magnum frigus per gradus remiſſos. Prob. quartum, quia nulla forma ſola immediatè operatur ne quidem in propriũ ſubjectum, alioquin tollenda eſſet potentia nutritiva, intellectiva aliæq; rerum naturalium facultates & virtutes, quia poſſet arbor, brutum & homo immediatè absque ulla ſuperadditâ potentiâ intelligere, nutriri, ſentire, &c.

DICO 2. Elementa reducuntur ad ſuum ſtatum naturalem à forma mediante potentia conſervativa, quam habet quælibet forma ſibi ſuperadditam. Prob. quia aliàs non poſſet reddi ratio, quomodo æſtate & interdiu cum viguerit calor ſolis, omnia noctu redeant ad frigus, ſed & aqua calefacta de die; abſentia ſolis & tantum cauſa negativa frigoris; eſt autem aſſignanda cauſa aliqua & potentia naturalis poſitiva quæ corrumpat calorem per æſtatem & interdiu productum, quæque frigus producat; ſi dicas eſſe frigus circumſtans; Contrà eſt primò, quia frigeſcit etiam aqua calida interdiu dum abeſt frigus circumſiſtens; deinde frigus illud non eſt tam intenſum, ut poſſit agere in aquam ebullientem v. g. & tamen hæc paulatim frigeſcit. Adhæc ferrum & alia mixta non reducunt ſe ad ſummum frigus ſed ad frigus eorum formis proportionatum, ergò ſignum eſt reduci à propria forma & potentia conſervativa. Confirmat hoc totum cadaver humanum quod ſumma æſtate maximo calori expoſitum ſummè frigeſcit oullam aliam ob cauſam, quam quod frigus illud cadaveri debeatur, ad quod etiam per intrinſecam virtutem quæ jam corporis mixti eſt, vel per qualitates activas non obſtante aëre teducitur, cum jam calor actualis ei tanqnam inanimato corpori non amplius competat; hoc idem confirmant 2. viſcera interna corporis, quæ à cauſis præternaturalibus ad intemperiem deducta, iis abſentibus ſe ſola pet animam ejusque potentiam, qnæ cuivis membro propria eſt, reſtituunt.

Quomodo reducantur Elem. & mixta ad ſtatum ſuum naturalem.

DICO 2. cujus formæ unica hujusmodi potentia ſi non numero ſalrem ſpecie ſufficit. Ratio, quia fruſtrà finguntor plures; cum forma per unam & eandem id efficere poſſit, præſertim cum finis bujos potentiæ ſit reſtituere de-

debitam corpori temperiem; Et confirmatur à pari, quia eadem potentia nutritiva, dum producit carnem, producit in ea calorem, raritatem, humorem, & alias qualitates formæ carnis competentes, ergò idem poterit facere potentia conſervativa; ſive autem eandem numero ſive diverſam voces, parum refert, quia eadem non potentia nutritiva hic producit carnem, ibi os, nervum, venam &c. & alia potentia conſervativa reſtituit ventriculum ſive Epar laxum, alia reducit temperiem connaturalem, alia diductum tenſumque peritonæum revocat &c.

DICO 4. hæc potentia fluit à forma ſubſtantiali tanquam propria paſſio. Ratio eſt, quia non poteſt ab ea ſeparari; Quamdiu enim aqua manet aqua, ſemper poteſt ſe in priſtinum frigus reducere; Et forma ſemper eſt conſervativa ſui in quocunque ſubjecto.

DICO 5. hæc potentia non poteſt agere in ſubjectum externum. Ratio, quia inſtituta eſt ad conſervationem ſui ipſius ſubjecti; poteſt tamen nihil ominus agere in ſubjectum externum per qualitates ut calorem, frigus, ut videl. ſe contrà externas injurias ad ſui conſervationem tueatur.

DICO 6. hæc potentia conſervativa non pertinet quidem ad certum aliquod genus potentiarum, ut patet diſcurrenti per omnia, cum etiam reperiatur in rebus inanimatis, quorum virtutes ſemper habent rationem tantum analogam cum facultatibus viventium naturalium & ipſius hominis; Nihilominus tamen in vegerativis refertur ad idem genus ad quod vitales ſpectant: Ratio, quia data eſt animali ad conſervationem vitæ, proindeque erit ejuſdem formæ & principii cujus erit potentia vitalis aut vegetans.

Potentia conſervativa quid & ad quod genus ſpectet.

DIFFICULTAS XIII.

Quomodo Elementa in ſe invicem transmutentur.

NOn eſt dubium, quin unum Elem. poſſit in aliud immediatè tranſmutari, ut cum ex aere fit ignis, ex aqua aer; ſed quæſtio eſt an 1. quodvis ex quolibet poſſit mutari. 2. quodnam facilius poſſit in aliud transmutari; 3. quale Elem. oriatur ex pugna duorum Elementorum & è qua cauſa. 4. an in generatione tertii Elementi producatur, ſimul nova qualitas &c.

Adverte 1. quædam Elem. dici Symbolica, quædam disſimbolica. Illa ſunt quæ in una ſaltem qualitate diſcrepant ut aer & ignis in humore & ſiccitate; hæc verò quæ in nulla conſentiunt, ut ignis & aqua, aer & terra, quia habent utramque ſibi contrariam. 2. illud immediatè dupliciter accipi poſſe; 1. ut idem ſignificet quod non intercedentibus qualitatibus alterius Elementi, quo modo fieri non poteſt ut unum Elementum immediatè tranſmutetur in aliud; quando enim materia amittit formam ignis, non poteſt recipere formam aquæ vel aeris, quin prius recipiat qualitatem aeris vel aquæ. 2. poteſt accipi ut idem ſit quod non intercedente tranſmutatione in aliud Elem. v.g. an ex aqua immediatè poſſit fieri ignis, ita ut materia quæ habebat formam aquæ, illâ relictâ ſuſcipiat formam ignis, & non prius formam aeris vel alterius elementi quo modo & ſenſu accipitur hic vocabulum immediatè.

DICO 1. quodlibet Elementum ſive ſit ſymbolicum ſive disſymbolicum poteſt produci à quovis immediatè. Eſt Ariſt. 2. de gen. c. 4. & omnium meliorum Philoſophorum. De Elem. ſymbolicis patet, quia exhalationes quæ ſubſtantialiter ſunt terra, in nubibus accenduntur & immediatè convertuntur in ignem, quod idem de aere in hiatibus terræ intellige, quia hic immediatè tranſit in aquam antequam in ignem vel terram convertatur: De diſſymbolicis de quibus potiſſima eſt difficultas, probatur, quia gutta aquæ in ignem injecta celerrimè & immediatè in hunc convertitur, neque enim opus eſt, ut ſemper prius convertatur in aerem quod aliàs lento igne fieri conſuevit: ſimiliter terra poteſt immediatè in aerem converti ut patet ex ventis, quia cum ſint exhalationes terræ, facillimè reſolvuntur in aerem.

DICES 1. non datur tranſitus ab uno extremo ad aliud ſine medio, ergò Reſp. hoc verum eſſe in terminis ſive motibus localibus, non autem in alterativis, ut patet in albo & nigro, in calido & frigido, in humido & ſicco.

DICES 2. quando aqua convertitur in ignem, prius acquirit levitatem & raritatem aeris, ergo prius fit aer quam ignis. Reſp. non eſſe inconveniens quin aqua jam in via corruptionis habeat majorem levitatem & raritatem & calorem quam ipſe aer, quia non repugnat, quod diſpoſitio naturalis aeris ſit minor diſpoſitione violenta ipſius aquæ & præſertim cum tendit ad id quod calidum eſt & rarius ipſo aere, ſcil. ad ignem.

DICO 2. elementa ſymbolica cæteris paribus facilius & citius in ſe transmutantur quam disſymbola. prob. primò, corpora quæ habent convenientiam inter ſe, facilius in ſe mutuò transmutantur quam quæ non habent; ſed ſymbolica eam habent, ergò. 2. ubi minor eſt reſiſtentia, ibi facilior eſt tranſmutatio; ſed talis eſt inter elem. ſymbolica, ergò. Dixi cæteris paribus, quia ſi unum ſit valdè rarum & aliud denſum, unum admodum exiguum, alterum ingens, contrarium accidet, ut proinde non omninò ſymbolica æquè facilè transmutentur; ſic videmus guttam aquæ citius & faciliùs abſumi à magno igne quam partem terræ propter hujus denſitatem & illius raritatem, licet hoc ſit elem. cum igne ſymbolicum & illud diſſymbolicum; Et in hunc modum etiam aer citius igneſcit quam terra propter eandem cauſam.

DICO 3. ex actione mutuâ duorum elementorum diſſymbolicorum oritur tertium ab utroque diſtinctum. Ita Ariſtot. 2. de gen. c. 4. & prob. quia quando v. g. ignis agit in aquam, agit per calorem qui eſt activior frigore, & viciſſim aqua agit in ignem per humorem qui eſt activior ſiccitate ; in hac autem actione ubi humor & calor dominantur, deſtruitur frigus in aqua manente humore integro, corrumpiturque ejus forma; Contra verò in igne perit ſiccitas manente calore , & cum ablata ſiccitate non maneat amplius forma ignis ſicut nec forma aquæ, remanet materia calida & humida, generaturque neceſſariò aer.

DICES, quando ignis & aqua invicem agunt, gignitur mixtum, ergò non elementum; Antec. patet, quia concurrunt omnes 4. primæ qualitates quæ ſe invicem frangunt. Reſp. ſi ex hac qualitatum fractione reſultet temperatio prima qualitatum , fortè ſequi formam mixti; ſæpè autem fieri ejusmodi mixtionem quæ non ſufficiat ad generandum tertium elementum ab urtoque diſtinctum, etiamſi nulla ex primis qualitatibus maneat in ſummo gradu , ut patet in aqua cujus frigus quidem debilitatur , ſed manet nihilominus adhuc forma aquæ; debet itaque ad gignendum tertium elem. una qualitas alteram penitus ſuperare & expellere.

DICO 4. quando duo elem. ſymbolica invicem agunt, non oritur tertium ſpecie ab illis diſtinctum. Ratio eſt, quia nõ poſſunt produci diſpoſitiones neceſſitantes talem formam novi elementi; hoc patet in aere & aqua, quia ſi vincitur frigus, producitur aer; ſi calor, aqua. Idem de igne & aere intellige.

DICO 5. Elementum quod ex pugna remanet vel de novo producitur, fit à qualitaribus ei convenientibus & remanentibus in tota illa materia; vel ut habet Hurt. diſp. 6. de Elem. §. 49. ab elemento vicino , ſi ſit intra ſphæram activitatis poſitum ; vel ut placet Conn. & aliis, à cauſa univerſali ſupplente defectum cauſæ ſecundæ; hæc tamen tum abſolutè phyſica ſint , ad phyſicos etiam ſpectant.

DICO 6. quando ex duobus elementis gignitur tertium, neceſſariò debet produci qualitas de novo, neque ſatis eſt corrumpi contrariam. prob. 1. non poteſt expelli frigus ab aqua quin introducatur calor; hoc autem fieret, ſi non produceretur nova qualitas, ergo 2. ſi poſſet corrumpi una qualitas abſque productione alterius, materia poſſet liberari à contrariis & eſſe abſque forma ſubſtantiali quod abſurdum eſt. 3. ut educatur forma v. g. aeris de potentia materiæ, debet in quavis minime particula eſſe calor & humor; ſed ſi non produceretur nova qualitas in materia quæ fuit ignis, eſſet calor & non humor, & in materia quæ fuit aquæ, eſſet humor & non calor, ergò non poſſet produci aer.

Quomodo producatur aer.

DICES, ut producatur aer, ſufficit ſi in eâdem materia ſit calor & humor ; ſed etiamſi non produceretur nova qualitas, cum ex materia ignis & aquæ fiat una materia, nihilominus verum eſſet eandem materiam eſſe calidam & humidam, ergò non eſt opus ut producatur nova qualitas. Reſp. ſimpliciter falſam eſſe majorem; Non enim ſatis eſt in eadem materia ſecundum diverſas partes eſſe calorem & humorem , ſed oportet in iiſdem omninò partibus eſſe calorem & humorem quod hic non eſt; proinde in materia quæ fuit aquæ, debet produci calor & quæ fuit ignis, humor, ut utraque materia in unum aſſociata habeat & calorem & humorem fiatque poſitâ mediâ raritate & levitate aer.

DIFFICULTAS XIV.

Quænam ſint qualitates Elementorum.

QVæritur de qualitaribus Elementorum non quoad præſentem ſtatum, quia conſtat aerem ſubinde valde eſſe frigidum, quod tamen ipſi naturale non eſt, ſed quoad ſtatum ſuum debitum & nativum.

Suppono, Elementis ineſſe qualitates duplices ; primas alterativas ut frigus , calorem &c. ſecundas motivas ut gravitatem & levitatem; de utriſque quæritur.

DICO 1. Inter alterativas qualitates non debentur Elementis aliæ quam calor, frigus, humor, ſiccitas. Eſt Ariſt. 2. de gen. c. 3. Et ratio eſt, quia hæ tantum ſunt 4. illæ per excellentiam primæ dictæ, quæ non oriuntur ex aliis quæque ſolùm primis corporibus conveniunt, reliquæ verò quæ ex his componuntur, mixtis; Deinde hæ ſunt primariæ adminiſtræ omnis generationis & corruptionis ergò debentur Elementis, igni quidem calor ſummus cum ſiccitate, & aeri ſumma humiditas cum calore, aquæ verò ſummum frigus cum humore & terræ ſumma ſiccitas cum frigiditate.

DICES, etiam calor, odor, ſapor, raritas, denſitas &c. Conveniunt Elementis, ergo non tantum primæ. Reſp. 1. quando dicitur ſolas 4. primas qualitates convenire Elementis, intelligitur, eas ſolas eſſe propriè alterativas. 2. quando dicitur, Elementis non convenire qualitates ſecundas quæ ex primis oriuntur , intelligitur eas non convenire quæ propriè ex temperatione & mixtione 4. prim. qualitatum producuntur, quod ideò per ſe manifeſtum eſt, quia in elementis non admittitur nec admitti poteſt ejusmodi temperatio; Admittitur autem ideò etiam in elementis tanquam corporibus color, odor & ſapor , quia ſunt corpora phyſica quæ ſub ſenſum cadunt, quæque materiam habent præter formas ſubſtantiales propriis ſuis paſſionibus & qualitatibus affectam, Neque enim putandum eſt quod multi faciunt, ibi non eſſe qualitates ſecundas ubi non ſunt omnes primæ inter ſe com-

Quomodo in Elem. ſint qualit. ſecunda. Non ſemper qualit. 2. ſunt ex miſtione primarum

commixtæ, quia hoc falſum eſſe patet in elementis, quæ minimùm habeot colorem etiam in ſtatu puriſsimo, eſto non habeant io hoc ptopriè ſaporem manifeſtum aut odorem quod tamen valdè incertum eſt; ſimiliter etiam habeot qualitates tactiles ut raritatem, denſitatem &c. quæ etiam cælis conveniuut. hinc

DICO 2. Etiam Elementa ſuas habent gravitates & levitates; Ita Ariſt. citatus, ubi inter qualitates tangibiles numerat gravitatem & levitatem. Et prob. experientia, quia videmus aquam & terram fieri deorſum naturaliter, fumum verò, flammam, exhalationes, vapores aliaque corpora levia ſurſum, ergò habent aliquod priocipium, quare deſcendant, & rurſum aliud cur aſcendant, videl. gravitatem & levitatem. 3. Ignis calidisſimus eſt & ſiccisſim⁹, ergò levisſimus, terra autem ſiccisſima & frigidisſima, ergò gravisſima; Hæc conſequentia eſt neceſſaria, quia ſicut ſumma levitas ſequitur ſummam caliditatem & ſiccitatem veritati conjunctas; Ita etiam ſequitur ſumma gravitas ſummam ſiccitatem & frigiditatem denſitati annexas. Et ex his intellige, levitatem & gravitatem duorum elementorum intermediorum eſſe qualitates ſimplices & non compoſitas ex extremis, diſtinctas etiam à ſubſtantia Elementorum, quia ſunt ab iis ſeparabiles, ſuſcipiunt magis & minus, ſunt propriè contrariæ &c. An verò differant ſpecie à qualitatibus motivis extremorum, v.g. gravitas terræ & aquæ, levitas ignis & aeris, vide diverſas philoſophorum ſententias & imprimis Forerum diſp. de grav. & levit. theſi 8. & ſeq. ubi affirmativam ex 4. cœl. t. 34. & 8. phyſ. t. 64. & 68. hoc argumento probat; duo ſunt loca ſurſum ſpecie diſtincta & duo deorſum, ergò etiam motus ad hæc loca erunt ſpecie diſtincti.

Collig. qualitates primas ſi conjunctim ſumantur, eſſe paſsiones & proprietates Elementorum, videl. calorem & ſiccitatem ignis, frigus & ſiccitatem terræ, calorem & humorem aeris, frigus & humorem aquæ.

DIFFICVLTAS XV.

An ſi terra ſubtraheretur aquæ, hæc naturaliter deſcenderet, & aer ſemoto igne aſcenderet.

VIdetur id ex illo phyſicorum quod Elementa in ſuis locis oon gravitent nec levitent vel quod idem eſt nec ſurſum nec deorſum ferantur, omninò negandum eſſe; Nam ſi aqua non gravitet in ſuo loco naturali, certè non deſcendet etiam ſi terra ſubtrahatur; Et idem de aere intellige; qui cum in ſuo loco oon levitet, etiam ſemoto igne non aſcendat.

Opinio 1. eſt Conn. 4. cœl. quæſt. ult. c. 1. in fine, ubi negant aquā ſemotâ terrâ deſcenſuram, aut aerem detracto igne aſcenſurum niſi in his tribus caſibus; ſi 1. eſſet metus vacui. 2. ſi elementum levius ſub aqua poneretur. 3. ſi Elementa forent impura, ubi etiam aer & ignis contra ſuam naturalem inclinationem deſceoderent.

Opinio 2. eſt Rub. eodem in loco ubi affirmativum tuetur ideò quod imprimis omne grave naturaliter deſcenderet; ſed in prædicto caſu aqua eſſet gravis, ergò deſcenderet; Deinde quod ideò aqua non deſcendat, quia ſupponitur terra, ergò hac ſubductâ deſcendet. Jam

DICO 1. ſi terra & aqua ſubducerentur ab aere & igne, nullus ex his duobus deſcenderet, niſi tamen ut prudenter advertunt Conn. id fieret propter aliquam impuritatem aut metum vacui. Ratio eſt, quia hoc utrumque Elementum ex natura ſua leve eſt, aſcenditq; ſemper ſurſum; Major tamen difficultas eſt, an ſi ignis ſubtraheretur, aer usque ad cœlum lunæ aſcenderet; Et affirmant id plerique ideò quod aeri ſit conveniens motus ſurſum, unde ne daretur vacuum, naturam ajunt ita ſphæram aeris augmentaturam, ut etiam ſphæram ignis præter ſuam occuparet; Convenientius enim putant eſſe non dari vacuum & hanc ſpatioſiſſimam Regionem non eſſe ab omni corpore liberam, adeoque ab aere occupari, quam hunc intrà ſuos terminos naturales ſubſiſtere & noo movere ſe ſurſum: Imò ſunt qui docent totum illud ſpatium impleri non igne ſed aere ſubtilisſimo, quem etiam inter omnes cœlos uſque ad primum mobile ſtatuunt, vocantque æthera.

DICO 2. ſi terra tolleretur vel à Deo annihilaretur, tunc aqua deſcenderet ad eum locum ubi jam terra eſt. Ratio prima eadem eſt quæ aeris cum igne ſubtracto, quia videl. aqua natura ſua gravis eſt, ergo natura ſua deorſum tenderet; Neque dicas, non gravitare in loco ſuo naturali; quia reſpondetur, in dato caſu non fore amplius in loco naturali ideò quod oon habeat ſub ſe gravius & quod jam ſit corpus graviſſimum in toto univerſo. Nam ratio ſecunda eſt, quod terrâ ſubtractâ neceſſariò aqua deſcenderet, quia videl. ipſa in locum gravioris Elementi ſuccederet haberetque rationem corporis graviſſimi; ſed adverte, dato caſu augendam eſſe aquam, ne ejus Regio eſſet vacua & otioſa, vel contrà naturæ ordinem aer cogeretur ſuccedere, facturam etiam juxtà hanc deſcenſus explicationem globum propriumque centrum habituram, circà quod omnes partes graves occurrerent planè ad eum modum, ſicut jam in terra fieri conſtat. Et hinc colligitur, quamvis Elementa in ſuis locis nec gravitare dicantur nec levitare; nihilominus tamen corpora gravia ſuprà minus gravia aut ſuprà levia ubicunque ſint, gravitare, & levia infrà minus levia aut infrà gravia levitare. Plura vide apud Ariſt. 4. cœl. c. 4. apud Conn. Rub. Fonſec. Soar. Perer, Hurtad. & alios.

Sublatâ terrâ aqua deſcenderet

DIF-

DIFFICVLTAS XVI.

Vnde moveantur Elementa.

RElictâ veterum opinione, qui volebant Elementa moveri à cœlo.

DICO 1. Elementa moventur à ſeipſis. Eſt Ariſt. 4. cœl. c. 3. prob. 1. moveri à ſeipſo eſt opus vitale; ſed Elementa non vivunt, ergò 2. quæ à ſeipſis moventur, ad omnes poſitionum differentias moventur; ſed Elementa ad nnam tantum differenriam moventur, ergò. 3. ſola heterogenea à ſeipſis moventur ob diverſitatem otganorum, ergò non Elementa. 4. quæcunque moventur à ſeipſis, poſſunt conſiſtere, & poſtquam naturaliter conſtiterint, incipete motum ſive cognitione perfecta ſive imperfecta ur patet inductione in omnibus viventibus.

Elem. moventur à ſuis formis

DICO 2. Elementa moventur à ſuis formis tanquam principiis principalibus internis effectivè. prob. 1, ex Ariſt, 2. phyſ. t. 2. ubi docet naturalia eſſe quæ ab aliquo principio intrinſeco moventur; ſed Elementa ſunt corpora naturalia, ergò. 2, forma eſt principium motus ſecundum Ariſt. in naturalibus; ſed non eſt paſſivum, ergò activum, & quidem per ſe. quia ut materiæ per ſe convenit pati, ita & formæ agere, 5. Ariſt. 4 cœl. c. 3. ait, elementa habere in ſe principia ſuorum motuum, & in hoc differre ab artefactis quod horum principium ſit extrinſecum, elementa autem habere principia interna, quod prob, ratione, motus Elementotum eſt naturalis non ſolum ratione materiæ, ſed etiam reſpectu formæ; forma autem eſt princ. efficiens motuum naturalium, ergò.

DICO 3. Generans eſt ſuo modo principale principium externum motus in Elementis. prob. illud eſt princ, principale motus, cui rectè tribuitur ille motus principaliter; attribuitur autem generanti. ergò. prob, minor, quicquid pertinet ad conſtitutionem rei iu ſtatu ſuo naturali ex vi generationis, illud meritò tribuitur generanti, quia hujus eſt rem non tantum producere ſed dare illi ſtatum ſuum connaturalem; atqui motus Elementorum eſt talis, ergò per hunc enim conſtituuntur in locis ſuis naturalibus; Deinde qui dat formam, dat etiam conſequentia formam; ſed generans dat formam, motus autem eum conſequitur, ut videte eſt apud phyſicos, ergò.

Quæres, cur ergò non etiam animalia dicuntur moveri à generante. Reſp. 1. quia motus progresſivus animalium non tendit præciſè ad conſtitutionem animalis in ſuo ſtatu connaturali. 2. qnia illius motus principium proximum non fluit immediatè & neceſſariò à forma animalis, ſed liberè vel ſaltem ſpontaneè efficitur, ubi per vim eognoſcendi intrinſecam excitatus eſt appetitus ad motum; Contrarinm verò eſt in Elementis; Nam forma quam accipiunt à generante, ita ſe habet, ut ſi ponantut extrà locum ſuum naturalem, neceſſariò moveantur & principient motum non niſi per emanationem.

DICES 1. ſæpè fit nt generans corrumpatur & eo corrupto moveatur adhuc Elementum; tunc autem non poteſt moveri Elementum à generante, quando ipſum non eſt, ergò. Reſp. moveri à generante mediatè per virtutem à generante communicatam quæ eſt ipſa forma Elementi & qualitas motiva.

DICES 2. Elementa habent interdum virtutem ab alio agente, v. g. ignis à ſole è ſtipula excitatus non eſt ab alio igne genitus. Reſp. quando id accidit, ſolem eſſe generantem, quia ejus calore excitatur ignis.

DIFFICVLTAS XVII.

Quodnam Elementum ſit nobilius & præſtantius.

VNum quodque Elementum habet aliquam prætogativam ob quam videtur aliis præſtantius eſſe & excellentius: Nam terra imptimis eſt in termino ſuo & fine, unde etiam in perpetua quiete, reliqua autem continuò moventur ad ſua loca propria; Deinde terra adfert maximam utilitatem eunctis viventibus, cum in contrarium reliqua Elementa non raròingentia pericula adferant. Quod ſecundò aqua ſit Elementum nobilius. inde conjicitur, quia eſt maximè neceſſatia non tantum pro generandis viventibus, ſed etiam pro iis enutriendis & vitalibus operationibus exercendis, quia vira in humido conſiſtit; Quæ cæterùm encomia ei attribuat D. Ambr. videri poteſt l. 3. hexam. c. 5. dum ait, mare tanquam hoſpitium fluviorum, fons imbrium, derivatio alluviotum, invectio cumeatuum, ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubrıtas valetudinis, itineris compendium, ſtetilitatis impedimentum &c. ſed & aer videtut 3. præferendus, quia ſine hoc non poteſt ſnbſiſtere vita humana, nemo viventium poteſt ſine eo reſpitare, nulla ſanitas eſt durabilis, nihil denique ita convenit cum vita & natura humana, quæ in calido & hnmido conſiſtit, quæque hoc utroque maximè conſetvatur.

Nota, dupliciter poſſe aliquid eſſe nobilius altero; 1. propter intrinſecam ſubſtantiam & naturam. 2. ptoptet quædam accidentia & aliquam utilitatem inde emergentem; ſic pnlex dicitur nobilior cælo propter formam nobiliorem quæ eſt viventis; cælum autem longè nobilius ob effectus multos longeque nobiliores, quod in his ſublunaribus in uſnm & bonnm unius hominis producit, Jam

DICO, Intet Elementa nobilisſimus eſt ignis, ſi ejus eſſentiam & naturam ſpectemus. prob. 1. Ignis inter omnia elem. eſt maximè activus, ergò perfectisſimus & nobiliſſimus. 2, Ignis habet paſſiones ſive qualitates quæ omni-

Elementorum ignis nobiliſſimus.

omnibus aliis præſtant, ergò etiam præſtat natura & eſſentia, quia conditio paſſionis ſequitur conditionem naturæ; Antec. patet, quia calor ſummus debetur igni, & hic præſtat omnibus aliis qualitatibus terrenis, elementaribus & activis. 3. ignis proximum cælo locum occupat, ergò eſt perfectiſſimus & nobiliſſimus, quia proximè affinis eſt cœlo ob puritatem, raritatem & claritatem.

Ad argumenta quæ pro reliquis Elementis pugnant, Reſp. 1. quod terra quidem quieſcat, ſed id non arguere majorem ejus excellentiam quam ignis aut aëris quæ moventur, quia nec hæc moventur niſi propter continuas rerum generationes & corruptiones, tum etiam quia hi motus ſunt iis extrinſeci, eſto ſint à principio intrinſeco, quod etiam terra habet, quæque etiam ſecundum aliquas partes movetur ut patet in exhalationibus; Deinde nec ex hoc ſequitur major præſtantia terræ, quod majorem adferat utilitatem hominibus, quia non facit hoc ut eſt pura ſed ut eſt admixta aliis omnibus elementis; ſi autem in ſe abſolutè conſideratur, conſtat quod contineat utramque qualitatem, quæ ſunt ſociæ mortis ut frigus & ſiccitatem. Ad aquam ſimiliter reſpondetur, omnes videl. ejus operationes & elogia probare tantum nobilitatem extrinſecum non intrinſecam, ut patet ex neceſſitate alicujus rei: Nam multa ſunt ſimpliciter neceſſaria & tamen propterea non ſunt aliis nobiliora; v. g. cibus eſt homini maximè neceſſarius & tamen non eſt nobilior aquâ aut aëre prout ſunt integra Elementa. Et idem pro aëre dicendum eſt, quia præſtantia ejus eſt extrinſeca ut ſumitur tantum à neceſſitate, non autem à natura vel activitate & puritate. Itaque terra, aër & aqua poſſunt dici nobiliora igne ſecundum quid & ab extrinſeco, id eſt, propter uſum, neceſſitatem & alios quosdam uſus, non propter intrinſecam naturam & eſſentiam in qua ignis omnibus præſtat.

DIFFICULTAS XIIX.

An detur reverà ignis ſub concavo lunæ.

Elementorum quadrigam interturbare non tantum ſuperiori ſeculo conatus eſt Cardanus, adeoq; cum nonnullis aliis ignem è concavo lunæ tanquam è ſede propria expungere; ſed reperiuntur etiam noſtris hiſce annis non contemnendæ doctrinæ cum Philoſophi tum Medici, qui hunc locum tam innocenti tamque puro corpori ex innata quadam invidia dedignantur, cumque nec inter ſimplicia nec inter mixta ſed nec alicubi in toto univerſo patiuntur, ut patet ex Ioh. Bapt. Helmontio Medico Belga, qui novæ alicujus Philoſophiæ paucis abhinc annis inventor & propagator magnam & in philoſophiam & in Medicinam invehere conatus eſt hæreſin, dum in Ariſtotelem, cujus ingenio doctrinæque milleſima parte nec par ipſe nec quisquam alius ipſi ſimilis, Hipp. Galenum, omnesque Medicos & Philoſophos mira loquacitate injurius, temperamenta, complexiones, miſtiones, qualitates, humores, miſſionem ſanguinis, purgationes, & ſi quæ plura ſunt Medicorum ad ſalvandum hominum ſanitatem præſidia, evertit, nihilque præter currentem ſtylum & verba otioſa ſive copioſa ad firmandam roborandamque ſuam opinionem adducit. His itaque miſſis

DICO, datur ſub cœlo lunæ Elementum ignis. Ita communis eſt doctrina. & prob. 1. quia videmus noſtrum ignem ferri ſupra omnia corpora levia, ergo locus qui eſt ſuprà omnia corpora, debetur igni, ergò ibi eſt ignis, prior conſeq. eſt manifeſta, quia nullum corpus fertur ſuprà aliud niſi quod vendicat ſibi locum ſuperiorem; poſterior conſeq. etiam patet, quia Deus à principio condidit mundum naturaliter diſpoſitum, ergò ſi ignis requirit ſupremum locum, probabile eſt à Deo ibi eſſe collocatum. 2. Neceſſariò ſub cœlo lunæ adeoque in immenſa illa capacitate quæ eſt inter ſupremam aëris regionem & lunam, collocandum eſt aliquod corpus phyſicum, quod etiam lumine naturali cognoſcimus eſſe ſummè leve & rarum, id eſt, ſummè calidum & ſiccum ut ex Ariſt. 4. cœl. c. 4. colligitur. Et hoc aër eſſe non poteſt, quia hic humidus eſt ideoq; nec ſummè levis ut naturaliter ad tantam altitudinem evehatur. Confirm. quia videtur ad perfectionem univerſi ſpectare, ut detur aliquod corpus ſimplex quod ſit ſummè calidum & ſiccum, ſicut datur à contrario corpus in rerum natura, quod ſit ſummè frigidum & humidum; & rurſum ſicut datur corpus ſummè denſum & grave, ita & aliud ſummè rarum & leve, quod aliud eſſe non poteſt quam ignis; Neque enim eſſe poſſunt vel vapores vel exhalationes, quia vapores ſunt aqueæ ſubſtantiæ ideoque nec ſummè leves, vixque ultra 52. miliaria à terræ montiumque ſuperficie aſcendunt, ut eſt communis Meteorologicorum ſententia, ergò ſuprà vapores debet eſſe aliud corpus, quod aër eſſe non poteſt; ſed nec exhalationes, quia non feruntur hi multùm ſuprà vapores, ut patet ex igneis meteoris: Deinde ſunt terreæ ſubſtantiæ, cui non poteſt ineſſe tanta levitas; Et ſi denique tota terreſtris machina reſolveretur in meras exhalationes, non impleret vaſtiſſimum illud inter aërem & concavum lunæ ſpatium: Reliqua argumenta jam ſuprà adducta huc quoque referri poſſunt; Ut autem conſtet quanti momenti ſint rationes Adverſariorum.

Datur ignis ſub concavo lunæ.

DICES 1. hoc Elementum nullius eſſe uſus huic mundo inferiori, quod tamen eſſe deberet, ſi tantum tamque nobile corpus in loco tam ſpatioſo ducitur. Reſp. eſſe & ſpectare præ cæteris ad perfectionem totius univerſi, ſicut aer mediæ vel ſupremæ regionis, & terra quæ eſt infrà Elementum aquæ.

DICES 2. Ignis non eſt ab humano oculo ſpectabilis, ergò fruſtrà fingitur eſſe ſuprà aërem. Reſp. neg. conſeq. quia etiam aer non

poteſt

Digitized by Google

poteſt videri, & tamen nemo ejus exiſtenriam negat, quod in utroqne impedit ſumma raritas, minor in aere, major in igne.

DICES 3. Ariſt. 1. meteor, c. 4. ſtatim ad Initium ait, corpus quod ſub coocavo lunæ eſt, accendi, ergo ibi non eſt ignis ſed aliud corpus. Reſp. neg. conſeq. quia loqoitur Ariſt. de halitibus calidis & ſiccis qui altius aſcendunt & comburuntur ut Cometæ; Itaque ſunr in regione ignis corpora halituoſa, non autem immediatè ſub concavo lunæ quò nullum corpus præter ignem purum aſcendit, ſed paulò ſuprà regionem aeris.

DICES 4. Ignis manet ſponte in cavernis terræ, & aliqnando ſupernè elabitur in terram, ergò locus ejus non eſt in concavo lunæ. Reſp. ignem non ſponte ſed vi derineri intrà aerem, nec ex ſe & natura ſua ferri deorſum, ſed quatenus impellitur aut gravitate materiæ deturbatur; Deinde ignis in hiſce inferioribus, quamvis ſit ejusdem rationis cum illo ſupremo elemẽtari, producitur tamen à variis agẽtibꝰ in aere, in terra & ejꝰ cavitatibꝰ, quia virtualiter continetur in variis mixtis, duratq; ad conſumptionẽ materiæ, quâ ſemper hic eget.

DICES 5. ſi exiſteret ignis ſub concavo lunæ, jam pridem omnia aſſumpſiſſet; neque enim homot aeris obſiſtere poteſt, nec vim ignis coercere. Reſp. neg. aſſomptum, quia 1. vehementia ignis obtunditur ab influxu aſtrorum. 2. ab aeris humiditate & vaporum aſcendentium frigore. 3. denique à propria raritate, ob quam non habet vim conſumendi.

DICES 6. Ignis extinguitur ſi pabulum ei ſubtrahatur, ergò in concavo lunæ, extinguetur, quia nullum ibi pabulum habet. Reſp. ignem in proprio ſuo loco poſitum non indigere pabulo ſicut quando extrà hunc exiſtit, quia non habet ibi contraria quæ timeat ſicut in terra ubi circumſidetur à contrariis.

Quare ignis requirat pabulũ

DICES 7. Ignis natura ſua diſſimilis eſt cœlo lunæ, ergo non poteſt cum illo eſſe contiguus, ergò aliud corpus ſub lunæ concavo ponendum eſt. Reſp. neg. conſ. qnia licet ignis ſit diſſimilis lunæ, eſt tamen illi ob raritatem, puritatem, pelluciditatem & ſimplicitatem ſimilior quam reliqua corpora ſublunaria, unde nihil impedit quò minus conjungi poſſint, quia ex ſe conſtat, ignem ſuo calore in cœlum vel lunam tanquam hujusmodi actionis incapacem nihil tentaturum.

DICES 8. Ignis non fuit creatus in principio, ergò non exiſtit. Reſp. nec aerem nec cælos eorumque luminaria fuiſſe per creationem producta & tamen certum eſt exiſtere in rerum natura; quomodo autem producta fuerint, vide diſp. primam.

DICES 9. cum Hellmontio tract. qnem contrà humores ſcribit c. 2. notab. 2. ſi daretur Elementum ignis ut exinde mixta generentur, deberet quotidiè ex ſuo loco naturali in hunc mundum inferiorem deſcendere; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud. Rogavi inquit Hellmontius, ubi in humores miſtionem, temperamentum & Elementum ignis iratè nimis invehit, elementum naturæ parentem, dignaretur aliquem ſuſcitare qui refelleret tantam mortalium & ſcholarum hebetudinem; ſiquidem imprimis exiſtentia ignis elementaris propè globum lunæ ſuperantis ſua ſphæra regionem aeris multoties prorſus in ſe ludicrũ commentum continet, quia per tot centena miliaria & trans aeris frigidiſſimum clima inceſſanter penetraret &c. Et paulò poſt, Dolendum ait ſanè atque ſemper miſerandum, quod diabolica hujusmodi mendacia, quæ in Ariſt. ridenda & conoivenda erant, etiamnum hodiè à tot ſeculis perſeverent, nondumque ſurrexerit aliquis qui tantæ cæcitati non ſit patronus, totque fabellis ſcholaſticis earumque doctoribus non reſiſteret &c. R. hoc argumentum rugoſum & edentulum, antequam Hellmontius ad eliminandum Elementum ignis tantoperè gratiam divinam rogaverit, & de mendaciis diabolicis, inſciria & ignorantia non tantum præſtantiſſimos multorum ſeculorum philoſophos, ſed & ipſum Ariſtotelem, cujus ingenium & doctrinam jam dudum obſtupuit orbis, & cujus ipſe non meretur eſſe diſcipulus, à nonnullis non tam ſeriò quam majoris explicationis & cognitionis gratia fuiſſe objectum, ad quod autem primò dicitur, non eſſe opus tam violento impulſu elementorum, ut dum gignitur pulex, mus vel quippiam aliud, ipſa contrà ſuam naturalem inclinationem deorſum deturbentur & adſint in tempore novæ generationi; moveri enim ſufficienter abſque perturbatione univerſi & convenire in unum omnia Elementa mediis cauſis univerſalibus, quarum intereſt ita providere rerum generationibus & corruptionibus, ut nullibi vel defectus vel exceſſus reperiatur. 2. Reſpondetur & fortè commodius, non eſſe neceſſum ut ignis & aer supernè conjungantur & in hæc inferiora violenter deturbentur, cum in iis corporibus ex quibus fiunt novæ generationes, ſufficienter reperiantur; Nam rarò fiunt mixta perfecta ex puris elementis, ſed ſemper ex aliis mixtis in quibus omnia exiſtunt elementa, ſi non quoad materiam ſaltem quoad qualitates & virtutes. Quod ſi etiam mixta generentur ex vaporum & exhalationum condenſatione, ut metalla, lapides, ranæ &c. dicendum eſt, etiam hiſce corporibus quæ mixta imperfecta ſunt, facilè ſive in viſceribus terræ ſive in ipſo aere ſi nõ ſubſtantiã, ſaltem qualitatẽ igneam accedere, quia non ſemper fiunt mixta ex materia omniũ elementorũ licet ex omnibꝰ eorũ virtutibus, prout infrà patebit. Colligitur 2. ſub lunæ concavo nõ poſſe contineri aerẽ quantumvis rarũ, quia cũ ſit natura ſua humidꝰ, nõ poteſt eſſe ſummè rarꝰ, levis, calidꝰ, ſiccꝰ. Quod ſi quis tamen pertinaciter cõtẽdat, ſub concavo lunæ non eſſe ignem, ſed aliud corpus quoddam ſummè leve & ſummè rarum, quod vel æthera vel aerem nominare liceat, quodque paulatim magis magisque purum & rarum adusque primum mobile omne ſpatium

Rarò fiunt mixta ex ſolis Elem.

impleat & occupet, illi litem non movebo; hoc ſaltem dico, convenientius eſſe juxtà Ariſtotelem & ex rationibus tam hic quam alibi datis ſub luna ignem elementarem, qui in qualitatibus alterativis ſit ſummè calidus & ſiccus, & in motivis ſummè levis & rarus, collocare.

DIFFICULTAS XIX.

An ignis ſit qualitas vel ſubſtantia.

HIc inter Elementa non ſecus ac ſol inter aſtra principatum tenet, occupatque non in medio ſeu imò mundi ſed in ſummo, proximè ſcil. poſt corpora cæleſtia locum juxtà mentem ipſius Ariſt. 2. cæl. c. 13. ubi ait ignem eſſe præſtantiſſimum corpus & habere locum præſtantiſſimum, & paulò infrà, eſſe finem & terminum cæterorum Elementorum, quod idem ait 2. de gen. c. 8. in fine, ubi eam ob cauſam formam Elementorum appellat, quod ſcil. natura ſua ad terminum univerſi feratur; Nec ob locum tantum nobilior eſt ignis cæteris Elementis, ſed liquet etiam ejus præſtantia ex calore & levitate quatum utraque in igne ex communi opinione ſumma eſt; ſed & aliis multis nominibus exuperat cætera elementa ut agilitate vel mobilitate, quantitate ſeu magnitudine, raritate, perſpicuitate & lumine, quibus omnibus cœlo affinis eſt ſi præſertim accedat utrinſque geminum germen lux & arctiſſima inter lumen & calorem cognatio. Hic enim illius rivulus eſt & fons, ille quod à lumine manare ſoleat, iſte, quod dum ignem, etiam lucem accendat. Hinc pari quaſi jure ignis cum cœlo non ſolum adminiſtrat hunc mundum magnum, ſed & parvum; Spiritum enim quibus ſenſuum functiones ſuſtentatur, ignem fatentur parentem, cujus ſoboles eſt ſplendor ille qui in oculis etiam videtur clauſis, quem qui ineſſe negat, amens ſit ut ait Scal. exerc. 297. § 3. ubi addit, omnes univerſi corporis ſpiritus eſſe tales, etiam eos, quibus audimus & quod majus eſt, eos qui guſtui inſerviunt &c. Jam

Ignis eſt ſubſtantia DICO, Ignis non eſt qualitas ſed ſubſtantia; Eſt contra Card. l. 2. de Elem. & fortè contra nonnullos alios, qui tamen id expreſsè non audent fateri: prob. iiſdem rationibus, quibus prob. eſſe elementum & exiſtere in rerum natura, ſcil. ſub concavo lunæ, ubi nullo indiget pabulo, ſed in ſe annotum millibus conſervatur. Deinde non ſuſcipi intenſionem & remiſſionem, non habet contrarium, producitur in inſtanti, non cadit ſub ſenſum niſi per ſua accidentia &c. Tandem confirmatur ex ſolutione ipſorum argumentorum Cardani. Si itaque

DICAS 1. cum Cardano, ſi ignis eſſet ſubſtantia ſequeretur in ferro candente ſimul eſſe duas ſubſtantias ſe mutuò penetrantes, ignea ſc. & ferrea; ſed hoc eſt abſurdum, ergò & il-
In ferro candente quomodo ignis. lud. Reſp. 1. In ferro candente non ſemper eſſe ignem ſed diſpoſitiones proximas ad ignẽ, quibus autem forma ferri per potentiam ſuam conſervativam fortiter reſiſtit ne producatur forma ignis; neque color ille igneus ſive luteus veram formam ignis demonſtrat, cum tantũ ſit qualitas quæ etiam cum ferro eſſe poſſit. 2. in ferro candente non ubique eſſe ignem, ſed tantum in poris, in quibus pro pabulo aerem, exhalationes & particulas quaſdam ferreas habet. Neque dicas, totum undique ferrum ignitum eſſe; quia undique pori ſunt, in quibus aer exiſtens facit ut forma ignea prævaleat: Et hæc eadem reſponſio datur in ſpongia vel panno undeque madefacto, in quibus licet non ſit aſſignabilis aliqua particula, quæ non ſit humefacta, certum tamen eſt, exiſtere in ibi duas formas, ſpongiæ ſcil. vel panni & aquæ ſe mutuò non penetrantes, ſed juxta ſe invicem poſitas.

DICES 2. ſequeretur, quotieſcunque ferrum ignеſcit, fieri corruptionem in quo nulla eſt difficultas, & quoties rurſum extinguitur, rurſum fieri productionem ferri per veram generationem quod eſt abſurdum. Reſp. ut prius, qui aquæ pars pabulum fuit ignis & ab ejus forma informata, non fit rurſum ſubſtantia ferri, ſed abit in cineres; cui verò adfuit forma ignis per juxtapoſitionem, manet ferrum utante & tantum refrigeſcit: Igneſcit autem cum exhalationibus & quibuſdam ferri particulis ſolus aer.

DICES 3. Ignis inhæret ſemper ſubſtantiæ ut ligno, ferro &c. imò nunquam videmus ignem abſque ſubjecto, ergò eſt accidens; Et hoc eod. argumento utitur Fienus Medicus Lovan. in illa Apologia, quam pro animatione fætus tertii diei contra Santacrucium ſcripſit. Reſp. neg. antec. quia aliud eſt inhærere aliud adhærere; Duæ enim ſubſtantiæ poſſunt ſibi mutuò adhærere, inhærere nunquam. Ignis tamdiu adhæret, quamdiu in ſubjecto, ligno v. g. vel alio corpore producit diſpoſitiones ignis, tum verò corruptâ formâ priori ipſe ſolus informat ſubjectum; Quod autem ſemper videatur inhærere, mirum non eſt, quia rapaciſſimus eſt, helluo eſt, pabuloque indiget, unde etiam omnia ſubjecta, niſi fortius reſiſtant, tandem deſtruit, ſi nimirùm intrà poros ſuſceptus paulatim ſerpat & ſe extendat productis prius diſpoſitionibus ad formam ignis. *Ignis non inhæret corporibus.* *Nunquam ignis eſt in ſubjecto abſq; corruptione*

DICES 4. Ignis augetur & minuitur, quia alius eſt ruber, alius candidus, alius candidior &c. Et hanc opinionem ait Plembius abſq; temeritate poſſe publicè defendi. Reſp. magnam eſſe temeritatem dicere quod ignis ſit qualitas, & ſubſtantia accidens; Quod autem ignis augeatur vel minuatur magiſque vel minus ſic calidus, lucidus, candidus, urens &c. id habet à diſpoſitionibus ſubjecti & qualitatibus, non à propria forma, quo nec ſuſcipit magis nec minus,

DIFFICVLTAS XX.

Quænam ſint qualitates ignis & in quo gradu.

QVæritur, hic de qualitaribus tam primis quam ſecundis, imò & de proprietatibus quas ab Authore naturæ ſortitus eſt ignis.

DICO 1. ignis in qualitatibus alterativis eſt calidus & ſiccus; Eſt Ariſt. 2. de gen. c. 3. in fine, Hipp. l. de carnibus & 1. de diæta circà initium, & prob. experientia, quia verè & manifeſtè ignis calefacit & exiccat. Deinde niſi ignis calidus eſſet, non poſſet occupare ſupremum locum quem habet à ſumma raritate, hanc autem à calore & ſiccitate.

DICO 2. calor & ſiccitas competit igni in ſummo gradu. Eſt contra multos hujus ſeculi philoſophos & imprimis contra Conn. 2. de gen. c. 3. q. 5. a. 4. qui probabiliter docent, ſingulis Elementis unam tantum eſſe qualitatem in ſummo & alteram in gradu remiſſo, v. g. igni calorem in ſummo, ſiccitatem in remiſſo, aeri humorem in ſummo, calorem in remiſſo &c. Adverte hic 1. non eſſe ſermonem de Elementis ut ferè reperiuntur in rerum natura, ubi utplurimùm ſunt impura, ſed de iis præcise in ſua natura conſideratis. 2. quando dicitur qualitatem utramq; alterativam ignis eſſe in ſummo, non intelligi quod utraque parem habeat dignitatem & excellentiam, quia certum eſt igni primò deberi calorem ex natura rei, tum ſiccitatem, aeri primò humorem tum calorem &c. Deinde certum quoq; eſt calorem eſſe ſiccitate activiorem, proindeque primas ei deberi adeò ut altera quaſi ignobilior & in gradu remisſiori ponenda videatur, quod de qualitatibus alterativis cæterorum Elementorum ſimiliter intellige. Jam prob. conclusio 1. quod nimirùm ignis ſit calidiſſimus, quia ex omnibus Elementis eſt leviſſimus, ergò, hæc conſeq. prob. quia quò corpora ſunt calidiora, niſi aliunde quid obſtet, eò majori conatu in ſublime tendunt, videl. ad locum ignis, ut in flamma videmus. 2. quò perfectius eſt aliquod corpus, eò perfectiores illi debentur qualitates; ſed conſtat inter qualitates primas calorem eſſe perfectisſimum, ergò ille debetur corpori perfectisſimo, ſcil. igni. Quod etiam ignis ſit ſiccus in ſummo contrà eos, quorum aliqui remiſſionem docent abſque contrarii admixtione, alii contrà cum admixtione contrarii ut Conn. & pleriq; nominales, prob. 1. ſiccitas in igne non habet admixtionem contrarii, ut conceditur ab Adverſariis primis, ergò ſecundum illos eſt in ſummo; prob. hæc ſeq. quia ut omnes concedunt, latitudo graduum ex primis qualitatibus debet in quavis prima qualitate expleri, id eſt, quantum in una deeſt, reſtituatur ab ejus contraria, ergò cum ſiccitas non habeat admixtam contrariam, habebit in ſummo ſuam latitudinem. prob. 2. ex jure naturæ, quia cum ſiccitas unà cum calore debeatur igni in tota ſua perfectione, & utraq; ſimul ſumta ſit proprietas ignis, omninò dicendum videtur hanc in ſummo quoq; deberi elemento ignis, eſto ſuperetur à calore in virtute agendi, quia ex natura ſua inferior eſt calore quoad dignitatem & excellentiam, imò paſſiva quaſi reſpectu caloris. 3. Si ignis non eſſet ſiccus in ſummo ob admixtionem humoris, ut volunt Adverſarii ſecundi, jam ignis non eſſet elementum ſed mixtum quia haberet minimùm duas qualitates contrarias, quod tamē nemo concedet. 4. Si humor igni eſſet admixtus, non multum diſcreparet ab aere, nec aſcenderet ad cœlum lunæ. 5. Quando Ariſt. elementis aſſignavit qualitates, duarum tantum meminit, &c.

Ignis calidiſſimus.

Ignis ſiccisſimus.

DICO 3. inter qualitates motivas obtinet ignis levitatem in ſummo. Eſt Ariſt. 4. cæl. c. 4. Et ratio eſt, quia ignis fertur ſimpliciter ſurſum & exiſtit ſuprà omnia levia, ut patet ex eodem loco Ariſt. ergò eſt leviſſimus. 2. Ignis eſt calidiſſimus ſimul & rariſſimus, quæ duæ ſunt cauſæ levitatis ſummæ, ergo 3. ignis eſt corpus perfectiſſimum maximeq; cœlo affine, ob quam cauſam etiam locum proximū à cælo meruit. ergò neceſſariò debet eſſe leviſſimus.

Ignis leviſſimus.

Calor & raritas faciunt levitatem.

DICO 4. præter levitatem habet etiam ignis ex qualitatibus ſecundis raritatem, pellucíditatem vel diaphaneitatem; color autem, odor, ſapor aliæq; qualitates virtuales nullæ in ipſo reperiuntur, ſicut nonnulli apud Marſil. 2. de gen. q. 5. opinantur: De ſumma raritate & diaphaneitate nemo facile ambigit, quia docet hoc experientia & commonſtrat viſus noſter qui per tantum igneæ regionis ſpatium momento penetrat ſed etiam usq; ad firmamentum planetas ſtellasq; contuetur. Cæterarum, qualitatum defectus cauſa eſt vel ipſa ſumma raritas vel corporis ſimplicitas quia qualitates virtuales ſeqvuntur qualitatū temperationē.

DICO 5. ſummus calor & ſumma ſiccitas ſimul ſumptæ ſunt vera proprietas ignis. Quod ſeparatim ſumptæ non ſint, inde patet, quia etiam calor eſt in aere & ſiccitas in terra, ubi tamen nec calor eſt proprietas aeris nec ſiccitas terræ. Quod autem ſimul ſumptæ ſint proprietas, inde manifeſtum eſt, quia verè conſtituunt ignem, & in hoc ab omnibus aliis corporibus phyſicis non tantum elementaribus ſed etiam mixtis diſcrepare faciunt; Deinde quia emanant ab ipſa forma ignis quemadmodum potentiæ & facultates reſultare ſolent. Tandem quia his ipſis notabiliter refractis neceſſarium eſt ipſam ſubſtantiam & formam ignis ad interitum tendere. Dico notabiliter, quia Advertendum eſt hanc proprietatē non eſſe ita eſſentialem ut in indiviſibili conſiſtat & participet de eſſentia ſuppoſiti vel identificetur cum eſſentia ut rationalitas in homine, ſed accidentalem, quæ etiam ſalvâ formâ & toto compoſito non nihil alterari poteſt & immutari ut patet in igne, qui aliquādo in productione v. g. ex ligno vel aliis materiis ſummè quidem calidus eſt, ſed nec dum ſummè ſiccus ut fatentur omnes, quia nimirùm poteſt ſe cum aliquo humore compati, quemadmodum in igne noſtrate utplurimùm fieri credendum eſt.

DIFFICULTAS XXI.

Quomodo generetur ignis.

CArd. l. 2. de Elem. 6. affert modos quibus ignis reddatur validior. 1. naturâ; ardentior enim magis & celerius urit; ſed hic modus videtur præſupponere formam ignis inrendi quod falſum eſt. 2. materia, hinc qui in ferro eſt, ſuperat illum qui eſt in ſtipula. 3. motu, quia ſic fit penetrabilior. 4. magnitudine. 5. impedimento reſpirationis, quod ſcientes nautæ exiguo foco ollam ſupponunt præcluſisque meatibus rem ſubjectam fervere cogunt. 6. cum cogitur ignis antiperiſtaſi, qua ratione calx accenditur. Jam

Generatio ignis.

DICO 1. ignis generatur ab alio igne, prob. 1. ab experientia, qua videmus ignem incendere lignum, & ex illo producere formá ignis ubi nullus præextitit ignis. 2. prob. ratione, ignis non minus eſt Agens univocum & productivum effectus in ſpecie ſimilis quá cætera agentia univoca; ſed hæc poſſunt producere effectum ſibi ſimilem mediantibus ſuis potentiis & virtutibus, ergo etiam ignis idem poterit.

DICO 2. Etiam ignis producitur à ſole per radios reflexos & multiplicatos. Eſt doctrina communis, & patet ex propoſ. 55. l. 2. perſpect. ubi habetur quod radii reflexi ſolis à concavo ſpeculo ignem generent, quem directè generare non poſſint; Et confirmatur hoc experientiâ quotidianâ, ubi etiam conſtat, pueros perſpiciliis & vitris concavis excipere radios, eorumque reflexione incendere res facilè combuſtibiles & producere ignem.

DICO 3. Ignis fit etiam ex attritu vehementi & colliſione duorum corporum. Hic major difficultas eſt, quam in modis prioribus, ubi materia eſt aer aut aliud corpus ad recipiendum capax, efficiens ſol aut ignis, inſtrumentum calor per radios, qui adminiculo ſpeculi fortius agunt, excitatus; in præſenti verò modo magis variant difficiliusque ſe explicant, dum alii materiam quæ accenditur, volunt eſſe aerem, ut Scal. exerc. 16. Conn. 2. cæl. c. 7. q. 6. e. 2. Alii partes corporis atteri ut Card. 2. ſubtil. Alii materiam quandam unctuoſam. His autem animadverſis dicendú eſt non tantum aerem ſed etiam partes attriti corporis rarefactas concipere ignem. prob. primum 1. quia iſte ignis plerumq; excitatur affrictu corporum ſolidorum aerem intercipientium, ipſa verò corpora ſolida difficilius rareſcunt. 2. quia ex nulla re facilius gignitur ignis quam ex aere. prob. ſecundum, lapides, quo ſunt duriores, eò indigent majori percuſſione ut generetur ignis. Chalybes etiam inter ſe colliſi difficilius emittunt ignem quam colliſi cum lapide eò quod difficilius rareſcant, cum tamen ſi ſolus aer accederet, facilius fieret per duriores lapides, quibus aer facilius atteritur. 2. duriora corpora imò quæcunq; alia leviter colliſa ignem quidem dant, minus tamen durantem & validum, quod ſignum eſt ſolum aerem non incendi; quod ſi colliſio fiat fortior, vivacior & durabilior efficietur, ex quo patet præter aerem aliquid etiam ſubſtantiæ ſolidioris in ignem converti.

In attritione corporũ & aer & aliquid ſubſtantiæ ſolidioris incenditur.

DICO 4. etiam motu producitur ignis. Eſt Ariſt. 2. cæl. c. 7. ubi ait ſub concavo lunæ aerem motu cœli in ignem converti, tum motu igniri lapides, ligna, ferrum &c. Et paulò poſt, ſagittas ab arcu emiſſas ſic igniri ut mucrones plumbei liqueſcant: Hoc tamen quomodo fiat, non facilè explicatur; Nam vel motus producit ignem ut cauſa efficiens vel ut conditio ſine qua non; Non primum, quia effectus ignis longè nobilior eſt; deinde quia ſolis qualitatibus ineſt virtus productiva effectus; motus autem non eſt qualitas; ergò ſecundum, de quo varii varia ſtatuunt: Nam imprimis ſunt aliqui, qui rebus veluti deſperatis ad Deum confugiunt & affirmant Deum omnibus corporibus in quibus ignis & calor per motum efficitur, indidiſſe vim arcanam calefaciendi, ut ignis abſentia compenſetur; ſed quid hæc ad Aſtra & ſolem quæ ſeipſis ſufficiunt hunc mundum calefaciendi & in eò ignem producendi. Deinde ſunt aliqui qui docent, cum motu conjungi raritatem & ex hac conſequi calorem; ſed etiamſi raritas ut eſt diſtenſio quædam partium duriorum, à motu proficiſci poſſit, à tali tamen raritate nullo modo oritur ignis, cum ſit effectus longè nobilior & perfectior, & quotiescunque inter duo corpora aer interceptus magis rareſit, deberet etiam citius in ignem converti quod tamen falſum eſt, quia quando v. g. oſſa duorum leonum inter ſe colliduntur, citius ignis proſilit, quam ſi duo marmora etiam fortiſſima, ut etiam aer hic magis quam ibi rareſcat. Alii aliter fieri indicant, probabiliſſimú verò cenſent Conn. cit. a. 1. id verú eſſe quod jam dudum docuerit Durandus in 2. diſt. 15. q. 3. videl. in omnibus corporibus, in quibus per motum localem efficitur calor, quamvis actu ſint frigida, ineſſe tamen calorem virtualem ſive majorem ſive minorem, qui attritione iſta ſeu motu locali excitatus tanquam conditione ſine qua non ſua ſponte in actum erumpat, eo ferè modo quo docent calorem aromatum aut vini excitatum à calore humido in ſtomachi animalis in actum erumpere, & hoc modo commodè explicari omnes illas experientias quibus compertum ſit ex aliquibus facilè ignem excuti, ex aliis difficilius, quamvis æqualiter percutiantur; Et hinc aliquos lapides igniarios eſſe meliores aliis licet ſint minus duri magis tamen virtualiter calidos; ſimile quid etiam obſervari in metallorum liquefactione, quæ congelata non actu ſed tantum virtute ſint humida & liquida, & fieri talia à ſolo calore ſicco ignis, quem calorem non requirat ut cauſam efficientē hujus liquiditatis, ſed tanquam conditionē ſine qua non, ut hoc modo fiant actu id quod prius erát virtualiter.

Motu quomodo producatur qualitas.

Oſſa leoñ colliſa ignẽ excitant.

Quare quædam corpora colliſa facilius ignem concipiunt.

Hic

Hic tamen advertendum eſt, ſemper opua eſſe attenuarione & rarefactione ſive aeris ſive exhalationis aur etiam partium cnrporis inflammandi, ſive hoc ſit ſolidum nt lapis ſive fluidum ut nubis, quia urrumq; motu rareſcit & eliditur; facilius tamen celeriua & frequentius igneſcit corpus ſnlidum, quia aer intermedius & fortaſſis etiam qui eſt in ſuperficie facillimè ignem concipit.

DIFFICVLTAS XXII.

Quotuplices dentur ignes.

PRæter ignem concavo lunæ vicinū & quem hic in ſnblunaribus impurum habemus, dantur non pauci alii qui per rtactus aereos volitant & nunquam in admirationem homines rapiunt; Quantò enim eorum effectus & affectionea ab hominum ingeniis remotinres, tantò minus ad eorum cognitionem ſæpè accedunt, unde etiam gravius aliquando de iis hallucinamur aut neſcio quæ cōfingim⁹. Itaq;

DICO 1. Inter vagos & per æthera hine inde perrerrantea ignes occurrunt imptimis *Cometa* Cometæ, qui nihil ſunt aliud quam exhalatio accenſa, & producuntur plerumque infrà lunam in regione ignis vel ſuprema aetis; aliquando tamen etiam in cœlis, ubi more aliorum ſyderum moventur ut conſtat ex noviſſimo illo, qui noſtra memoria anno 1618. comparuit tot calamitatum in Germania prodro- *Fulmen.* mus. Sequitur fulmen, quod eſt ignitus halitus vehementiori impetu è nubibus excuſſua ſæpè cum lapide quem cuneum fulminia vocant ex viſcoſa materia inter ipſas nubes coa- *Impreſſiones igneæ.* ctum, ſæpè ſine lapide; Deſcendit autem ideò cum tanto impetu in terram, quia exhalatio calida intrà nubes & in loco frigido accenſa ab aere frigido circumſiſtitur, ideoque in ſe collecta & rarior facta vi maxima nubem rumpit & per obliqvum in terram fertur. Poſt fulmen ſunt impreſſiones ignitæ quæ in aere deprehenduntur & vocari ſolent lanceæ, dracones volantes, ſydera diſcurrentia, capræ ſaltantes, trabes, flammæ, columnæ &c. quæ omnia differunt inter ſolum accidentaliter, videl. magnitudine, loco, motu, duratione, raritate, frigore &c. pro varia diſpoſitione exhalationum ex quibus conſtant, ob quam cauſam etiam varia ſortiuntur nomina, deſumpta potiſſimùm ab iis rebus, cū quibus nonnullā ſive in figura ſive in motu ſimilitudinem gerunt.

DICO 2. præter ignes in locis altiotibus oberrantes conſpiciuntur in his inferioribus ignia fatuus, lambens, Caſtor, Pollux & Helena, Ignis fatuus ſic dicitur, quia more fatuorū ad quamvis auræ motum huc & illuc in incertum impellitur, & quia verus ignis non eſt ſed vero tantum ſimilia. Generatur ut plurimum in infima Regione aeris ex viſcoſa materia & pingui circà cæmeteria, patibula & buſtuaria, ubi eſt copia efferveſcentinm exhalationum, quæ vel nocturni frigoris circumſiſtentia, vel *Ignis fatuus.* colliſione & compulſione motuâ partium inter ſe accenduntur, unde ſæpè iis locis nocturni viatores ſibi timent, quia credunt eſſe manes mortuorum vel ludibria Dæmonum, quoa etiam non ſemper abeſſe facile credendū eſt. Quod autem homines in ſtagna, Voragines, præcipitia &c. impellant, ratio dari poteſt, quia nocturnnm ſilentinm reiq; novitas ignaris eſt metus & conſternationis cauſa, ur propterea à via aberrent & pericolnm incurrant; quamvis negari non poſſir, Dæmonem hujusmodi occaſione frequenrer in pernitiem hominum meticuloſorum abuti. Ignis lambena *Ignis lambens.* eſt flamma genita ex rara & ſubtili exhalatione, qualis inter equorum aures vel ſuprà comas, aut inrerdum ſuprà verticem hominum ex ira aliavè cauſa æſtuantium apparet; naſcitur ex ſudore pingui & calido animalium quæ ſunt calidiotis temperamenti, & accenditur ſubinde tam moto quam antiperiſtaſi; Et huc pertinent ignes illi qui ex oculia hominum ad incuſſionem pugni emicant, aut ex pilia felium, canum aliorumq; animalium noctu perfricatis ſcintillant. Caſtor, Pollux & Helena *Caſtor, pollux & Helena.* ſunt flammæ ex viſcoſa materia accenſæ, & conſpiciuntur à nautis vel poſt vel in ipſa tempeſtate ſuprà malum naviumque armamenta adhæreſcentes; de hojusmodi ignibus varia referunt hiſtorici; plerique veterum inter fauſta omina retulêre & credidêre ſi gemini cōſpexiſſent quos Caſtorē & Polluceē vocarūr, ſi verò unicum, id ſub Helenæ nomine infelix ſydus nominarunt ut videre eſt apud Giraldū de re nautica c. 9. Contrà ſentit Dux Razivillius Epiſt. 3. de ſuo itinere Hieroſol. qni exiſtimat hunc ignem ſolitarium eſſe ſaluti navigantibua, geminum verò afferre mortem eumque non ſemel ſibi viſum affirmat; in dubio autem relinquir an ex cauſis naturalibus proveniat, an verò S. Germanus ſub tali luce periclitantibus verè appareat; addit flammam eſſe luciđiſſimi Syderis vel facis ardentis inſtar, mndò clatiorem modò obſcutiorem, modò malo navis modò aliis partibus eminentioribus inſidere; fugere ſi quis tentet eam arripere, durare vel ad quadrantem vel etiam ad horam mediam & infallibile ſignum eſſe futuræ ſedationis & quietis ventorum, proinde eo viſo omnes gaudere: His tamen aut aliis ejusmodi ignibus non uſtulantur equorum aures aut hominum capita, vel navium antennæ propter nimiam eorum raritatem & imperfectionem, ſufficitque iis propriam materiam ſenſim conſumere, ſi tamen veri ſint ignes.

DICO 5. datur etiam ignis ſepulchralis, ſic dictua quod in ſubterraneis monumentis reperiatur perpetuoqne ardeat ut teſtantur Authores & inter alias Franc. Maturantius ad Alphanum. Et talis ignis fuit qui Paulo 3. Pontifice invenrus eſt in ſepulchro Tulliolæ filiæ Ciceronis, ſtatimque admiſſo aere, poſtquam annis circiter 1550. arſiſſet, extinctus ut narrat Guido Pancirollus l. 1. rerum jam olim deper- *Ignis ſepulchralis.* ditarum. Et meritò difficultaa eſt an hic ignis perpetuò poſſit ardere abſque pabulo, qua arte & quomodò præparari, præſertim cū noſtris

 hiſ-

hiſce ſeculis quibus tamen omnes ferè artes & ſcientiæ longè excellentius, perfectius & ingenioſius exercentur, nemo hominum aut ignẽ hunc cum ſuo nutrimento & ſubjecto conficere aut extinctum reſtituere denuoq; accendere norit, nec alibi ſcriptis extet hujusmodi ignis durabilis diſpoſitio. R. autem, omninò fieri poſſe ut ignis perpetuò ardeat ſine additione novi pabuli, incluſus tamen & qui ab extrinſeco aere non ſuffocetur; pabulum autem quodcunq; ſit, certum eſt eſſe tenuisſimũ aliquod oleum vel aliquem liquorem ad flammam alendam idoneum, & illud ſolui quidem ab igne in fumum ſubtilem, hunc verò, poſtquam in vaſculo quod eſt capſa vel ampulla è vitro, cryſtallo, asbaſto, amiantho aut alio ſpeculari lapide confecta aceurateque ad exterminandas & arcendas omnes aëris injurias munita, parietem frigidiorem impegit, denuò in oleoſum liquorem ſolvi & per latera vaſis refluere in ejusdem fundum, hacque actione reciprocata fieri ut nec ignis deficiat nec ejus pabulum. Et huic non abſimili modo dicunt Chymici argentum vivum ad ignem poſitum in vaporem reſolvi; hunc verò receptaculis frigidis exceptum denuò reſolvi in argentum vivum. Sed quomodo prima vice accenditur, & quomodo ſine reſpiratione tandiu durat & perennat? Reſp. ad primum, accendi fortè per radium ſolis ſpeculi interventu, quẽadmodum Alex. ab Alex. l. 5. c. 12. Ignem veſtæ, ſi quando Romæ extinctus fuiſſet, à virgine veſtali denuò ad ſolem objecto vaſe æneo lucido trium angulorum fuiſſe ſuſcitatum. Reſp. ad ſecundum, flammam tantum per accidens indigere reſpiratione, videl. propter copioſum craſſumque vaporem ſeu fumum à quo aliàs ſuffocetur niſi avolet; Hic autem ignis de quo agitur, non habet eum fumum à quo ſuffocetur, unde etiam nemo miretur, quod tanto annorum ſpatio duret, quia non minus eſt ſubſtantia & ens permanens, quam res aliæ naturales tamdiu non pereuntes, quamdiu vi hoſtili non impetuntur, adeoque ignis hic in ejusmodo ampulla vitrea incluſus & hoſtibus tutus eſt & liber, poteſtque permanere absque novo pabulo; admiſſo tamen aere ſtatim extinguitur non propter defectum pabuli, ſed propter ſummam ſui tenuitatem, qua non poteſt aërem circumſtantem frigidum pati ejusque denſitati reſiſtere. plura vide apud Bern. Cæſ. l. de metallis.

Quomodo conficiatur ignis ſepulchralis.

DICO 4. Nec viſceribus terræ ſui deſunt ignes occulti. hoc probant undique per orbem diſperſi montes ignivomi, & calor thermalium aquarum, hic mons æthna ignem ructans in Sicilia, ibi fons aquæ ferventis in Bohemia, hic chymæra flagrans in phaſelide, ibi ſcaturigo aquarum ebullientium in agro budenſi &c. De horum nutrimento ſi agatur, conſtat unanimiter ab omnibus vocari ſulphur & bitumen, quia utrumque horum & ignem concipit & tenacius retinet, ſed & facillimè generatur ut tam diuturnis ignibus vix unquam poſſit pabulum deeſſe; Etſi enim in agro Mutinenſi teſte Fallopio perpetuò colligatur bitumen, nunquam tamen aliquod deeſſe ſolet eò quod ſemper ferè tantum ſuccreſcat, quantum inde abſumitur, quod etiam in montibus ſalinariis fieri conſtat.

DIFFICULTAS XXIII.

An & quomodo ignis ſemper egeat pabulo & quali.

SUppono, Ignem aliquando purum eſſe & in ſtatu ſuo naturali, aliquando impurum & extrà locum naturalem. Jam

DICO 1. Ignis in ſuo ſtatu & loco naturali non eget ullo pabulo nec exercet ullam activitatem in actu ſecundo. Ratio 1. quia eſt vera ſubſtantia & res ex ſe permanens. 2. Quia à nullo contrario quicquam patitur ut egeat aliquo nutrimento ad ſuam conſervationem & reſtaurationem; Nam ideò etiam res inanimatæ corrumpuntur adeoque ad ſuam conſervationem requirunt adjectionem novæ ſubſtantiæ ſive per artem ſive per naturam, quia injurioſæ tempeſtates venti, pluviæ, calores, frigora aliæque hoſtiles & corruptivæ actiones has corrumpunt; Et hæc cum abſint ab igne in loco ſuo naturali conſtituto; Ideò

Ignis non eget pabulo in ſtatu naturali.

DICO 2. Ignis extrà ſuum locum naturalem requirit neceſſariò ſuum nutrimentum & pabulum. Ratio quia aliàs ſuffocatur & opprimitur, quod vel in hunc modum fieri ſolet. Ignis natura ſua tenuisſimus ſiccisſimus & rariſſimus ſi exiſtat in hoc mundo ſublunari, hoſtem habet frigiditatem & humiditatem & denſitatem tanquam qualitates è diametro ſibi contrarias, & ab his ne ſuffocatur, extinguatur aut opprimatur, quia calor in tanta raritate facilè à frigore vincitur & ſiccitas ab humore denſiore aëris ſuffocatur, ideò quærit ſubjectum denſum in quo ſe conſervet contrà externas injurias & defendat, non quidem contrà omnes, quia nec terram fert nec aquam à quo utroque penitus ſuffocatur, ſed contrà eos tantum, cum quibus aliquem ſaltem reſpectum habet & proportionem: poteſt autem ſubjectum ignis eſſe omne combuſtibile, id eſt, in quo non prædominetur utraque qualitas igni contraria, ſcil. frigus & humor, quamvis aliquem humorem & aliquod frigus patiatur. Hinc

Ignis impurus eget pabulo.

DICO 3. Verum propriumque ignis pabulum eſt mixtum, in quo dominatur ſiccitas vel calor cum debita raritate, unde metalla, lapides propter nimiam ſoliditatem non ſunt proprium & ordinarium pabulum, ut nec humida frigida: Dico proprium, quia nullum ex corporibus mixtis eſt quod non ab igne patiatur tandemque in cineres & favillas convertatur. Quod autem facilius, ignis accendat corpora ſicca & debito modo rara, patet in ligno ſicco, ſtipulâ &c. & ratio eſt, quia cum his habet ſymbolicam naturam, contrariam verò cum iis quæ humida ſunt & frigida in qualitatibus primis & in ſecundis dura, ſolida; Quod ſi

Pabulum ignis quod.

DICAS 1. Plin. l. 7. natural. hiſt. c. 106. & 107. dicere quod montis Sephestii in Lycia

adeò

adeò conflagrent, ut lapides & atenæ mixtæ aquis ardeant. 2. Tacitum l. 13. ſuorum annal. ſcribere, quod ignis ſub Nerone in Vbiorum agris exortus nec fluviis nec alio humote potuerit extingui. 3. Quod fabri ſerrarii ſuos ignes reſuſcitant aſpergine aquæ, ergò aquis nutriuntur ignes. R. ad primũ, ignẽ non ali fluviis formaliter & per ſe ſed occaſionaliter & per acoidens; Dum enim aqua ſive ex fluviis ſive ex pluviis infuſa bituminis ac ſulphuris exteriores poros obſtruit, nec tamen vel ob unctuoſitatem & cohærentiam validam iſtius materiæ vel ob nimiam copiam ad interna ſe poteſt inſinuare, fit ut internus calor collectis viribus majori vi erumpat & incendio robur addat; Nec diſpar eſt ratio in fabrorum officinis; Cum verò flamma in Vbiorum agris non poterit extingui, cauſa fortè referri poteſt in pabuli tenuitatem, qua prohibebatur aqua, quo minus poros permearet. Quamvis negari non poteſt, aquam etiam camphoratam aut ſulphuratem igniri poſſe adeoque ignem foveri & nutriri aquâ, non quidem præciſè, ſed ratione Camphoræ vel ſulphuris, quæ eſt materia etiam in aqua combuſtibilis: Idem de aqua vitæ intellige, quia hæc maximè ignẽ alit ratione ignearum & calidisſimarum partium quos cuntinet.

DIFFICVLTAS XXIV.

A quibus cauſis extinguatur ignis.

APud Gal. 4. de ſimpl. medic. fac. duo reperiuntur genera ignis, pruna & flamma: apud Ariſt. autem 2. de gen. c. 4. numerantur 3. ſpecies, videl. Ignis in propria materia, ignis flamma & ignis carbo; ignis in proptia materia eſt elementaris ille qui ſub cœlo reſidet nec pabulo indiget, ſed ſe ſuasque materiæ affectiones ſibi convenientes conſervat ut reliquæ res naturalea permanentes. Ignis flamma dicitur qui eſt in materia aerea, ut non paſcitur ſolo aere, ſed inſuper habitu terreo quem corpus exhalitet è quo flamma ſurgit. Ignis carbo in denſa materia & terreſtri exiſtit ut omnibus manifeſtum eſt. Jam quæritur, quomodo & à quibus cauſis hi ignes extingui posſint cum omnes ſint ejusdem ſpeciei & naturæ; De elementari puro non eſt difficultas, quia cum hic extingui non posſit niſi fortè quando pars ejus in aerem à cauſis majoribus & ſuperioribus immutatur; ſic eum præſens quæſtio non concernit, ſed eum duntaxat qui impurus eſt, & qui in rebus ſublunaribus ſubſeruit, ſive is carbo ſit ſive flamma.

Ignis quotuplex.

DICO 1. omnis ignis extinguitur ab aqua; Ratio eſt, quia duæ ejus qualitates quas loco proprietatis habet, ab aqua corrumpuntur; an autem plus præſtet humor an frigus, incertum eſt, quia non tantum aqua calidisſima per ſolam humiditatem extinguit ignem, ſed etiam terra aliaque corpora per ſolam ſiccitatem; Intellige tamen humorem calidisſimum non ſemper extinguere, ſed tunc ſi careat calore virtuali ut eſt aqua elementaris, & ſi undique affundatur ut extinguat plane & ſuffocet, quia ſpiritus vini niſi affatim affundatur, non extinguit ob calorem virtualem ſive formaliter calidus ſit ſive frigidus.

Aqua quomodo ignem extinguat.

DICES, res combuſtibiles ſulmine tactæ non extinguuntur facilè aqua, ergò. Reſp. neg. antec. quia hæc eſt vulgi tantum opinio; quod autem hæc ignis extinctio non tam facilis ſit, cauſa eſt nimia ignis fulminalis activitas & raritas, quâ denſiſſima etiam ligna penetrat & non ſolam ſuperficiem lambit, unde affuſa aqua non tam facilem ignem interiorem extinguit.

DICO 2. aqua non tantum extinguit ignẽ propter frigus & humorem, ſed etiam quia ſua craſſitudine ſuffocat, quod idem omnia reliqua corpora ignem undique opprimentia, imò & pinguedines faciunt, quæ tamen aliàs nutrimentum ejus ſunt, ſi ſenſim inſtillentur. prob. Ignis ſuffocatur per prohibitam aeris ventilationem ſine qua nec flamma nec alius quis ignis conſervari poteſt, ergò hoc magis præſtabunt quævis corpora opprimentia ſive humida ſint ſive ſicca: Antec. conſtat certa experientia, quia quoties incendium aut conflagrationem extinguere volumus, attendimus an aeris appulſum & ventilationem undiq; impedire, omnia exquiſitè claudere fumũq; adeò conſtringere poſſimus, ut hic ignem undique obruat & opprimat; perit enim ignis vel flamma ab aere prohibito ideò, quia flamma non tantum nutritur aere ambiente ſed etiam halitibus, qui è materia combuſtibili ad externas partes vi caloris educuntur; Quando verò aer hujusmodi halitus intercipit, quod idem de aliis corporibus ignem opprimentibus intellige, & eorum egreſſum, occluſis poris & meatibus impedit, ipſi in ſe condenſati quaſi flammam neceſſario ſuffocant. Et hinc colligitur in aere nullam ex his cauſis ad ignem extinguendam reperiri; & licet apud nos aer nunquam ſit purus, imò ſæpè frigidisſimus, nunquam tamen ob defectum denſitatis ignem opprimit, niſi eum venti nimiùm impellant; Et hinc etiam cauſa eſt quod humiditas & pinguedo aerea, ut notant Conn. cit. c. 2. in multis corporibus non obſtant, quò minùs ignis liberè operetur; quod autem vehemens aeris ventilatio ignem extinguat, ideò fit quia aerem propellit & flammam pabulo deſtituit. Cæterùm inter ea quæ maximè ignem perimunt, primum locum ſibi vendicat acetum, ut multorum eſt opinio, quia frigidum eſt, humidum & penetrativum ideoque ſuffocativum; quod etiam ideò verum eſſe poteſt, quia hodiè adhuc uſus aceti eſt in bellis ad fiſtulas æneas cito refrigerandas; Alii albumini ovorum, vel ſuccis mucilaginoſis cujusmodi ſunt ex althæa, pſyllio, Cotoneis &c. propè eandem tribuunt facultatem.

Quæ maximè igni perimunt.

DIFFICVLTAS XXV.

Quænam corpora corrumpantur ab igne.

INter agentia naturalia hujus inferioris maximè activum eſſe Ignem patet ex dictis. Jam quæritur in quæ corpora exerceat actionem corruptivam.

DICO 1. ignis corrumpit reliqua tria Elementa. Prob. experientia, quia videmus quod aquam rarefaciat & in aerem convertat aut etiam in ipſum ignem. Et hoc idem de aere & terra tanquam de utroque ſymbolico Intellige.

DICO 2. Ignis habet vim in omnia corpora mixta. Prob. 1. omnia mixta ſunt corruptibilia per primas qualitates; ſed tales non tantum in ſumma perfectione, ſed etiam inter omnia maximè activas ignis habet, præſertim verò calorem, ergò vim habet omnia corrumpendi. 2. Videmus ignem habere vim in lapides, metalla aliaque corpora ſolidiſſima, ergò potius in rariora. 3. Hactenus nihil unquam inventum eſt quod virtuti ignis reſtitiſſet, aut ab eo manſiſſet illæſum, ergò. 4. Deus Judex juſtiſſimus in fine ſeculi totum orbem cum omnibus corporibus mixtis juxtà S. ſcripturam per ignem verum & poſitivum corrumpet, ergò.

DICES, Ariſt. 5. Hiſt. animal c. 19. circà finem habet, ſalamandram igne non abſumi. & in Cyro Inſula ait beſtiolas in ærariis fornacibus in medio ignis pennates naſci; Et idem ſentit de muſcis pyrauſtis tum Seneca l. 5. natural. hiſtor. tum Plin. l. 11. R. Falſum eſſe ſalamandram igne non conſumi, licet aliquandiu ob nimium frigus innatum hunc ſubſtineat. Beſtiolæ in Cypro Inſula non generantur ab igne, ſed ex materia copioſorum halituum adjuvante hanc generationem calore etiam intenſiori ad eum prorſus modum, quo vermes, muſcæ &c. generantur à ſole; Et idem intellige de pyrauſtis, quæ frigore ſuo aliquamdiu calorem igneum arcent, id quod homines faciunt dum exterioribus vehementer frigent. De Phœnice qui mortuus in igne reviviſcere dicitur, fabula eſt, & utuntur SS. Patres eo argumento adverſus Gentiles pro reſurrectione mortuorum: Nam cum illi crederent verum eſſe quæ de phœnice narrantur, Sancti Patres conati ſunt oſtendere, longè verius eſſe, Chriſtum reſurrexiſſe & homines mortuos aliquando ſimiliter virtute divina ad vitam redituros. Mirabile quidem illud quod in alumine plumoſo fieri cernimus, dum hoc ſeculo magnâ hominum ſolertiâ ſub variis formis redactum ab igne non offenditur. Sed credibile eſt, ab hoc etiam corrumpi, dum longius ei applicatur.

DIFFICVLTAS XXVI.

An ignis in ſuo loco naturali luceat.

CErtum eſt, ignem habere multas proprietates & virtutes, quia rariſſimus eſt ideoque ſublimem locum occupat; aſt puriſſimus et ſubtiliſſimus; eſt activior quam omnia elementa & mixta; eſt omnibus corporibus mobilior & inferioribus clarior; eſt maximè penetrabilis habetque vim diſſolvendi, immutandi, fundendi, purgandi, alterandi, &c. Jam quæritur an etiam in propria ſua ſphæra ita luceat, ut à nobis diſtinctè videri poſſit.

NOTA, aliud eſſe quærere, an ignis in ſe ſit lucidus, etiamſi à nobis non videatur lucere, & aliud an ita luceat ut à nobis videatur ſicut videmus aliud quodvis corpus lucidum.

Opinio 1. eſt, ignem Elementarem habere lucem quandam albam & claram & quaſi niveam, & hanc cælo ſereniſſimo videri. Ita Bannes 2. gener. quæſt. 1.

Opinio 2. eſt, ignem à nobis non videri luce ſua propria, ſed quatenus admiſcentur ei vapores terrei denſi radios reflectentes; Ita Averr: Avic. aliique ex modernis.

DICO, ignis quidem habet lucem ſuam propriam ſed à nobis non videtur. Prob. 1. quia ignis eſt corpus & compoſitum Phyſicum conſtans materia & forma, ergò ſub ſenſum cadir habetque ſuas qualitates & paſſiones quibus ſub ſenſum cadere & ab oculo perſpicaciſſimo videri poſſit; Deinde eſt corpus perſpicuum & diaphanum, ergò neceſſariò habet lucem propriam. Tandem probabile eſt multis quod turbulentiſſimo cælo & denſiſſima nocte aliqua nihilominus lux terram illuminet, & hoc eſſe ab elemento ignis, qui cum vaſtiſſimum ſpatium occupet, ſuam claritatem & ſplendorem terræ nonnihil communicat. Prob. 2. quia ſi aerem ob raritatem non videmus, multò minus ignem qui longè eſt rarior, videbimus. Deinde ſi ignis à nobis videri poſſet, prohiberet viſionem ſtellarum, imò totum cælum eo colore perfunderet oculoſque noſtros feriret quod eſt abſurdum.

DICES, videmus ſereno cælo ſemper aliquam albedinem in toto illo ſpatio, quod eſt infrà concavum lunæ; ſed illa albedo nihil aliud eſt quam lux ignis, ergò. Reſp. illam albedinem non eſſe lucem ignis ſed ſtellarum per aërem diffuſam ut plerique ſentiunt. An autem ille color cæruleus, quem ſereno cælo videmus, ſit ipſi cælo proprius, vel unde viſum noſtrum terminet, vide Contarenum Cardin: l. 5. de elementis, Scalig. exerc. lib. in Cardanũ, Richardum in 2. diſt. 14. circà tria principia 9. 6. Michael. Zanardum de univerſo cæleſti dubio 67. & alios; Cum his enim dicendum eſt. eſſe aliquem colorem ex opacitate immenſi illius ſpatii reſultantem. *Vnde color cæruleus cæli vel aeris.*

DIFFICVLTAS XXVII.

Quæ ſit Natura aeris.

TRes ſunt regiones aëris, prima eſt in qua ambulamus & vivimus, & hæc aliquando calida eſt ex ſole aliquando frigida ex vaporibus, & extendit ſe ad non magnum ſpatium ſed quouſque radii ſolares reflectuntur, fortè ad altitudinem montium & ubi nubes vaporeſque

resque volitare conſpicimus; ſupra hanc eſt altera quæ continuò eſt frigida à vaporibus qui ab aqua aut etiam à terra aſcendentes hunc locum incommodant; Et hæc regio non magnum continet ſpatium nec certum & determinatum, quia juxtà ſolis curſum & poſitionem vapores aut ſublimius aſcendunt ſi tamē leviores ſint, aut magis imum locum occupant ſi graviores. Tertia demum Regio ſpatioſior eſt continetq; aërem ſubtiliorem quo homo vivere non poteſt; Aër qui hic continetur, eſt igni contiguus ideoque nunquam quieſcit ſed una cum igne rapitur in orbem, & quaſi circumfluus contorquetur à corporibus cœleſtibus; An montes ſint qui hucusque pertingant, dubium eſt, & videtur omninò improbabile, quicquid etiam hiſtorici fabulentur.

Aer eſt calidus. DICO 1. aër ſua natura eſt calidus & humidus; Eſt Ariſt. 2. de gen. c. 3. contra Card. l. 2. de ſubtil. Prob. 1. quod ſit calidus, quia non poteſt ulli corpori elementari hæc combinatio caloris & humoris convenire præterquam aëri, ergò. Prob. 2. naturale eſt corpori quod *Quare aer contingat immediatè ignem.* igni vicinū eſſe calidum, ergò. Nam, contraria non poſſunt immediatè conjungi, quod tamen fieret ſi aër non eſſet calidus. 3. Omnia aërea ſunt calida ut mel, oleum, ergò & aër, pro quo & totius univerſi perfectione convenientiſſimum fuit in calore convenire cum igne & differre in ſiccitate. Quod ſit humi- *Aer eſt humidus.* dus Prob. 1. ex Ariſt. cit. c. 8. ubi ait terram eſſe aëri contrariam, ergò hic erit humidus. 2. Aer facilè termino alieno coercetur & ſuo difficulter, ergò 3. humor non poteſt uni ſolùm ex Elementis competere quia alias rueret rota Ariſt. doctrina de combinatione qualitatum elementarium, rueret etiam harmonia & concordia, quæ in mundo hoc ſublunari ex diſtributione qualitatum primarum exoritur, ergò competit aëri præter aquam, quia conſtat nec terram eſſe humidam nec ignem. 4. Corpora quæ ſunt humida, ſemper magis ab aere ambiente humectantur, ergò.

Aer eſt humidus & calidus in ſummo. DICO 2. Aer eſt humidus & calidus in ſummo ſecundum eſſe non operari, unde etiam magis humidus dicitur quam calidus, imò magis humidus, quam ullum cæterorum elementorum. Quod ſit humidus in ſummo Prob. ex Ariſt. cit. ubi corpori ſimplici ſimplices eram qualitates & perfectiſſimas tribuit, aeri v. g. præter calorem humiditatem. Quod etiam ſit calidus in ſummo ſecundum eſſe, patet ex iis quæ de igneis qualitatibus dicta ſunt, & dicitur minus calidus quia plus humectat quam calefacit.

DICO 3 Aer levis eſt ſecundum quid, rarus, perſpicuus, &c. dicitur levis ſecundum quid, quia ſi conferatur cum terra, levis eſt ſimpliciter, ſi cum igne, gravis, unde neein ſummo nec ſimpliciter levis eſt ob calorem & raritatem quam utramque igne minorem habet, de raritate & perſpicuitate aeris nemo facilè ambigit niſi & viſu & tactu deſtituatur.

DICES 1. In media regione eſt frigus quaſi perpetuum cum ibi generetur nix & grando, ergò aer non eſt natura ſua calidus. Reſp. frigus illud eſſe propter frigidos vapores continuò ex aquis aſcendentes totumque illum tractum infrigidantes.

DICES 2. ſi aer natura ſua calidus eſſet, non frigeſieret ſi flabello moveatur, quod tamen verum eſſe experientia docet. Reſp. cauſam hujus eſſe, quia aer cingens corpus noſtrum calore & expirationibus caleſit, qui deinde diſpellitur per motum ſubitque recens frigidior. Aqua aliquando per motum caleſit aliquando frigeſcit, cujus rei cauſa eſt, quia vapores frigidi motu exhalant vel etiam exhalationes calidæ.

DICES 3. Nullam habemus cauſam cur aerem dicamus calidum. Reſp. habere nec levitatem quod ſignum eſt caloris; quod ſi dicas etiam vapores eſſe leves & tamen frigidos. Reſp. non ex ſola levitate quæ etiam rebus frigidis competere poteſt, colligi calorem, ſed etiam ex aliis jam dictis. Quod autem aer ſit ut plurimùm frigidus, id eſt per accidens, quia videl: impurus eſt & plenus frigidis vaporibus.

DICES 4. Nullum animal eſt quod per inſpirationem aeris non refrigeretur, ergò hic natura ſua eſt frigidus. Reſp. neg. conſeq. quia refrigeratur aer ab aqua vel à terra vicina; Et quamvis aer activo tempore à ſole calefiat, eſt tamen frigidior calore cordis interno, niſi tamen ſit nimis æſtuoſus, quod tum optimè ſentir homo, cum nullum accipit levamen.

DICES 5. aerem ex abſentia ſolis refrigerari, ergò natura ſua frigidus eſt. Reſp. id ideò fieri, quia vapores frigidi in abſentia ſolis dominantur, vel ſi prius à ſole incaluerint, noctu reducunt ſe ad naturalem ſuum ſtatum aeremque infrigidant.

DICES 6. Medicamenta aerea eſſe temperata, ergò etiam aer, cujus ipſa naturam habent, temperatus erit. Reſp. mixta non oriri ex aere puro, qui valdè calidus eſt ſed ex impuro qui aliquando frigidior eſt, ut plurimum tamen temperatus præſertim in generationibus mixtorum. Deinde qualitates in mixtis virè franguntur ac debilitantur nec manent unquam tales, quales fuerunt in corporibus ſimplicibus ſive Elementis. Denique mixta aerea ideò dicuntur eſſe temperata quia ſunt media inter ignem & aquam, ideòque ab aere ſunt temperata propter humorem pioguem qui impedit ſummum calorem, & calorem qui per ſe reſiſtit frigori, proinde negatur conſequentia.

DIFFICULTAS XXIIX.

An aer ſit humidior quam aqua.

OPinio Galeni eſt l. 1. de Elem. cap. 3. l. 1. de ſimpl. Medic. Fac. c. 18. & apertius c. 32. aquam ex natura ſua eſſe humidiorem aere, quod idem ſentit Avic. lib. 1. ſeo. 1, doct. 2. D. Thom. 2. de geo. cap. 4. ad text. 23. Albertus Mag.

Magn, & alii, q ❘ orum argumenra dicenrur inferius.

Aer eſt humidor quam aqua.

DICO, ſicut ign ❘ eſt magis calidus quam ullum aliorum elem ❘ torum, ita etiam aer magis eſt humidus qu ❘ m aqua. Prob. 1. ex Ariſtot. 2. de gen. c. 3. ❘ in fine aeri humiditatem prædominanrem ❘ ſcribit, & rurſum c. 8. ubi dicit aerem eſſe rerr ❘ contrarium, videl. per humiditarem primam ❘ ſiccirari primæ, 2. Illa magis humectanr quæ ❘ ſunt pinguia; ſed hæc plus participant de aere, ❘ o: Et hoc eſt argumentum Medicorum. 3. ❘ Prob. inductione; ſumma humiditas non convenit igni nec terræ ut conſtar ergò vel aeri vel aquæ de quo dubium eſt. Prob. 3. aqua eſt ſummè frigida, ergò non poteſt eſſe ſimul humida in ſummo quoad vim & efficaciam humectandi; Nam ita conſtitutum eſt, ut hæc ſumma vis in ſingulis Elementis ad unum duntaxat refetatur Elementum.

Elementa ſemper habent unam qualit. in ſummo quoad vim agendi.

DICES 1. ad humectandum ſumitur aqua non aer, ergò illa eſt magis humida. Reſp. neg. conſeq. quia quod aqua magis humecter, fit ideò quod ſit in materia denſiore, unde etiam magis adhæreſcit & diutius retinetur.

Aer quomodo exiccet.

DICES 2. aer exiccat pannos aliaque corpora, ergò potius habet ſiccitatem quam humorem. Reſp. aerem non exiccare per ſe ſed per accidens, extrahendo ſcil. aqueos vapores per calorem vel per exhalationem calidam & ſiccam ut patet in ventis, vel per frigus conſtringendo partes panni humidamq; ſubſtantiam exprimendo.

Aqua eſt entitatrvè humidior aere.

DICES 3. Aer humectatur à pluviis, nivibus, imbribus, &c. ergò non eſt tam humidus ſicut eſt aqua. Reſp. id fieri propter denſitatem materiæ; Et hinc aqua non eſt formaliter humidior ſed tantum entitativè, id eſt, habet plures partes entitativas humiditatis in eodē ſpatio ob denſitatem, quod intellexit fortè Galenus, qui ut Medicus locutus fuit, in ordine ſcil. ad mixta & medicamenta quæ ſemper ob admixtam aquā plus humectanr quam ob aerem.

DICES 4. Ariſt. 2. gen. c. 8. dicit aquam eſſe maximè terminabilem, ergò maximè humidam. Reſp. eſſe magis terminabilem in aliis corporibus liquidis & mixtis quæ potius aqua quam aere conſtant, idque potius terminabilia beneficio aquæ quam aeris; aliàs in ſe ſpectatus aer eſt rariſſimus, maximeque diffluus, unde etiam ſe magis in poros & meatus aliorum corporum inſinuat.

DICES 5. Ariſt. 4. meteor. c. 4. dicit, aquam eſſe humidiſsimam. Reſp. Ariſt. id propter denſitatem ſubſtantiæ in aqua dixiſſe.

DICES 6. Arriaga l. de gen. l. 4. de Elem. ſubſect. 2. hæc inter reliqua habet, quod licet aliqualis exceſſus proveniat ex denſitate Agentis, tanta tamen effectuum diverſitas quæ eſt inter humectationem aeris & aquæ non poſſit inde provenire, &c. ſic enim & ignem ait licet ſit rarior ſit aere, magis tamen calefacere; ſimiliter terram minus aquā frigefacere, licet habeat frigus cum ſumma denſitate, ergò ſi aer eſſet humidior aquā, etiam ſi non eſſet tam denſus, adhuc tamen deberet magis humectare, ergò quod non tantum humecter, eſt quia non eſt tam humidus, &c. Reſp. omninò proportionem denſitatis aquæ & raritatem aeris correſpondere effectibus tam diverſis; neq; eſſe aliqualem exceſſum hunc, cum ex pauca quantitate aquæ poſſit aer confici qui maximum impleat ſpatium. Quod autem ignis aere rarior magis calefaciat, ratio eſt, quia ſiccus eſt ejusque calor maximè & primariò activus, aeris autem obtunditur ab humiditate quæ primatum habet & calore præſtar; Deinde incertum eſt, quantam vim & efficaciam habeat calor qui eſt in igne elementari cum ſit valdè rarus neminique facilè conſtet, qua efficacia ſenſum moveat. Quod terra non tantum frigefaciat ſicut aqua, id fit 1. propterea quia frigus aquæ primaria eſt qualitas & potentior quam ipſa ejus humiditas aut frigiditas terræ quæ ſecundum locum obtinet. 2. Quia frigus aquæ ab humore magis adjuvatur ad ſenſum movendum quam terræ ab adjuncta ſiccitate eò quod aqua propter humorem ſe citius & facilius in poros & meatus corporis propter fluxibilitatem inſinuat, &c.

DIFFICULTAS XXIX.

Quæ ſint Impreſsiones aeris.

IMpreſsiones quæ fiunt in aere, aut fiunt beneficio aquæ aut terræ: priores ſunt pluviæ, diluvia, grandines, nives, ros, pruina, manna & mel, quibus tamen omnibus commixtæ ſunt quædam partes terreæ: poſteriores ſunt venti, procellæ & turbinas. Præter hæc aeris meteora ſunt conſideratione digniora quæ apparentia dicuntur, ut Corona, Iris, paralia, Virgæ, &c. Quæ alium uſum non habere videntur quam ut à nobis coguoſcantur, cum reipſa non ſint ſed talia tantum eſſe videantur; Et fiunt hæc omnia in aere per evaporationes partim aqueas partim terreas, ut breviter conſtabit. Hinc

Pluvia quomodo fiant.

DICO 1. pluviæ fiunt è vaporibus in media regione aeris frigefactis & denſatis. Prob. quia nunquam fiunt pluviæ cælo ſereno, ſed ſemper ubi fuerit aliqua copia nubium, ergò pluvia fit ex nubibus quæ nihil aliud ſunt quā vapores. Circa pluvias Adverte inter multa alia hæc pauca, in Ægypto 1. nunquam pluere ut referunt Authores varii, quod idem de Æthiopia ſcribit Plin l. 8. c. 16. cujus rei ratio eſt, quod ob calorem mediæ regionis aeris vapores illum aſcendentes conſumantur nec unquam in pluvias reſolvantur. 2. In æſtate ſemper guttas pluviarum eſſe majores quam in hyeme, quia tunc magis per antiperiſtaſin ſe uniunt ideòque majores fiunt. 3. Vere & autumno ſemper eſſe majores pluvias & crebriores, quia hiſce temporibus calor eſt temperatus, æſtate verò nimis vehemens, qui vapores diſſolvit antequam ad mediam aeris regionem

nem perveniant; Et eadem eſt ratio, cur noctu potius quam interdiu pluet. 4. Intra Tropicos & ſub Zona torrida æſtate eſſe plures pluvias quam aliàs, & meridie potius quam alio quovis diei tempore, quod quaſi contra naturam eſſe videtur & antiquis incognitum; hujus tamen cauſam refert Jeſ. à coſta l. 2. de rebus Indic. 7. quod ſol in iis regionibus maximè in Peruviana & Mexicana ſubitò attrahat maximam copiam vaporum propter vehementiam, & quando eſt ferventiſſimus ut in meridie, eos tum confeſtim in pluviam reſolvat, eum extrà tropicos ſparſim vapores attrahantur & ſenſim etiam diſcutiantur antequam in pluviam abeant; intellige tamen id non ubique intrà tropicos fieri, ſed ubi materia copioſa eſt, ad pluviam idonea & venti temperatiur in locis citatis. 5. Prodigioſas aliquando eſſe pluvias non tam propter materiam quam pluit, ut lapides, ſanguinem, oleum, lac carnes, piſces, ranas. &c. ex Livio Decad. 1. l. 1. & 3. ex Decad. 3. l. 7. Decad. 4. l. 4. Decad. 5. l. 3. ſed etiam propter copiam & magnitudinem quales poſt generale diluvium multæ in pernitiem hominum fuêre.

DICO 2. non tantum inter ſeſe diſcrepant grando, nix, ros, pruina, manna & mel, quia ſunt diverſæ ſubſtantiæ, diverſiſque inſuper qualitatibus imbutæ, ſed differunt etiam nonnihil materia & generatione. *Grando.* Et ut de omnibus breviter, grando imprimis fit immediatè ex pluvia frigore aut etiam calore per antiperiſtaſin in infima regione congelata: *Nix.* Deinde materia nivis eſt nubis, non quidem omnis ſed ea quæ permixta eſt exhalationibus, unde etiam inter ningendum aer tepidus eſt; cauſa efficiens nivis non ſolum frigus eſt materiæ aut calor, ſed frigus mediæ regionis, in qua *Ros, pruina.* congelitur nix per antiperiſtaſin. Materia roris & pruinę ſunt vapores relicti à ſole occumbente, qui quod non ſatis euehantur, à frigore noctis in infima regione aeris condenſantur, res quidem à moderato frigore, pruina verò à magno frigore, eo ferà modo quo nix, niſi quod hæc in media, illa in infima regione fiat, & quidem noctibus frigidis. *Manna.* Manna eſt liquor tenuis & viſcoſus generatus à vapore relicto à ſole permixtaque exhalationibus; differt effectibus & natura tam modo generationis ab illo Hebræorum contra Valeſ. S. Phil. *Mel.* Mel eſt hic idem humor, qui poſtquam decidit in folia arborum & florum, ab apibus colligitur, & in cellas ſuas reconditur: Contrahit ferè eaſdem qualitates quas habent flores in quos decidit, unde etiam Venenum eſſe poteſt, ſi præſertim in aconitum decidat & ab apibus colligatur.

Ventus. DICO 3. Ventus non eſt ſine exhalatione, imò eſt ipſa exhalatio. Primum eſt experientiæ, quia venti ſolent vigere poſt nives diſſolutas quo tempore aer plurimis exhalationibus repletur, & ſemper veniente pluvia ceſſat ventus ut habet Ariſt. ſect. 26. probat. 4. Prob. 2. ex eod. Ariſt. 2. meteor. c. 4. ubi de ventorum generatione agit, & reprehendit omnes qui volebant ventum eſſe aerem, & oſtendit non poſſe eſſe niſi exhalationem, quia aer non movetur in proprio loco, ergò per aliquid aliud, videl. per exhalationem. Motua hujus Variæ ſunt cauſæ earumque opiniones; fiunt autem probabiliter in hunc modum; Primò exhalationes à ſole è terra excitantur maximoq; impetu feruntur ad nubes, quæ eum ſint admodum craſſæ, non cedunt, unde etiam exhalationes reſilire coguntur. 2. Exhalationes ſunt interdum admixtæ vaporibus humidis & frigidis, quo fit ut inter ſe pugnent, dumque una ex altera erumpit, ſecum alteram in obliquum trahit. 3. Exhalatio interdum vehementer rarefit, per rarefactionē autem imprimi ſolet vehemens vel motiva ut patet in bombardis; De his vide Probl. Ariſtotelis tum alios meteorologicos. Procella eſt *Procella.* ventus ortus ex exhalatione, quæ à nube cava & ſupernè denſa directè in terrā erumpit; Tur- *Turbo.* bo eſt ventus ortus ex exhalatione quæ erumpit è nube non directè ſed in gyrum acta, ſive quod exhalationes diſperſæ ſe mutuò collidant, ſive quod ad latera nubis aut à vaporibus contorqueantur. Et hic ventus maximè eſt navigantibus formidabilis, quia fermè absq; ulla ſalutis ſpe maxima etiā navigia penè momento circumagit & ſubmergit; De ejus vi incredibili plura legi poſſunt apud Senec. c. 12. & 13. apud Plinium & ſcriptores rerum indicarum, qui huic vento maximè obnoxium ajunt eſſe mare illud, quo è ſinis in Japoniam trajicitur.

DICO 4. Iris fit ex reflexione radiorum ſo- *Iris.* lis vel lunæ in nubibus oppoſitis. Dicitur in nubibus oppoſitis, quia ut docet experientia, quando ſol eſt in Oriente, ſemper fit iris verſus occidentem & contrà; oportet autem ut nubes ſint ſciſſæ & reſolutæ in minimas guttulas, quibus excipiatur lumen ſolis. Et hinc colligitur, ad generationem iridis neceſſarium eſſe ſolem & nubem, ſolem quidem ut cauſam efficientem colluſtrationis & luminis quod nubi imprimitur, nubem verò tanquam cauſam materialem & receptivā bujusmodi colluſtrationis & lucis; Debet autem nubis eſſe rorida & proximè apta ut in aquam ſolvatur; debet etiam ea parte qua nos reſpicit, eſſe diaphana ſeu translucida ut ita injectum lumen imbibat, à tergò autem debet eſſe opaca ut inſtar ſpeculi lumen repercutiat. De hujus iridis coloribus vide l. 2. Diſp. 7. Diff. 8. de coloribus, cætera verò apud Meteorologicos & Ariſtot. toto l. 3. cæli. Et imprimis naturam pareliorum, quæ nihil aliud ſunt quam imago ſolis in denſa nube per ſolares radios expreſſa; ſicut autem ſol ita & luna poteſt imaginem ſuam in aliqua nube repræſentare; Et ſic Intelligendi ſunt hiſtorici quando dicunt tres ſoles vel lunas apparuiſſe.

DIFFICULTAS XXX.

Quæ ſit natura aquæ.

DICO 1. aqua eſt frigida & humida in ſummo, gravis autem ſecundum quid. Quod impri-

imprimis ſit frigida & humida, teſtatur ſenſus. Quod utramque hanc qualitatem habeat in ſummo, patet ex dictis. Quod ſit gravis ſecundum quid habet Ariſt. 4. cæl. cap. 5. ubi ait quod aqua univerſis corporibus excepta terra ſubſtat, & rurſum quod immediatè ſub aere locum ſuum naturalem habeat. Sed majur difficultas eſt, an aqua primariò ſit frigida & ſecundariò humida adeòq; terrâ frigidior, quia diverſæ hac de re ſunt opiniones. Sed

Aqua eſt frigidiſſimum.

DICO 2. Aqua in operando eſt magis frigida quam humida, imò magis frigida quam ullorum aliorum Elementorum, proinde aquæ debetur ſumma frigiditas non terræ. Eſt Ariſt. 2. gen. c. 3. ejusque interpretum communis doctrina. Prob. ab effectu, quia calori ignis ſummè adverſatur, eſtque ſummè frigida, non autem terra, quæ aliàs non conduceret vitæ animalium, ſtirpium, herbarum, quorum omnium vita in humido & calido conſiſtit. Quod ſi dicas piſces vivere in aqua, ergò etiam Deus malè feciſſet ipſis; quia Reſp. exiguo calore præditos eſſe ex Ariſt. l. de reſpiratione ideòque etiam in loco frigidiore degere poſſe, ſicut homines & bruta calidiora gaudent ob abundantiam caloris.

Quare aqua frigidior quam terra.

DICES 1. Quò magis aliquid à cælo diſtat tanquam à fonte caloris, eò etiam magis eſt frigidum; ſed terra maximè diſtat, ergò Reſp. neg. majorem, quia nõ omnis calor eſt à cælo ſed etiam à propriis formis aliisque concomitantibus; ſic aqua in effectu frigidior eſt quam terra propter humorem adjunctum qui activior eſt quam ſiccitas terræ, & quia magis corporibus adhæreſcit eaque penetrat.

Summa gravitas non oritur præcisè à ſummo frigore.

DICES 2. Ideò ignis eſt maximè levis quia eſt maximè calidus, ergò & aqua erit maximè gravis, quia eſt maximè frigida; Nam cum gravitas & levitas ſint verè oppoſita, ſic etiam videntur oriri à maxima contrarietate, ſcil: à calore & frigore. Reſp. levitatem non oriri à ſummo calore ſolum, ſed ab adjunctis iis qualitatibus quæ igni ſunt propriæ, videl. à ſumma raritate, quia aliàs res quævis ſummè calida eſſet ſumme levis, quod tamen falſum eſſe patet in ferro candente, carbone, &c. ſic nec ſumma gravitas oritur à ſummo frigore, aliàs quò res gravior eſſet, eò etiam eſſet frigidior, quod tamen falſum eſſe probat aurum, argentum vivum, &c. quæ ſunt graviora quam terra & tamen non æquè frigida.

Aqua pura non congelatur.

DICES 3. Quo aliquid eſt frigidius eò magis congelatur, ergò aqua ſemper congelabitur contra experientiam. Reſp. ſummum frigus non ſufficere ad congelationem, ſed requiri præterea ut adſint copioſæ exhalationes, quæ cum deficiant in aqua pura, non poteſt congelari; hinc aqua quò eſt impurior & craſſior, eò magis faciliusque conſtingitur ſicut & illa quæ prius calefacta ad nativum frigus rediit ob copioſas exhalationes.

DIFFICULTAS XXXI.

Quomodo producatur aqua.

DUbium eſt, quia conſtat imprimis flumina, rivos, fontes &c. ſæpè minui & augeri; deinde quotidiè è toto orbis Oceano maximam partem aquæ in vapores converti interea Oceano non imminuto, ut proinde certum ſit aliunde aquam reſarciri, quæ tamen unde & quomodo generetur, controverſum eſt. Itaque

Aqua productio.

DICO 1. Aquæ præter primam ſui creationem fiunt è vaporibus. Prob. quia pluviæ, grando, nix, ros, pruina, fiunt è vaporibus; ſed hæc omnia vel ſunt eſſentialiter aqua, vel immediatè reſolvuntur in aquam, ergò aqua fit è vaporibus. Major patet ex dictis, minor patet quia nix, grando, pruina &c. Sunt tantum aqua congelata.

DICO 2. Aqua etiam generatur ex aëre. Prob. flumina, rivi, fontes &c. Oriuntur ex aëre, ergò & aqua, & quidem in viſceribus terræ, ita ut aer primum occluſus frigeſiat, tum in vaporem tandemque in aquam reſolvatur; eſt enim terra poroſa inſtar ſpongiæ & meatus ejus pleni aere, unde cum terra natura ſua ſit frigida, & frigus condenſet, neceſſum eſt, aerem illum condenſari & reſolvi in aquam, Prob. antec. quia videmus in locis ſubterraneis quando eſt magnum frigus & non pluit, omnia paſſim ſtillare, cujus rei cauſa eſt, quod Aer à frigore terræ convertatur in aquam, ergò eodem modo frigus terræ, quod eſt in viſceribus montium convertit aerem in aquam quæ paulatim colligitur & erumpit in fontes; Adhæc certum eſt ex Ariſt. 1. meteor. cap. 13. omnia ferè flumina oriri è montibus, cujus rei cauſa eſt, quod montes ſint aptiſſimi ad ejusmodi generationem, quia undique habent aerem ac proinde facilius penetrantur; deinde aer converſus in guttas facilius difluit in unum locum tum propter cavitates quæ ſunt in ipſis montibus tum propter ſubjectas valles in quas defluit aqua, quod etiam ars imitatur; In deſtillandis enim aquis videmus adhiberi inſtrumentum vertice pyramidali, ut vapores educti è roſis aut aliis floribus qui ſunt in imo, adhæreſcant ſummitati ac deinde in fiſtulam facilius defluant; guttæ enim adhæreſcunt ipſi alembico (ſic illam galeam vocant) ac deinde conjunctæ effluunt per fiſtulam; Eodem modo guttæ aeris reſoluti in aquam primùm adhærent cavitatibus montium, deinde per meatum erumpunt dicunturque fontes; à variis autem meatibus & ſcatebris in valles defluentes vocantur flumina. Pluribus vide Ariſt. hæc loco cit. pulcherrimè deſcribentem, tum Card. de ſubtil. l. 2. de varietate rerũ c. 7. Scaliger. exercit; 52. contra Card. Rhodiginum l. 14. c. 7. 14 38. & l. 16. c. 14. alioſque Meteorologicos.

Aqua productio in montibus.

DIFFICULTAS XXXII.

Quæ ſit cauſa quod maria tam variè moveantur.

QUæ ad motum maris ſpectant, longè ſunt ea hodiè exploratiora ob frequentes naviga-

vigationes quam temporibus Ariſtotelis, idque admirabili invento ſuperioris ſeculi & uſu pixidis nauticæ, cujus beneficio tota antiquitas caruit. Obſervantur autem præter æſtus maris & Euripum de quibus infrà, tres potiſſimum motus in mari; Primus eſt ab oriente in occidentem, 2. à ſeptentrione in Auſtrum 3. ab occidente in orientem.

Varia ſunt maria.

Adverte, præter oceanum qui ideò inter maria primatum tenet, quia totum orbem gyrat & ambit, varia eſſe maria, quæ à ſuis Provinciis, Regnis, natura ſoli, &c. Sua mutuantur nomina; Nam aliud eſt mare mediterraneum, aliud Tyrrhenum, aliud balthicum, ponticum, rubrum, Euxinum, Perſicum, Ibericum, Caſpium, de quibus fusè Coſmographi. Jam

Motus maris unde.

DICO 1. motus ab oriente in occidente reperitur 1. in mari mediterraneo, quod advertunt illi qui ex Hiſpania in palæſtinam navigant indeque citius revertuntur, 2. In oceano qui eſt inter Hiſpaniam & Indias Occidentales, quia illuc ad Cubam Inſulam ſpatio unius menſis vel etiam 24. dierum itur, reditur autem vix 3. menſibus. 3. In Oceano quo navigatur ad Indicas orientales, maximè circà promontorium bonæ ſpei, &c. Unde autem fiat hic motus dubium eſt. Nam non videtur fieri raptu cæli, quia alias deberet etiam aër inferioris regionis ad hunc motum rapi, quod tamen eſt falſum; potius ergò multorum opinione videtur veriſimile, hunc motum fieri peculiari influxu earum ſtellarum quæ ſunt circà ecclipticam, ita ut hæ ſtellæ trahent ad ſe aquam maris; Et cum tantæ virtutis non ſint, ut eam à loco proprio educant, cogunt eam intrà proprium locum moveri & eum ſequi qui eſt ſtellæ, ſicut Cometa ex Ariſtotel: ſequitur motum ejus ſtellæ à qua attracta fuit exhalatio. Quod autem à ſtellis moveatur mare, inde prob. quia quò propius acceditur ad lineam æquinoctialem, eò vehementior fit motus, ergò ſignum eſt, motum marium habere magnam connexionem cum motu diurno ſtellarum.

Cometa quem motum ſequatur.

DICO 2. motus à ſeptentrione in Auſtrum deprehenditur maximè in toto mari quod eſt à meotide palude usque ad Cretam Inſulam; deinde in mari Britannico & Gothico. Oritur à fluminibus quæ magna copia in ſeptentrione orta ſummo impetu exonerant ſe in mare, & accedit altitudo ſoli verſus ſeptentrionem; Nam ut probatur primum, in paludem meotidem influit Danais, bolides aliaque flumina maxima, quæ illum propellunt in pontum Euxinum, & in hunc influit Danubius qui mare propellit in Helleſpontum; Deinde ut probetur ſecundum, docet Scalig. cit. Meotis nunquam excedit altitudinem 6. aut 7. cubitorum, pontus aliquanto eſt altior, tum helleſpontus & propontis, atque ita deinceps paulatim fit altius mare usque ad Siculum & Tyrrhenum quod eſt altiſſimum. Cætera vide apud Coſmographos & ſcriptores earum regionem.

DICO 3. motus ab Occidente in Orientem advertitur in mari mediterraneo tam ſupero quam infero, & oritur à duobus præcedentibus, ut docet experientia. Nam mare ex Helleſponto & ſequentibus maribus à ſeptentrione allidit ad littus Creticum, hinc reflectitur verſus Italiam, quia Helleſpontus non directè reſpicit Cretam ſed Italiam, ac proinde mare effundit ſe potius in Italiam quam in Syriam, maximè cum verſus Italiam ſit patentius quam verſus Syriam, atque adeò habeat liberiorem campum excurrendi; Inde per fretum Mammertinū verſus Peloponeſum ingreditur Epyrum & Illyricum usque Venetias; hinc iterum reflectitur verſus flamineam & inde per Apuliã ſequentiaque littora in Orientem movetur, neque deinceps magnoperè deprehenditur. Altera verò maris pars, quæ non potuit ingredi mare Adriaticū, movetur verſus occaſum per Calabriam & Campaniam usque ad fretum Herculeum, quod cum admodum ſit anguſtum neque patiatur tantam aquarum molem, ibi etiam reflectitur mare ad littora Aphricæ in Ægyptum Alexandriam, palæſtinam totamque Syriam, poſtquam non amplius deprehenditur. Hinc conſtat hunc motum cauſari à motu qui eſt ab Oriente in auſtrum; ſed dictum eſt etiam fieri à motu qui eſt ab oriente in Occidentem, quia cum illo motu mare feratur verſus Venetias, neque reperiat exitum per obſtantia littora, neceſſariò cogitur retrocedere verſus Orientem; Et item altera pars maris quæ fertur eodem motu verſus fretum Herculeum, cum neque ibi habeat exitum, reflectit ſe denuò verſus Orientem.

DIFFICULTAS XXXIII.

Quid ſit æſtus maris & unde.

OBſervatum eſt à nautis, quod æſtus maris non incipiat ab ejus ſuperficie, ſed ab imo, & paulatim attollatur & quodammodo ferueat. Unde probabilis eſt conjectura, æſtum fieri ab exhalationibus excitatis in imo mari quæ rarefactæ paulatim aſcendant, ipſum mare rarefaciant cogantque intumeſcere. Sed quo modo & à qua cauſa efficiente?

DICO 1. æſtus maris qui ab aliis dicitur reciprocatio, eſt motus, quo mare ſtatis temporibus accedit ad littus & ab eodem ſtato item tempore recedit, proindeq; acceſſum continet & receſſum: Et certè hæc res mirè ſemper hominum ingenia fatigavit, neque adhuc ſatis explicata videtur; Poſſunt autem tria circà hanc aquæ reciprocationē conſiderari, ut tempus, locus & quantitas. Imprimis enim ſi tempus attendimus, non fit æſtus ubiq; ſemper eodem temporis ſpatio, quia Venetiis & in toto ferè oceano 6. horis fluit totidemq;

refluit ; hoc tantum in tanta inconſtantia conſtans habet, quod ubique fluxus & refluxus 12. horis duret. Quod locum concernit, non ubique hic modus deprehenditur, quia in toto mari Adriatico eſt, in Tyrrheno nuſquam. In toto Oceano à columnis Herculis verſus ſeptentrionem dominatur, nulli bi in mari Gothico: In mati rubro maxim⁹ eſt, ſicut in mari pacifico, nullus autẽ in ſinu Mexicano & circumcirca longo tractu &c. Si denique conſideremus hujus reciprocationis quantitatem, Venetiis creſcit mare ad altitudinem duorum cubitorum totque rurſum decreſcit; in Oceano Belgico & Germanico 9. miliatibus recedit à littore. Ad fauces Indi & Gangis recedit à littore 12. vel etiam 15. miliatia. In mari pacifico omninò ſubterfugit aſpectum. Adverte etiam, majorem ſempet eſſe æſtum de die quam de nocte, æſtate quam hyeme, novilunio & plenilunio quam cæteris quadraturis, Præterea quando luna eſt borealis, major fit in maribus borealibus, quando meridionalis major in meridionalibus. Augetur etiam & decreſcit, prout luna conjuncta eſt cum aliis planetis, major ſcil. cum Venere, minor cum Marte.

DICO 2. æſtus maris fit efficienter à Sole & Luna ut omnes conſentiunt, à ſole quidem, quia experientia docet interdiu potius quam noctu, & æſtate quam hyeme fieri æſtum; à luna verò quia mare ferè ad eundem motum mutatur quo luna, ita ut ejus æſtus incrementa & excrementa lunæ ſentiat. Sed an hoc per lumen fiat an per influentias, magna eſt difficultas inter Authores, quorum aliqui ſoli lumini & calori id tribuunt, aliqui naturæ ſoli cui mare incumbit, aliqui Puerini & motui ut Peret. tom. 1. in Geneſ. l. 2 c. 3. Averth. Picus Mirand. Medina & alii; Cæteri verò qualitatibus occultis, id eſt, ſolis lunæque Influentiis, ut D. Thom. Bonau. Valeſ. de ſ. phil. c. 31. Conn. 2. cœl. c. 3. q. 3. a. 2. Soar. d. 18. ſ. 9. n. 30. Hurt. d. 2. cœl. §. 44. &c.

DICO 3. probabiliſſimum eſt, æſtum maris dependere ab influentiis ſolis & lunæ ; & non tantum à lumine & motu. Advette hic ſpectari poſſe varietatem æſtus ſecundum curſum lunæ 1. diurnum, 2. menſtruum ; diurnus dividitur in 4. partes, quarum prima incipit ab oriente uſque ad noſtrum verticem ; altera à vertice uſque ad occaſum. 3. ab occaſu uſque ad verticem antipodum. 4. ab eo puncto uſque ad Orientem; Deinde in ſingulis partibus deſignantur duo puncta, quorum prius dicitur debile, poſterius forte ; In Oriente ergò noſtro dicitur eſſe punctum debile flexus, quia dum luna eſt in ea parte, quæ eſt in Oriente ad noſtrum meridiem, fit receſſus maris ſed principio debilius; in medio hujus ejuſdem partis conſtituitur aliud punctum quod dicitur ſorte fluxus, quia tunc incipit vehementius agitari mare; altera parte ſolet fieri refluxus ideoque in ipſo meridie ſtatuitur punctum debile refluxus, in medio autem ſpatio inter meridiem & occaſum punctum forte refluxus. Rurſum in Occidente eſt punctum debile fluxus, in medio inter occaſum & meridiem Antipodum punctum fluxus validum. Denique in meridiẽ Antipodum eſt punctum debile refluxus, in medio autem inter eand. Meridiem & Orientem punctum refluxus. Qui per lumen explicant æſtum maris, hoc modo rationem adducunt; æſtus maris inquiunt excitatur rarefactis per calorem exhalationibus, receſſus ejusd. fit deficiente calore & aqua ad priſtinam denſitatem redeunte ; quando ergò planeta in tali ſitu eſt, ut ſuis radiis excitat calorem, neceſſariò fiet acceſſus maris ; ubi autem radii debiliores fuerint, fiet receſſus; Quando etiam Planeta eſt in noſtro horizonte, non jacit radios omninò rectos, ſed quo magis accedit ad meridiem, eò fiunt radii directiores, & radii quò directiores ſunt, eò majorem calorem excitant, ideoque in Oriente leviter concitabitur mare, vehementius autem dum ulterius progreditur. Rurſum planeta deſcendens à meridie ad occaſum paulatim obliquiores jacit radios, ideò poſt meridiem partis pomeridianæ, quando radii ſunt magis obliqui. Et hæc de motu diurno: De motu menſtruo lunæ hæc habent; luna ajunt aliquando eſt plena, aliquando dimidiata, vel aliqua tantum ex parte lucens, vel denique vacua ut in noviluniis; Quod in pleniluniis magnus fiat æſtus, facilis eſt reſponſio eorum qui dicunt, quod luna tum multum luminis habeat ac proinde magnum excitat calorem ; De novilunio tamen ſe non facilè expediunt; ſi enim eſt lumen cauſa æſtus, tunc in novilunio minimus fieri deberet æſtus, quia luna minimum habet lumen; ideò ad aliam cauſam confugiunt & dicunt in noviluniis ob defectum luminis lunaris aerem eſſe valdè frigidum; quò autem aer eſt frigidior, eò mare eſt calidius propter antiperiſtaſin, & ideò in noviluniis mare æſtuare non propter lumen ſed propter antiperiſtaſin ſpatiis intermediis, quæ ſunt inter plenilunia & novilunia, fieriq; etiam æſtus inordinatos, quod neque lumen tunc habeat magnam vim, cum luna non ſit plena, neque etiam antiperiſtaſis ; quamdiu enim luna habet aliquid luminis, temperari frigus aeris, ac proinde non poſſe fieri antiperiſtaſin in mari &c. Jam prob. Concluſio, non omnia quæ de æſtu maris per lumen & antiperiſtaſin tradnntur, poſſunt explicari, ergo. prob. antec. quia non poteſt imprimis fieri antiperiſtaſis propter ſolum defectum luminis lunaris, quod prob. luna ſuo lumine exiguum facit calorem in aere, ergo ſua abſentia non poteſt niſi exigui frigoris eſſe cauſa ; atqui ad antiperiſtaſin requiritur magnum frigus in aere. Secundo, Calor relictus à ſole æſtivis noctibus magis calefacit aerem quam lumen lunæ hybernis noctibus; Sed lumen lunæ non omnino plenè, ut fatentur, etiam hybernis noctibus im-

Non omnia poſſunt explicari per lumen.

impedit antiperiſtaſin, alioquin ſemper deberet hyeme feruere mare & nunquam refluere, ergò multò magis æſtivis noctibus impediatur antiperiſtaſis, ergò nulla nocte activa fiet fluxus maris in novilunio. 3. Etiamſi concedatur in novilunio per antiperiſtaſin fieri æſtum, non tamen reddunt rationem, quare nocte plenilunii fiat refluxus, quod ita probatur; in novilunio luna comitatur ſolem, ergò nocte novilunii neuter planeta eſt in noſtro hæmiſphærio, ergò tunc non poteſt fieri illa diviſio fluxus & refluxus; Cauſa autem cur per 6. priores horas noctis fiat fluxus, aſſignatur antiperiſtaſis, non autem oſtenditur quare 6. reliquis horis mare refluat, quia non poteſt dici quod tunc ceſſet antiperiſtaſis, quia poſt mediam noctem eſt majus frigus in aere quam in priori parte, ergò etiam antiperiſtaſis deberet eſſe major: Quod autem per influentias omnia commodè explicentur, prob. in hunc ſenſum; In utroq; planeta ſole & luna duplex eſt vis influendi in mare, una quâ fiat acceſſus, & altera qua fiat receſſus maris, & utraq; poſita eſt in diverſo aſpectu planeta: Hinc etiam redditur ratio omnis varietatis quæ fit in æſtu; Nam ut fiat initium à Novilunio, proprerea tunc fit maximus æſtus, quia tunc uterq; planeta eſt in eodem puncto, à quo deinde dum magis vel minus ad ſe accedunt & recedunt, fit vel major vel minor æſtus. Quod ſi conjunctio planetarum fiat in Oriente, fluxus incipit cum ortu ſolis; ſi autem ſol parum procedat ultrà lunam, eo die non fit fluxus oriente ſole, quia ſol relinquit lunam in quarta refluxus; Idcircò tantiſper impeditur actio ſolis, donec propinquior fiat puncto forti fluxus quam luna puncto refluxus. & ita deinceps ſervant eandem proportionem donec luna perveniat ad primam quartam quod accidit octavo vel nono die à conjunctione; tunc verò quia luna eſt in puncto debili fluxus, ſol autem in puncto debili refluxus, eo die neq; fit fluxus neq; refluxus; poſtea ſol excedit quartam partem primam, & tunc incipit fieri æſtas ſed non admodum vehemens, quia quando ſol eſt in quarta refluxus, luna non multũ diſtet à puncto forti fluxus, poſtea verò fit major quando ſol accedit ad punctum forte refluxus. Ubi pervenerit ad tertiam quartam quod fit in plenilunio, quia alter planeta eſt in debili puncto fluxus, alter in debili refluxus, idcircò fit fluxus & refluxus; Rurſum ubi ſol pervenerit ad quartam quartam, quod accidit die 21. vel 22. neque fit fluxus neque refluxus, quia alter planeta eſt in debili puncti refluxus, alter in forti fluxus.

Quomodo Sol & Luna influat.

Dices 1. Quæ objiciuntur lumini, etiam objici poſſunt influentiis. Prob. quia noctibus quibus luna non lucet & eſt in altero hemiſphærio, in noſtro mari fit æſtus, & tamen neutrius planetæ influentia ad illud pervenit, ergò. Reſp. Influentias eſſe qualitates alterius naturæ quam lumen, quia hoc reperit corpus pellucidum, & non poteſt penetrare corpora opaca ſicut influentiæ poſſunt ut patet in magnate.

DICES 2. ſi influentiæ ſyderum cauſarent fluxum & refluxum mares Adriatici, cauſarent eum etiam in Oceano ſeptentrionali & in mari Ceſpio; Item in fontibus, lacubus, fluminibus, quia ubique rarefacere poſſunt. Reſp. Alex. ab Ang. lib. 1. cap. 5. contra Aſtrolog. eum Cæſalp. lib. 3. quæſt. peripar. cap. 5. in terra eſſe ingentes levitates & hiatus ſubterraneos, per quos ſpiritus & flatus huc illucque illiſi & repercuſſi mare exagitent. Sed hæc reſponſio aliis non placet, quia tales flatus, cum etiam ſint ſæpè cauſæ terræ motus, non ſervarent tam ſtabiles vices ſicut ſervantur in æſtu maris; Si confugiant ad naturam maris & dicant, aquam obſervare ſua intervalla ad modum febris intermittentis, quæ certis temporibus ceſſat & redit; Quæritur cur unum mare & non aliud illud faciat? Proinde diſcedunt à lumine & calore contrà ſuam opinionem quam prius aſſeruerant.

Itaque Colligitur æſtum maris imprimis non dependere à motu cælorum, quia hoc non agit in inferiora per motum ultrà mediam regionem aeris, ergò multo minus in mare. Deinde nec à calore quem aſtra producunt, quia etiam in hyeme ubi eſt paucisſimus calor, fiunt æquè æſtus maris. Deniq; nec à lumine, quia ex hoc non poteſt dari ratio efficiens, quod quacunque diei aut noctis hora in mari Adriatico fiat fluxus & refluxus, & ubi ad ſummum cælum luna pervenerit, iterum refluat & relabatur, & poſt occaſum lunæ rurſum mare excreſcat, & ubi medium in hemiſphærio apud Antipodas cælum luna attigit, mare recedat, niſi occultus influxus admittatur, quia hoc lumini lunæ non poteſt attribui, cum alioqui majores fierent receſſus in plenilunio propter majorem lucem, ſolum autem fiant in Novilunio, ubi minor lux ſplendicat; Sed cauſari ab acceſſu & receſſu lunæ, quatenus cum ſole diverſos ſubit aſpectus, idque ſecundum modum diurnum ut ex dictis ſufficienter conſtat & juxtà magnorum virorum probabiliorem doctrinam.

Cælum non agit ſuo motu ultrà mediam regionem.

DIFFICULTAS XXXIV.

Quid & unde Euripus.

EUriporum motus, quo mare in gyrum agitur, adeò celebris eſt, ut etiam in proverbium abierit, quo aliquem Euripo inconſtantiorem dicimus. Sunt autem 5. potisſimum Euripi in orbe; Primus eſt euboicus inter aulidem Bœotia portũ & Eubæam Inſulam, quem Ariſtoteli interitum attuliſſe fama eſt ſecundus Mammertinus inter calabriam & ſiciliam. Tertius Cimmerius. Quartus reperitur in Norvvegia qui deſcribitur ab

Olao Magno 2. verum ſeptentr. c. 4. Quintus denique in Mari Balthico ut refert Card. 1. de variet. cap. 4. Sextum nonnulli addunt ſub ipſo polo arctico longè omnium maximum & terribiliſſimum, ubi horribili concurſu univerſum mare videatur abſorberi & naves omnes à longiſſimo ſpatio vi maxima demergi. Sed fabulam eſſe referunt qui ſuperioribus annis illud mare penetrarunt. Cum enim eam vim maris circà altitudinem graduum 72. ſentiri ſcriptum ſit, hi usque ad 80. pervenerunt, nihilque omninò deprehenderunt, ut teſtatur Paulus Merula l. 3. primæ partis ſuæ Coſmographiæ cap. 9. Eſt autem in Euripis nonnullum motus diſcrimen, quia Euboicus in die ſepties concitatur, Mammertinus bis 24. horis, balthicus ſexta quaque hora. Præterea tradit Plinius nunquam incipere eâdem horâ, quâ pridie, neque tantum rectè agitatur, ſed plerunque in orbem, quo motu efficit vortices quibus navigia momento abſorbentur. Jam

DICO breviter, cauſa motus in Euripis eſt agitatio marium utrinque confluentium. Eſt enim Euripus locus anguſtus inter duo maria quorum duo motus contrarii concurrunt, ac ſi alterum mare prævaleat, recto motu concitatur, ſi verò utriusque maris fluxus ad ſe mutuò allidantur, in orbem voluitur, maximè cum vicina ſint littora, ad quæ alliſi fluctus & repercuſſi variè inter ſe confligunt; accedunt etiam plerumque in ejusmodi fretis loca concava, à quibus vehementius mare reverberatur; quò autem majores fuerint anguſtiæ, eò etiã ſæpius fit motus, idcircò in Euboico frequentiores ſunt agitationes quam in Mammertino, quia hoc longè eſt potentius, Pluribus vide Coſmographos.

DIFFICULTAS XXXV.

Quæ ſit natura terræ.

HOc infimum eſt Elementum ex quo tanquam matre noſtra gignimur & in quam denuò exceptâ formâ reſolvimur; meritò igitur inquiritur, quæ ſit ejus natura & quæ ejus qualitates, ne neſciendo terram neſciamus nos & communem humani generis matrem.

DICO 1. terræ naturaliter convenit frigus & ſiccitas; Eſt Ariſt. loc. cit. eſtq; doctrina communis quæ ex ſenſu capitur. Quod imprimis ſit frigida, patet, quia reducit ſe ad priſtinum frigus poſt occaſum ſolis, propter quod etiam noctes ſunt frigidiores diebus; deinde eſt denſa & gravis, & quod ſupereſt, nulli elementorum convenit combinatio frigidi & ſicci præterquam terræ: Quod ſit ſicca, patet ſenſu & experientia, quia terminatur difficulter termino alieno, vocavitque eam Deus aridam Gen. 1. & Matth. 23.

DICO 2. Hæc utraque & ſiccitas & frigiditas eſt in ſummo, magis tamen ſiccitas. Deſumitur ex antecedentibus & patet ex diſtributione primarum qualitatum quæ elementis debentur; ſi enim calor conveniat igni, humiditas aëri, frigus aquæ, neceſſarium eſt ſiccitatem eſſe terræ, quod probatur hac ratione; Ignis ſummè activus eſt per calorem ſummũ, ergò requiritur à contrario corpus aliquod ſimplex quod ſit ſummè paſſivum per ſiccitatem; ſed tale non eſt aer, nec aqua, ſed terra quæ proinde cum ſua ſiccitate ſummè paſſiva eſt. Quod ſi Dicas, ignem magis ſiccare; Reſpondetur id fieri per calorem, cujus beneficio partes humidæ extenuantur & in halitus convertuntur, non autem ideò quod præciſè producat majorem ſiccitatem, quia id facit terra.

Terra eſt ſummè ſicca.

Terra maximè producit ſiccitatem.

DICO 3. In qualitatibus ſecundis terra eſt denſa & gravis, imò ſimpliciter & abſolutè gravis. Ita docet Ariſt. in ſuis meteoris, quia videl. ſubſternitur omnibus corporibus, & ratio eſt, quia qualitates primas quæ ſunt cauſæ gravitatis, habet in ſummo cæteris tamen paribus, ergò etiam gravitas debet eſſe in ſummo; Dico cæteris paribus, quia ſunt quædam mixta propter nimiam dẽſitatẽ graviora quam ſit terra ut plumbum, ferrum, aurum &c. quia terra non ita per humorem eſt compacta in ſtatu ſuo naturali, unde etiam non ita tenaciter cohæret.

Simpliciter gravis in ſummo terra, ſi adſit ſumma denſitas.

DICES 1. exhalationes ſunt eſſentialiter terra; ſed tales ſunt leves, ergò & terra. Reſp. ideò exhalationes eſſe leves quia ſunt rarefactæ & non amplius in ſtatu naturali ſui Elementi; propterea dictum eſt in concluſione, cæteris paribus, id eſt, ſi maneat in ſuo ſtatu naturali & nihil extrinſecus accedat, vel denſitas vel raritas ut hic; ſemper enim intelligitur cum ſummo frigore & ſiccitate conjunctam eſſe ſummam gravitatem ſi adſit naturalis denſitas, quia aliàs falſum eſt.

DICES 2. exhalationes ſunt eſſentialiter terra; ſed hæ ſunt calidæ, ergò & terra erit calida: Antec. patet, quia in aere concipiunt flammam; Deinde eſt communis doctrina, exhalationes eſſe ſubſtantias calidas & ſiccas. R. quando dicitur exhalationes eſſe eſſentialiter terram, intelligitur, eſſe partes terreas ejusque naturam potiſſimùm participare, non autem quaſi ſint formaliter ipſa terra, quia ut plurimùm participant etiã aliquid ex ſubſtantiis aliorum Elementorum, v. g. ex humido pingui, unde etiam flammam in aere concipiunt; deinde vocantur nec Elementa nec mixta ſimpliciter ſed mixta imperfecta, quia videl: continent ſubſtantias elementorum imperfectè inter ſe unitas. Ad hæc exhalationes ſunt per calorem rarefactę undę etiam hunc per accidens vel ex admixtione aliorum elementorum continent; Tandem non omnes exhalationes ſunt calidæ, ſed etiam frigidæ quæ proinde non ardent, quia vel multum de aqua participant vel de terra ſine admixtione ignitarum partium,

Exhalationes ſunt mixta imperfecta.

DIFFICULTAS XXXVI.

An ubique terra ſit habitabilis.

EX Ariſt. in hac materia nihil habetur, quia ipſe ad hujusmodi ſpecialia non deſcendit;

Digitized by Google

dit; Reliqui autem veteres non putarunt terram ubique poſſe inhabitari, quod etiam ſuperioribus adhuc ſeculis creditum fuit, quouſq; aliud experientia edocuit; Ratio enim quod pars terræ ſub Zona torrida non poſſit eſſe mortalium habitatio aut apta uſibus humanis, hæc fuit, quia deficiunt ibi fruges, aquæ & omnia alimenta ob nimium calorem omnia exurentem, ſicut extrà tropicos ſub polis arctico & antarctico omnia frigore & glacie ſupprimuntur.

Adverte 1. Veteres Coſmographos & Geographos 5. feciſſe circulos, quos Zonas ideò vocarunt, quod inſtar faſciarum cingerent cælum & terram; primos duos circà utrumque polum ſtatuerunt, in quibus omnia frigore pereunt. Tertium terræ mediæ dederunt, ubi ob vehementiam ſolis & radios perpendiculariter verberantes omnia quaſi exuruntur. Quartum & quintum utrinque inter circulum torridum & utrumque polum collocarunt, in quibus omnia ob temperatum aerem vegetantur. 2. Totam terram dividi in 4. partes, ut Europam, Aſiam, Aphricam & Americam, & omnes in ſua peculiaria regna. 3. Quæſtionem non eſſe tantum, an de facto terra ſit habitabilis, ſed etiam an inhabitari poſſit, & ſi hoc non, an à viatoribus tranſiri poſſit

DICO 1. ſub utroque polo terra eſt habitabilis, ſi non ubique prout hic intelligitur, ſaltem maxima ex parte; Deus polo arctico teſtatur Olaus Magnus l. 1. de Part. ſeptentr. teſtantur id etiam præter alias noviſſimæ triū annorum navigationes, quas Holandi annis 1605. 1606. & 1607. ad novam Zemblam uſq; inſtituerunt, ut viam breviorem in Chinam & Inſulas Moluceenſas aperirent.

DICO 2. etiam ſub Zona torrida terra pleriſque in locis eſt habitabilis. Hoc teſtantur frequentiſſimæ hoc & ſuperiori ſeculo navigationes Hiſpanorum, Luſitanorum, Anglorum & Holandorum; docet etiam experientia, in multis partibus ſub Zona torrida noctes crebris imbribus ita temperari, ut iis in locis habitatio ſit commodiſſima, quamvis cum intenſo calore. Hujus veritatis cauſam addit Joſ. à Coſta l. 2. de rebus Indic. c. 7. quia ſcil. ſol in hiſce regionibus maximam vim vaporum ſubitò attrahit idque meridie cum eſt ferventiſſimus, eoſque ſtatim in pluvias reſolvit; huc accedant longiſſimi montium tractus, quales in Aphrica loco alioquin calidiſſimo reperiuntur; hinc enim non tantum pluviæ & imbres crebrò ſuggeruntur, ſed ſcaturiunt inſuper rivi, fontes & flumina quę in montibus oriuntur & undique longè latèque terram humectant. Cæterùm quare plaga æquinoctialis tam ſit fæcunda, temperata, fructuumque largitate & perennitate aquarum abundet, ejus rei multi multas adferunt cauſas; Conn. citati ſex, quas qui volet, legat.

DIFFICULTAS XXXVII.

An terra ſit in medio univerſi, habeatque punctum gravitatis & univerſi diſtinctum.

ADverte, Centrum univerſi eſſe punctum à quo omnes lineæ ad cælum primi mobilis ductæ ſunt æquales, gravitatis autem quod dividit medium lineæ, per quam dividitur corpus in partes æquè graves. Aliqui addunt centrum magnitudinis, quod eſt punctum exiſtens in medio lineæ rectæ, quæ dividit partes in duas magnitudines æquales; Et hæc contrà diſtinguuntur in corpore non æquè gravi, v. g. in globo ex una parte plumbeo & altera ligneo. Jam dum de unitate vel diſcrepantia horum punctorum quæritur

DICO 1. Centrum univerſi eſt in medio terræ adeoque terra in medio univerſi eſt poſita. Ita docent communiter Authores & Conn. 1. cæl. c. 14. q. 3. a. 1. Zanardus de terra q. 41. Prob. 1 terra eſt graviſſima ideoque ſubſtat omnibus corporibus levibus, ergò eſt in loco infimo, id eſt, in loco undique à cælo remotiſſimo, ergò in medio totius univerſi. 2. Si terra non exiſteret in medio univerſi, non fierent, imò non poſſent fieri ecclipſes lunares adeoque impediretur trajectio luminis ad ſolem & lunam, quod tamen eſt abſurdum; conſtat autem ideò fieri ecclipſes lunares quia terra immediatè ſtat inter hæc duo luminaria, qui ſibi per diametrum opponuntur, & quia ſuam umbram uſque ad corpus lunæ extendit, ideò etiam impedit quò minus ſol poſſit illud illuminare.

DICO 2. Centrum gravitatis non differt à Centro univerſi. Hæc concluſio patet ex priori, quia ſi terra erit in medio univerſi, etiam ſequitur, utrumque punctum eſſe conjunctum, quia terra eſt ſummè gravis & quicquid grave eſt, imum locum petit, & puncta undique æqualiter à primo ſummoque cælo diſtant; Neque verendum eſt ad ſaltum v. g. puliccis motum iri terram, quod videl. ad unam partem terræ pondus aliquod licet minimum addatur, faciatque illam graviorem & mutari centrum gravitatis; quia reſpondetur, non poſſe imprimi impulſum ab Agente paſſo, niſi Agens ſupere ret vi ſua reſiſtentiam paſſi.

DICO 3. Idem eſt centrum magnitudinis & gravitatis. Ratio, quia à puncto gravitatis terræ omnes lineæ ad ſuperficien deductæ ſunt æqualis magnitudinis, ergò ubi eſt punctum ſeu centrum gravitatis, ibi etiam eſt centrum magnitudinis; Neque dicas, terram habere montes & valles, imò ingentis ſpatii maria ut patet in Oceano qui ad utramque Indiā ſe extendit, ergò non poſſunt lineæ à centro gravitatis deductæ eſſe æquales; quia reſpondetur, hæc omnia vix aliquid ad rem facere, quia nihil omninò ſunt ad tantam profunditatem à ſuperficie terræ uſque ad centrum ipſius, niſi tamen planè geometricè & non phy-

ſicè loqui velimus; Et hoc item de ſummo Oceano intellige, qui magnus eſt quoad longitudinem non quoad profunditatem.

DICES, poteſt eſſe quod terra in uno loco ſit gravior quam in alio, ergò non poteſt habere ſuum centrum in medio & conjunctum cum centro univerſi & magnitudinis. Reſp. hoc verum eſſe ſi partes terræ ſeorſim conſiderentur, & non ut habent proportionem cum toto, quia poteſt eſſe, ut quæ gravitas bis deeſt, ibi rurſum compenſetur, v. g. mons ingens ex ſolo unoque lapide coactus, terra autem alibi poroſa; & ſecundum hanc proportionem non judicabimus punctum gravitatis & magnitudinis &c.

DIFFICULTAS XXXVIII.

Quid ſit terræ motus.

IN terræ motu, qui idem eſt in terra quod ventus in aere, conſiderari poſſunt natura, quantitas, ſigna, effectus & ſpecies. De ſingulis breviter aliquid, & omiſſis veterum deliramentis,

Terræ motus. DICO 1. cauſa terræmotus ſunt exhalationes intrà terræ viſcera incluſæ, quæ per antiperiſtaſin vel aliam ſimilem actionem vehementer rarefactas exitum ſibi quærunt ideoque terram concutiunt eo modo, quo ignis erumpens è tormentis bellicis ea magna vi concutit. prob. hoc multis Exemplis Ariſt. 2. meteor. c. 7. 1. eſt, quia terræ motus eo præcipuè tempore fiunt, quo in aere ferè nulli ſunt venti, quod ſignum eſt exhalationes intrà terram concluſas retineri. 2. frequentes ſunt terræmotus, ubi maria ſunt magis æſtuoſa, & terra magis laxa & cava ut in helleſponte, in Sicilia, Achaia &c. quæ omnia loca ſunt bituminoſa. 3. Terræmotus maximè fiunt in vere & autumno, quia in æſtate conſumuntur facile exhalationes, hyeme impediuntur à frigore. 4. Conſtat in terra multas exhalationes ſive ſpiritus, qui multum valent ad concutiendum ut patet in ventis qui maxima ſæpè ædificia ſubruunt. 5. Non ceſſat ferè terræmotus, donec exhalationes è terra eruperunt; ſolent enim eo finito magna vis cinerum aut flammarum è terra effundi, interdum etiam atræ quædam nebulæ, quod ſignum eſt illas exhalationes antea incluſas terræ viſceribus fuiſſe cauſam illius terræ tremoris. 6. Ante terræ motum ſolent audiri boatus, mugitus & alii ſoni ſubterranei, quia videl. exhalationes conantur erumpere, unde tales ſoni oriuntur.

DICO 2. quantitas terræmotus ex his tribus ſolet deprehendi. 1. quod exhalatio vel magis vel minus rarefiat. 2. quod ejus vel major vel minor copia intrà terram contineatur. 3. Quod terra vel magis vel minus exhalationi reſiſtat. Ex his quamvis certò non poſſit ſtatui, quantus ſit terræmotus; hoc tamen certum eſt, tam vehementem aliquando fuiſſe ut integras urbes diruerit & demerſerit ut videre eſt apud Plin. l. 2. c. 84. Senecam l. 4. quæſt. natural. Solinum c. 5 & alios. Et quamvis Seneca velit terræmotum ultrà 100. miliaria nunquam extendi, id tamen falſum eſſe probant multæ experientiæ, quia anno 263 ex Baronio, concuſſa fuit Roma, Lybia & Aſia uno tempore. Similiter ex Paulo Aemilio l. 3. hiſt. Franc. temporibus Regis Pipini, Gallia, Germania & Italia uno tempore concuſſa fuit: *Non concutitur tota terra.* Videtur nihilominus verum eſſe, non poſſe terræmotu unquam totam terram concuti naturaliter, quia exhalationes non poſſunt pervenire ad centrum terræ, neque poteſt eſſe tanta copia, ut totam terram comprehendant, ac proinde terræmotus, quia *Tremor terræ miraculoſus fuit tempore paſſionis Chriſti.* Chriſto patiente factus eſt, quo tota terra contremuit, vi majori contigit. Solent aliquando terræmotus longius durare, eſto interruptis vicibus, quia experientia teſtatur, pluribus menſibus aut etiam annis eum tinuaſſe hujuſmodi concuſſiones, in quibus tamen advertendum. eas non ſolere ultrà horam durare, & quò diuturniores, eò minus eſſe vehementes validas & frequentes.

DICO 3. effectus terræmotus ſunt hi; primus ſunt mugitus & ſtridores è terra diverſi pro varietate loci; ſi enim locus ſit ſpatioſus & exigua alliſio, ſonus fit gravis. Si alliſio vehemens, craſſius; ſi locus humidus & parum firmus, ſonus editur fluctuans & incertus; ſi cavernoſus, audiuntur mugitus. 2. eſt, apertio novorum fontium & fluminum, quia nimirùm cum aqua prius flueret ſub terra, aperto per terræ motum meatu erumpit, & contrà clauſo per eundem motum meatu aqua abſorbetur vel in alium locum derivatur. 3. eſt, aquæ frigidæ fiunt calidæ, & dulces ſalſæ, quia nimirùm exhalationes humido permixtæ, exurunt terram redduntque bituminoſam, ex quo deinde aqua ſaporem contrahit. 4. eſt, quod greges & armenta interficiat, quia emittuntur exhalationes noxiæ, unde etiam ut plurimùm ſequi ſolent peſtes. 5. Eſt mundatio maris, quia videl. exhalationes dum infrà mare exitum quærunt, rarefiunt, ſimulque ipſum mare rarefaciunt & attollunt quod factum eſſe anno 2. Valentini Imperatoris circà Siciliam narrat Paulus Diaconus. 6. Eſt, apertio meatuum & voraginum, montium ruptura &c. 7. Everſio domuum, montium, urbium &c.

DICO 4. Signa terræ motus ſunt hæc, primum, ſi abſque ulla cauſa externa moveatur aqua in puteis & terræ miſceatur, ex quo ſigno teſtatur Plin. l. 2. c. 29. præceptorem Pythagoræ terræmotum prædixiſſe. Secundum, ſi mare abſque cauſa intumeſcat, aut naves in eò commoveantur & tremant abſque ullo externo impulſu venti ſimiliſque cauſæ. Tertium, ſi arbores ultrò concutiantur, & aves iis nolint inſidere. Quartum, ſi ſereno cœlo lumen ſolis langueat aut aſtra appareant ſanguinea. Quintum, ſunt ſoni ſubterranei. Sextum

Sextum, cum noctu ardet terra aut ex ea flamma erumpit.

DICO 5. Species terræmotus recenſentur ab Ariſt. cit. duæ, videl. tremor & pulſus. Hic eſt concusſio terræ ſimilis pulſui arteriarum, quando ſcil. exhalatio in longum extenſa latera terræ concutit dum conatur egredi; altera eſt tremori corporis ſimilis, qui excitatur v.g. in humano corpore ex frigore adventitio, & fit ab exhalatione lata intrà terram concluſa variaque eam agitante; ſunt aliæ ſpecies, quæ numerantur à recentioribus, ſed quæ ad has duas referri poſſunt, ut inclinatio, ſucceſſio & aliæ ſimiles.

DISPUTATIO SEXTA,

De miſtione hominis orientis, ſive corporis organici.

HAc conſtat, quicquid exceptis elementis intrà cœlos concluditur, ipſamque terram quæ totius univerſi punctum quaſi eſt, inhabitat: Mixtum enim eſt homo, mixtum eſt corpus organicum & cum eo ſingula viventium genera; mixta etiam ſunt, quæcunque poſt factam mundi creationem à variis agentibus producta rebusque naturalibus adnumerata in pulchritudinem & perfectionem ejus data ſunt. At verò ita fieri oportuit, ut videl. præter mixta ipſa quoque Elementa quæ ſimplicia ſunt omnisque temperationis expertia, cum ſuis ſubſtantiis & qualitatibus in unum coëant, & corpus ex diverſis naturis conflatū conſtituant, imò ad hoc ex natura ſua ordinata ſunt, ut ex ipſis variæ mixtorum ſpecies generari poſſint, adeoque integritas totius univerſi conſervetur: Et meritò non ſola ſunt elementa quæ ad mixtionem faciant, quia ſunt & corpora mixta ad eundem finem conferentia, ut apparet in ſemine, ex quo generatur Embryo novumque individuum, in alimento ex quo producitur ſanguis, & in hoc qui convertitur in os, carnem, nervum &c. Et quamvis in Embryone vel corpore organico nulla fiat commiſtio, quia nihil miſcetur, ſed ſimplex quædam fit generatio, ut apparet dum ex ſemine gignitur os, caro, vena &c. ipſum tamen nihilominus eſt corpus miſtione ex quatuor elementorum materia cum totidem qualitatibus primis conſtans, quibus omnibus ſi accedat forma ſive anima rationalis in homine, conſtituitur & completur creatura in ſimilitudinem Dei facta. De hac itaque miſtione, qua conſtat præter univerſa mixta etiam corpus organicum, paucis hac diſputatione agetur, ut conſtet, quid ipſa ſit, quomodo in rebus fiat, & non tam animata quam inanimata, homogenea item & heterogenea ſint mixta, idque juxtà optimorum Authorum opinionem & doctrinam. Sit itaque

DIFFICVLTAS I.

An detur miſtio, & quomodo hac conſtituatur corpus organicum.

ADverte, miſtionem vel ſumi poſſe pro actione qua miſcibilia inter ſe uniuntur & ſub unam formam ſubſtantialem congrediuntur, quomodo ex vaporibus & halitibus fiunt in viſceribus terræ lapides omnisque generis metalla; vel pro termino hujus actionis, quâ Embryo corpusque organicum jam dicitur perfectè miſtum. Quamvis verò nomen miſtionis hoc modo ſumptum à variis variè accipiatur & intelligatur, ut videre eſt apud Eraſt. diſp. 2. contrà Paracelſum pag. 195. Jul. Cæſ. Scal. exerc. 101. & multos alios; Hic tamen ex Conn. 1. de gen. c. 10. q. 2. art. 2. vel accipitur latius pro confuſione & conglobatione corporum diverſæ rationis, v. g. olei, vini. aquæ, farinæ, lapidum, arenæ &c, permanente ſingulorum forma; vel ſtrictius pro generatione & unitione miſcibilium, quâ ex pluribus elementis prius alteratis vel etiam ex aliis mixtis producitur nova forma ſubſtantialis, cui debentur primæ qualitates certa ratione & modo temperatæ corruptâ formâ præcedente miſcibilium; Et hæc perfecta eſt miſtio ad differentiam alterius, quæ imperfecta dicitur, & eſt quando formâ priore remanente Elementum ſive miſcibile admittit peregrinas tantum qualitates; unde vapor qui eſt eſſentialiter aqua, & exhalatio quæ eſt eſſentialiter terra, dicuntur mixta imperfecta, quia accedit illis tantum aliqua peregrina qualitas, à qua rarefiunt feruntur que ſurſum propter levitatem: Et hujus generis ſunt omnes illæ miſtiones, quæ ex variis diverſisque rebus v.g. ex bile, melancholia, pituita aliisque humoribus inter ſe confunduntur, vel quæ apud pharmacopæos ex aquis, pulveribus, ſuccis, terris &c. fiunt, in hoc à prioribus differentes, quod licet ex perfectè miſtis fiant, imperfectè tamen & partim per artem miſceantur. Jam

DICO 1. datur naturaliter miſtio utroque modò ſumpta, ſive fiat ex elementis ſive ex miſtis. prob. 1. experientia, quia videmus in viſceribus terræ fieri metalla & lapides ex vaporibus & exhalationibus, tum hiſce putreſcentibus ex aeris ambientis conflictu naſci vermes, ranas &c. quod abſque miſtione fieri non poteſt. prob. 2. ratione, quia propterea Elementa ad hoc data ſunt ex natura ſua & ordinata, ut miſta conſtituant, & per hæc ſpecies

cies animalium , plantarum aliatnmque rerum in univerſo conſervenrur. Quod autem non tantnm ex elementis ſed etiam ex miſtis fiat vera & perfecta miſtio, hine manifeſtum eſt, quia ex variis cibis & alimentis fit ſanguis, tum caro, nervus, quod absque vera miſtione fieri non poteſt,

DICES 1. forma miſti eſt imperfectior elementari, ergò non producitur ab Elementis, & conſequenter non dabitur miſtio naturaliter. Reſp. neg. conſeq. quia forma miſti non producitur ab Elementis ſed à generante cauſisq; ſuperioribus ut parer in rana, verme , & aliis quæ ex putri generantur; Et ſic metalla in viſceribus terræ à ſole & aſtris resque animatæ à ſnis genitoribus produenntur; Meteora autem ſunt miſta imperfecta, adeoque huc non pertinent.

DICES 2. Elementa non poſſunt in unum locum convenire, ut Helmontius & alii clamant, quod tamen reqniritur ad miſtionem, quia longius invicem diſtant. Si verò convenirent, quibusdam locus eſſet naturalis & quibusdam violentus, v. g. ſi ignis eſſet in aere, & hic in aquis. Reſp. neg. antec. quia moventur ad unum locum à cauſis univerſalibus, quo pacto poteſt iis dici locus naturalis, licet per ſe ad illum non inclinent; ſic ſanguis ſurſum movetur ab anima; ſic per Syphonem aqua , vinum aut alius liquor trahitur ſurſum violenter ad conſervandum locum univerſi: Poſſunt etiam ad locum miſtionis convenire Elementa raptu & motu cœlorum, vel calore ſolis & ignis, ut videre eſt in exhalatione quæ eſt pars terræ, & in vaporibus qui aqua ſunt quia poſt rarefactionem feruntur ſurſum pugnantque uſque ad interitum. Quoniam vero maxima eſt difficultas de igne , conſtat hunc poſſe produci à ſole , à motu aliisque cauſis, à qnibus in ſubjectum ita producitur, ut vix locus ſit ubi non exiſtat ſive virtualiter ſive formaliter, ut videre eſt in viſceribus terræ cunctisque locis, ubi fit generatio miſtorum.

Quomodo ignis veniat ad miſtionem.

DICO 2. Corpus organicum conſtituitur verâ proprieque dictâ miſtione. Ratio eſt, quia eſt verum miſtum & reperitur in eo tota natura & eſſentia miſtionis, qnod inde paret, qnia ad conſtituendum corpus organicum in eſſe miſti perfecti concurrunt ſubſtantiæ diverſæ elementares earumque qnalitates inter ſe variè refractæ & tam ad legitimum temperamentum quam ad formas partiales ſubſt. coordinatæ, in quo utroque conſiſtit eſſentia miſtionis. Quod ſi Dicas , corpus organicum fieri ex ſolo parentum ſemine , in quo non ſunt diverſæ elementorum ſubſtantiæ vel eorum commiſtio. Reſp. etiam in ſemine eſſe diverſas ſubſtantias, ut aeream, aqueam, igneam & terream cnm qualitatibus quæ inter ſe miſcentur , & aliter ſe in corpore organico habent, quam prius ſe habuerint in ſemine; Nam quando utraq; parentum ſemina in utero concurrunt, verè miſcentur per intimam partium inſenſilium unionem , & ipſæ qualitates, quæ ad novum compoſitum ſpectant, legitimè contemperantur; quæ verò cæterùm actiones concurrant ad hanc miſtionem, vide infrà diffic. 12. & 13. Ad hoc autem ſequitur

DIFFICVLTAS II.

Quæ corpora ad miſtionem requirantur,

ADverte, duplicem eſſe miſtionem; 1 quæ fit immediatè ex Elementis, ut rana ex vaporibus, aurum ex halitu. 2. quæ eſt ex miſtis, v. g. chylus ex cibis, ex his ſanguis, tum ex hoc caro, nervus &c.

DICO 1. ſi miſtio fiat 1. modo, id eſt, ſi miſtum fiat ex elementis, tunc aliquando omnia 4. concurrunt , aliquando duo vel tria, vel tantum etiam unicum. Ante prob, adverte, hunc elementorum concurſum vel intelligi ſecundum ſubſtantiam, ita ut ignis, aer, aqua, terra, inter ſe miſcentur & conjungantur ſubſtantialiter, vel ſecundum qualitates tantum, ita ut v. g. terra & aqua conjunctæ ſint ſecundum ſubſtantiam, ignis autem & aer ſecundum qualitates ; Et hoc modo non eſt dubium, quin omnia quatuor Elementa minimùm ſecundum qualitates debeant concurrere. Jam probatur concluſio primò , quod ſcilicet unum aliquando Elementum ſufficiat, qnia gutta aqnæ conjecta in vas plenum vino convertitur in vinum eique perfectè miſcetur, ergò ſufficit aliquando unicum Elementum ad miſtionem , id eſt , materia unius Elementi, quia ut infrà dicetur , Elementa manent tantnm potentia in miſtis. Probatur ſecundò. quod ſcilicet duo ſufficiant Elementa : In viſceribus terræ generantur metalla, lapides & plura alia mineralia, ex halitibus tam unius quàm duorum Elementorum , terræ ſcilicet & aquæ, ſicut etiam prodncuntur in aere ranæ, vermes, & alia animalia imperfecta, vel ex ſolis vaporibus vel ſolis exhalationibus vel ex utrisq; miſtis, ut patet in ſulphure , ergò ſicut unum Elementum ſufficit ad formandum miſtum, ut patet dum ex ſolis vaporibus generatur rana , ita etiam duobus id totum perfici poteſt & abſolvi. Probatur Tertiò. Quod etiam aliquando tria vel quatuor Elementa ad producendum miſtum applicentur , quia ita ſibi in eâ proportione conjungi poſſunt, ut ex mutua illorum actione in eorum materiis congrua educatur diſpoſitio ad formam mixti.

DICES 1. In mixto debent eſſe quatuor primæ qualitates omnes , ergò etiam omnia quatuor Elementa ſecundum ſubſtantias : Probatur conſequentia, quia imprimis qualitates primæ non poſſunt migrare de ſubjecto in ſubjectum, v. g. calor ignis aut humiditas aëris absque ſuo Elemento in rem miſcendam: Deinde ex ſolo vapore non poteſt fieri rana,

aut ex ſolo halitu vermis, quia vapor tantum continet humiditatem & frigus, halitus autem ſiccitatem & caliditatem cùm tamen rana & vermis ſint miſta corpora, quæ ex omnibus quatuor qualitatibus conſtituuntur, ergò non unum aut duo ſufficiunt Elementa, ſed requiruntur omnia quatuor ſecundum ſuas ſubſtantias. *Reſp.* neg. conſequentiam, quia ideò poteſt ſufficere materia unius etiam Elementi ad conſtituendum miſtum, quod qualitates omnes poſſint induci ab aliquo mixto extrinſeco, vel à ſole & aſtris adeoque ſufficiens diſpoſitio ad formam miſti abſque præſentiâ omnium Elementorum, ut fit quando aurum in viſceribus terræ producitur, quo ignis nec formaliter nec effectivè cogendus eſt; Et hoc idem intellige de vaporibus & halitibus, quibus omnes qualitates primæ ab aliquo agente extrinſeco induci poſſunt, ut inde gignatur mixtum. Neque dicas tunc vaporem non eſſe aquam amplius aut halitum terram; quia reſpondetur nihilominus eſſe terram & aquam materialiter, quibus autem acceſſerint peregrinæ qualitates, quarum recipiendarum ſemper ſunt capaces.

Omnes 4. qualitates poſſunt induci in materiam unius Elementi ab aliquo agente extrinſeco.

DICES 2. Hinc lequi, quod miſtio non ſit alteratorum, ſed alterati tantum unio, quod eſt contra definitionem miſti. *Reſp.* neg. conſequentiam, quia miſtio non ideò dicitur alteratorum unio, quod ipſa Elementa alterata neceſſariò quoad formam & materiam ſint in miſtis actu, ſed quod virtutes & qualitates eorum ad certam debitamque temperiem per alterationem redactæ ac refractæ repetiantur in miſtis: Et ſic intelligi debet Ariſtoteles ſecundo de gen. cap. 8. dum ait: In compoſito reperiri omnia Elementa vel corpora ſimplicia, quia reperiuntur ibi per ſuas qualitates.

DICO 2. Si miſtio fiat ſecundo modo, id eſt, ex miſtis, nullum erit corpus naturale in ſublunaribus quod præter corpora ſimplicia non poſſit concurrere ad miſtionem. Probatur: In omni generatione & corruptione fit miſtio, quia qualitates novæ penetrant intimè materiam, faciuntque novam cum novo ſubjecto & forma commiſtionem; ſed omnia corpora miſta patiuntur generationem & corruptionem, ut eſt manifeſtum, ergò omnia poſſunt concurrere ad miſtionem. Confirmatur per enumerationem omnium corporum miſtorum, quia inprimis miſta inanimata ut lapides, metalla & omnia foſſilia, dum intra terræ ac montium viſcera partim virtute Syderum, partim virtute ignium ſubterraneorum ex vaporibus aqueis & exhalationibus terreis generantur, ſecundum tenuiſſimas ſuas & ſubtiliſſimas ſive minutiſſimas particulas, facillimè miſcentur. Sic ſemina plantarum, & arborum cum terra cui injiciuntur, ejusque ſucco aqueo perfectè uniuntur. Sic animalium hominisque ſemina, dum ad propagationem ſuæ ſpeciei deſtinantur, inter ſe perfectè copulantur: Sic denique omnia alimenta per varias coctiones & miſtiones in carnem & oſſa tranſeunt &c.

DICES, Omnia corpora miſta reſolvuntur tandem in ea principia ex quibus conſtant, id eſt, in Elementa, ergò non in miſta, *Reſp.* ſive immediatè in Elementa ſive in miſta reſolvantur, parum refert, quia ſufficit quod omnia compoſita phyſica poſſint concurrere ad generationem miſtorum. An autem & quomodo miſta reſolvantur in Elementa, infrà patebit.

DIFFICVLTAS III.

Quid ſit Miſtio.

ALiud eſt generatio, aliud miſtio, aliud generatio miſti: De generatione agetur paulò poſt; de reliquis duabus hic in ſequentibus.

NOTA verò, ad miſtionem perfectam hæc requiri; primò, ut miſcibilia habeant materiam communem, qualis eſt omnium corporum ſublunarium. Secundò, ut ſint contraria, & invicem tam activa quàm paſſiva, quia aliàs non ſequeretur temperies primarum qualitatum. Tertiò, ut miſcibilia poſſint ſecerni & ſeparatim exiſtere. Quartò, ut Elementa vel miſta unum in locum conveniant, non quidem penetrando ſe, ſed ut ſint ita poſita quò invicem agere poſſint, & in unam materiam miſti coire, quæ tum unâ formâ informetur. Quintò, ut ſint facilè diviſibilia, quamvis non ſemper, non quidem in omnes partes ſed tantum in perexiguas prout natura miſti producendi id exigit; ſic metalla, lapides & ſimilia non facilè miſcentur. Sextò, ut miſcibilia non tantum tribuant qualitatem ſed & materiam & molem. Septimò, ut ſe non multum excedant vel virtute activâ, quia aliàs unum aſſimilaret ſibi omnia, vel magnitudine, quia non inſinuarent ſe mutuò. Octavò, ut quælibet pars miſti ſit miſta. Nonò, ut miſcibilia uniantur inter ſe. Decimò, ut forma miſti inducatur.

Media requiſita ad miſtionem.

DICO. Miſtio eſt miſcibilium alteratorum unio. Ita habet Ariſtoteles ultimis verbis lib. 1. de gen. & ſequuntur eum omnes Philoſophi. Hic tamen Adverte Ariſtotelem uſurpare miſtionem non pro ſola productione formæ miſti cum ſua forma ſubſtantiali, nullâ habitâ ratione diſpoſitionis & alterationis, ſed pro productione formæ cum ſua unione, quatenus includit præviam Elementorum alterationem; unde etiam nomine alteratorũ intelligitur prævia alteratio & mutua Elementorum actio. Nomine unionis intelligitur conjunctio & actio ſubſtantialis, quâ ex materia Elementorum alteratorum & forma miſti mediante unione fit ſubſtantiale miſtũ, in quo ratione formæ ideò continentur virtutes, & qvodammodo congregantur formæ Elementorũ, qvia miſti forma reqvirit connaturaliter qvatuor eorum qualitates. Cæterùm qvamvis hanc definitionem etiam Conimb, lib. 1. de gen, cap. 10, quæſt, 1, art, 2. adpro-

Prima definitio miſtionis.

Miſtio ſumitur pro termino & præviis diſpoſitionib.

probent, ad majorem tamen perſpicuitatem exprimunt genus miſtionis quod eſt generatio, quia miſtio formaliter eſt quædam ſpecies generationis; & hinc definiunt hoc modo: *1. definitio miſtionis.* Miſtio eſt generatio miſti ex miſcibilibus alteratis; generis locum habet generatio; cætera locum differentiæ; per generationem excluditur alteratio & quicquid non habet rationem generationis: per particulam miſti, excluditur generatio Elementorum: per miſcibilibus alteratis, rejicitur illa miſtorum generatio, quæ non fit immediatè ex Elementis, ſed ex aliis miſtis.

DICES primò. In ſententia eorum qui docent Elementa non manere in miſto, corrumpuntur Elementa, ergò dicendum eſt miſcibilium corruptorum, quia miſcibilia non alterantur tantum ſed omninò corrumpuntur. R. ideo dici alteratorum, quia Elementa manent in miſto ſaltem quoad virtutes, ne quis putet omninò non remanere: Nam per miſtionem producitur alia forma ſubſtantialis à formis Elementorum, etiamſi non in eo gradu; ſic quando ex Elementis fit lapis, hic eſt ſiccus & frigidus, ſicut terra, licet non tam vehementer.

DICES ſecundò, non omnia miſta gignuntur ex miſcibilibus, id eſt, ex Elementis, quia aliquando ſufficit materia unius Elementi, v.g. Rana ex ſolo vapore vel exhalatione, piſcis ex ſola aqua gen. 1, ergò definitio miſtionis non eſt bona. Reſp. neg. conſequentiam, quia miſcibilia non tam ſignificant ſubſtantiam quàm ipſas Elementorum qualitates, quæ alterari debent. Quod autem aliquando materia unius Elementi ſufficiat ad conſtituendũ miſtum, quatuor rariſſimè & trium communiter, id patet ex dictis.

Si quæras, nunquid definitio data conveniat etiam miſtioni quæ ex miſtis eſt. Reſp. affirm. quia etiam in hac fit alteratio diverſarum ſubſtantiarum & qualitatum, ut patet dum aqua in vinum convertitur, dum ex diverſis ſuccis & melle ſive ſacharo fit ſyrupus, dum ex diverſis ſeminibus fit Embryo ſive corpus organicum, quia reverà fit miſtio & miſcibilium alteratorum unio cum productione formæ miſti. Et parum eſt, Ariſt. definiviſſe miſtionem immediatam ex Elementis, quia egit tantum de Elementis, quatenus concurrunt ad generationem miſtorum, per quod non excluſit miſtionem ex aliis miſtis. Itaque dum ſemen paternum & maternum confunditur vel commiſcetur in utero, qualitates ita in ſe mutuò agunt, donec miſcibilia perfectè inter ſe uniantur exurgatque forma miſti.

DIFFICVLTAS IV.

Quid ſit generatio miſti, & quomodo differat à miſtione.

ADverte, ad generationem miſti tres præcipuè concurrere actiones; prima eſt alteratio mutua miſcibilium, quâ partes mutuò agunt & patiuntur ſecundum qualitates contrarias, & hanc actionem non malè vocant aliqui tranſeuntem; Secunda eſt, quando omnes qualitates primæ tam agendo quam patiendo ita temperantur, remittuntur & terminantur, ut in unum quaſi coaleſcant, faciantque veluti corporaturam aut conſiſtentiam ex communi Medicorum loquela; & hæc actio dicitur immanens. Tertia eſt Eductio formæ miſti. Jam

DICO primò. Generatio miſti eſt ſimplex generatio ab his virtutibus cùm rationem habeant ex materia ſubjecta unicuique naturæ. Ita Ariſtoteles 4. meteor. cap. 1. Dicitur primò generatio, ut diſtinguatur ab alteratione *Generatio miſti quid.* & augmentatione; Dicitur ſecundò ſimplex, non quod ſit corporis ſimplicis, ſed quod ſit generatio ſubſtantiæ ad differentiam productionis accidentis; ut cum aliquis ex ignorante fit ſciens, quæ non eſt generatio ſimpliciter ſed ſecundum quid. Et hinc excluduntur etiam generationes miſtorum imperfectorum, ut cum ex aqua fit vapor, quia tunc non producitur alia forma ſubſtantialis ſed tantum accidens. Dicitur tertiò, ab his virtutibus, id eſt, à quatuor primis qualitatibus, de quibus agit Ariſtoteles loco citato; Intelligendum autem eſt, quod ſit ab omnibus quatuor primis qualitatibus, unde excluditur generatio corporis ſimplicis, quæ non fit ab omnibus qualitatibus primis, ſed tantum ab una activa & una paſſiva, ut cùm ex aqua fit ignis, calor tantum & ſiccitas eam mutationem perficiunt. Dicitur quartò, cum rationem habeant &c. quæ verba licet ex interpretum opinione obſcura ſint, hunc tamen habent ſenſum, quod tunc fiat generatio miſti à quatuor primis qualitatibus, quando duæ qualitates activæ, nimirùm calor & frigus habent rationem, id eſt, proportionem ad paſſivas, quæ ſunt humor & ſiccitas, accommodatam naturæ miſti quod generandum eſt. Advertendum enim, quando generatur miſtum v.g. lapis, duplicem requiri actionem primarum qualitatum; altera eſt unius activæ in activam & paſſivæ in paſſivam, quia quando generandus eſt lapis ex quatuor Elementis, neceſſariũ eſt, ut Elementa calida agant in frigida & frigida viciſſim in calida, ſimiliter humida in ſicca & ſicca in humida, donec hæ qualitates certo modo temperatæ ſint & refractæ. Altera eſt, poſtquam egerint inter ſe calor & frigus, quæ ſunt virtutes activæ, eæ ſimul contemperatæ agunt in humorem & ſiccitatem quæ ſunt qualitates paſſivæ. In definitione miſtionis fit mentio prioris actionis, hic autem fit mentio poſterioris, quia ut generetur miſtum, requirit materiam non tantum priori ſed etiam poſteriori actione ad ſuam naturam accommodatè præparatam. Et hinc colligitur, hâc definitione comprehendi etiam generationem animalium & corporis organici, non tamen ut ſic, ſed ut miſtorum, quia omne animal miſtum eſt.

Generationis miſti & miſtionis differentia.

DICO ſecundò, Miſtio eſt generatio miſti re idem ſunt, ratione tantum differunt. Probatur primum; quia miſtio eſt actio quâ uniuntur Elementa, ut patet ex dictis; at non eſt alia actio quâ uniuntur Elementa eo modo, quo vult Ariſtoteles uniri in miſtione, quam productio miſti; quia non vult Ariſtoteles miſtionem eſſe juxtapoſitionem Elementorum, ergò idem eſt miſtio & generatio miſti. Probatur poſterius, quod differant ratione quia miſtio reſpicit Elementa, neque dicitur propriè miſtum miſceri ſed Elementa dicuntur miſceri ad conſtituendum miſtum; generatio autem miſti reſpicit ipſum miſtum non Elementa, quia hæc jam ante erant & non producuntur jam per generationem, ipſum verò miſtum producitur. Deinde in definitione miſtionis per vocem illam alteratorum expreſsè declaratur prior illa actio, de qua in prima concluſione actum fuit, & confusè innuitur poſterior; Contrà in hac definitione generationis miſti expreſsè ponitur poſterior, & innuitur prior.

DICES, Miſtio eſt minimùm naturâ prior generatione miſti, ergò non differunt ſolâ ratione; probatur antecedens, quia ut producatur forma miſti, neceſſarium eſt ut Elementa ſint antea inter ſe permixta; Conſequentia probatur: quorum unum naturâ prius & alterum poſterius, ea differunt ante omnem operationem intellectus. ergò plus quàm ratione. Reſp. ad antecedens, non requiri aliud naturâ prius ante generationem miſti, quàm ut Elementa ſint inter ſe mixta, non eſſentialiter ſed tantum per juxtapoſitionem; quando enim eſſentialiter inter ſe commixta ſunt, jam producta eſt forma mixti.

Colligitur, Definitionem illam Scalig. exer. 101. ſect. 1. & quorundam Medicorum, quando dicunt miſtionem eſſe motum corporum minimorum ad mutuum contactum, non eſſe bonam, eò quod miſtio non ſit motus. Deinde generationem latius patere quàm miſtionem, quia leo verè & propriè generatur, & tamen hæc non eſt generatio per miſtionem, quia non eſt ex conflictu Elementorum.

Re idem eſt generatio miſti & miſtio, licet illa latius pateat.

DIFFICULTAS V.

A quo producatur forma miſti.

DE præviis alterationibus mutuâque Elementorum & quorumvis corporum miſtum conſtituentium attemperatione non eſt hic difficultas, quia conſtat hujus cauſam effic. vel eſſe ipſe Elementa vel etiam miſta, quæ inſitâ ſibi vi agendi totum illud operantur. Nam quando metalla in cavernoſis terræ locis generantur, agunt Elementa per qualitates ſuas & ad formam diſponunt; ſimiliter quando ex alimento fit ſanguis, ex ſanguine caro, os, nervus, alterantur prius ſanguis & alimenta per qualitates primas tum corpori tum alimento intrinſecas, tum etiam per eas quæ extrinſecus adveniunt: Itaque controverſia eſt de ultima formæ miſti productione de qua fortè non omnes idem ſentiunt.

NOTA, Miſta alia eſſe animata alia inanimata, alia fieri ex ipſis Elementis immediatè, alia verò ex corporibus miſtis. Hinc

DICO primò, Formæ miſtorum perfectorum animatorum producuntur non tantum in eſſe viventis, ſed etiam in eſſe miſti à genitoribus per virtutem ſeminalem accedente concurſu Elementorum cauſarumque ſuperiorum. Probatur, id quod producit animal in eſſe viventis, idem etiam producit in eſſe miſti; ſed illud faciunt progenitores, ergò & hoc. Minor hæc certa eſt; probatur major, quia ſi inprimis poſſunt progenitores producere animam ſenſitivam & vegetativam, poſſunt etiam producere formam quæ inferioris eſt ordinis, quæque ſphæram eorum non egreditur, miſti ſcilicet; Deinde nulla eſt cauſa ponendi agens formæ miſti diverſum ab agente formæ ſenſitivæ vel vegetativæ, cùm ab uno fieri poſſit. Adhæc anima dat eſſe corporis ſimpliciter, ergò non tantum viventis ſed etiam miſti, ergò qui produxit corpus in eſſe viventis, produxit etiam in eſſe miſti. Neque dicas formam miſti produci ante formam viventis v. g. corpus hominis prius fit organicum, deinde vivens, quod idem de aliis viventium corporibus intellige; quia reſpondetur idem corpus organicum produci à genitoribus, ut ex alibi dictis patet, ergò non tantum in eſſe organici ſed etiam in eſſe miſti. Dixi formas miſtorum perfectorum, quia inprimis formæ miſtorum imperfectorum non ſuperant vim aut virtutem Elementorum; ideoque ab iis etiam produci poſſunt, accedente præſertim calore ſolis: Deinde formæ miſtorum imperfectorum inanimatorum quæque è putri naſcuntur, non poſſunt produci à progenitoribus ſuis, quia ut plurimùm nullos habent, ideoque cum iis ad cauſas ſuperiores confugiendum eſt. Quod autem ad omnes miſtorum productiones concurrant Elementa cauſæque ſuperiores ut aſtra & inprimis ſol, manifeſtum eſt, quia concurrunt ad omnes rerum ſublunarium corruptiones & productiones, ſuntque cauſæ tot viciſſitudinum, quæ in hoc mundo ſublunari quotidiè concurrunt; Exemplum ſit ſol, qui receſſu aerem temperat, & humorem invehit, acceſſu autem ſuo per calorem omnia fovet & conſervat, coquit, maturat, & perficit, ut eſt videre in fructibus, ſeminibus &c.

Forma miſti à quo producatur.

Si quæras, An producatur forma miſti per eandem virtutem, per quam producitur forma viventis, v. g. in leone, cane, bove. Reſp. quamvis forma miſti ſit diſtincta à forma vegetativa & ſenſitiva, ut patet in lapide, arbore & leone, quia in his etiam emortuis remanet forma miſti; nihilominus tamen non ſunt ponendæ diverſæ virtutes in eodem ſubjecto, in quo eſt utraque forma, ut per eas producantur, quia eadem virtus generativa quæ

pro-

producit leonem v. g. in eſſe viventis, etiam producit eundem in eſſe miſti, concurrentibus tamen cauſis & qualitatibus Elementaribus, quæ ad has omnes fotmas diſponunt; Et hoc eodem modo eadem facultas nuttitiva conficit chylum in ſtomacho, ſanguinem in venis, ſpiritus vitales in corde & reſtaurat ſubſtantiam deperditam in viſceribus cunctisque partibus animatis.

DICO ſecundò, Formæ miſtorum inanimatorum, cùm hæc plerumque ſint bomogenea, fiunt à cauſis ſuperioribus, potiſſimum vero à ſole, cujus eſt producere metalla & mineralia in viſceribus tertæ. Eſt contra Albertum Magn. Avicen. Sennett. & plerosque chymicos, qui docent in terra non ſecus eſſe virtutem quandam mineralem, per quam producuntur metalla, quàm in ſeminibus vegetativis potentiam & facultatem quandam per quam generantur plantæ, bruta &c. Sed probatur concluſio primò. Formæ miſtorum inanimatorum non fieri poſſunt ab Elementis, cùm ſint excellentioris naturæ, ergò debent fieri ab alia cauſa quæ ſit nobilior vel æquè nobilis atque ſunt ipſa miſta; ſed nulla eſt prætet cœlos & præſertim ſolem, ergò. Secundò. Virtus metallica, ſi quæ datur, eſt tantum qualitas, nec agit in virtute alicujus metalli, cujus non eſt producere aut virtutem ſimilem aut metallum, ergò non poteſt producete formam quæ eſt ſubſtantia longè petfectior accidente. Tertiò. In terra nullæ ſunt virtutes aut qualitates niſi Elementares, quæque â ſole promanantes in toto intermedio producuntur; ſed hæ non ſufficiunt, ut conſtat, ergò ad aliam cauſam eamque nobiliorem confugiendum eſt, videlicet, ad ſydera & inter hæc ad ſolem, cujus vis & influentia omnium Philoſophorum judicio latiſſimè diffunditur, & ad ſimiles effectus mirâ efficaciâ cuncta penetrat. Plura de his vide apud eos qui de metallis & lapidibus ſcribunt & imprimis apud Bernh. Cæſium, qui hæc pulcherrimè & fuſiſſimè tractat, tum infrà Diſp. 8. Difficult. 10.

Cauſa effic. metallorũ.

DIFFICVLTAS VI.

An primæ quatuor qualitates concurrant omnes activè ad generationem miſti.

AD cognitionem hujus difficultatis multum confert illud quod à Philoſophis quæri hic ſolet; An nimirùm & quomodo Elementa inter ſe pugnent cum fit miſtum; Et videtut non poſſe concipi fotmam miſti in materiam introduci, niſi præceſſerint contrariarum qualitatum, ſive ſint Elementorum ſive miſtorum, actiones reactiones & pugnantiæ, quod tamen ſine fundamento & ratione turpiter negat Sennertus Medicus Hypomn. 4. cap. 6. Quis enim credat aquam calefieri, niſi prius aqua eſt ignis frigore & calore interſe pugnaverint; aut quis putet aquam in vinum converti, niſi aqua prius ab igneo calore ſuccubuerit. Communiſſimum & veriſſimum eſt illud quod agens debeat eſſe diſtinctum à paſſo, & quod ſimile non agat in ſimile, cujus ratio eſt, quod omnis actio tunc ceſſet, ubi nihil depugnandum aut agendum eſt in contrarium. His poſitis conſtat eſſe quatuor primas qualitates; Conſtat etiam omnes quatuor concurrete neceſſariò ad miſtionem; ſed incertum eſt, an omnes agendo, an aliquæ tantum patiendo. De calore quidem nullum eſt dubium quin agat, quia hic ſemper inter qualitates primatum tenet, eſt omnium viventium præcipuum inſtrumentum, miſcet, fovet, roborat, unit, conſervat, coquit, maturat, &c. De tribus reliquis ut frigore, humore, & ſiccitate dubitatur.

DICO primo, Frigus concurrit activè ad introducendam formam miſti. Probatur primo. Quodlibet miſtum perfectum continet virtute omnia Elementa, eſtque principium omnium qualitatum primarum; ſed non contineret omnes, niſi productum eſſet ab iis omnibus, ergo omnes qualitates ad ejus productionem concurrunt activè, ergò & frigus. Secundo, quæcunque liqueſcunt calore, generata ſunt à frigore, ut conſtat, ergo in generationem eorum agit frigus, cujusmodi ſunt metalla; patet etiam Exemplo lapidum, qui generantur ex aqua, ut cùm alibi tum Romæ in ſuburbano propè pontem milvium eſt videre, ubi in quadam vinea eſt fons, in cujus aquam quamvis frigidiſſimam impoſita ligna in lapides convertuntur. Tertio, ad corporum miſtionem requiritur partium connaturalis condenſatio, quod fieri non poteſt absque præſenti frigore, quia aliàs calore rarefierent & diſſolverentur omnia.

Frigus activum eſt.

DICES primo Frigus non ingreditur opera naturæ juxtà commune Philoſophorum axioma; ſed ſi miſta generarentur activè à frigore, in aliquo opere naturæ dominaretur frigus. ergò. Reſp. Hoc axioma tantum concernere miſta animata, quorum vita eſt in calore; Senſus enim hujus dicti eſt, quod in omnibus operationibus viventium, ut nutritione, augmentatione &c. calor dominetur. Et tamen nihilominus in his quoque frigus neceſſarium eſt, ſi non per ſe ſaltem per accidens, ut videlicet contemperet calorem, qui alias ad eliciendas actiones vitales non eſſet proportionatus.

DICES ſecundò, Frigus eſt cauſa corruptionis, ergo non generationis. Reſp. neg. conſequentiam: quia eſto dicatur cauſa corruptionis, ſi in rebus animatis calori dominetur; nihilominus tamen ad generationes etiam concurrit, licet minus efficaciter quàm calor.

DICO ſecundo, Etiam humor & ſiccitas concurrunt activè ad generationem miſti. Probetur primo, Ex ipſa definitione generationis miſti, quâ dicitur eſſe ab his virtutibus,

Humor & ſiccitas activa ſunt.

id

id eſt, ab omnibus primis qualitatibus; non eſſet autem ab iis omnibus, niſi concurrerent omnes activè, quia aliàs Ariſtoteles valdè æquivocè fuiſſet locutus. Secundò, Humor producit formam aquæ, quod idem intellige de ſiccitate terræ, ergò etiam poterunt producere formam miſti concurrentibus aliis qualitatibus. Tertiò, In miſtione corporum ſive animatorum ſive inanimatorum debet fieri intima partium omnium penetratio, connexio, adhæſio, unitio, conſtrictio, & ſi quæ ſunt ſimiles actiones, quæ fieri non poſſunt, niſi humiditas & ſiccitas ſimul cooperentur, ergo non tantum calor & frigus, ſed etiam humor & ſiccitas concurrunt activè ad producendum miſtum.

DICES, Sæpè ſolent ab Ariſtotele humor & ſiccitas appellari qualitates paſſivæ, ergò non erunt activæ, nec concurrent hoc modo ad generandam formam miſti. R. dici paſſivas non abſolutè ſed tantum reſpectivè, quia videlicet minus ſunt activæ quàm calor & frigus: Itaque dicuntur paſſivæ, quia definiuntur per paſſionem, ut patet ex earum definitionibus.

DIFFICVLTAS VII.

An res liquidæ perfectè inter ſe miſceantur.

TOta controverſia in hoc poſita eſt, An aqua v.g. vinum, oleum, cereviſia, ſyrupus, ſuccus herbarum aliique liquores inter ſe confuſi perfectam miſtionem conſtituant. Eſt autem ratio dubitandi, quia illa eſt vera miſtio, ubi in materiam quæ miſcetur, nova forma ſuccedit, quod tamen in variorum liquorum miſtionibus videtur eſſe falſum. Nam communiſſimum eſt, à vino aquam vel aquoſiores ejus partes extrahi poſſe per artem. Deinde conſtat, eſtque rationi conſentaneum partes aereas ſupremum occupare locum, aquam infimum, ut patet ſi oleum vel vino vel aquæ affundatur, & aqua vino, quia occupabit illud ſupremum locum, hæc infimum. In contrarium autem diſſecant hi liquores ſe mutuò, penetrantque ad minimas ſe uſque particulas, quod abſque interitu & reſultantia novæ formæ fieri non poſſe communiter docent Philoſophi.

Suppono, Ex Zabarella lib. de conſtitutione ſcientiæ naturalis cap. 24. Miſtum vel eſſe perfectum vel imperfectum. Illud eſt compactum ex omnibus miſcibilibus unicâ formâ ſubſtantiali totali actuatis, ut ſunt metalla, lapides; Hoc verò non ex omnibus coaleſcit Elementis, vel ſi ex omnibus, ea non perficiuntur unicâ & totali formâ ſubſtantiali, quæ actuet illa diuturno & perenni vinculo, ut ſunt nubes, grando, nix, venti, flammæ intrà regionem aeris accenſæ; fulmina &c.

NOTA, Res liquidas eſſe aliquando ejuſdem rationis, ut ſunt duæ particulæ aquæ, vini, aliquando diverſæ, ut eſt una pars vini, altera aquæ, tertia olei &c. Hæc enim non tantum qualitatibus ſed & formis ſubſtantialibus differunt. Jam

DICO primò, Res liquidæ diverſæ rationis inter ſe commiſtæ non ſemper nec facilè conſtituunt veram ac propriè dictam miſtionem; ſed nec res ejuſdem rationis id ſemper faciunt. Probatur primum, quæcunque ſubſtantiæ non penetrent ſe intimè, nec patiuntur conjunctionem in minimis per qualitates activas, ita ut deperditâ formâ veteri ſub novam cocant, illa imperfectè miſcentur atque hoc fit in rebus liquidis quæ ſunt diverſæ rationis, ergò. Major patet ex dictis, minorem probat experientia, quâ videmus oleum aquæ vel vino affuſum ſuam retinere formam & cereviſiam craſſam difficulter miſceri cum aqua, vino, mulſo, ſyrupo, aliiſque rebus liquidis; ſunt enim hæ miſturæ tantum juxtapoſitiones, & retinet quivis liquor cum hâc confuſione ſuam formam ſubſtantialem. Probatur ſecundum hoc eodem argumento, quia non ſemper una aqua commiſcetur immediatè cum altera, quia fortè diſcrepant in gravitate, tenuitate & aliis accidentiis, ut manifeſtè videre eſt in aqua mœni, qui ubi Rhenum ingreditur, aliquot millibus paſſuum defluit, donec cum illo perfectè commiſceatur, quod advertunt illi qui utrumque fluvium navigant, dum aquarum diviſionem comodiſſimè vident, & præſertim quando glacie concretæ ſunt. Dixi tamen quod liquida diverſæ rationis non facilè conſtituant veram miſtionem. Nam

DICO ſecundò, Si liquor unus ab altero cui affunditur, planè ſuperetur, v.g. ſi aquæ portio vino affuſa ab ejus calore & cæteris qualitatibus à quibus patitur, evincatur, tum perfectè cum eo miſcetur, quia in ejus naturam tranſit. Ita Ariſtoteles cap. ult. lib. 1. de gen. D. Thom. in 4. Sent. d. 11. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula 4. Conn. 1. gen. c. 10. q. 1. a. 3. aliique communiter Authores. Probatur primò, Vinum poteſt ita qualitatibus ſuis activis diſponere materiam aquæ, & ad ſuæ formæ introductionem accommodare, ut ipſam in ſe convertat, quod etiam de aliis liquoribus, licet fortè non cum eadem difficultate intelligendum eſt. Secundò, Aqua juxtà fidem Orthodoxam ante conſecrationem in calicem infuſa, non eſt amplius aqua poſt conſecrationem, ergò eſt naturaliter in vinum prius converſa, & poſtea in ſanguinem (de fide tamen non eſt, ſive dicas aquam naturaliter primò in vinum, deinde ſupernaturaliter in ſanguinem, ſive abſque converſione naturali in vinum tranſire, ſupernaturaliter in ſanguinem.) Antecedens conſtat ex Concil. Flo-

In Vinum quomodo tranſeat aqua.

Floreotino & Tridentino ſeſſione 13. cap, 1.& 3. ubi habetur quod materia hujus ſactamenti tantum ſit panis & vinum ex conſenſu Theologorum ſcholaſticorum; & D. Tbomas 3. p. quæſt. 74. art.8. obiaii; cooverſo vino io ſanguioem oon maoere aquam in calice, aliàs non eſſet adorandum quicquid in calice ſub ſpeciebus latet. Quod ſi aliquando fiat, ut per artem aqua ſeparetur à viuo, dicendum eſt, aut vinum ita imbecillum eſſe, ut non poſſit aquam immutare & io ſuam ſubſtantiam convertere, aut hane utriusque commiſtionem pauco tempore duraſſe, aut certè materiam quæ ſeparatur, eſſe partes vini crudi impuri minusque decocti aquoſiores, quæ ex quovis vino etiam elici poſſunt; Neque res hæc adeò miranda eſt, cùm etiam ſpiritus partesq; calidiores & ſubtiliores non tam à vini quàm vegetabilium ſobſtantia per artem chymiam extrahantur, quia in quovis ferè mixto ſunt ſubſtaotiæ diverſorum elementorum, quæ cum ejus integritate ſunt perſectè invicem commixtæ, in diſſolutione verò naturaliter ſeparantur, ot patet in ſtomacho, in quo omnis geoeris alimenta hoc modo diſſolvuntur, in alembico, ubi variæ ſimplicium ſive etiam compoſitorum humiditates ſeparantur.

DICES, hic tantum quæri, quomodo fiat miſtio in rebus quæ ſint ejusdem, ſicut & diverſæ rationis, non autem quomodo in ſe mutuò transmutentur. Reſp. dum ad uoum reſpondetur, etiam alterum non obſcurè inſinuari, quia dum onum fit, etiam alterum fieri neceſſum eſt, atque ita ſemper ſe mutoò cooſeqvuntur ut patet ex diffic. 4. Nunquam enim eſt vera miſtio absque generatione ſubſtantiali miſti, eò quod illa non poſſit fieri absque abjectione veteris formæ & acquiſitione novæ.

DICO tertiò, Res liquidæ ejusdem rationis ita miſcentur ut nulla earum forma corrumpatur, & nova tertia exurgat, ſed retentæ inter ſeſe coeunt & commiſcentur v. g. doæ vel tres partes aquæ, vini, olei; Ita docent Connimb. citati art. 3. contra D. Thomam. 4. p. quæſt. 77. art. 8. & quodlib. 10. art. 3. ubi habet; ideò corruptis partium formis novam produci quod ſeſe illæ partes intimè diſſecent & penetrent. & quod jam non habeant ſe ot totum ſicut prius, ſed ut partes, proindeque noo poſſe retineri antiquas formas. Sed ratio concluſionis eſt, qoia formæ vini aquæ & ſimilium corporum liquidorum homogeneorum valdè ſunt materiales, & absque omni interitu ſicut ipſa materia diviſibiles & rurſom communicabiles, ut mirum non ſit, ſi in quâvis etiam minimâ parte ſuas formas conſervant & in unum coaleſcant, ſicut fieri videmus in multis flammis & ignibus; Neque enim appareet quis illas partiom formas corrumpat & novam producat: imò videtur eſſe de fide, ut credamos, ſi v. g. ſpeciebus vini conſecrati aliud non conſecratum in quaconque etiam copiâ affundatur, adhuc ſub prioribus ſpeciebus ſanguinem Chriſti permanſurum, quod tamen in ſeotentia D. Thomæ negatur; qoæ dicit utriusque partis formam perire, novamque tertiam conſurgere: Nam tamdiu manet ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus, quàm diu forma vini, ſi inibi eſſet, ſub iisdem perſeveraſſet, ſed hæc ad Theologos. Et hinc

Res liquida quomodo miſcentur.

Colligitur, quid ad veram perfectamque miſtionem ſive hæc fiat immediatè ab Elementis ſive ab aliis miſtis, requiratur, videlicet intima qualitatum & ſubſtantiarum conjunctio, illarum ut ſe per mutuam actionem & paſſionem debitè & juxtà exigentiam novi miſti contemperent, harum ut ſe intimè penetrent, diſſecent, unumque corpus efficiant, ita ut de omni parte dici poſſit, hic & ubique eſſe unam & eſſe omnem ſubſtantiam. Exemplum ſit Theriaca, quæ licet confecta ſit & tot ingredientibus diverſarum qualitatum & ſubſtantiarum, ita tamen corruptis ſingulorum formis ſub unam novam formam coierunt, ut propter intimam qualitatum & ſubſtantiarum unionem ubique una ſit forma ſubſtantialis una qualitas, unum temperamentum non diſcrepans ab aliis aliarum partium, quia eſt compoſitum homogeneum miſtumque ſimilare & ubique ejusdem rationis.

Theriaca eſt miſtum perfectum

DIFFICVLTAS VIII.

Quis ſit locus in quo fiat miſtio.

CONcernit hæc quæſtio miſta ſive fiant ex Elementis, ſive ex aliis miſtis; Nam difficultas eſt an ubique fieri poſſint.

DICO primò, Terra eſt locus in quo poſſunt fieri, imò de facto fiunt miſta. Probatur, in terra, ſumendo tam ejus ſuperficiem quàm profundiores hiatus & viſcera, fiunt omnis generis novæ productiones, ergò miſtiones. Antecedens docet experientia, quia in ſuperficie terræ generaotur omnis generis viventia & inanimata quæ prius non fueraot; in viſceribus autem & profundis hiatibus fiunt metalla, lapides, mineralia, cæteraque plura, quæ è terris eruuntur jamque perſecta miſta ſunt, & vel ex materia unios vel plurium Elementorum concreta ot conſtat ex dictis.

DICO ſecundò, Etiam in aqua fiunt miſta: patet hoc in unionibus cæterâque infinitâ multitudine animalium partim perfectorum partim imperfectorum, quæ ex variis materiis concreta & compacta intrà ſpatium illud quod aquæ debetur, gignontur.

DICO tertiò, Etiam aeri ſua debentur miſtatam perfecta quam imperfecta. Eſt contra Mercatum Medicum de Element. quæſt. 32. ſed contrà eſt, quia primom oſtenditur in multis rebus, quæ ſive animatæ ſint ut vermes, buffones, ranæ, limaces, ſive inanimatæ ut ſulphur, lapides, caro, & alia plura per aerem frequenter depluentia, ibi genera-

ratas & productas fuiſſe certò conſtat. Alterũ manifeſtum eſt in rore, grandine & ſimilibus, quæ ideò dicuntur imperfecta, quod nec vera ſint miſta ex quatuor primis qualitatibus, nec etiam omninò eſſentialiter aqua, ſed ſemper vel utplurimùm cum halitibus terreis confuſa. Nunquam enim ita vapores ſunt puri & clari, quin ſemper aliquid terreæ exhalationis participent ut patet apud meteorologicos.

DICO quartò. Solus ignis eſt, qui in ſuo loco naturali nullam admittit vel generationem vel miſtionem. Probatur primò ab experientia, quâ conſtat, nullam in igne Elementari fieri impreſſionem ſicut videmus fieri in aere, terra, & aqua. Secundò probatur ratione, quia ignis rariſſimus eſt & remotus ab aliis corporibus, quò non facilè aliud corpus poſſit aſcendere, aut à cauſis naturalibus moveri, niſi rariſſimum ſit & leviſſimum. Deinde quia vincit ſuâ activitate reliqua Elementa: Nam ut fiat actio ad intentionem agentis, debet eſſe proportio inter qualitates activas & ea quæ patiuntur.

In ſolo igne Elementari nulla fit miſtio.

DICES primò. In igne naturali gignuntur res, ergò etiam in igne Elementari. Reſp. non eſſe hic ſermonem de igne noſtro, qui valdè impurus eſt propter pabulum ſuum, quo paſcitur & conſervatur; falſum tamen nihilominus eſt, in eo aliquid generari vel produci, ut ex alibi dictis conſtat.

DICES ſecundo. In igne Elementari gignuntur de facto Cometæ, aliæque impreſſiones igneæ, ergò falſum eſt ignem non eſſe locum miſtorum generandorum. Reſp. primò, Cometas & impreſſiones igneas non eſſe miſta perfecta, quia ſequuntur naturam exhalationum, quod ipſum etiam ſunt materialiter. Secundò, Cometas & impreſſiones igneas, quæ accenſæ lucent & frequenter apparent, non generari in igne Elementari, ſed in ſuprema regione aeris, quæ adhuc eſt infrà ignem Elementarem.

DIFFICULTAS IX.

An miſtio fiat ex atomis ſecundum veteres.

ADvertte, Credidiſſe veteres, Elementa manere actu in miſtis, id quod noſtro adhuc ſeculo non pauci docent, ut infrà patebit; & ad hanc doctrinam confirmandam excogitaverunt atomos, ſive minutiſſima corpuſcula quibus coagmentata ſint Elementa, & ex quibus ſervata tam ſuâ quàm Elementorum naturâ producantur miſta univerſa. Et hinc

Opinio Inter eos ut Democritum, Empedoclem & alios adhuc ante excidium Trojæ fuit Atomos eſſe principia rerum naturalium, id eſt, ex iis tanquam ex principiis materialibus & formalibus, ſi accedant formæ ſuperiores quibus uniantur, omnia corpora miſta produci & generari. Hanc autem opinionem non tantum illi, excepto Ariſtotele, quem primùm deſeciſſe Sennertus Medicus vehementer conqueritur, amplexi ſunt, ſed ſequuntur illum adhuc hodie non pauci è grege illorum, qui veterum errorum ubique ſunt ſequaciſſimi, eoſque omnibus modis defendunt & approbant. In univerſum autem explicant hanc doctrinam ferè hanc in modum; primò quod atomi ſint corpuſcula minutiſſima, ſimplicia, non compoſita aut miſta. Secundò, quod hæc corpuſcula ſint indiviſibilia, id eſt, tam parva, ut amplius dividi non poſſint. Tertiò, quod ex his corpuſculis omnia miſta generentur, imò quod ex iis tota moles Elementorum conſtet; quartò, quod in hæc corpuſcula omnia miſta denuò reſolvantur. Quintò, quod hæc corpuſcula non ſint unius generis, ſed varia pro varietate corporum ſimplicium & miſtorum. Et hæc ferè ſunt, quæ de atomis & veteres & moderni quidam ſentiunt, fuſius autem ab ipſo Sennerto hypomn. 3. cap. 1. depinguntur & deſcribuntur. Ait enim hic

Primò, Atomos provenire ex compoſitorum corporum reſolutione & corruptione, tum ex globo terreno in quo omnia Elementa continentur, quæ demum in aerem elevatæ, varias mutationes, generationes & corruptiones faciant.

Secundò, Hæc corpuſcula quæ omnem ſenſum fugiant, aliquando invicem congregari, & tum à nobis videri, facile autem in alia corpora penetrare & aliis materiam præbere.

Tertiò, ut diſcurſus de Elementis inſtituatur, ignem, ait, imprimis in ferrum & aquam ſe inſinuare per ſubſtantiam, aeri in æſtate permiſceri & æſtum parere, ſylvas accendere, carnem coquere & aſſare modo quodam inviſibili. Deinde aerem omnibus corporibus poroſis ineſſe & ſpatia vacua implere etiam in miſtis ſolidiſſimis ut ligno, metallo, lapide. Aquam ſimiliter multa penetrare ſuaque mole adaugeſcere v. g. ligna, pannos &c. Terram denique permiſceri aquæ ut viſu non percipiatur.

Quartò, quod diligenter notandum, alterationes quæ fiunt in corporibus, non eſſe mutationes in qualitatibus, ſed alieni corporis participationem, v. g. aquæ calefactionem eſſe atomorum ignis participationem, ob quas etiam vim urendi obtineant, quibus autem evaneſcentibus ad nativum hæc frigus redeat; Et hoc ab experientia cognoſci. cùm in lagena ſtannea diutiſſimè ferveat aqua calefacta per igneas particulas lagenæ poros penetrantes, quod fieri non poſſet ſi nuda qualitas lagenæ & ipſi aquæ fuiſſet impreſſa, quia citius evaneſceret; Et hoc idem manifeſtum eſſe, quod vas vino plenum æſtivo tempore in aquam frigidam immerſum citius apertum quàm clauſum refrigeretur, idque hanc ob cauſam, quod atomi igneæ facilè expel-

Alterationes ex Sennerto quomodo fiant.

expellantur per frigus circumſtans in aperto, in clauſo autem conſtringantur. De hypocauſto calefacto rem eandem eſſe, quod ſcilicet igneæ particulæ fornacem penetrent, & tam hypocauſti aerem calefaciant; proinde melius & ſapientius hæc ſtatui quàm abſurdè doceri, calorem & frigus eſſe ſimul in eodem ſubjecto, in aqua nimirum calida; Hæc enim jam dudum inter recentiores docuiſſe Scalig. exercit. 12. Sect. 3. v. g. æs ignitum fieri per partium ignitarum in poros ejus immiſſionem; & rurſum exercit. 14. aquam ferventem habere ignem & ſiccitatem, & ex aqua fervente ignem exhalare; ipſum etiam Gal. jam olim lib. 1. de Elem. cap. 6. ita ſenſiſſe, dum ait, illum qui calefit ab igne, ignem intra corpus aſſumere. Si quæras, quare cui manus & pedes nimium frigent, ſi aquæ frigidæ immergantur, aut nive fortiter contrectentur, citius & ſine damno calefiant, cùm aliàs ſi calidis ſtatim admoveantur, non parum offendantur. Reſpondet quod aqua vel nix frigidas atomos ob ſimilitudinem ad ſe attrahant, & hoc idem in manu combuſtâ evenire, quæ læditur ſi frigido immergatur, contrà verò ſi igni aut calido admoveatur.

Miſta ex atomis. Quintò, Miſta omnia fieri ex primis Elementorum atomis, ut ſuam Elementarem naturam, quocunq; tandem modo miſceantur, integrè conſervent, & ſeparatæ rurſum ut prius ſubſiſtant. Et tametſi hæc veterum ſententia fuerit, ſe tamen nihilominus cum iis conſentire, cùm pleraque meteora ſint congeries atomorum Elementarium, ut patet in exhalationibus & vaporibus quæ non ſint corpora continua, ſed infinitarum atomorum cumulus, quibus addit nives, pluvias, nubes, quæ non continuentur, ſed ex myriadibus atomorum conflatæ coagmententur.

Sextò. Præter atomos Elementares eſſe etiam alias, ex quibus miſtio rerum naturalium fiat, & in quas corpora compoſita reſolvantur. Et ejusmodi atomos eſſe in rebus animatis & inanimatis, & manifeſtari per fermentationem, digeſtionem & concoctionum reſolutiones, ut cùm ex ſubjecta materia ſpiritus vini in alembicum penetrat, ex plantis & mineralibus per varias deſtillationes & ſublimationes ejusmodi atomi in recipientem elevantur, quarum tamen aliquot myriades dum ſurſum coeunt, ſæpè vix unam guttam vel ſenſibilem molem conſtituant.

Septimò. Hanc doctrinam confirmare inunctiones Mercuriales, in quibus argentum vivum in atomos redactum corpus totum penetret, tum plantarum in corporibus effectus, præſertim verò purgantium medicamentorum: Si enim mulier, capra, vel aliud animal plantam purgantem devoret, hanc in ſanguinem lactisque ſubſtantiam converti, virtutem illam purgantem inibi retineri & proli ſugenti communicari, proindeque ſalvas & integras atomos per tot mutationes & decoctiones in corporibus viventium factas remanere.

Octavo. Quamvis verò hæ atomi ſint corpuſcula minima, tamen in iis formas eſſentiales integras ſpecierum manere; Nam etiamſi aurum & argentum fundantur, & utriusque atomi miſceantur, hæc tamen ſervare ſuas integras naturas, & ſi aqua fortis affundatur, argentum ſolvi in liquorem, aurum verò redigi in pulverem; argentum ſolutum ſi præcipitetur, formam pulveris ſubtiliſſimi ſubſidere, utrumque tandem pulverem ſi ſenſim fundantur, in priſtinum aurum & argentum abire: Et eodem modo fieri cum infinitis aliis corporibus miſtis conſtent, in reſolutione tamen ad ſingulas ſuas naturas & atomorum congeſtas ſpecies redire. Et hæc inter multa alia ſunt, quæ Sennertus tam ſuâ quàm veterum anili fabuloſâque opinione docuit typisque evulgavit.

DIFFICULTAS X.

Quid de atomis juxta veriorem philoſophiam ſtatuendum ſit.

Videtur etiam velle Ariſtoteles quod ex atomis fiant miſtiones. Nam licet ipſe paucis in locis eorum meminerit, ut lib. 1. de anima cap. 2. ubi eas appellat parva corpuſcula, quæ in aere & in ipſis radiis feneſtras ingredientibus ferri & volitare videntur; Et rurſum lib. de inſecabilibus lineis, ubi eas vocat impertita parva & atoma, quæ dividi adhuc poſſunt; Hoc tamen in loco expreſsè dicit magnum ex parvis, id eſt, ex atomis componi; unde neceſſario ſequitur, ſi corpora ex atomis componuntur, etiam ex iis fieri quamcunque miſtionem.

NOTA primò. Per atomos intelligi partes quorumcunque corporum tam ſimplicium quàm miſtorum poſt reſolutionem minutiſſimas, & adhuc in infinitum diviſibiles, ut ait Ariſt. lib de lineis inſecabilibus.

NOTA ſecundò. Has particulas ſumi poſſe materialiter, quatenus in genere cauſæ materialis ad generationem omnium corporum ſive ſimplicium ſive miſtorum concurrunt, vel formaliter, quatenus in eſſe entis & compoſiti phyſici ad productiones rerum ſublunarium faciunt: Hinc

DICO primò, Si atomi ſumantur materialiter, omnia corpora naturalia ex iis componuntur & miſcentur. Probatur: Omnes miſtiones fiunt vel ex materia Elementorum vel miſtorum ſed hæc materia nihil eſt aliud niſi ſubſtantia quæ conſtat ex multitudine minutiſſimarum partium ſive atomorum, ergò ex his fiunt omnes miſtiones; Nam in quolibet compoſito phyſico ſunt particulæ in infinitum diviſibiles, quæ omnes eandem cum atomis rationem habent.

DICO ſecundò, Si atomi accipiantur forma-

maliter, nulla corpora ſive homogenea ſive heterogenea componuntur per miſtionem ex atomis tanquam ex principiis materialibus & formalibus. Probatur primò, qualibet pars miſti debet eſſe miſta; ſed ſi miſtio eſſet ex atomis vel minutiſſimis corpuſculis, poſſet ab aliquo, qui eſſet acutiſſimi viſus, qualem fuiſſe lyncæum fabulæ ferunt, pars aliqua diſcerni quæ non eſſet miſta, quia hæc corpuſcula ſervant ſuam formam & naturam, ergò ex iis non poteſt fieri miſtio, quia ſic quælibet pars miſti non eſſet miſta. Secundò, ſi corpora naturalia eſſent conſtituta ex atomis, ſequeretur nullum dari miſtum perfectum in ſublunaribus; ſed hoc abſurdum eſt, ergò & illud. Probatur aſſumptum, quia omnia eſſent per juxtapoſitionem, id eſt, congeries & cumulus infinitarum atomorum, neque ullibi eſſet vera miſtio, quia corpuſcula illa non penetrarent ſeſe, ſed eſſent tantum contigua, ſicut lapides cumulum facientes; proinde omnia miſta eſſent aggregatum per accidens, quia, ut ait Sennertus. Singuli atomi habent ſuas formas ſubſtantiales ſibi nullo modo continuas easque ſemper retinent in novis compoſitis, eſto ſint etiam ejuſdem naturæ & ſpeciei, ſicut minutiſſimæ arenulæ in littore maris. Probatur tertiò, In vera miſtione debet fieri unio miſcibilium & concurſus earum actionum quibus perfecta miſtio fiat; ſed nihil ejuſmodi fit in coitione vel congregatione atomorum veterum & Sennerti, ergò. Major conſtat ex dictis, quia ad perfectam miſtionem concurrit primò motus localis, quo miſcibilia unum in locum congregantur. Secundò mutua alteratio quâ miſcibilia invicem ſe confringunt & temperant. Tertiò, quod hinc ſequitur, & aliarum partium condenſatio, aliarum rarefactio illam ſequitur gravitas, hanc levitas, utrumque motus localis partium huc illucque volitantium & ſe mutuo permiſcentium. Quartò, eſt miſcibilium permiſtio, unitio & copulatio, dum qualitates activæ paſſivas terminant & inſpiſſant. Quintò, eſt eductio formæ miſti ejusque cum miſcibilibus ſaltem natura prius unitis unitio & copulatio, quæ vel omnia vel potiora abſunt in atomorum conglobatione. Nam eſto conveniant in uno loco, non agunt in ſe mutuò nec repatiuntur, non penetrant ſe nec diſſecant, cum omnes retineant ſuam naturam & formam proindeque nec miſcentur, unde vera & phyſica forma ſubſtantialis producatur; plura patebunt ex reſolutione argumentorum.

DIFFICULTAS XI.

Quid ad argumenta veterum & Sennerti reſpondendum ſit.

AD argumenta veterum, quæ meritò tanquam turpia deliramenta rejicit Ariſtoteles, Reſpondetur primò, ſi per atomos intelligantur partes Elementorum minutiſſimæ, & vix ſub ſenſum cadentes, conceditur eſſe corpora ſimplicia, id eſt, naturam ſui Elementi participantia, quia gutta aquæ eſt æquè corpus ſimplex atque aqua univerſa, quæ toto Oceano comprehenditur; ſi autem intelligatur atomos eſſe ejuſmodi corpuſcula quæ tam in Elementis quàm miſtis, quæ adæquatè conſtituant & compleant, ſint compoſita phyſica, tunc falſum eſt; quia inprimis gutta aquæ in Oceanum effuſa non retinet ſuam formam ſeparatim, ut eadem numero ab agente naturali ſit ſeparabilis, ſed quia ſecundum materiam ac formam æqualiter & diviſibilis, intimè miſcetur cum reliqua aqua, cum qua eſt ejuſdem rationis. Deinde hæc corpuſcula non ſervant ſuam naturam in miſtis perfectis quia formæ Elementorum non manent in iis, ut infrà patebit, nec aliàs miſta forent miſta, ut conſtat ex dictis. Dividuntur autem miſta in partes minutiſſimas, dum quælibet ex iis retinet naturam totius proportionaliter, ſecusac dum in unum coaleſcunt, quia tunc unum conſtituunt, habentque formas ſecundum materiam diviſibiles, ut patet in aqua. Reſpondetur ſecundò, falſum eſſe quod hæc corpuſcula ſint indiviſibilia, quia nullum datur corpus quod non amplius ſit diviſibile. Deinde ſi hæc corpuſcula eſſent indiviſibilia ſequeretur, ſi infinita conglobarentur, non fore producendum corpus quod ſub ſenſum caderet, juxta illud: Unum indiviſibile alteri additum non facere, illud majus, quod tamen negat Sennertus dum ait: Atomos non videri, niſi cùm primum plurimæ in unum confluant. Reſpondetur tertiò, verùm eſſe, quod ex his corpuſculis quæ ſunt partes integrantes omnium miſtorum & commune ſubjectum omnium formarum, omnia corpora & compoſita phyſica producantur. Reliqua duo veterum argumenta patebunt ex ſequentibus.

Ad argumentum primum Sennerti reſpondetur, quicquid ſit de poſteriori, quod nimirùm in globo terreno vel in terræ viſceribus reliqua tria Elementa reperiantur, priùs omninò falſum eſt, quia Elementa non conſtant ex huiusmodi atomis quas Sennertus deſcribit, nec miſta in eas reſolvuntur cùm corrumpuntur, ſed potius in quandam materiam Elementarem aut illi ſimilem: Conſtant enim Elementa & corpora ſimplicia ſicut & reliqua miſta univerſa ex materia prima, quæ non eſt congeries illarum pulicarium machinarum aut minimæ quantitatis punctulorum, quia Deus hæc non creavit, ſed materiam formâ aqua & formâ terræ præſtantem.

Ad ſecundum reſpondetur, Si infinita horum corpuſculorum congregentur, à nobis viſum non iri, eum ſint indiviſibilia ſecundum Sennertum, niſi ipſi hæc ſumat craſſo modo, id eſt, pro minutiſſimis particulis; ſed nec tum materiam præbent corporibus, ſi poros & meatus penetrent, quia corporibus additur materia per veram generationem, ut patet in nutritione corporis viventis vel quando etiam rei inanimatæ ut auro, lapidi, alia novaque materia variè diſpoſita & alterata per generationem additur: Si autem hæc corpuſcula penetrant alia corpora, non

faciunt illa majora, nec addunt veras partes, ſed implent tantum ſpatia inania, aut per adhæſum & continuitatem afficiunt corpora, ut patet in aere & aquâ quæ omnia ſpatia inania complent.

Ad tertium reſpondetur, Falſum eſſe quod ignis per ſuas atomos, id eſt, per igneas particulas ſeſe in aquam inſinuat, quia hoc modo aqua non eſſet calida ſed maneret frigida & calerent tantum juxtapoſitæ atomi, vel certè aqua non eſſet aqua ſed ſimul ignis & exiſtetent ſimul duo contraria naturaliter in eodem ſubjecto in ſummo, imo informarent eandem materiam duæ formæ ſubſtantiales completæ ſibi nullo modo ſubordinatæ, quod implicat. Deinde aqua non eſt poroſa ut juxtà ejus ſingulas particulas ignis ponatur quod tamen neceſſarium eſſet, vel ſi atomi per totam aquam ſeſe diffunderent, deberent augmentum addere contrà experientiam; aqua inſuper extinguit & ſuffocat omnem ignem tam per frigus quàm per humorem, adeoque ignis non poteſt in aqua conſiſtere naturaliter, & ſi qua eſt in aqua caliditas, illa non eſt ignis, ſed vel aquæ vel aeris qnia habet adjunctum humorem. Hoc idem de aere dicendum eſt, quia incaleſcit, non per admiſtionem ignis ſed per calorem ſolarem, qui per radios refractos producitur, & hic calor ſi nimius ſit, ſylvas accendit, manum comburit, carnem aſſat, & paulatim ad formam ignis diſponit; Et verò ſi aer igneus evaderet per particulas ſive atomos igneas, (ſunt autem aer & ignis contigua ſibi Elementa) jam non eſſet aer ſed ignis vel utrumque ſimul, quia adeſſet etiam ſummus calor & ſumma ſiccitas; vel certè dicendum erit, atomos igneas non aliter calefacere aerem & aquam quàm ſicut videmus ſolem calefacere terram vel ignem manum admotam, quod tamen eſt contrà Sennertum, qui ait, nullam fieri alterationem per qualitates, ſed per præſentiam Elementarium atomorum. Et ridiculum eſt ignem conſtitui ubicunque calor eſt ſive is ſubjecto naturalis ſit ſive adventitius ut aeri & aquæ, in quibus ſi per atomos fiat calor non erit ratio, cur aliquando plus aliquando minus caleant, & quare non in momento ſed ſucceſſivè tantum, quia quicunque calor adeſt, is non ineſt aeri aut aquæ ſed igneis particulis quæ non recipiuntur in materia Elementorum, cum & ipſæ ſint ſubſtantiæ, niſi abſurdè Sennertus penetrationem corporum admittat; Deinde penetrarent atomi quaſi in momento, quo ſpatio temporis etiam aquam calefacerent. Quare aer calefiat, non eſt opus ad ignem confugere, quia videmus id fieri à ſole, qui calorem etiam producit in viſceribus terræ & in fundo maris. Quod autem ferrum, aqua, aer & alia corpora evaneſcentibus atomis igneis debeant refrigerari, id falſum eſt, quia in nullo horum corporum ignis eſt, ſed juxta poſitus tantum. Per evaneſcentiam quid intelligat Sennertus, non conſtat; Si corruptionem, graviter impingit, quia deeſt cauſa corrumpens, & cùm earum

Alteratio quomodo fiat.

materia ſit incorruptibilis, neceſſariò ſub aliam formam abibunt, quod nunquam Sennerto placebit; Quid enim ex igneis atomis fieret, an mulus? videritipſe: Si autem maneant, poſtquam ab aqua receſſerunt, rurſum error eſt, quia aliud eſt recedere aliud evaneſcere; non poſſunt autem idcò evaneſcere, quia corpora ſunt & ſubſtantiæ, quæ proinde ſi aquam deſerant aliud corpus ſubintrare debent illudque calefacere; & quorſum tandem ibunt? caveat Sennertus ne cerebrum occupent, quia elleboro opus foret quo expurgarentur.

Ad quartum reſpondetur. Abſurdiſſimè doceri, quod alterationes non ſint mutationes in qualitatibus, ſed tantum participatio alieni corporis v.g. quod aqua ſentiatur calida per ſubingreſſum particularum ignitarum. Nam primò aqua non fieret calida ſed maneret ſemper frigida contrà experientiam, cùm nulla fieret mutatio, imò cum fieri non poſſet, quia fieret ibi tantum calefactio ubi eſſent atomi; at tales in nulla parte aquæ exiſtent, ſed eſſent tantum juxta poſitæ, ergò. vel certè tota quæ ſentitur calida, debuit tranſiiſſe in atomos ignitas, quod tamen falſum eſt. Secundò, ſi aqua caleret per ingreſſum atomorum, ſequeretur, aquam non ſucceſſivè calefieri contrà experientiam, ſed ſtatim atque ipſæ penetraſſent aquam, quod falſum eſt & abſurdum. Tertiò, Nulla fieret tranſmutatio Elementorum inter ſe, v.g. aer non poſſet converti in ignem, nec aqua in aerem, quia retinerent ſemper ſuas nativas qualitates: Si enim aqua debet converti in aerem, neceſſarium eſt, ut prius fiat calidiſſima & rariſſima, adeoque expulſo frigore introducatur calor, quod tamen negat Sennertus. Quartò, Tolleretur omnis generatio & corruptio, quia tollitur omnis prævia alteratio, quæ tamen eſt diſpoſitio maximè neceſſaria ad futuram generationem ſubſtantialem, nulla enim poteſt fieri generatio, niſi forma prior in compoſito per varias alterationes expellatur, & ad formam novam novæ connaturales diſpoſitiones & qualitates introducantur, quod nullo modo fieri poteſt per receptionem atomorum quæ penitus nihil immutant. Quintò, Non eſſet ratio, quare in aqua v.g. ſentiatur calor & non potius frigus nativum, cùm hoc ſemper maneat neq; unquam expellatur. Ad ridiculas experientias reſpondetur primò, ideò in lagena ſtannea aquam calefactam tardius frigeſcere primò, quia calor concluſus à contrario ambiente non tã facilè expellitur; Secundò, quia calidæ exhalationes minus evaporant, & tertiò, quia aqua calore reſiſtente tardius ſe ad nativum frigus reducit, Et hnc idẽ in corporibus ſolidis fieri conſuevit, in quib⁹ calor impreſſ⁹ diutius aſſervatur, quia nimirùm eſt in materia denſiori, ubi non æquè à ſuo contrario expellitur. Ad Cantharum vino plenum reſpondetur ſi hic æſtivo tempore in aquam frigidã mergatur, apertũ citius frigeſcere, quia partes calidæ citi⁹ exhalãt, & ſimiliter apertum

Alteratio.

citiùs

citius in hyeme calere, quia frigidiores partes non tantum egrediuntur ſed etiam calor circumſtans ſubintrat. Hypocauſtum ideò calefit, quia aër in ibi contentus qui prius fuerat frigidus, jam per veram alterationem fit calidus. Scaliger nunquam dicit ferrum ideò fieri ignitum, quod atomi igneæ in poros immittantur, ſed intelligit igneſcere, quod in poris particulæ quædam primò intenſum calorem, tunc ignem concipiant, quod etiam docet tota Philoſophia; ſimiliter non dicit aquam formaliter habere ignem, ſed qualitates igneas, id eſt, calorem intenſum quo etiam urat, Galeni dictum malè intelligitur à Sennerto, ſicut & doctrina Scaligeri, quia Galens non dicit ignẽ ſumi intrà corpus formaliter ſed tantum virtualiter. Manus frigidæ ſi nive contractentur, ideò calefiunt, quia per fortem frictionem pori aperiuntur, calor excitatur & augetur, & ſi frictio fiat cum materiâ frigidâ, intenditur calor per antiperiſtaſin, cujusmodi caloris augmentationem & excitationem videmus in ſingulis corporis noſtri moribus, in quibus omnes partes vehementer calent ſæpeque etiam ſudant. Combuſta manus ideò offenditur ſi in aquam frigidam mergatur, quia per conſtrictionem pororum fuligines combuſtæ retinentur, putreſcunt & magis accenduntur, quod admotus calor prohibet ſi temperatus ſit. An autem digitus à calore nimio læſus, ſi rurſum igni admoveatur, dolorem non ſentiat, id ex iis reſciri poteſt qui experientiam fecerunt, & credo hanc Sennertum nunquam probaſſe.

Ad quintum reſpondetur, miſta omnia vel fieri ex aliis miſtis vel ex Elementis, id eſt, ex eorum materiâ cum qualitatibus refractis: Nec tamen retinent Elementa ſuam naturam, ſed deponunt ſuas formas & proprietates, induuntque ſub novâ formâ ſubſtantiali novam naturam; Et ſi hæc miſta corrumpantur vel abeunt in alia miſta vel in corpora Elementis quaſi ſimilia v. g. in cineres, qui ſunt terra impura, in humores, qui nonnihil ad aquam accedunt, in vapores qui aërem mentiuntur. Falſum tamen eſt, exhalationes eſſe cumulum & ſtruem infinitarum atomorum, quia ſunt miſta imperfecta, homogenea & undique ſibi continua.

Ad ſextum reſpondetur, qui ſpiritus, qui ſucci, quæ olea, quæ eſſentiæ ex vegetabilibus, foſſilibus & mineralibus per artem Chymicam beneficio caloris extrahuntur, non atomi ſunt, ſed partes rariores, puriores, & ſubtiliores miſtorum, in quibus ſubjectantur potiores virtutes & qualitates, remanentibus interea in fundo iis quæ terreſtriora ſunt & feculentiora, omnisque virtutis & roboris expertia, evaneſcentibus etiam & in auram potiori ex parte abeuntibus iis quæ aqueæ ſunt, & ut plurimùm non magnarum virium, niſi tamen & hæc quis lento calore exprimere & in ſuos uſus applicare cogitet, quâ de re conſulendi ſunt Medici.

Ad ſeptimum reſpondetur, Nihil minus hanc doctrinam confirmare quàm virtutes herbarum & mineralium in corpore relictæ vel diffuſæ, quia operantur omnes ſubſtantiæ per ſuas qualitates & virtutes ſi ritè applicentur v. g. ſi alimenta & medicamenta intrà corpus aſſumantur; Quædam enim propter confinitatem quam habent eum humano corpore, in ſanguinem convertuntur & ſubſtantiam corporis, nec ullam afferunt alterationem alia è contra propter diſparitatem quæ inter utriusque naturam intercedit, nec convertuntur in ſanguinem, nec in ſubſtantiam corporis, ſed vel gravius vel levius affecto & commoto corpore expelluntur, ut argentum vivum, metalla, lapides; vel quoad virtutes pereunt & evaneſcunt, ut folia ſenæ, quoad materiam verò cum aliis excrementis propelluntur; vel denique alio modo conſumuntur. Mirum autem quod bonus Sennertus ex mercurio intrà corpus aſſumpto denuoque excluſo, tum ex plantis quæ virtutem ſuam etiam in ſanguine, lacte, cæteriſque excrementis retinent, atomos exprimere conetur, quia ſervat argentum vivum ſuam integritatem intrà & extrà corpus propter peculiarem naturam quam habet, & quam à corpore ejusque calore non actuari permittit; Reliquorum autem miſtorum virtutes poſt actuationem & reſolutionem in ſtomacho diffunduntur per corporis venas & partes ſingulas, indeque ſenſim pereunt & evaneſcunt. An autem vis purgativa in ſangvine & lacte etiamnum duret, adeoque lactantes & nutritios purget, dicetur in fine lib. 2. de vi purgante.

Ad octavum reſpondetur, de auro & argento fuſis, commiſtis & tandem ad naturam ſuam redeuntibus, argumentum nullum eſſe, quia hæc metallorum fuſio non eſt verè miſtio ſed potius confuſio; Et quamvis hoc in aliis quoque miſtis obſervetur, poſtquam vel à calore animalium vel ab igne vel ab aliis cauſis corrumpuntur & reſolvuntur, ideò tamen ad ſua principia redeunt, quia naturalem habent appetitum & inclinationem, ut potius in hunc quàm in illum ferantur, ut cum his & non cum aliis qualitatibus conjungantur, ut ſimilibus delectentur, diſſimilibus autem contriſtentur; ſic omnia levia ſurſum feruntur, gravia deorſum, ſic materia terreſtris ad terreſtrem, aërea ad aeream, calida ad calidam, frigida ad frigidam ſe conſociat, ſcilicet propter materialem inclinationem ſeu averſionem, quam omnes res naturales inter ſe habent. Et hinc

Colligitur, quamvis Elementa & miſta ingenti multitudine partium materialium, quas alii minutiſſima corpuſcula, alii vix ſenſibiles particulas, alii punctula, alii impertia, alii atomos vocant, ſint coagmentata, ex iis tamen unitis & commiſtis non ita fieri perfectum & miſtum abſolutum, ut poſt unitionem in eo ſtatu maneant in quo prius fuerant, quia amiſſis formis prioribus ſub unam coeunt, à quâ perfectionem habent & naturam; Exemplũ ſint decem milliones guttarum aquarum, quæ

quæ dum ſeparatæ ſunt, ſuas omnes formas habent ſubſtantiales, dum verò in unum coeunt, unam conſtituunt formam ſubſtantialem ex omnibus collatam, quia ſicur materia & formæ harum ſunt in infinitum diviſibiles.

DIFFICULTAS XII.

Quomodo concoctio pertineat ad miſtionem.

POſt ſubſtantiales actiones quales ſunt miſtio & generatio miſti, neceſſarium eſt, ut aliquid de accidentalibus dicatur, quia his ipſis miſtum perficitur, & ad ſuas functiones & formas quoque ſubſtantiales de novo recipiendas ſubinde præparatur; Et ſunt potiſſimùm concoctio, de quâ in præſenti, cujus ſpecies ſunt maturatio, elixatio, aſſatio, exiccatio, humectatio, concretio, & liquatio, de quibus infrà. Hæc omnia licet breviter, pulchrè tamen pertractavit Ariſt. 4. meteor. ut mirum eſſet, etiam Philoſophum fuiſſe tam ſedulum in iis in quibus alias occupantur medici, niſi conſtaret, has omnes actiones minimum in homine de cujus ſanitate ſolliciti ſunt medici, plurimum autem in aliorum miſtorum generationibus quas contemplari Philoſophorum eſt, repetiri: Quamvis enim dum in ventriculo cibus conficitur, dum in vaſis ſangvis gignitur, dum humores ſeparantur, dum ſubſtantia corporis deperdita reſtauratur, fiat concoctio, maturatio, elixatio, humectatio, ſiccatio, &c. vix tamen horum aliquid reperitur dum homo gignitur, vel dum corpus organicum formatur, ſed dum paulatim in utero perficitur & excoquitur; ut itaque à concoctione, quæ principalior eſt actio, ſumatur initium.

Concoctio quid. DICO 1. Concoctio eſt perfectio à naturali & proprio calido ex oppoſitis paſſivis. Ita Ariſtoteles 4. Meteor. cap. 2. Explicatur definitio: Dicitur primò perfectio, id eſt, alteratio ſeu actio perfectiva, quia miſta recens nata, ut pyra, poma, animalia &c. ſunt imperfecta, & perficiuntur concoctione, eùm videlicet calor naturalis inſitus abſumit portionem humidi exuperantis, & reliqvum melius cum ſicco miſcet. Dicitur deinde, à naturali & proprio *Cauſa proxima concoctionis.* calido, per quod intelligitur calor naturalis miſcibilibus à naturâ inſitus, quia hic eſt proxima cauſa concoctionis; ſed ne hic diſſipetur, adjuvatur à calore externo ſolis in miſtis inanimatis; vel in coctione ciborum à calore ventriculi, Epatis, venarum; vel in generatione & perfectione animalium à calore matris foventis. Ultimò dicitur, ex oppoſitis paſſivis, quibus intelligitur humiditas & ſiccitas, quæ ſunt oppoſita tum inter ſe, tum etiã quodammodo ei quod efficit concoctionem, nimirùm tori quod agit, cui per coctionem ſuo modo reddi debent ſimilia, quando nempè ex alimento debet fieri os, nervus, caro. Itaque ſenſus definitionis eſt, quod concoctio ſit mutatio quâ miſtum à calore activo agente in humidum & ſiccum deducitur ad ſuam perfectionem debitam, ſive illa debeatur naturæ in ordine ad ſe, ut fit in nutritione viventium, ſive in ordine ad aliud, ut fit in maturatione frugum, concoctione ciborum.

DICO 2. Modus concoctionis ferè talis eſt; *Modus concoctionis.* primò ſeparantur à materiâ vi caloris aliena & inepta, ſeu quæ impediunt finem coctionis. Secundò, humidum cum ſicco perfectiſſimè & intimè miſcetur ſecundum minutiſſimas & inſenſibiles particulas, quales ferè ſunt atomi per radios ſolares volitantes. Tertiò, oritur certa terminatio in humido & ſicco, major aut minor, prout finis à naturâ intentus aliam & aliam exigit. Ex quo patet, concoctionem ſimpliciter non fieri à frigore ſed à calore, quia frigus non ſeparat, ſed potius congregat indifferenter tam utilia quam inutilia, quæ calor dividit miſcetque inter ſe, & certam cum frigore terminationem ac conſiſtentiam introducit.

Adverte primò, perinde eſſe, ſive calorem qui eſt cauſa concoctionis, cum aliquibus voces illum, non qui ineſt materiæ, vel ſubjecto crudo & coquendo ut pyro, pomo, cibo, chylo, ſanguini, &c. Sed qui eſt in ventriculo, Epate, venis, totòque corpore; ſive cum aliis eum qui eſt miſcibilibus à naturâ inſitus, & *Qualis calor qui coquit.* quem ab extrinſeco ut calore ſolis partiumq; corporis tantum excitari & adjuvari volunt, ut patet ex muſto vel vino, quod ſeipſum ſecundum partes ſpirituoſas & calidiores perficit, & fermentationem ac defecationem efficit: Nam utrumq; probabile eſt, probabilius tamẽ alterũ, licet utrimq; calor efficienter concurrat, & efficacius internus.

Adverte Secundò Concoctionem ſecundum ſe ſpectatam, tantum eſſe perfectionem accidentalem, adeoque miſtum jam genitum & eſſentialiter perfectum ut pomum pirum animal præſupponere. Tametſi autem hæc *Concoctio eſt perfectio accidentalis.* concoctio ſubinde pro fine habeat ipſam naturam ſeu formam ſubſtantialem, quando ſcilicet cibus in ſtomacho concoctus vertitur in ſanguinem, eſt tamen hic ſanguis extrinſecus & remotus, non ipſius concoctionis quà concoctio eſt.

Adverte Tertiò, quamvis ad bilis concoctionem Medici adhibeant Syrupos & acetoſa, ſive frigida ut videlicet nonnihil calorem bilis temperent & refrænent, quod idem proportionaliter intellige de multis aliis; Nihilominus tamen præcipuum coctionis inſtrumentum eſſe calorem, ut videre eſt apud Zabarel. lib. 1. de miſt. gener. cap. 5. & inſinuat hoc Ariſt. lib. 2. de anima in fine cap. 4. Frigus autem ad talia ſecundariò concurrit, cùm videlicet nimium calorem temperat, ne urat. An autem concretio adipis & metallorum ſit propriè dicta concoctio, infrà dicetur.

Adverte Quartò, concoctionis definitionem non tantum convenire rebus inanimatis, ut foſſilibus & mineralibus in eorum generatione, miſtione & perfectione ſive maturatio-

ratione, ſed etiam vegetabilibus earumque partibus, tum cunctis animalibus, & quicquid alimoniæ ad horum nutritionem ſpectat.

DIFFICVLTAS XIII.

Quomodo ad miſtionem ſpectent maturatio, elixatio, aſſatio & quid ſint.

HÆ ſunt ſpecies concoctionis, ideoque pertinent etiam ad conſtituendam miſtionem. Nam

Maturatio quid. DICO 1. Maturatio eſt concoctio illius humidi vel alimenti, quod eſt circa fructum. Ita Ariſt. lib. 4. meteorot. cap. 4. Quid per fructum intelligatur, varii variè ſentiunt, pleriq; ſemen non excludunt, eò quod in eo humor per maturationem ſit concoquendus: Et differt non aliter maturatio à concoctione quàm ſicut ſpecies à genere, quia maturatio eſt propriè tantum concoctio humoris in fructibus, quamvis & ulcera & apoſtemata in corporibus dicantur etiam licet impropriè maturari, quia hæc maturatio eſt ad corruptionem: Huc ſpectant pyra, poma & ſimilia, quæ decerpta domi aſſeruantur, & intrinſecus per concoctionem maturantur, donec paulatim in putredinem abeant; Spectant etiam huc omnis generis mineralia ut gemmæ, lapides pretioſi, uniones, &c. Teneræ item ac molles geniture ſive corpora organica animalium, quæ omnia per directionem & concoctionem abundantis humidi & perfectam ejus cum ſicco commiſtionem matureſcunt.

Elixatio quid. DICO 2. Elixatio deſcribitur, quod ſit concoctio ab humido calore, cùm humor in rebus elixandis indefinitus ſit & indeterminatus. Ita Ariſt. loco citato. Senſus juxta interpreres eſt, quod elixatio ſit concoctio humidi, quod exiſtit indeterminatum, id eſt, quod non benè permiſtum eſt cum ſicco: Et fit ab intrinſeco calore, qui eſt in corpore humido ad eum modum quo fieri ſolet elixatio artificialis, quâ carnes in ollâ elixantur, quia hæc elixatio fit à calore humido extrinſeco aquæ circumfuſo; Et hâc coquuntur etiam cibi in ſtomacho, illâ muſta in dolio &c. Differt. elixatio à maturatione, quia hæc requirit calorem incertum, illa verò humidum; Et ad hanc neceſſarium eſt inprimas, ut humor ille indeterminatus ſive ſit aereus ſive aqueus, ab humido calore ſuperatus educatur & ſeparetur, etſi non omne corpus ſit elixabile vel quia non habet humorem extrahibilem ut ferrum, vel ſi habet, cum in nimis denſâ materiâ habet, ut in lignis, plumbo, &c. Deinde aliud humidum eſt aqueum ut acetum, vinum; aliud aereum, ut oleum, adeps, butyrum. Ut ergò res elixetur, in primo humido aqueo caleſcere debet, non in ſecundò aereo, quia in hoc fit frixio, & res frixæ ab ambiente humido pingui caleſactæ illum humorem pinguem virtute caloris ſibi impreſſi vincunt & in ſe imbibunt, eò quod pingue naturaliter à calido facillimè attrahatur; unde etiam butyrum, etſi non ita vehementer expiret, in frixione tamen valdè imminuitur, quia à rebus frixis intrò trahitur.

Aſſatio quid. DICO 3. Aſſatio eſt concoctio à calore ſicco & alieno. Ita Ariſt. loco citato. Convenit autem hæc deſcriptio aſſationi artificiali tantùm propter ultimam particulam (aliena) quia ſic caro à calore externo ſolis vel ignis aſſatur, proinde hæc aſſatio non eſt ſpecies concoctionis propriæ & naturalis, niſi loco (alienâ) apponatur (propriâ ac naturali.) Quod autem aſſata elixis ſint humidiora, certum eſt, & ratio ſuadet, quia humiditas in aſſatis concluditur intrinſecus, magisque cum ſicco permiſcetur; Vnde etiam carnes aſtæ plerumq; elixis ſunt ſapidiores, niſi tamen per errorem & negligentiam coquorum aſſatio malè adminiſtretur, & calor igneus ſiccusque rei aſſæ partes externas ſubitò ſtringat, ut humor exuperans intro totus quaſi ſuffocetur. Nam, adverte, etiamſi calor poros aperiat, & ſudorê elicere ſoleat, id tamen non facit, ſi nimis intenſus ſit & ſiccus, quia hic potius exiccat & ſiccando ſtringit, ut apparet in Æthiopibus, quique in perpetuos ſolis æſtu verſantur, quia his dura cutis eſt ob perpetuos æſtus quos tolerare coguntur.

Incoctio, cruditas, coquinatio, toſtio. DICO 4. Concoctioni opponitur incoctio; Maturationi cruditas; elixationi coquinatio, & aſſationi toſtio. Probatur hoc ex Ariſtot. citato cap. 3. quia ſicut concoctio tres illas ſpecies, videt: Maturationem, elixationem, & aſſationem velut genus ſub ſe comprehendit; Ita quoque incoctio tres alias è diametro contrarias. Nam ſicut maturatio cenſetur partialis generatio ſeu miſtio, ſi æqualem habeat qualitatum debitarum concurſum & actionem; Aſſatio etiam cum in ſicco & per ſiccum concoquit & excedit, & elixatio quando calor concoquens evidenter in humido & per humidum agit & excedit: Ita etiam ſi calor in illis tribus concoctionibus ſit juſtò debilior, tunc ex defectu illius efficientiæ emergunt tres illæ ſpecies Incoctionis, ut videre eſt apud Ariſt. loco citato. Et hinc

Effectus maturationis. Colligitur, quisnam ſit effectus ſingularum trium coctionum: Nam maturationis eſt, quando mediante calore ſuperfluus humor digeritur; *Cruditatis.* Cruditatis verò oppoſitæ, quando ob defectum caloris humidum maturari aut digeri non poteſt. *Elixationis.* Elixationis eſt, quando mediante calore in humido exiſtente nimia humiditas externa expellitur, ut patet in carne quæ in aquâ calidâ coquitur, quia hæc humorem nimium, quem ante habebat, per elixationem amittit; *Coquinationis.* Contrà verò coquinationis ſeu debilis concoctionis eſt, quando ob defectum caloris redundans humor in carne vel aliquâ aliâ materiâ nequit excoqui. *Aſſationis.* Aſſationis eſt, quando medio calore in ſicco exiſtente nimia humiditas è materiâ extrahitur v. g. ex carne per igneum calorem. *Toſtionis.* Toſtio verò, quando hic calor ſiccus eſt nimius; ideoque vehementer ſiccat, & aſſationem corrumpit. In univerſum autem reduci poſſunt ad prædictas

tres

tres ſpecies aliæ e concoctiones, ſive ſint naturales, ut maturatio fœtus, digeſtio ſanguinis & humorum, concoctio puris in abſceſſibus, &c. Sive artificiales, ut coctio panis in clibano, maturatio pullorum in furno, decoctiones laterum, & ſi quas habent Chymici in extrahendis mineralium & vegetabilium eſſentiis, quas variis nominibus inſignire noverunt.

DIFFICULTAS XIV.

Quæ & quid ſint reliquæ actiones, quibus miſtum perficitur.

SUnt & aliæ actiones qualitatum activarum, quas æquivocas vocant, & quibus paſſiva terminantur conſiſtentiamq; acquirunt. Hujuſmodi ſunt exiccatio, humectatio, concretio, liquatio, incraſſatio & extenuatio; Et de his quæritur quid ſint & quomodo fiant.

Exiccatio quomodo fiat. DICO 1. Exiccatio nihil aliud eſt quàm evaporatio quædam, & fit dupliciter. Primò cùm ab externo calore humor in vaporem convertitur & educitur relictis qualitatibus ſiccis & terreſtribus. Secundò, cùm per antiperiſtaſin ſeu per circumſtans contrarium calor internus concluſus exitum ſibi parans violenter potos facit, & ſecum evaporate facit humidum; Intellige autem non calorem in abſtracto ſed minimis particulis inhærentem velut in ſpiritibus, qui frigore concluſi agunt in ſibi vicinas particulas, & ſuo calore intendunt, unde etiam frigus exiccare dicitur ſed per accidens. Quod ſi dicas, etiam aliter fieri exiccationem, ut cùm partes ſiccæ agunt in humidas, quod videre eſt in ventis frigidis & ſiccis, qui lutum exiccant. Reſp. Ariſtotelem tantum egiſſe loco citato cap. 5. de qualitaribus activis in paſſivas; Quod autem plures ſint modi partem humidam exiccandi, patebit alibi de qualitatibus virtualibus.

Humectatio quomodo fiat. Humectatio, ut habetur loco citato, fit contrariis modis, ut cùm aliquid in aquam cogitur & denſatur, v. g. cùm nubes vel vapor in aquam reſolvitur; vel cùm id quod concretum erat, liquatur, ut cùm glacies & metallum ſoluitur; prima humectatio fit à frigore, ſecunda à calore.

Concretio, congelatio, induratio, coagmentatio quomodo fiat. DICO 2. Concretio eſt coagmentatio ſeu induratio rei liquidæ aut mollis, quæ vel calore vel humore vel utroque ab eâ re abeunte, à frigore vel calore ſicco efficitur. Duæ itaq; ſunt cauſæ efficientes concretionis, frigidum ſcilicet & calidum ſiccum, unde emergunt ſpeciales quatuor. Primò ſolum frigus quo concreſcunt glacies, grando. Secundò ſolus calor quo nitrum ſal & alia coagmentantur. Tertiò, ambo frigus & calor ſed ſucceſſivè, ita ut frigus indurationem incipiat & calor demum ſuccedens abſolvat, quo modo lateres & fictilia coquuntur. Quartò prius calor poſtea frigus; Sic materia lapidum & metallorum in venis & adeps circa membranas mediocri calore concoquitur, tandemque ſupervenienre frigore omninò concreſcit. Similiter ſanguis in venis animalium calore inſpiſſatur, emiſſus autem frigore congelatur, modo non ſit ianioſus ac morbidus & valdè aqueus, ut in cervis & timidis animalibus, ut habet Ariſt. 2. de part. animal. cap. 4. Et hic idem 4. meteor. tex. 38. pulchrè explicavit concretionem, quia humidum cum ſicco ut terminetur cauſa eſt, & alterum alteri velut gluten exiſtit, prout fieri videmus in farinæ & aquæ permiſtione; Si enim per diuturnam ſubactionem & agitationem permiſceantur benè, faciunt tandem maſſam lentam & renacem, quia videlicet humidum per miſtum eſt intimè cum minutiſſimis particulis farinæ. Hujus concretionis maximè ſunt capacia miſta aquea, quæq; terram & aquam habent. Rerum verò liquidarum concretio communiter vocatur congelatio, & craſſiuſculorum congelatio v. g. lactis, quamvis ſubinde hæc nomina ſine diſcrimine confundantur. Ignea & aerea non tam facilè concreſcunt ut plurimùm ſicut aquea; aliquando tamen per frigus inſpiſſantur, ut patet in oleo, butyro & pinguedine quæ ſunt naturæ aereæ. Alii putant hoc fieri non ſecundum partes aereas ſed aqueas, quas oleum habet admiſtas, & dicunt calore olei per frigus deficiente parte ſejus aereas in aquas verti ac denſati; Multi negant unquam ſe vidiſſe oleum lini aut nucum congelatum; Oleum olivarum quibuſdam rebus permiſtum ita poteſt calore inſpiſſari, ut fiat inſtar ceræ nec amplius diffluat. Itaque ut colligitur quinq; ſunt modi quibus res concreſcunt: Primò, per caloris deſtructionem, ut patet in aquâ & luto, quia remiſſo calore congelantur. Secundò per humoris expulſionem, quo modo nitrum & ſal concreſcunt. Tertiò, per utriuſque humoris & caloris abſceſſum, ſic dureſcit cornu, ferrum & metallum, quia calor extrahit inde ſecum ſuperfluum humorem. Quartò, per plurimi & totius penè humoris expreſſionem, excepto eo qui facit miſtum continuum, ut ſit in fictilium concretione. Quintò, per pauci humoris expirationem, ut fit induratione Metallorum facilè liquabilium, unde hi duo poſteriores modi à tertio tantum ſecundum magis & minus differre videntur. *5. modi quibus res concreſcunt.*

Liquatio unde. DICO 3. Liquatio eſt rei concretæ ſolutio facta à qualitate contraria ei per quam res concrevit. Nam cum ex Ariſtot. cit. in fine cap. 6. contrariorum efficientium contrariæ ſint cauſæ, neceſſarium eſt, ut ſolutio, quæ concretioni eſt contraria, fiat à causâ contraria. Hinc nix, glacies, & alia quæ frigore concreverunt, debent calore ſolvi; Sal verò, nitrum, ſaccharum, &c. humore liquanda ſunt, quia ſicco per abſceſſum humidi concreverunt. Quædam vero liqueſcunt ſolo calore, ſive hic calor adjunctam habeat ſiccitatem ſive humiditatem, ut nix, glacies, pinguedo, quę omnia ab igne & ab aquâ calidâ ſolvuntur, ut proinde videatur hic tantum per accidens eſſe humorem & ſiccitatem. Quædam etiam humido liqueſcunt, ſive illud ſit calidum ſive frigidum.

gidum, ut ſal, ſaccharum, &c. Non tamen omnia quæ aliquo modo concreſcunt, iterum poſſunt liquefieri, maximè valde terrea, ut ſunt oſſa, teſta, lapides; quædam poſſunt facillimè, ut cera, plumbum, quia ſcilicet partes ſiccæ humidis minus ſunt permiſtæ; quædam difficulter nec niſi magno labore liquantur, ut aurum, ferrum, argentum. Ex ferro ſæpius liquato & à recrementis purgato fit chalybs.

Chalybs unde.

Quod verò quædam non poſſint emolliri, cauſa eſt partim frigoris interni copia, partim exiguitas humoris, partim bonitas ac tenacitas miſtionis, quæ facta eſt ſecundum partes minutiſſimas; Vel cauſa eſt nimia ſiccitas & terreſtreitas, aut quia materia potius eſt exhalatio quàm vapor, aut quia humidum non eſt ita unctuoſum & perfectè miſtum, ſed magis aqueum, quod vi caloris facilè evaneſcit.

Quare multa non emolliantur.

Incraſſatio quomodo fiat.

DICO 4. Incraſſatio eſt ſpecies concretionis; Glacies enim etiamſi dicatur concreta, impropriè tamen dicitur incraſſata & inſpiſſata: Craſſities enim tantùm propriè convenit iis, quæ habent corpora ex terreis & aqueis partibus benè permiſta, quales aqua congelata non habet, etiamſi pauculæ exhalationes terreſtres illi ſint admiſtæ. Unde quia aqua non poteſt ſufficienter inſpiſſari nequit homini eſſe alimentum. Tunc verò craſſeſcit unumquodque corpus phyſicè non ruſticè loquendo, quando paulatim diſcedente vel evaporante vapore humido remanent terreæ & ſiccæ partes, eæque accuratius conjunguntur, & cum reſiduo humore melius permiſcentur, vel cum partes aliquæ aereæ mutantur in aqueas, hæ demum in aliquot terreas. Hoc modo dum pulmentum initio eſt fluidum, demum ubi evaporavit nimius humor, etiam reſiduus melius fuerit farinæ permiſtus, redditur craſſum. Huic incraſſationi opponitur extenuatio, quæ fit contrario modo, nempè: Dum ex partibus terreis fiunt aqueæ, & ex his aereæ: Nam quò magis res aliqua accedit ad naturam tenuiorem Elementorum, eò etiam magis extenuanda videtur.

Extenuatio unde.

DIFFICVLTAS XV.

Quomodo maneant Elementa in mixto.

CUm in definitione miſtionis dicatur, Miſcibilium alteratorum unio, miſcibilia autem ſint Elementa, quæritur, qualis ſit hæc unio, an ejusmodi, ut Elementa maneant integra in miſtis, an diminuta & refracta, an denique virtute, quia tot ſunt hâc de re Philoſophorum ſententiæ diſcrepantes, quamvis in hoc conveniant quod Elementa in miſtis maneant quocunque tandem modo.

DICO 1. Formæ Elementorum non manent integræ in miſto, ut ex antiquis Empedocles, Democritus, Anaxagoras & alii recentiores ſenſerunt. Probatur, quia vel in quâlibet parte miſti ſunt omnes formæ Elementorum integræ, vel una in unâ parte, & alia in aliâ; Sed neutrum dici poteſt, ergò. Non poſterius, quia miſtum debet habere partes ejusdem rationis, ſed ſi in unâ parte miſti eſſet integra forma ignis, in alterâ integra forma aquæ, non eſſet quælibet ejus pars miſta & ejusdem rationis cum aliâ, ergò non poteſt una forma Elementorum eſſe in unâ parte miſti, & alia rurſum in aliâ. Neque dici poteſt prius quod in ſingulis partibus ſint omnia Elementa integra, quia in eâdem parte materiæ non poſſunt eſſe contrariæ diſpoſitiones: Sed formæ Elementorum integræ requirunt contrarias diſpoſitiones, quia ubi eſt ignis ibi non poteſt eſſe aqua, propter immediatè contrarias qualitates, quales & ignis habet & aqua, ergò quælibet particula materiæ miſti eſſet ſummè calida & ſummè frigida, quod abſurdum eſt dicere.

DICO 2. Non manent in miſto formæ Elementorum refractæ: Eſt hæc concluſio non tantum contrà multos veteres, ſed etiam contra Albert. Magn. 1. de gener. tr. 6. cap. 5. & 3. Cæl. tr. 2. cap. 1. Jandunum 6. Phyſ. quæſt. 4. Zimarum theorem. 27. & plurimos ex recentioribus cum Philoſophos tum Medicos ut Fern. lib. 2. ſuæ Phyſiologiæ, cap. 6. Sennertum Hypomn. 3. cap. 2. Qui ita pertinaciter ſuæ inhærent opinioni, ut etiam ſuccenſeant iis qui contrarium ſentiunt, quaſi ipſorum argumenta ſint adeò firma, ut neceſſariò iis adhærendum ſit. Probatur itaque concluſio primò; Si formæ Elementorum manerent in miſtis refractæ, vel in generatione miſtiorum amitterent aliquas partes ſui ejusdem rationis cum iis quæ manent, vel diverſæ rationis. Sed neutrum dici poteſt, ergò. Non ejusdem rationis, quia ſequeretur formas ſubſtantiales eſſe diviſibiles, vel intendi & remitti, quod eſt abſurdum. Nam propterea dicuntur qualitates intendi & remitti quia acquirunt vel perdunt in eâdem parte materiæ aliquam partem ſui ejusdem rationis cum iis quæ manent, quod etiam eveniret formis ſubſtantialibus; Quod autem abſurdum ſit formas ſubſtantiales intendi & remitti, probatur ex Ariſt. 6. de prædicamento ſubſtantiæ, patet ex dictis etiam, & eſt rationis, quia quod intenditur & remittitur debet habere aliquam partem ſui quæ non includatur in eſſentiâ, ac proinde quam poſſit recipere & amittere ſine mutatione ſubſtantiali; Sed ſubſtantiæ nullam talem partem in ſe continent, ſed quicquid ſubſtantiæ eſt, quatenus talis, id de ejus eſſentiâ eſt, ſicut etiam qualitates in abſtracto non ſuſcipiunt magis & minus propter eandem cauſam. Neque poteſt dici poſterius quod amittant aliquid diverſæ rationis; Quia forma ſubſtantialis eſt primum principium ac proinde ſimplex; Si autem conſtaret ex pluribus partibus diverſæ rationis, non eſſet ſimplex & ideò nec principium. Probatur ſequela; propterea enim principia dicuntur prima & ſimplicia, quia non reſolvuntur in alia, ſed ſi formæ conſtarent partibus diverſæ rationis, habe-

Formæ Elementorum non poſſunt intendi & remitti.

Quare ſubſtantia ſit ſimplex.

Principia quare dicantur ſimplicia.

haberent ſua principia in quæ reſolverentur, ergò ipſæ non eſſent prima principia. Probatur ſecundò, factâ ſuppoſitione quod nullum Elementum produci poſſet, quin in materia ſint ejus diſpoſitiones excedentes medium quod experientiâ probatur; Nam in ferro calidiſſimo ſunt facilè quatuor gradus caloris, & tamen non producitur ſtatim ignis, ergò ut producatur ignis, debet exceſſus eſſe ultrà quartum gradum: Idem patet etiam in vaporibus qui habent plurimum aereatum qualitatum, & tamen manent eſſentialiter aqua, Hoc poſito ſic argumentor; Quando ſit miſtio, vel in ſingulis partibus materiæ producuntur omnes formæ Elementorum vel in una unum, in alia aliud. Non poſterius, quia hæc eſſet juxtapoſitio, & miſtum non eſſet ejusdem rationis contrà doctrinam Ariſt. & naturam miſti: Neque poteſt dici prius, quia in una parte materiæ erat ante miſtionem v. g. ſola forma ignis; non poteſt autem produci in eadem parte ulla reliquarum formarum, quin earum qualitates excedant medium, ergò terra requirit frigus ultrà quartum gradum, quod eſt impoſſibile, quia non poteſt eſſe ſimul in eadem parte materiæ frigus excedens quartum gradum, & calor excedens quartum gradum, quia ſequeretur in eadem parte materiæ has duas qualitates ſimul junctas habere novem vel decem gradus quod eſt impoſſibile.

Quid intelligatur per virtutem Elementi.

DICO tertiò, Elementa manent in miſto ſolâ virtute. Eſt communis hæc philoſophorum licet non omnium ſententia, neque unus eam explicandi modus. Quando enim quæritur quid intelligatur per virtutem, reſpondent aliqui, nihil aliud intelligi quàm qualitatem Elementi, id eſt, miſtum habere qualitatem Elementi. Alii verò rectius per virtutem Elementi intelligunt formam quandam ſubſtantialem, quæ æquivaleat formæ Elementi, eò quod poſſit producere qualitatem Elementi. Quod ſi Ariſt. 2. de part. animal. cap. 1. dicat: Virtutes Elementorum eſſe qualitates, id nihil impedit, quia forma cùm poſſit producere plurium Elementorum qualitates non dicitur virtus certi alicujus Elementi niſi ratione propriæ qualitatis, ut forma lapidis continet virtute ignem, quia poteſt producere virtutem ignis, id eſt, calorem & ſiccitatem, idcircò aqua calefacta non continet virtute ignem; etiamſi enim affecta ſit qualitate ignis, non tamen ea qualitas procedit à forma aquæ ſed ab extrinſeco. Solet etiam dici quod miſtum contineat eminenter virtutem Elementorum; differt autem hoc continere formam Elementorum formaliter & eminenter, quod ubi eſt formaliter ipſa forma Elementi, ibi neceſſariò ſit ſubſtantia Elementi. & ubi eſt tantum eminenter, ibi non ſit ſubſtantia Elementi, ſed aliqua alia ſpecie diſtincta, quæ tamen ex naturâ ſua poſſit producere qualitates connaturales Elementi, etiamſi non in eodem gradu & perfectione quo producuntur ab ipſa forma Elementi. Hinc etiam colligitur. Quando mutatur unum Elementum in aliud, id quod corruptum eſt, non manere virtute in altero, ut cùm aqua mutatur in aerem vel ignem, non manet virtute in igne, quia forma ignis nullum poteſt gradum frigoris & humoris ex natura ſua producere. Jam probo concluſionem ex Ariſt. 2. de part. animal cap. 1. ubi cum dixiſſet dari compoſitionem quandam ex Elementis ut aqua & terra &c. corrigit ſe ipſum poſtea, aitque melius dici quod illa compoſitio ſit ex virtute Elementorum, & has virtutes eſſe calorem, frigus &c. Ex quo loco patet, non velle Ariſtotelem formas Elementorum eſſe, actu in miſto, alioquin non correxiſſet ſe. Probatur ſecundò, ex tertio de cœlo, cap. 3. ubi cùm dixiſſet, inter Philoſophos dubium eſſe, An Elementa ſint actu vel potentiâ in miſtis, paulò poſt ſuam mentem aperuit, dum ait: ignem potentiâ contineri in carne, id quod etiam 1. de gen. cap. 10. multisque aliis in locis manifeſtè docuit. Probatur tertiò ratione, quia hoc modo optimè explicatur natura miſtionis; quia primò non eſt juxtapoſitio, quod in aliorum opinionibus evitari vix poteſt; ponimus enim in generatione miſti omnia Elementa corrumpi & produci unam formam novam miſti. Neque ſecundò eſt ullum aggregatum per accidens, ſed compoſitum ex materia & formâ unâ omnes Elementorum formas virtualiter continente. Tertiò eſt ſubſtantialis & non accidentalis miſtio. Quartò etiam apparet ex eo, quod miſta videamus reducere ſe ad ſuam connaturalem temperiem, quod faciunt per unam formam & non per plures, quia aliàs non eſſet ratio quare ſe ad hanc & non ad illam temperiem reducerent: Ferrum enim non minus reducit ſe ad priſtinum ſuum frigus quàm aqua, ergò ferrum habet vim producendi frigus: Neque poteſt dici, quod producatur à terra vel ab aqua, quia tunc deberet produci in ſummo contrà experientiam. Quintò, diſpoſitiones plurium Elementorum adeò contrariæ ſunt & incompatibiles, ut non poſſint eſſe in eadẽ materiâ, ergò neque eorum formæ. Sextò, ſi ſunt actu, tunc aliqua ſemper contendent redire ad ſuum locum, quia ſunt violenter in alieno. Septimò, Si Elementa eſſent actu in miſtis, plures formæ ſubſtantiales eſſent in iis, adeoque vinum compoſitum eſſet in quatuor ſpeciebus prædicamenti ſubſtantiæ, & homo poſſet in recto dici ignis, terra. Octavò miſtio non eſſet vera generatio, quia nulla fieret mutatio ſubſtantialis & remaneret idem ſubjectum ſenſibile, quod eſt abſurdum. Nono generatio miſtorum non eſſet corruptio alterius, ſcilicet, Elementorum, contra illud: generatio unius eſt corruptio alterius. Decimo, ſequeretur illum qui portaret lapidem in manu, portare ignem &c.

Forma lapidis continet virtute ignem.

Quid ſit rem formaliter eſſe in altero.

DIF-

DIFFICVLTAS XVI.

Quid reſpondendum ſit argumentis in contrarium.

MVlta ſolent hic argumenta tum ex Ariſtotele tum ex variis authoribus eorumque ſententiis in contrarium adferri; Neque etiam argumenta ſufficiunt, cùm & vituperio res agatur ut patet ex Fern. Medico, qui loco citato puerilem dicit & portentoſam eſſe eorum opinionem, qui à veteribus deficiant, tum ex Sennerto etiam Medico, qui innocenter Ariſtotelem vituperat, quod primus ab antiquorum laudabili ſententiâ defecerit alioſque, ut verba ejus ſonant, propter hanc ſuam doctrinam in labyrinthos & inexplicabiles controverſias conjecerit, magnumque etiam damnum rei Medicæ in Phyſicam invexerit. Accedit ad Medicos non infimus nec inter Peripateticos poſtremus Hiero. Dand. vir magnæ in philoſophicis doctrinæ, qui 2. de anima digreſſu 8. hæc habet: De miſtis inquit inanimis verè licet affirmare, eos qui quatuor Elementorum formas in illis actu eſſe negarunt, cum totâ antiquitate pugnaſſe. Cum his itaque

DICES 1. Formæ partiales manent actu in mixto, ergò etiam formæ elementorum, quia par eſt ratio. Reſp. neg. conſeq. & ratio diſparitatis eſt, quia formæ part. ideò dantur, quia ſubordinantur formæ ultimatæ & conſtituunt organa idonea ad operandum, formæ autem Elem: nullam habent talem ſubordinatione, neq; ſunt ſed nec conſtituunt organa operationum: præterea non habemus indicium, ex quo colligamus, ignem & terram eſſe in vino, ſicut habemus in corpore heterogeneo & organico diverſa accidentia & diverſas operationes: Demum formæ partiales non ſunt niſi in corpore heterogeneo, forma autem mixti eſt etiam in homogeneo, quod non habet accidentia ex quibus colligatur diverſitas formarum elementarium, &c.

DICES 2. Si manent formæ Elementorum tantum virtute in miſtis, vel manent propter qualitates, atq; ita miſta Secundum ſubſtantiâ non erunt magis compoſita quam Elementa; vel propter formam miſti continentē formas Elementorum; atqui hoc dici non poteſt, quia formæ Elementorum ſunt inter ſe contrariæ, ergò non poſſunt contineri in unâ formâ miſti. Reſp. ad primam partem de qualitatibus, miſta dici compoſita, Elementa verò ſimplicia non tantum propter qualitates ſed etiam propter materiam: Etiamſi enim materia miſti in ſe conſiderata non ſit magis cōpoſita quàm materia Elementi, prout tamen eſt diſpoſita habetq; reſpectum ad connotatum, dicitur eſſe compoſita, quia ut materia ſit diſpoſita ad formam Elementi, non requirit niſi diſpoſitiones unius Elementi; ut autem ſit materia miſti, requirit diſpoſitiones omniū Elementorum, & ideò materia miſti ut ſic connotat diſpoſitiones, diciturq; miſtum magis compoſitum quàm Elementum ratione materiæ. Quod ad poſterius de formâ miſti, conceditur formas Elementares non poſſe eſſe ſimul formaliter; negatur autem non poſſe in unâ formâ contineri eminenter & virtute, quia ſunt inter ſe contrariæ quatenus requirunt contrarias diſpoſitiones in ſummo.

Elementa quare ſint ſimplicia.

Materia miſti quare ſit compoſita.

Formæ Elem: quomodo ſint contrariæ.

DICES 3. In miſto reperiuntur primæ paſſiones & affectiones Elementorum, ergò etiam ipſa Elementa ſecundum ſuas formas. R. in miſtis quidem reperiri paſſiones Elementorum ſed non in eâ perfectione quâ inſunt Elementis: Deinde hæ paſſiones non producuntur tantum in miſtis ab Elementis, ſed etiam aliunde v. g. ab aſtris & potiſſimum à ſole.

DICES 4. Quando miſta corrumpuntur, videmus ea reſolvi in omnia quatuor Elementa: quando enim corrumpitur lignum, ſeparatur ab eo flamma quæ eſt ignis, humor qui eſt aqua, cinis qui eſt terra, & fumus qui eſt aer; ſed hæc omnia aliunde non producuntur, ergò præfuerunt in miſto. Reſp. negando lignum reſolvi in quatuor Elementa: Nam flamma illa non prodiit in igne ſed primum producitur ab alio igne. Humor ille non eſt vera aqua, ſicut nec alii rerum miſtorum ſucci & liquores, ſed materia quædam ex terrâ & aquâ permiſta, quæ prius fuerat nutrimentum; Similiter cinis & fumus non habent formam terræ & aeris, ſed ſimilem tantum, proinde partes hæ ſunt heterogeneæ, aliquæ humidæ, aliquæ vaporoſæ, aliquæ terreſtres.

An miſtū corruptum reſolvatur in 4. Elementa.

DICES 5. Non poteſt aſſignari cauſa quæ in miſtionibus corrumpat Elementorum formas, ergò manebunt. Reſ. neg. anteced. quia cauſæ corrumpentes ſunt qualitates illæ quæ diſponunt ad formam miſti, quæq; ex vigore ſuæ activitatis dominium in alias habent, ſive jam hujuſmodi qualitates ſint ipſorum Elementorum, ſive à ſole productæ: Sic quando aurum, argentum, lapis & ſimilia producuntur in viſceribus terræ, forma terræ corrumpitur per eas diſpoſitiones & qualitates quæ ad ſubſequentem formam auri, argenti, &c. terminant; & hoc idem in aliis intellige.

DICES 6. Cum Dandino, ſi Elementa non ſunt actu in miſtis, nulla poteſt fieri perfecta putrefactio, quia per putrefactionem reſolvitur immediatè miſtum in quatuor Elementa, quod fieri nōn poteſt ſi Elementa non eſſent actu in miſtis. Reſp. neg. ſequelam majoris. Quod autem miſtum non reſolvatur in pura Elementa ſed in materiam quandam Elementis ſimilem, patet ex jam dictis.

DICES 7. Cum Sennerto, Miſtionis ratio ex ſe hoc petit, ut ea non dicantur miſceri quæ non ſervantur; Deinde apparent in miſtis Elementorum actiones, ergò neceſſarium eſt ut ea etiam actu miſtis inſint. Reſp. ad primum, Elementa manere in miſtis quoad qualitates & virtutes, & hoc ipſum ſufficere ut Elementa dicantur conſervari in miſtis. Ad ſecundum Reſpondetur. In miſtis eſſe effectus & qualitatum Elementarium actio-

 nes,

Digitized by Google

nes, quæ etiam ſunt in Elementis: Non enim tantum urit & calefacit ignis, ſed etiam aqua calida, ferrum, vinum, piper, quæ omnia tamen ſunt diverſæ ſpeciei.

DICES 8. Ariſtotelem plurimis in locis docere quod Elementa ſint in miſtis, ut ſecundo de anima cap. 5. Ubi dicit ignem eſſe in carne noſtrâ & ſentiri. 1. de gen. cap. 10. Ubi ait: miſcibilia non debere eſſe deperdita in miſto, ſed poſſe ſeparari; Et eodem in capite circa finem dicit: In miſto miſcibilia non corrumpi. Reſpond. ad hæc breviter, non eſſe mentem Ariſtot. ut velit Elementa manere actu in miſtis, ſed poteſtate, quo verbo ſolo & Ariſtoteles ſalvatur & omnia ejus explicantur; Sunt enim Elementa in miſtis per ſuas virtutes & materiam, quæ ad conſtitutionem mixti perfecti ſufficit: Quisque plura hinc inde ab adverſa parte argumenta colligat & eludat.

DIFFICULTAS XVII.

An in quovis mixto dominetur terra.

DUpliciter poteſt intelligi quod aliquod Elementum in miſto dominetur; Primò quoad qualitates activas, atque ita dicetur terreum in quo dominatur frigus & ſiccitas; Secundò, quoad qualitates motivas, & ſic in quo miſto dominatur terra, illud plus habet gravitatis terræ quam alterius Elementi. De utroque hic quæritur, an videlicet terra ſecundum qualitates utrasque dominetur in quovis miſto.

DICO 1. Poteſt fieri ut aliquod Elementum in miſto dominetur ſecundum qualitates activas, non tamen ſecundum motivas. Probatur primum, quia gravitas & levitas præter primas qualitates requirunt raritatem vel denſitatem; Idcircò ferrum candens etiamſi vehementer ſit calidum, non deſinit eſſe grave, cùm è contra exhalationes, quæ non ſunt tam calidæ, ſint leves. Secundò, poteſt miſtum aliquod variare qualitates activas non variatis motivis, ut quando calefit & liquatur plumbum, manet nihilominus grave.

DICO 2. Non in omnibus miſtis dominatur terra quoad qualitates motivas. Probatur, in eo miſto dicitur dominari terra quoad qualitates motivas, quod naturaliter non tantum per aerem ſed etiam per aquam deſcendit; Sed non omnia ſunt ejusmodi miſta, ergò. Probatur hæc minor Exemplo olei, quod ſupernatat aquæ, & per aquam aſcendit; Et idem de vino intellige, quod eminet ſupra aquam; Neque dicas, quod in iis dominetur terra; Quia feruntur ſuprà aquam, quod in oleo eſt evidentiſſimũ, ergò in eo dominatur aer. Probatur ſecundò, de aquâ quæ in nonnullis dominatur, Exemplo piſcium; Ait enim Ariſtoteles, animalia eſſe & in terrâ & in aquâ non aliâ de causâ, quàm quod in quibusdam animalibus prædominetur aqua, in quibusdam terra, cùm ergò piſcium locus naturalis ſit aqua, ſequitur eos prædominio eſſe aqueos, quia aliàs non naturaliter ſed violenter eſſent in aquâ. Deinde producti ſunt piſces immediatè poſt creationem mundi ex aquâ ut alibi patet. Ergò in iis dominatur aqua, & quem modum Dominus Deus tunc in productione divinâ obſervavit, eundem adhuc obſervant agentia naturalia. De igne, ſitne aliquod miſtum in quo dominetur; Item, an aliquod ſit animal, quod vivat in igne, controverſia eſt, affertur communiter exemplum ſalamandræ; Sed hoc Exemplum nihil ad rem facit, quia oſtendit tantum, ſalamandram materiâ ſuâ eſſe frigidam, propter quam frigoris copiam poſſit aliquamdiu calori ignis reſiſtere; & conſtat tandem ab igne conſumi. Affertur deinde Exemplum pyrauſtarum, quę ſunt animalia volatilia, & in fornacibus ærariis Cypri naſcuntur juxtà Ariſtotelem 5. de hiſt. animal. cap. 19. & flammas impurè ferunt. Sed Reſpondetur idem quod de ſalamandrâ, videlicet, poſſe aliquamdiu propter complexionem frigidam igni reſiſtere, de quo vide Connimb. in Probl. de Igne, quæ libris de Cælo annexa ſunt.

DICO 3. Nec quoad qualitates activas dominatur ſemper terra in miſtis. Prob. In eo miſto non poteſt Dominari terra, in quo dominatur alia qualitas contraria terræ; Sed omnia animalia ſunt magis calida quàm frigida; Imò refert Ariſt. 5. de hiſt. animal. cap. 15. eſſe quoddam genus Conchæ, ſtella dictum, tanto calore, ut quæ apprehenderit, comburat: Item oleum, vinum & ſimilia ſunt admodum humida. Oſtendunt etiam Medici, in pituitâ dominari aquam, in ſanguine aerem, in bile flavâ ignem, & ſimilia.

DICES 1. Ariſtoteles 2. de gen. cap. 8. ſtatim ad initium, omnia inquit miſta quæ fiunt & manent in terrâ, ſunt terrea; Sed omnia manent in terrâ, ergò. Reſp. Ariſtotelem eo loco dicere, quæ circà terram ſunt, eſſe perfecta miſta, quia fiunt ex concurſu omnium Elementorum, cùm imperfecta fiant in aëre.

DICES 2. Omnia miſta habent gravitatem terræ, ergò terrea ſunt. Reſpond. neg. antecedens, ut patet de oleo, quod ſupernatat aquæ, vino, &c.

DISPV-

DISPUTATIO SEPTIMA,

De Temperamento hominis Orientis.

NOn immeritò poſt miſtionem ſequitur temperamentum, quia & ipſum eſt pars miſtum conſtituens: eſt enim notiſſima primarum qualitatum combinatio omnibus corporibus mixtis commune adeoque neceſſarium, ut ad primam & notabilem ejus degenerationem hæc ipſa degenerent, & ad interitum ejus hæc quoque intereant: Neque verò ſecus eſſe poteſt aut debet, quia qualitates ſunt, in quarum juſta debitaque harmonia ſanitas animalium, vigor vegetabilium & optima mixtorum inanimatorum habilitas conſiſtit; in contrarium verò iis aut excedentibus aut deficientibus ægritudo, deflorëſcentia, corruptio, marcor, mors, interitus. Hæc tamen temperatura, quæ falsò ſecundum Fernelium l. 3. de temper. cap. 2. qualitates in ſummo retinet, non conſiſtit in Imparribili, ſed habet ſuam latitudinem in unaquaque miſti corporis ſpecie, intrà quam vagari licet, & ut ait Dand. modo hanc modo illam qualitatem paulò robuſtiorem facere. Non enim ſtatim diſſolvitur miſtum, ſi vel minimum receſſerit qualitas aliqua, eſto ſint certi fines ultrà quos progredi non liceat: Hinc in ſumma mediocritate & proportione agnoſcitur perfectio miſti & optima corporis animati habitudo, in quovis autem defectu ſtatus aut multum aut parum deflectens, qui in animalibus perfectis morbus & mors, in inanimatis autem Impuritas & ultima diſſolutio appellatur. Hanc qualitatum alteratriciũ temperaturam comitantur motrices, quæ & ipſæ non minus factæ & debilitate remanent in mixtis, eademq; eſt ratio denſitatis & raritatis, quæ omnes ad pugnam hoſtilem, quæ fit actione & paſſione miſcibilium, ſuas primas & principias conſeqvuntur, & ad omnem naturæ penetrationem ſe mutuò in debiliori ſtatu collocant: Hoc teſtatur gravitas plumbi, quæ terræ cedit, & raritas ſpiritus, quæ ab igne ſuperatur. De temperamento itaq;, ut omnia & neceſſaria, quæ ad cognitionẽ ſunt corporis organici & hominis Orientis, breviter juxtà optimorum Philoſophorum & Medicorum decreta dicantur, ſit

DIFFICVLTAS I.

An in Embryone detur complexio.

QUæſtio eſt de Embryone ante acceſſum animæ, de quo hactenus ſermo, Dari autem in hoc corpuſculo temperamentum, certum eſt & patebit ex impoſterũ dicendis; an etiam complexio, & quomodo hæc ab illo differet, in præſenti quæritur.

Adverte, temperamentum conſiſtere in harmonia ſeu ſimmetria 4. primarum qualitatum, complexionem verò in commixtione 4. humorũ alimentalium, non excrementitiarũ. Suppono autem, Embryonem ante acceſſum animæ eſſe miſtum inanimatũ, & carere omni actione vitali, ut nutritione, accretione, &c.

DICO 1. In Embryone datur temperamentum ante acceſſũ animæ, non tamẽ complexio. Primũ per ſe patet, quia eſt corpus mixtũ, haberq; calorem nobiliſſimũ cum frigore temperatum, cum humore autem & ſiccitate unitum, ergò ſecundum Prob. Embryo ante acceſſũ animæ caret actionibus vitalibus, ut nutritiõe & accretione, ergò etiã humoribus, qui per eas producuntur, ergò caret complexione.

DICES 1. Complexio conſiſtit in humoribus, ut conſtat; ſed tales habet Embryo, ergò & illam. R. neg. minorem, quia Embryo conſtat ſolo humore ſeminali, qui per ſingulas ejus partes diffunditur, quiq; tantum eſt humidus & calidus.

DICES 2. Humores & temperamentum talem dicunt inter ſe reſpectum, ut ſeparatim exiſtere non poſſit, ergò ſi in Embryone datur temperamentũ, dabitur etiã complexio. R. &

DICO 2. In homine, in quo vigent actiones vegetativæ, dicunt temperamentũ & complexio eſſentialem reſpectum inter ſe, non autem in Embryone ubi illę abſunt, ac proinde in hoc ſeparatim exiſtere poſſunt, non in illo. Hoc ultimum deſumitur ab ipſa naturâ Embryonis, quia hujus calor & temperamentũ non eſt ad exercendas actiones vitales, ſed ad formandũ corpus propriũ illudq; diſponendũ ut proximè fiat domiciliũ animæ. Prob. 1. humorum eorumq; naturalis conſtitutio dependent à calore & tẽperamento in eſſe fieri & conſervari, ergò ad utrũq; dicunt eſſentialem & tranſcendẽtalẽ reſpectũ. Antec: patet, quia calor eſt perpetuũ animæ Inſtrumentũ, quo utitur in omnibus ſuis actionibus, quo ſalvo & integro ipſa laudabiliter regit corpus, quo verò deficiẽte & emarceſcẽte ipſa quoq; deficit & deſerit corp⁹

DICES, manente integro & ſalvo temperamẽto poſſunt humores variè mutari, & vel deficere vel excedere, ergò Ant: patet in ſanguineo, in quo ſæpè copioſa bilis colligitur, & ſic de reliquis. Reſ. 1. falſum eſſe, quod in hujusmodi caſib⁹ nulla fiat quoq; alteratio circà tẽperamentũ & primas qualitates, quia ſive bilis in ſangvineo generetur ab errore in cibo & potu commiſſo, ſive à paſſionibus animi, &c. reverà immutantur nonnihil qualitates & tẽperamentũ. 2. Hæc bilis in ſanguineo collecta, vel eſt excrementitia, vel alimẽtalis; ſi illa, producta eſt ab exceſſu caloris, qui extrinſec⁹ à calidiori cibo & potu, à vehementi exercitio, à vigiliis, paſſionibus aliisque cauſis advenit: ſi hæc, idem intellige, quia idem calor qui digerendo & coquendo alimentum produxit bilem excrem: producit etiam alimentalem.

DICO 3. Tot in homine ſunt complexiones quot temperamenta, nec plures nec pauciores. Ratio hujus deſumitur à diviſione temperamentorum, quia ita ſeqvuntur ſe mutuò, ut habeant neceſſariam connexionem & habitudines inter ſe: Nam talis eſt identi-

ficatio temperamenti & complexionis, ut ubi dominatur prImariò calor, ibi etiam bilis ſive cholera ſit reliquis ſuperior, ubi ftigus, ibi phlegma, ubi ſiccitas ibi melancholiâ, ubi humor, ibi ſanguis. Itaque juxta ſingulorum dominium & combinationes erunt complexiones. 4. Simplices, ut ſauguinea, bilioſa ſive cholerica, melaucholica & pituitoſa; 4. Item compoſitæ, vi ſanguineophlegmatica & ſanguineocholerica, cholericomelancholica, & melancholicophlegmatica, tandemque temperata, in qua velut æqua lance dominantut humores. Si quæras, an idem ſit complexio ſanguineocholerica & cholericoſanguinea, quod idem de reliquis intellige; Reſp. affirmativè, ſi uterque humor dominetur, ſi autem unus eorum, exurget complexio ſimplex, idque vel cholerica vel ſanguinea, quia ſemper à dominio notabili deſumitur & denominetur complexio, ne quis putet reliquos humores omninò excludi.

DICES 1. Complexio ſimplex ſanguinea eſt eadē quæ ſanguineocholerica vel contra, quia uttaque conſiſtit in calido & humido, ergò una eſt ſuperflua, vel oſtendi debet inter utramque diſcrimen. Reſp. neg. antec: quia in Complexione ſanguinea tantum dominatur ſanguis, in ſanguineocholerica autem cum ſanguis tum cholera: Deinde ſi conſtringamus utramq; ad temperamentum ſive ad qualitates, verum eſt, calorem & humorem utrinque repetiri, ita tamen, ut in ſanguinea duæ ſolùm ſint qualitates ut humor & calor, in cholericoſanguinea autem prætèr has duas etiam ſiccitas, quæ quia ſecundaría eſt, compatibiliter ſe habet: Nam ut advertendum, quilibet humorum habet duas qualitates, unam primariam, alteram ſecundariam, v.g. ſanguis primariò humorem, ſecundariò calorē reſpondentes aeri & veri; bilis primariò calorem, ſecundario ſiccitatem ut ignis & æſtas; pituita 1. frigus tum humorem ut aqua & hyems; melancholia deniq; ſiccitatem & frigiditatem ut terra & autumnus. Sicut itaq; temperamentum ſimplex illud eſt, in quo dominatur una qualitas primariò, eſto non unam ſed tres inſuper reliquas ſecum compatiatur; Compoſitū verò, in quo duæ excellunt, reliquis duabus infrà dominatū exiſtentibus. Ita etiam complexionē ſimplicem unus humorum conſtituit, cui adjuncta ſit una qualitatū primariò, compoſitā verò duo cum totidē qualitatibus primariis, & cæteris ad mixtionē inſervientibus. Et hinc ſi

Non datur complexio cholericophlegmatica nec ſanguineomelancholica.

DICAS 2. Etiam dari complexionem cholericophlegmatiā, ergò plures compoſitas quā quatuor; Et eadem ratio eſt cum reliquis. Antec: patet experientia, quia ſæpè in cholericis & bilioſis abundat pituita. R. neg. antec: abſolutè; Quod ſi tamen hoc in cholerico contingat, prout ſæpius fieri conſtat, eſt per accidens, dum videl. In conſtitutione calida ſive etiam preternaturali, tum etiam ex variis erroribus cauſisq; extrinſecis & violentis gignitur phlegma copioſum, quod eſt humor copioſus excrementitius qui non conſtituit complexionem naturalem ut jam patuit. Idem intellige de ſanguinea melancholica, quæ ideò admittenda non eſt, quia dum una naturalis eſt, altera ſolùm ſe habet ut accidentalis & affectus præter naturam. Quod autem hujusmodi complexiones in corpore ſano dari non poſſint, eſto dentur in conſtitutione præternaturali, patet ex ipſis contrariorum terminis; ſi enim eſt complexio ſanguinea, implicat eſſe melancholicam, quia binis qualitatibus eſt contraria adeòque totâ naturâ.

Colligitur, quamvis temperamentum & complexio ita invicem dependeant, ut reſpectum & habitudInem eſſentialem ſive tranſceudentalem inter ſe dicant, etiam à Medicis communiter pro eodem ſumantur, nihilominus tamen & realiter & formaliter differre.

DIFFICVLTAS II.

An & quale temperamentum habeat homo Oriens ſive corpus Organicū.

COnſtat, hoc cotpus, de cujus principiis intrinſecis, formatiooe, partibus, elemēris & miſtione hactenus actum fuit, differre ab homine, eſſe putum miſtū inanime, & habere tantum potentiam proximam ad animā rationalē: Et hinc ratio dubitandi eſt, qualem temperaturam habeat, an diverſam & diſtinctam ab ea quam accipit, dum fit homo & an ad illius adventum corrumpatur.

NOTA, Embryonem ſeu corpus organicū eſſe quidem compoſitum Phyſicum, non tamen ultimatè completum & perfectū, ſed eſſe in via ad majorē perfectionem, & in potentia proxima ad formam ſuperiorem, videlicet ad animam rationalem, cui ſubordinatur.

DICO 1. Embryo ſeu corpus organicum habet temperamentum in eſſe corporis organici & mixti. Probatur, temperamentum ſequitur formam rei; Sed Embryo habet formam in eſſe organici & mixti, ergò & temperamentum tale: Major patet, quia temperamentum ſpectat potiſſimum ad Embryonē & corpus organicū eoq; pereunte perit & hoc.

DICES 1. alia eſt forma corporis organici in eſſe organici, & alia in eſſe mixti, ergò etiam aliud temperamentum in eſſe organici & aliud in eſſe mixti. Probatur antecedens, quia forma corporis organici in eſſe organici reſultat ex partium ſtructura & conformatione, in eſſe mixti autem reſultat ex unione 4. primarum qualitatum & diverſarum ſubſtantiarum miſcibilium, ſive hæc ſint elementa ſive alia mixta. Reſp. negando antecedens, quia ſicut in homine eadē anima rationalis eſt unicū principiū, quæ faciat corpus nutriri, ſentire & quæ unita materiæ conſtituat ens phyſicū completum, cui debeatur certa qualitatum temperies; ita etiā in corpore orgāico una forma Embryonis ſufficit, quæ conſtituat illud in eſſe organici

nici & mixti, adeoque unum temperamentum quod debeatur illi in eſſe organici & in eſſe mixti.

DICES 1. Si Embryo haberet temperamentum in eſſe mixti, ſequeretur tale temperamentum non differre à temperamento auri vel lapidis, quia & hæc habent temperamenta in eſſe mixti: Sed hoc falſum eſt, ergò & illud. Reſp. nego aſſumptum, quia etiam canis in eſſe animalis non differt ab equo aut bove, imò nec ab homine, differt tamen quia canis eſt. Sic etiam licet temperamentum corporis organici non differat à temperamento vel auri vel lapidis in eſſe mixti, differt tamen quia eſt temperamentum Embryonis, hoc lapidis, illud auri.

DICO 2. Idem eſt temperamentum corporis Organici ante & poſt acceſſum vel infuſionem animæ rationalis. Differtque unum ab altero tantum ſecundum connotata, id eſt, quod unum ſit corporis organici inanimati, alterum verò animati. Probatur 1. idem eſt calor in corpore organico, quando acceſſit anima rationalis, & quando necdum informabat, eademque ſimiliter cum aliis primis qualitatibus combinatio, ergò idem temperamentum. Antecedens patet, quia nihil poteſt aſſignari, quod in acceſſu animæ hanc Symmetriam & harmoniam qualitatum immutaverit. 2. Illud temperamentum habet homo, quod à parentibus in prima conceptione datum & ſemini impreſſum fuit; Sed non eſt aliud quod habet corpus organicum ante & poſt infuſionem animæ rationalis, ergò idem eſt temperamentum utrobique. 3. Nulla eſt neceſſitas fingendi aliud, ergò unum & idem in utroque manet temperamentum: Antecedens patet, quia idem calore, qui prius fovebat Embryonem & juvabat partes formandas & connectendas, jam inſervit animæ ad exercendas omnes functiones, quibus opus habet, & ad eliciendas actiones vitales ut nutritionem, accretionem, generationem ſpirituum vitalium, ergò non eſt neceſsitas quærendi aliud. 4. Nulla eſt cauſa, quæ prius temperamentum corrupiſſet & aliud jam cum nova generatione produxiſſet, ergò idem temperamentum manet poſt acceſſum animæ, quod prius erat in corpore organico necdum animato. Quod ſi dicas, eſſe eaſdem diſpoſitiones, quæ priorem formam corrumpunt & novam introducunt, ſicut fieri ſolet in omnibus generationibus & corruptionibus. Reſpondetur, hic nullam formam corrumpi ſed remanere ad alteram ſuperiorem cui ſubordinantur, præviæque diſpoſitiones & qualitates ſunt ipſum temperamentum, quod formam novam novumque compoſitum intendit, ut ipſius perpetuum ſit Inſtrumentum in adminiſtrandis actionibus.

DICES ſemper cum novo compoſito producitur novum temperamentum; Sed dum homo gignitur, novum fit compoſitum ergò etiam novum temperamentum, ergò aliud quam prius in Embryone fuerat. Major patet in ligno, quando in ignem convertitur, quia cum igne producitur novum temperamentum. Reſpond. majorem veram eſſe, ſi producatur novum compoſitum cum omnibus ſuis diſpoſitionibus, quod autem non fit dum in Embryonem infunditur anima rationalis, gigniturque homo, quia omnia in Embryone & corpore organico ante adventum animæ ſunt diſpoſitiones præviæ ad hominem cum quo proinde permanent, habentque rationem qualitatis & temperamenti permanentis: Neque corpus organicum, licet in ſe ſit ens phyſicum, eſt ultimatè completum, quia tendit ex natura ſua ad hominem, quem etiam intrinſecè reſpicit, & cui ſubordinatur, imò eſt potentialiter homo, differtque tantum per abſentiam animæ jam brevi adfuturæ. Itaque corpus organicum non eſt ſpecie diſtinctum compoſitum ab homine, quia non eſt completum & perfectum, ſed tendit ad formam ſuperiorem, cui ſubordinatur, unde etiam compoſitum ſubordinatum dici poteſt.

DICES 2. Non poteſt idem eſſe temperamentum rei viventis & non viventis, ergò nec Embryonis & hominis. Reſpond. diſtinguendo antecedens, non poteſt eſſe idem temperamentum, ſi vivens nullam habeat ſubordinationem conceditur; Si autem habeat rationem & reſpectum ad formam ſuperiorem negatur.

Et hinc colligitur temperamentum corporis organici eſſe humidum & calidum, ſed & plus humidum quam ullum ex reliquis ætatibus, quia eſt proximum principiis unde oritur & in quibus omnia ſunt humida tenera & mollia.

DIFFICULTAS III.

Quid ſit temperamentum.

DAri temperamentum extra controverſiam eſt, quia in corporibus mixtis ſunt omnes primæ qualitates certo modo & ratione temperatæ ad conſervandam materiam Individuam; Quid autem propriè ſit hoc temperamentum, jam olim inter Authores diſſidium fuit, quorum aliqui voluerunt eſſe ſubſtantiam, alii relationem, alii animam, alii qualitatem ſimplicem, alii aggregatum quid ex primis 4. qualitatibus. His poſitis

DICO 1. Temperamentum non eſt ſubſtantia nec anima, ut quidam recentiores Hipp. & Galenum ſenſiſſe arbitrantur, & inter alios Fuchſius inſtit. ſuarum medic. lib. 1, ſect. 3. cap. 1. Probatur primò, temperamentum eſt res maximè ſenſibilis per ſe, quod de ſubſtantia dici non poteſt. 2. Temperamen- *Temper. non eſt ſubſtantia.*

 tum

tum eſt alterabile; Sed ſubſtantia non eſt alterabilis ſicut nec anima, quia aliàs homo & quodvis animal toties haberent aliam ſubſtantiam & animam, quoties notabiliter mutaretur ipſorum temperamentum, quod tamen eſt abſurdiſſimum. 3. Temperamentum habet contrarium, ſed nec anima nec ſubſtantia habet contrarium, ergò. Quod autem Hipp. & Galenus ita fortaſſis ſenſerint, mirum non eſt, quia tanta eſt obſcuritas animæ humanæ, ut præter Ariſtotelem tota ferè antiquitas in hac dignoſcenda fuerit hallucinata.

DICES 1. Cum Gal. temperamentum eſt id quo ſublato perit vita; Sed ſublatâ animâ ceſſat vita, ergò anima eſt temperamentum. Reſp. temperamentum tantum eſſe diſpoſitionem & cauſam minus principalem, non formam & fundamentum tale quale eſt anima; deinde ſi valeret hoc argumentum, valeret etiam hoc alterum, ſublato capite perit vita, ergò caput eſt anima: Pulchrum certè argumentum; quod non debuit moviſſe Montanum, qui ut ait Plemb. de fund. medic. c. 1. de temper. ſententiam Galeni dixit magis eſſe Philoſophicam.

DICES 2. Cum Chriſt. à Vega & Mercato lib. 1. de temperamentis claſſ. 1. c. 2. licet temperatura qualitatum non ſit ſubſtantia, eſſe tamen eam quæ fiat ex mixtura ſubſtantiarum elementarium. Reſp. hoc eſſe contrà omnem philoſophiam, etiam contrà ipſos, qui formas elementorum in mixto actu manere docent, quia formæ non miſcentur, ſed tantum materiæ & qualitates: Deinde poteſt fieri mixtum ex materia unius elementi, in qua tamen neceſſario omnes qualitates miſcebuntur. Adhæc mixtura materiæ non conſervat vitam, nec retinet formam aut unit actiones, ſicut facit harmonia primarum qualitatum.

Temper. non eſt relatio.

DICO 2. Temperamētū nō eſt relatio prob. primò, unum temperamentum dicitur alteri contrarium; Sed relationi nihil eſt contrarium, ergò. 2. Operationes corporum mixtorum aſcribuntur effectivè temperamento, ut manifeſtum, &c. Sed relatio nullam habet vim operativam, ergò. 3. Materia diſponitur ad formam [illegible] per qualitates non per relationem, ergò.

DICES, temperamentum nihil eſt aliud quam primarum qualitatum ſymmetria ſive proportio: Sed hæc eſt relatio, ergò. Reſp. ad majorem, temperamentum definiri proportionem primarum qualitatum, non quod ejus eſſentia conſiſtat in relatione ipſa, ſed quod hanc neceſſariò connotet & includat, quaſi quis diceret, temperamentum eſſe primas qualitates ſub certa proportione. Itaq;

Temper. eſt qualitas.

DICO 3. Temperamentum eſt qualitas; ita communis Philoſophia & Medicorum ſchola docet & accedit Galen. l. 1. de uſu partium & l. de morb. difficult. cap. 4. ex quo manifeſtè colligitur, Galenum non fuiſſe firmiter in ea opinione, ut vellet temperamentum eſſe animam ſive ſubſtantiam, ſed modò ſubſtantiam modo qualitatem appellâſſe, forte ideò quòd ab hac omnes quaſi operationes dependere viderit. Probatur primò, Ariſtoteles aliquot in locis adnumerat qualitatibus morbum & ſanitatem; ſed morbus & ſanitas conſiſtunt in bono vel vitioſo temperamento, ergò etiam temperamentum ad qualitates pertinet. Probatur major, morbus & ſanitas definiuntur affectus ſecundum & contrà naturam; Sed affectus eſt qualitas, ergò & temperamentum, ſive ſanitas & morbus quæ temperamento commenſurantur. 2. Temperamentum eſt collectio primarum 4. Qualitatum; ſed hæc collectio eſt qualitas, ergò & illud. 3. Temperamentum immediatè & per ſe activum eſt, habetq; contrarium, quia intenditur & remittitur; ergò ad propriè dictam qualitatem ſpectat.

Eſt collectio 4. prim. qual.

DIFFICULTAS IV.

An temperamentum ſit una ſimplex qualitas.

CUm ad mixtionem concurrant omnes 4. qualitates, & hæ ita ſe mutuò debilitent & frangant, ut certâ ratione temperatæ concurrant ad producendã formã mixtâ; Difficultas eſt, an ſicut in mixtione corrumpuntur omnes formæ elementorũ & producitur nova forma mixti virtute illas continens; Ita etiam corrũpantur omnes qualitates primæ & producatur nova quædam qualitas, quam temperamentum vel complexionem vocamus, quæ virtute contineat omnes illas, & à qua producatur forma mixti, an verò temperamentum nihil ſit aliud quam contemperatio 4. qualitatum.

Sententia eſt Avic. Fen. 1. 1. doctr. 4. & 1. ſuffic. c. 10. temperamentum eſſe qualitatem quintam, id eſt, ſimplicem & diverſam quidem à primis, ex earum tamen actione & paſſione ortam, quam Complexionem vocant: Et hanc ſequitur Ludov. Mercat. inter multos alios de temperamentis quæſt. 39. ubi multis probare conatur, temperamentum non eſſe primarum qualitatum concentum & harmoniam, ſed eſſe quintam aliquam qualitatem diſtinctam à primis ſive ſeparatim & diviſim, ſive conjunctim ſumptis.

Suppono, totum differre à ſuis partibus ſeparatim ſumptis ut patet apud Phyſicos, quia aliàs una pars eſſet idem re cum altera ut habet Ariſtoteles lib. 1. Phyſ. cap. 2. An autem differat à ſuis partibus ſimul ſumptis, controverſia eſt apud eoſdem Phyſicos, ut videre eſt apud Conn: in eplicatione hujus capitis; quamvis enim tam partem affirmativam quam negativam iudicent eſſe probabilem, ipſi tamen in affirmantem inclinant.

An totum differat à ſuis partibus.

NOTA, per qualitatem ſimplicem vel intelligi talem, quæ nihil cum primis participet, ſed quæ in ſua eſſentia nova ſit penituſque diverſa ab illis; vel certè talem, quæ ex commixtione primarum non aliter quam totum ex partibus reſultet, adeoque omnium primarum aggregatione ſit temperata. Jam

Simplex qualitas quid.

DICO 1. temperamentum non eſt qualitas ſimplex primo modo accepta, quæque pereunti-

Temper. non eſt qual. ſimplex.

Digitized by Google

entibus primis de novo in rebus & corporibus naturalibus producatur; Neque etiam videtur fuiſſe hæc opinio Avic. ut videre eſt apud Mercatum loco citato, ubi multis ab hoc errore ipſum vindicat. Probatur primo, ſi produceretur nova qualitas, quæ eſſet complexio, corrumperentur omnes primæ; ſed hoc eſt impoſſibile, ergo. faciamus enim calorem corrumpere frigus, calor non habebit à quo corrumpatur, quia deberet corrumpi à ſuo contrario, quod tamen jam corruptum. 2. ſequeretur quod calor qui eſt in mixto, non poſſit intendi à calore elementari, quia intenſio deberet fieri à calore ejusdem ſpeciei; ſed iſta nova qualitas differret ſpecie à qualitatibus elementaribus, ergo calor. v. g. ignis non poſſet augere calorem manus contrà experientiam. 3. Mixtum ideò eſt corruptibile, quia habet 4. qualitates contrarias & inter ſe pugnantes; ſed ſi temperamentum eſſet una ſimplex qualitas, non haberet illas qualitates pugnantes & conſequenter non eſſet corruptibile, quia non haberet in ſe principia corruptionis, & eadem qualitas in ſe ipſam non agit, nec eſt ſibi contraria. 4. Si datur quinta qualitas, vel reliquæ qualitates manent ſuperſtites vel pereunt in mixto; ſed neutrum verum eſt, ergò: Non primum, quia fruſtrà tunc erit illa quinta qualitas, cum omnes operationes ejus, ut calefactio, frigefactio &c. poſſint fieri ab illis 4. qualitatibus primis; Nec etiam ſecundum, quia cum nulla qualitas ſit ſibi contraria, nulla eſſet jam repugnantia contrariorum in genito, & res naturales non haberent principium intrinſecum corruptionis.

DICO 2. temperamentum non eſt aliqua qualitas nova & quinta ſeparata & diſtincta à primis, ſed ſunt ipſæ 4. primæ ad quandam temperiem redactæ. Eſt doctrina communis contrà Avic. Mercatum & alios, & probatur, quia ſi temperamentum eſſet qualitas ſimplex & diſtincta à 4. primis conjunctim ſumptis, vel manent hæ omnes ſuperſtites in mixtis vel pereunt ipsâ ſolâ vigente: Sed neutrum dici poteſt, ergò. probatur minor, quia ſi primum eſſet verum, tunc illa 5. qualitas eſſet ſuperflua, quia omnes functiones ut calefactio, frigefactio &c. à 4. primis qualitatibus abundè adminiſtrari poſſent, quod falſum eſt; ſed nec ſecundum verum eſt, quia jam nulla eſſet in genito contrariorum repugnantia, adeoque cum una qualitas ſibi ipſi non advetſetur, res viventes non haberent internam cauſam morbi, ſenii, corruptionis, interitus, quod etiam falſum eſt. Probatur 2. illa. 5. qualitas nec eſſet calida nec frigida nec humida nec ſicca, ſive exceſſivè ſive mediocriter. quia ſi eſſet intensè calida, frigida &c. eſſet calor vel frigus; ſi remiſsè eſſet calor cum frigore temperatus; idem intellige de aliis: Itaque eſſet aliqua alia qualitas ſpecie diſtincta à 4. primis, quod tamen impium eſt & hæreticum in Philoſophia. Unde potius ſtatuendum eſt, temperamentum eſſe calorem, frigus, humorem, ſiccitatem ſub certa temperie. Probatur 3. totum non eſt diſtinctum quid à partibus, quia nihil eſt aliud quàm partes ejus conjunctim ſumptæ, ergò nec temperamentum aliud erit quam omnes qualitates inter ſe moderatæ & conjunctæ quia utrinque eadem eſt ratio. Et huc ſpectant omnia illa argumenta, quibus ſuprà oſtenſum fuit, ideo dici elementa contineri virtute in mixto, quia manent in eo 4. primæ qualitates ab illis derivatæ. Et hinc

Temper. non eſt quinta qualitas.

DICO 3. Temperamentum eſt concentus, harmonia, collectio, aggregatio & contemperatio primarum 4. qualitatum, adeoque nova qualitas quæ reſultat ex illa collectione & contemperatione. Probatur primò, complexio ſive temperamentum continet non tantum eminenter ſed etiam formaliter ut concedit Mercatus 4. primas qualitates, ergò eſt earundem contemperatio & collectio. 2. Sanitas & morbus conſiſtunt in concurſu & defectu caloris & frigoris. imò nihil aliud ſunt quàm bona vel mala conſtitutio & proportio primarum qualitatum, ut multis in locis docet Ariſtoteles, ergò. 3. Mixta propterea ſunt ex elementis, quia conſtant ex eorum virtutibus ut habet Ariſt. l. 2. de part. c. 1. ergò manifeſtum eſt ſignum, quod temperamentum ſit contemperatio primarum qualitatum, ut caloris, frigoris &c. Quod autem hæc contemperatio ſit concentus & harmonia contrà Mercatum, ex eo manifeſtum eſt, quia per ejusmodi concentum & harmoniam nihil aliud intelligitur, quàm talis qualitatum proportio & unitas, qualis ad vitam ſuſtentandã omnesque vitales actiones laudabiliter adminiſtrandas requiritur, & hæc unitas nihil eſt aliud, quàm debita & connaturalis qualitatum contemperatio. Et hinc

Temper. eſt contemperatio 4. prim. qualit.

DIFFICVLTAS V.

Quid reſpondendum ſit argumentis contrariis.

DICES 1. videmus à complexione quorundam mixtorum fieri tales effectus, qui à qualitatibus primis oriri non poſſunt, ut quod magnes trahat ferrum, ergò ſignum eſt complexionem eſſe aliquam qualitatem diſtinctam. Reſp. negando conſequentiam, quia hoc ſolum inde convincitur, ejusmodi qualitates non eſſe in Elementis, quia ſunt occultæ, nihilominus autem oriri ex temperie primarum qualitatum, ut multis placet, vel etiam ab Aſtris ut aliorum eſt opinio & l. 2. de qualitatibus occultis patebit.

DICES 2. producitur nova forma mixti, ergò etiam nova qualitas. Reſp. negando conſequentiam, quia non eſt opus ut ad unam qualitatem ſemper alia expellatur, ſicut ad adventum novæ formæ, cum illæ ſint etiam ſub diverſis formis compatibiles.

DICES 3. Eædem qualitates ſpecie non poſſunt producere effectus ſpecie diſtinctos; At formæ mixtorum differunt ſpecie & producuntur à complexione primarum qualitatum, ergò complexio debet eſſe diſtincta. R. negando majorem, quia qualitates eædem diverſo modo temperatæ producunt mixta ſpecie diverſa, ſi non principaliter ſaltem diſpoſitivè.

DICES 4. conſtat quod functiones mixtorum fiant per temperamenta; ſed hæc temperamenta non præſtant hoc ubique, quia alias etiam calor, qui eſt in pede, chylificaret, ergò naturales virtutes temperamentorum non conſiſtunt in proportione 4. primarum qualitatum ſed in alia qualitate ab his reſultante, quæ in ſingulis membris pro cujusque munere variatur. Reſp. conceſſo toto negatur quod propterea nova qualitas fingenda ſit; quod enim calor in ventriculo tantum chylificet, & non in pede, fit ideò quia eſt calor ventriculi & non pedis; quod ſi hoc temperamentum ventriculi cum omnibus ſuis requiſitis transferretur ad pedem, tunc etiam hic habebit vim chylificandi: ſi urgeas etiam virtutes herbarum differre à temperamentis, ergò & hic, Reſp. negando conſequentiam & paritatem, quia virtutes herbarum ita producuntur à temperamento, ut ſint aliquid ab eo diſtinctum: Temperamentum autem non producitur à primis qualitatibus, ſed ſunt ipſæ qualitates primæ inter ſe combinatæ.

DICES 5. Ideò partes conjunctim ſumptæ diſtingvuntur à ſe diviſis, quia jam ſub aliam formam abierunt, ergò idem de qualitatibus dicendum eſt, quia eadem eſt ratio. Reſp. negando conſequentiam, quia in temperamento non conſideratur totum & partes, ſed ipſæ formæ accidentales vel ſeparatim ſumptæ vel ſub una temperatione collectæ; deinde quamvis aliud ſit collectio primarum qualitatum inter ſe temperatarum, & ruſum aliud quævis ſimplex qualitas in ſe abſolutè conſiderata; non tamen eſt eadem ratio cum toto compoſito & ejus partibus ſigillatim ſumptis, quia compoſitum habet unam formam ſubſtantialem diſtinctam à partibus diviſim ſumptis; In temperamento autem non pereunt qualitates ſimplices, ſed refranguntur tantum ſuſcipiuntque vel magis vel minus: Deinde ſicut totum non eſt diſtinctum à ſuis partibus ſimul ſumptis, ita nec temperamentum à qualitatibus primis congregatis.

DICES 6. ex Mercato, qualitates collectæ non facilè mutantur, nec à quibusvis injuriis patiuntur ſicut ſimplices, quæ ſunt fluxæ & inſtabiles, ergò ſignum eſt illas oriri à peculiari aliqua temperamenti forma. Reſp. negandò conſequentiam: Quod autem aliqua aggregata qualitas ſit durabilior quam ſimplex, mirum non eſt, quia per meliorem & perfectiorem unionem in mixto magis reſiſtit cauſis externis, quam aliqua ſimplex qualitas, quæ ſi ſit in elementis, facilè cedit; ſi in mixto, violenter illud afficit.

DICES 7. ſi temperamentum eſſet ſolùm aliqua proportio qualitatum & forma accidentis partium ſimplicium, facilè partes mutarent hanc formam, id eſt, os quod jam ſiccum eſt, facilè fieret humidum ſed hoc falſum eſt, ergò & illud. Reſp. negando aſſumptum, quia firmitas hæc oritur ex forti nexu & mutua qualitatum unione.

DICES 8. Colores extremi cum inter ſe miſcentur, unam formant v. g. viridem, flavam &c. conſtituunt, ergò idem de primis qualitatibus dicendum eſt. Reſp. ſi colores extremi tantum inter ſe confundantur, falſum eſt quod iis pereuntibus producatur aliqua nova forma, quia manent omnes inter ſe commixti. 2. etſi intimè inter ſe miſceantur, nihilominus tamen non pereunt, adeoque nec reſultat nova forma niſi ea tantùm quæ ab extremis participat.

DICES 9. Medicamenta compoſita unâ ſimplici conſtant forma corruptis omnibus iis, quæ hanc compoſitionem ingrediuntur, ut patet in Theriaca, ergò idem de temperamento dicendum eſt. Reſp. negando conſequentiam, quia qualitates & virtutes mixtorum ſunt compatibiles, non autem formæ ſubſtantiales, ſi intimè & perfectè miſceantur, reſultetque una forma mixti; in medicamentis enim compoſitis non pereunt neceſſario formæ accidentales ſed ſubſtantiales.

DICES 10. Niſi qualitates temperaturam efficientes unâ formâ coerceantur, impoſſibile eſt earum motum ceſſare, donec ſe invicem interimant: Nam proportio id ſuâ naturâ nequit efficere, nec qualitates deſinent invicem agere & pati, quamvis hac aut illa proportione uniantur, niſi pugnando eam formam nanciſcantur, quâ habitâ ceſſet motus: talis eſt quinta qualitas, ergo neceſſario præexſiſtit. Reſp. qualitates primæ dum coeunt, infringunt ſe tamdiu, donec non amplius invicem agant, quo facto quieſcunt, ſuisque naturis & formis temperatæ ſe compatiuntur absque novæ qualitatis acceſſu.

DICES 11. Averrh. l. de generat. ait, commixtionem qualitatum eſſe qualitatem mediam inter contrarias, & hoc evanire ſecundum temperiem calidi, frigidi &c. id eſt, ſecundum novam formam. Reſp. hoc argumentum non eſſe contrà nos, quia hæc temperies non eſt nova & peculiaris forma accidentalis, ſed aggregatio ex omnibus quatuor; ſic dum aqua fit tepida, eſt ibi temperatio caloris & frigoris & non alia inſuper peculiaris forma, quia compatiuntur ſe duæ hæ qualitates, ſicut gutta vini cum gutta cereviſiæ.

DICES 12. obſervantur in temperamento illa, quæ non poſſunt deſcribi proportioni primarum qualitatum, ergo alicui quintæ. Antecedens probatur, quia in proportione contrariatur calor frigori & humor ſiccitati, & quævis qualitatum ab extrinſeco provenientium auget ſimilem & contrariam remittit ſtatim; ſed quinta qualitas omnibus & ſingulis eſt contraria, & à nulla ſimili augetur, niſi dum

dum in morbum commigrat. Itaque in quinta hac qualitate frigiditas reſiſtit frigiditati externæ & caliditas caliditati internæ, & rurſum unaquæque ſuis contrariis, quod eſſet impoſſibile ſi temperamentum eſſet ſolum proportio qualitatum unitarum; Deinde in proportione qualitatum ſemper adinvicem reperitur actio & paſſio, quod in quinta qualitate ceſſat. *Reſp.* negando antecedens, probatio obſcura eſt & clauda, ſemper autem calor eſt frigori contrarius & humor ſiccitati per ſe ubicunq; exiſtant, nec propterea quintam qualitatem advocare oportet, ut quæ nihil ad rem facit. Quod autem in temperamento qualitates manifeſtè invicem agant, ratio eſt, quia reducunt ſe ad debitum ſtatum, in quo tamen ſemper adhuc ſibi invicem contrariantur, nunquam autem frigus frigori niſi per accidens.

DIFFICULTAS VI.

Quotuplex ſit temperamentum.

MUltæ variæque ſunt temperamenti diviſiones apud Authores, ut videre eſt apud Gal. l. 1. de temper. c. 9. & l. 2. c. 1. apud Fernel. ſuæ phyſiol. c. 5. & alios, iis autem omiſſis.

Diviſio temperamenti. DICO breviter, temperamentum primò dividi poteſt in igneum, aëreum, aqueum & terreum; vel in calidum, frigidum, humidum & ſiccum; vel in cholericum, melancholicum, ſanguineum & pituitoſum ſive phlegmaticum. Primùm enim reſpondet ſubſtantiis elementaribus, ſecundum eorum qualitatibus, & tertium humoribus animalium, in quibus vis ipſorum elementorum continetur ut in cholerico vis ignea, in ſanguineo aerea, in phlegmatico aquea, & in melancholico terrea. Secundò aliud eſt temperamentum totale & adæquatum totius corporis, aliud partiale ſingulorum membrorum. Tertiò, aliud eſt innatum, aliud influxum; actuatum addit Dand. l. 1. de temperamentis corporis animati c. 4. vocatque tale, quod ex innato & influente perfectum eſt: Eſt autem innatum quod in prima corporis conformatione ſingulis membris à Genitoribus influit; Influxum eſt, quod per vim nutritivam mediis alimentis extrinſecus accedit & unà cum ſanguine cordi totique corpori communicatur, vel quod etiam accipit pars una ab altera, ut cum pars una incaleſcit, humectatur aut frigeſcit ab altera; influxum ſequitur animam & naturam tanquam effectus, innatum antecedit veluti diſpoſitio. Quartò, aliud eſt perfectum, aliud imperfectum; illud eſt quod ſtatum ſuum perfectum aſſecutum eſt ut complexio viri; hoc contrà, ut complexio pueri; quamvis etiam illud imperfectum dici poſſit, quod nonnihil à bonitate ſua recedit & hominem ad morboſum ſtatum deflectere facit, perfectum autem in quo vivens optimâ ſanitate gaudet. Quintò, aliud eſt temperamentum ad juſtitiam, aliud ad pondus; hoc eſt, quod in mixto habet omnes qualitates in gradibus æquales, & non tantum qualitates activas ſed & motrices; illud verò quod cujuslibet qualitatis tot habet gradus, quod ſuppoſitum & forma ſubſtantialis requirit, & hoc rurſum duplex eſt, ſimplex nimirùm, quando una tantum qualitas excedit, & compoſitum, quando duæ, v. g. calor & ſiccitas, calor & humor, frigus & ſiccitas, frigus & humor, quæ 4. combinationes conſtituunt complexionem igneam ſive cholericam, aëream ſive ſanguineam, aqueam ſive phlegmaticam, terream ſive melancholicam.

DICES, etiam datur complexio ſanguineo melancholica & cholericophlegmatica, ergò. *Reſp.* Antecedens eſſe falſiſſimum, ut patet ex contradictione terminorum ſive qualitatum quæ in ejusmodi complexionibus concurrunt; Deinde altera earum non eſt complexio naturalis, ſed affectus præter naturam, ſi contingat reperiri conjunctas; vide ultimam diffic. hujus diſp. in fine.

Colligitur 9. omninò dari temperamenta, unum quod ad pondus dicitur, id eſt, quod undique in gradibus æquale eſt; 4. cum ſemper una ex primis qualitatibus dominatur. 4. denique compoſita cum duæ ſemper qualitates excedunt, & in animalibus potiſſimùm ab humoribus v. g. cholericum, ſanguineum, in reliquis autem vegetabilibus rebusque inanimatis ab elementis v. g. terreum, aqueum &c. denominantur.

DIFFICULTAS VII.

An detur temperamentum ad Iuſtitiam.

MAgna in omnibus temperamentis exiſtit varietas, adeoque intrà totius latitudinis terminos excurrit, ut incertum ſit, an in omnibus rerum mixtarum ſpeciebus definiri poſſint: Ita enim non tantum ſimplex qualitas ſed etiam compoſita multifariam à medio vel deficit vel excedit, v. g. calor in 4. 5. 6. gradu, magisque cum humore quam ſiccitate & contrà conjuncta; ſimiliter biliosa temperatura magis calida quam ſicca & contrà, aut etiam æquè calida & ſicca, & ita de reliquis. Accedit etiam continuata per ætates mutatio temperamentorum & complexionum varietas, quæ ante interitum & extremam diſſolutionem à variis tam internis quam externis cauſis inflecti poſſunt & ſolent, ut norunt tam Phyſici quam Medici. His itaque poſitis.

DICO, datur temperamentum ad Juſtitiam, id eſt, quod cuique rei corporeæ ſecundum exigentiam propriæ naturæ debetur. Probatur primò, neceſſarium eſt homini, cuivis viventi & mixto habere temperamentum ad Iuſtitiam naturaliter, ergò neceſſarium eſt ut detur. Antecedens patet, quia hoc ipſo *Temper. ad Iuſtitiam.*

quod

quòd debetur mixtis rebusque phyſicis ex natura, conſervantur omnia ſublunaria, ut proinde abſurdum eſſet ſi hoc beneficium corporibus mixtis denegetur ut obſervaot Conn. 2. de gen. c. 8. q. 2. a. 1. Probatur ſecundo temperamentum ad juſtitiam potiore ſui parte cauſa fuit & diſpoſitio ad formam mixti, cui etiam ad eſſe datum fuit, ergò certum eſt in omnibus rebus ſublunaribus exiſtere. Tertiò, cauſa prima tenetur ſufficientem conſervationem & media ad illam tribuere rebus productis, ſecundum illud, Deus & natura nunquã deficiunt io neceſſariis, ergò tenentur dare temperamentum ad juſtitiam quà conſerventur. Quartò, illud eſt temperamentum ad juſtitiam, quod cuivis mixto & viventi ineſt ex debito & naturaliter, illudque in eſſe mixti & viventis tuetur; ſed hoc in omnibus corporibus mixtis dari conſtat, ergò. Nam certum eſt omnia mixta conſtare ex materiis & ſubſtantiis elementorum eorumque qualitatibus debito modo inter ſe refractis & unitis, quæ juxtà hunc ordinem conſtituunt & faciunt temperamentum ad juſtitiam, quod mixto ſecundum exigentiam propriæ & internæ naturæ debetur. Dixi tamen quod debeatur homini temperamentum ad juſtitiam naturaliter, quia temperamenta & morboſa & defectuoſa inſunt homini præter naturaliter; & hioc ſi

DICAS, multas res eſſe, quæ non tantum in fine ſed etiam in principio ſuæ productioois ſtatim careant hoc temperamento; ſi enim res ſublunares ſemper haberent hoc temperamentum, forent æternæ. Reſp. certum eſſe, quod defectuoſi, morbidi & ad interitum euntes (hoc idem intellige de rebus omnibus inanimatis) non habeant illam temperaturam: fit enim hoc ob multos errores commiſſos, & quod omnia ſublunaria, quæ ex corruptibilibus compacta ſunt, juxtà legem & decretum divinum tandem ad communem interitum tendant, quod tamen nihilominus non evertit doctrinam temperamenti ad juſtitiam, quæ debetur rebus ſecundum naturam conſtitutis & quam habent res naturaliter conſtitutæ, quia aliàs forent defectuoſæ & morbidæ: Noo ſuut autem omoia defectuoſa, non omnia ſunt in via proxima ad corruptionem, non omoia frigore, calore aliiſque rebus ſibi contrariis conficiuntur; ſed multa ſunt quæ optimo vigore florent, & vivacibus depicta coloribus ſaluberrimam vitam vivant, ut aliis pereuntibus ipſa ſuam ſpeciem perpetuent, totiusque univerſi pulchritudinem exornent. Probatur ultimò concluſio, quod nimirum hujusmodi temperamentum de facto datum fuerit; Nam ſicut docent SS. Patres & communiter Theologi omnes, fuit hoc temperamentum præcipuâ quadam excellentia & dignitate in primis parentibus, cum adhuc eſſent io ſtatu inſcitiæ originalis, ob quam temperiem etiam factum fuiſſet, ut ſi à lege divina non receſſiſſeot, longiſſimis ſeculis in flore juventutis absque mutatione notabili permanſiſſent, ſi non propter temperamenti bonitatem, ſaltem propter nova & aliunde ſuppeditata auxilia, ut advertunt Coon.

DIFFICULTAS VIII.

An temperamentum Chriſti & primorum parentum fuerit corruptibile.

CUrioſa & jucunda ſolent hic nonnulla quæri, primò an Chriſtus Dominus, ſi non violenter & innocenter occiſus fuiſſet, vitam temperamenti bonitate perennaſſet. 2. an etiam primi parentes ſi ſemper manſiſſeot in ſtatu innocentiæ, in æternum vixiſſent absque mutatione temperamenti, 3. utrum primi parentes & Chriſtus, imò & alii mortales ante diluvium habuerint melius temperamentum quam his noſtris ſeculis habeant homines. 4. quamdiu vixiſſent primi parentes ſi manſiſſent in ſtatu innocentiæ.

Suppono, nec primos parentes nec Chriſtum habuiſſe temperamentum ad pondus ut infrà pluribus patebit, cujus ratio eſt, quia habuerunt corpora heterogenea, id eſt, partes & organa diverſis qualitatibus affecta. Jam

DICO primò, non tantum primi parentes & Chriſtus filius Dei, ſed & cæteri mortales ante & paucis ſeculis poſt diluvium habuerunt perfectius temperamentum, quam modernis ſeculis habeamus. Coofiſtit autem perfectio temperamenti noo tantum in ea qualitatum temperie, quæ mixto debetur, nec etiam in optima temperatione, ſed præterea in bona partium figuratione, juſta membrorum concretione, firmaque compage, debitâ humidi radicalis diſpoſitiooe, puritate materiæ elementaris, ex quo compactum eſt corpus nullaque labe aut vitio infectum, in perfectiſſima denique horum omnium commixtione & unione. *Perfectio temperamenti in quo.* Jam probatur primum, quod primi parentes hujusmodi temperamentum habuerint, quia Deum habuerunt effectorem & productorem, qui eos ex puriſſima materia & absque inquinamento primùm creara io ea perfectione, quæ infinitam hanc Majeſtatem decebat, effinxit, quod idem de temperamento Chriſti dicendum eſt, qui ex puriſſimo ſanguine Beatiſſimæ Virginis cooperante peculiariter Spiritu Sancto iotrà virgioalià viſcera efformatus fuit. *Primi parentes habuerunt perfectiſſimum temperamentum.* 2. dicetur iofrà ubi patebunt cauſæ, quare noſtris ſeculis temperamenta mortalium non æquivaleant iis quæ ante & immediatè poſt diluvium habuêre majores noſtri.

DICO 2. tametſi natura Chriſti temperatiſſima fuerit, non tamen caruit ſemper omni notabili mutatione; ſed ut cæterorum hominum cum ætatibus & annis variavit. *Temper. Chriſti fuit mutabile.* Eſt doctrina hæc communis & deſumpta ex principiis phyſicis. Nam conſtabat natura Chriſti æquè ac reliquorum mortalium contrariis,

quæ

quæ in ſe iuvicem agebant, & continuatâ quadam alteratione corpus immutabant, ut proinde, ſi Chriſtus vitam ſervaſſet, deficiente paulatim calore nativo tandem ſenium & mortem naturalem incurriſſet. D. Thom. 3. q. 9. it. a. 4. reſpondet, corpus & temperamentum Chriſti nullo morbo fuiſſe violatum, quia nou conveniens erat hunc defectum à Chriſto aſſumi; nihilominus tamen cum illius qualitates & humores ejusdem fuerint naturæ & ſpeciei cum noſtris, finitamque habuerint reſiſtentiam, potuiſſe à cauſis externis, ſi præſertim vehementiores fuiſſent, ad ægritudinem inflecti. Vnde colligitur, niſi Salvator noſter ab impiis Judæis crudeliter fuiſſet cruci affixus, quod longiſſimam vitam traduxiſſet.

Primi parentes in ſtatu innocentiæ mutabiles.

DICO 3. etiamſi primi parentes in ſtatu innocentiæ manſiſſent, nihilominus ipſorum corpora fuiſſent mutabilia. Probatur primo, corpora primorum parentum habebant principium intrinſecum corruptionis, nempe materiam communem cum omnibus rebus corruptibilibus, ergò erant corruptibilia. 2. Probatur, quia ait Deus ne fortè ſumant de arbore vitæ & comedant & vivant in æternum. Jam ſic argumentor, ſi primi parentes non ſumpſiſſent nec comediſſent de arbore vitæ, non vixiſſent in æternum, ergò fuiſſent corruptibiles. Dicendum itaque, ſi primi parentes in ſtatu innocentiæ manſiſſent, tum & juventutem & temperiem illam qualitatum, non quidem in eodem gradu & intenſione, quod opus non erat, ſed absque inſigni mutatione perpetuò retinuiſſent, idque beneficio pomi vitalis, Angelorum cura & providentia divina, quæ omnia nociva extrinſeca avertiſſet; ſed quamdiu manſiſſet & duraſſet hæc vita? Reſpondeo &

Primi parentes non manſiſſent ſemper in paradiſo etiam extrà reatū.

DICO 4. incertum eſt, quamdiu manſiſſent primi parentes ſtatu ſuæ innocentiæ in paradiſo, certum tamen quod in hoc terreſtri paradiſo non ſemper manſiſſent, quia aliquando fuiſſent ad cælos transferendi. Hoc ultimum petitur à bonitate divina, quæ etiam cupit æternam illam felicitatem in genus humanum diffundere; Et proinde non videtur congruum eſſe, ut is qui à Deo ad æternam vitam conditus erat, æternùm excluderetur ab illa cœleſti beatitudine; Nam pro ipſius hominis ſalute & gratia erat ut aliquando ab his terris reformata prius corporis compage transferretur ad cœlos. Sed quo tempore? quibus annis à tempore quo creatus & productus fuit? Vide Salianum, Molinam, Cornelium à lapide, & alios tum SS. Patres tum Theologos, qui communiter & probabiliter definiunt Adamum & ejus poſteros vix medio tempore longius in his terris manſiſſe, antequam à Deo tranſumpti fuiſſent.

DIFFICVLTAS IX.

An detur temperamentum ad pondus.

QVæſtio eſt, an detur complexio ita temperata, ut in aliquo mixto ſint 4. gradus caloris totidemque frigoris, humoris & ſiccitatis.

Suppono, vel mixta eſſe homogenea ut aurum, plumbum, vel heterogeneum ut manus, digitus, brachium, caput totusque homo vel totum animal.

Datur temper. ad pondus in homog.

DICO primò, fieri poteſt, ut detur mixtū homogeneum æquale ad pondus, etſi non conſtet quod actu detur. Eſt Thomæ de Garbo q. 5. ſummæ medicinalis, Feru. 3. phyſiol. c. 4. & multorum aliorum contra Arabes, Concil. diff. 18. & ut videtur etiam contra Gal. l. 2. de ſimpl. medic. facult c. 22. ubi ait animal per exceſſum eſſe calidum. Sed probatur prima pars, quia nullam contradictionem includit, ergò dari poteſt. Antecedens inde manifeſtum eſt, inter quæ dari poteſt magis & minus, inter ea etiam dari poteſt æquale; ſed inter 4. primas qualitates datur magis & minus, ergò etiam datur æquale: quod autem non conſter de ullo mixto quod habeat ejusmodi temperiem manifeſtum eſt, quia nullum poteſt aſſignari in quo non dominetur aliqua qualitas.

DICES, ſi poſſet dari temperamentum in aliquo mixto æquale ad pondus, reperiretur etiam ejusmodi qualitas in ipſa miſtione; ſed hoc fieri non poteſt, quia qualitates debent in ſe mutuò agere, ubi autem omnes qualitates ſunt æquales, nulla in aliam agere poteſt, ergò. Reſp. primò negando ſequelam majoris, quia mixtum dum fit, nec dum habet ſuam complexionem, ergò tunc non poſſunt nec debent qualitates eſſe æquales. 2. negando minorem quia etiamſi eſſent æquales in gradibus, tamen propter denſitatem materiæ poſſet una eſſe activior altera.

In heterog. non datur temper. ad pondus.

DICO 2. non poteſt dari mixtum heterogeneum, quod habeat temperamentum ad pondus in qualitatibus activis ſecundum omnes ſuas partes: Dixi ſecundum omnes partes, quia quædam partes ſunt ſimilares, quædā diſſimilares, & tales non poſſunt convenire in æqualitate activarum qualitatum. Probatur ergò concluſio, mixtum heterogeneum eſt, quod habet partes diverſæ rationis, ergò habet aliquas calidiores, aliquas frigidiores; ſed mixtum ad pondus debet eſſe ejusdem rationis, ergò ſi ſit heterogeneum, non poteſt habere hoc temperamentum ad pondus.

DICO 3. poteſt dari mixtum heterogeneum æquale ad pondus ſecundum partes plures, ita ut quantò plus eſt caloris in una parte, tantò plus ſit frigoris in alia. Probatur hoc in animali in quo caro calida eſt ut 6. & frigida ut 2. os autem contra frigidum ut 6. & calidum ut 2. atque ita temperatur calor carnis à frigore oſſis.

DICO 4. non poteſt dari mixtum heterogeneum in activitate æquale ad pondus, ita ut una pars habeat eandem vim reſiſtendi quam altera, ac proiude non poſſit una agere in aliam. Probatur, ſint duæ partes diverſæ rationis, vel tantum eſt caloris in una quantum frigoris in altera, & tunc quia calor eſt activior

fri-

ſrigote, natuta ſua aget in ſrigus; vel alterutra ſuperat, & tunc aget quæ ſuperat.

DICES, ſi eſſet aliquod mixtum quod haberet omnes qualitates in gradu æquali, illud forer incorruptibile, quod videtur eſſe abſurdum. Reſp. Verum eſſe quod hujusmodi corpus eſſet incorruptibile ab intrinſeco, cum nulla qualitas in alteram ageret; fieri tamen poſſet, ut ab extrinſeco hæc perfectiſſima temperatura infringeretur, adeoque incorruptibilitas hæc tolleretur.

Colligitur, temperamentum hominis cæterorumque animalium totale & adæquatum quod eſt ad naturalem formæ ac individui conſervationem, non poſſe eſſe æquale ad pondus propter diverſas operationes, diſpoſitiones & organa; tametſi non repugnet, ut ad illud ab Agente extrinſeco redigatur, videlicet ſi qualitates remiſſæ intendantur & contra intenſæ remittantur, quod tamen de primis qualitatibus tantum intellige.

DIFFICULTAS X.

An homo aliud habeat temperamentum ſub ratione viventis & aliud ſub ratione mixti.

SEnnertus Medicus l. 1. ſuarum Inſtit. c. ultimo de temperamentis ait, duplex in homine dari temperamentum, unum corporis ſimpliciter, alterum viventis; imò tertium ſuperaddit, quod ſcil. à corde influit totique corpori communicatur. Primum corporis docet aliquamdiu remanere in cadavere quousque mixtum putredine reſolvatur, & ad hoc referri omnia vegetabilia: Alterum autem viventis putat partibus viventibus inſitum eſſe & ſtatim à prima formatione per calidum innatum inhærere, & hoc rurſum duplex eſſe, unum inſitum alterum influxum.

Suppono 1. non eſſe aliud temperamentum in Embryone ſive Corpore Organico ante adventum animæ rationalis, & aliud quando accedit hæc nobilis forma, ideò quod temperamentum Embryonis ſit eadem diſpoſitio prævia quæ animam rat. præcedat, adeoque hac accedente permaneat.

Suppono 2. ſermonem eſſe de temperamento totali & adæquato non partiali, quia conſtat aliud eſſe temperamentum totius hominis, aliud oſſis, aliud carnis, cerebri, cordis &c. ſive illud dicamus mixti eſſe ſive viventis. Jam ad difficultatem

DICO 1. in homine datur unum temperamentum totale, quod debetur illi ut viventi & mixto. Ratio prioris eſt, quia ad exercendas omnes actiones vitales neceſſariæ ſunt primæ qualitates in juſta debitaque harmonia per omnia viſcera diffuſæ & temperatæ, ergò ut viventi; poſterioris, quia homo mixtum eſt formaliter, idque à præſentibus omnium Elementorum qualitatibus & ſubſtantiis, ergo hæ debentur illi etiam ut eſt mixtum: Quod autem ſit unum totale, ratio eſt, quia una forma ſive anima ſufficit pro corpore informando, ergò etiam unum temperamentum, quod ſit inſtrumentum animæ ad actiones omnes vitales adminiſtrandas. Et hinc

DICO 2. homo non habet aliud temperamentum ſub ratione viventis, & aliud ſub ratione mixti. Ratio eadem eſt cum priori, quia una anima informat hominem ut eſt vivens & ut eſt mixtum, ergò ad hanc informationem ſufficit unum temperamentum, aliudque fictitium eſt. Et accedit quia hæc bina temperamenta haberent aliquam contrarietatem, id eſt, exceſſum vel defectum in qualitatibus adeoque in ſe mutuò agerent, quod abſurdum eſt dicere. Adhæc in corpore organico idem eſt temperamentum poſt infuſionem animæ rationalis, id eſt, quando Embryo jam factus eſt homo, quod fuerat ante infuſionem, ut patet ex prima difficultate hujus diſputationis; ſed unum totale & adæquatum fuerat prius quod conſtituebat corpus in eſſe organici & in eſſe mixti, ergò idem adhuc manet poſterius, dum corpus factum eſt vivens, quia per acceſſum animæ, quâ in inſtanti fit corpus vivens, nullæ qualitates aut diſpoſitiones antecedentes ſunt corruptæ, ſed nec novæ introductæ. Denique ſublato temperamento hominis in ratione mixti neceſſariò perit temperamentum in ratione viventis, ergò ſignum manifeſtum eſt non differre unum ab altero, nec eſſe unum quod conſtituat hominem in eſſe viventis & alterum in ratione mixti. Quod ſi quæras An temperamentum potius ſpectet ad hominem ut eſt mixtum, an ut vivens, Reſp. ſpectare 1. ad hominem mixtum, quia ex hoc habet qualitates temperatas, quæ cauſaliter inſerviunt homini viventi.

DICO 3. Calor à corde influens non eſt temperamentum, adeoque malè aſſeritur à Sennerto. Ratio eſt, quia ſimplex eſt qualitas, quæ tanquam pars ſomentat in omnibus membris & viſceribus temperamentum naturale per influxum continuum.

DICES, cum deſinit homo eſſe vivens, perit temperamentum ſub ratione viventis, remanet autem alterum ſub ratione mixti, quia cadaver eſt verè mixtum, ergò hoc temperamentum utrumque prius extitit in homine vivente, quia non poteſt aſſignari cauſa, quæ produxiſſet illud temperamentum quod conſtituit cadaver in eſſe mixti, ergò præfuit. Reſp. negando conſeq. ad ejus probationem dico, temperamentum cadaveris produci ab iiſdem cauſis à quibus homo deſiit eſſe vivens, & à quibus prior forma expulſa fuit; unde falſum eſt primò, quod bina temperamenta in homine vivente extiterint; 2. quod nulla dari poſſit cauſa, quæ de novo produxiſſet illud temperamentum cadaveris: Non ſunt autem expulſæ omnes qualitates quæ temperamentum conſtituunt, quia manet humiditas, manet ſiccitas, & manet frigus licet inten-

intenſivè majus, quia calori qui vitæ principium fuit, cum ea autem evanuit, ſucceſſit. Deinde temperamentum quod remanet quando petiit homo, non eſt hominis ſed cadaveris.

Colligitur primò non eſſe idem temperamentum Embryonis vel corporis organici ante adventum animæ rationalis & cadaveris poſt ſeparationem ejuſdem animæ; quia illud poterat hominem in eſſe viventis conſtituere & conſervare, hoc non poterat. 2. in Embryone vel corpore organico eſſe temperamentum à Genitoribus datum quod poſtea accedente animâ tanquam formâ ſuperiori remaneat & conſervet animal in eſſe viventis; 3. dum animal petit, perire etiam temperamentum in eſſe viventis, & ſuccedere qualitates mortis, quæ cum remanentibus faciant & conſtituant in cadavere novum temperamentum. Nam in morte hominis petit calor mutanturque aliæ naturalis temperamenti qualitates, quæ vitam ſuſtentabant. atque ita introducuntur novæ, quæ cum forma nova novum faciant temperamentum.

DIFFICULTAS XI.

An temperamentum humanum præſtet omnibus reliquis.

Temperamenti præſtantia unde ſumatur

NOTA, temperamenti bonitatem ac præſtantiam non deſumi tantum à functionibus ſive actionibus, quæ inde conſequuntur, ſed etiam à forma ſubjecti, robore, ſtatura, conformatione & pulchritudine totius corporis, quod ſicut optimam & nobiliſſimam vim formatricem unde concinna & abſoluta organorum ſtructura & perfectio, ita quoque præſtantiam temperamenti ſupponit, quia ab hoc plerumque ſuavitas colorum exiſtit.

Temper. hominis ſuperat omnia reliquorum ſublunarium.

DICO, temperamentum hominis eſt longè præſtantius quam cæterorum omnium animantium & mixtorum ſublunarium; ita docet communis Philoſophia & Medicina & conſentit Gal. l. 1. de temper. c. 6. & 9. probaturque primò argumento efficaci, diſpoſitiones & affectiones materiæ ſunt propter formam; ſed forma hominis, anima ſcil. rationalis, ſuperat nobilitate & dignitate omnes formas phyſicas, ergò etiam diſpoſitiones & affectiones materiæ, id eſt, temperamentum, erunt excellentiores quam cæterorum omnium mixtorum. Probatur 2. quantò magis ſuperat corpus humanum dotibus ſuis cæterorum ſublunarium corpora; tantò etiam magis eminet complexione, quia videtur omninò neceſſarium eſſe ut cum iis excellentiſſimis dotibus conjungatur etiam complexio quæ præ cæteris emineat; ſed dotes corporis humani ſunt longè præſtantiores quam brutorum animantium cæterorumque mixtorum, ergò. Probatur minor; quia dotes corporis humani ſunt nobilitas, robur, ſtatura, conformatio membrorũ, pulchritudo &c, quæ omnes ſanè admirabili modo datæ ſunt homini: Nunquam verò major nobilitas eſſe poteſt quam habere parentem Architectum Deum, ſi non in ratione corporis, de cujus inſigni fabricatione ſufficienter actum eſt hactenus, ſaltem in ratione formæ quæ glorioſam inter Deum & hominem facit affinitatem afſertque indelebilem imaginem Dei jucundiſſimo atque inſeparabili conjugio quaſi copulatam. Quantum ſit robur hominis, quæ firmitas laterum, quis nervorum vigor & quis contextus maſculorum, docent omnes actiones humanæ ejuſque vitæ diuturnitas, quæ ſi noſtris ſeculis debilior, id ſanè propter multitudinem peccatorum noſtrorum & variorum errorum factum fuit; poteramus enim majoribus noſtris primiſque parentibus eſſe ſimiles, quorum ætas in multa ſecula propagata fuit: Statura non ſolum recta ſed etiam celſa & erecta fuit, quia decebat hæc hominem, ut Deum Creatorem ſuum & in hac vita tollendo faciem & oculos ad ſydera, & in cœlis continuò intueretur & contemplaretur. Neque etiam dubitandum eſt, quin organa externis internisque ſenſibus & operationibus neceſſaria perfectiſſimè fuerint diſpoſita, quippe quæ diutiſſimè vitæ functionibus rectè conſtanterque obeundis ſervire oportebat: De pulchritudine nihil magis quod omnia confirmet dicendum eſt, quam quod docebat hominem eſſe illi ſimilem qui fuit ſpecioſus præ filiis hominum. Concludo ergò his paucis, attemperatam illam humorum & qualitatum complexionem in homine eſſe nobiliſſimam & excellentiſſimam, ut in quo natura non minus quam olim Deus in primo parente numero, pondere & menſura diſpoſuit, ut agnoſceret ſufficientiſſimam cauſam amandi Deum & glorificandi.

Quæ dotes corporis humani.

DICES primò, ſi temperamentum hominis eſſet excellentiſſimum, deberent in eo prævalere elementa præſtantiſſima, ut aer & ignis; ſed hoc falſum eſt, ergò; probatur minor, in homine prævalet terra & aqua, ergò non aer & ignis. Reſpond. in homine duo dominari; primò elementa à quibus procedit vita omneſque operationes. 2. elementa quibus coagmentantur omnia membra; licet itaque aqua & terra quoad ſubſtantiam habeant prædominium, aer tamen & ignis prævalent quoad qualitates, à quibus procedit vita in humido & calido conſiſtens.

DICES ſecundò, multa ſunt bruta, quæ melius & perfectius operantur, ergò etiam habebunt temperamentum perfectius, cum ab hoc procedant operationes; Antecedens patet in viſu, auditu cæteriſque ſenſibus, imò in vitæ diuturnitate. Reſpond. quamvis homo à quibus-

P dam

dam animalibus perſpicacia viſus, acumine auditus & ſagacitate odoratus vincatur, non tamen propterea hæc meliora & perfectiora habere temperamenta, quia ejusmodi operationes non ſimpliciter à bonitate temperamenti ſed potius ab organis ſenſuum proficiſcuntur; aliæ autem in homine ſunt operationes, quæ circa temperamentum immediatè verſantur, ut tactus & guſtus, quo utroque homo longius excellit: Deinde etiam actiones viſus, auditus & odoratus ſunt in homine perfectiores quam in brutis, ut diſput. de ſenſibus externis patebit, multò magis tactus & guſtus qui immediatè temperamento conjunguntur: Aliæ facultates naturales & vitales earumque functiones, ſi in brutis videantur nobiliores, id caſu fieri & ex erroribus quales multi in homine ſæpè committuntur, æſtimandum eſt. Adhæc vitæ diuturnitas & ſanior vita nihil ad rem facit, quia bruta ſemper utuntur ſimplici alimento, nec tot in victu cæteriſque rebus naturalibus faciunt errores: Et rarum eſt, inter bruta eſſe quædam, quibus ex natura longior ſit vita, ut infrà diſput. de vita dicetur.

DICES 3. bruta quamprimum naſcuntur, erigunt ſe ſtatim in pedes, ſunt dentata, ſuntque majoribus viribus prædita, ergò etiam habent perfectius temperamentum. Reſp. quod homo primum natus debilior ſit quam brutum, neque ita ſe in pedes erigat, cauſa eſt uberior copia humidi primogenei, majorque cerebri ſubſtantia, quâ homo cuncta animalia proportionaliter exuperat; negatur itaque conſequentia, imò hoc ipſum ſignum eſt quod bruta exceptis fortè paucis non adeò poſſint durare propter ſiccitatem, quæ mortis eſt ſocia, cum è contrà tenelli hominum tenellos habeant nervos, nimioque humore in multos annos duraturo perfuſos, idque beneficio cerebri, quod in homine eſt maximum, & à quo nervi omnes propagantur.

DICES 4. ſi homo haberet excellentiſſimum temperamentum, præſtaret pulchritudine formæ, quia hæc ſequitur temperamentum; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud: Nam pulchritudine ſuperant homines pavones, & nonnulla animalia. Ante reſponſionem adverte, pulchritudinem aliquando latè ſumi & eſſe aptam corporum ſeu partium ejusdem corporis inter ſe compoſitionem & ordinem; & ad hanc ſignificationem referri poteſt pulchritudo univerſi, arboris, hominis, imò & animi quatenus videl. ejus potentiæ ita ſunt ordinatæ, ut una alteri inſerviat: aliquando autem ſtrictè, & ad hunc locum ſumitur pro apta membrorum compoſitione cum quadam coloris ſuavitate, unde requiritur ad perfectam & abſolutam pulchritudinem qualem cum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus Chriſtum habuiſſe conſtat, debitus membrorum nexus, eorundem in propria ſede ſituque collocatio & congrua magnitudo, per quas conditiones excipere licet defectuoſos & non oculos, membris redundantes ut bicipites, gigantes & pygmæos, ſi præſertim illi ſint prodigioſæ, & hi nimis exiguæ molis: Nam puſillos vocat Ariſtoteles 4. Ethic. c. 3. non pulchros ſed venuſtos & elegantes, quia ſcil. poteſt in iis effloreſcere ſaltem gratia venuſtatis ex partium quodam lepore ſi non pulchritudo ex debita magnitudine: Deinde præter hanc concinnam membrorum ſtructuram requiritur etiam colorum ſuavitas, qualis non eſt in colore pallido vel atro ex morbo, calore ſolis, genitoribus aliiſque cauſis, ſed in rubore cum albedine mixto &c. His poſitis Reſpond. pulchritudinem non ex temperamento ſolùm oriri ſed etiam à virtute formatrice & auctrice unde concinna & abſoluta membrorum ſuavitas oritur: Itaque licet quædam bruta propter colorum varietatem videantur pulcherrima, non tamen habent eam pulchritudinem, quæ ad perfectiſſima munia exercenda ſpectat, & ex proportione debitaque membrorum congruentia deſumitur. Quod autem homo cætera viventia abſolutè ſua pulchritudine vincat, vide D. Greg. Nyſſenum, alibi etiam citatum l. de hominis opificio c. 3. aliosque Patres ſanctos: Hanc tamen pulchritudinem longè adhuc ſuperabit illa beatorum & corporum glorioſorum pulchritudo, quæ in unoquoque tantò magis ſplendebit, quantò propius ad Chriſti pulchritudinem, ut quæ omnium abſolutiſſimum exemplar, acceſſerit; unde etiam D. Paulus ad Philipp. 3. ait, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.

DIFFICULTAS XII.

Quodnam temperamentum ſit optimum ad ingenii claritatem.

NOmine ingenii nihil aliud intelligitur niſi quædam cerebri qualitas ſeu diſpoſitio, qua homo in apprehendendo per intellectum, in diſcurrendo, componendo, judicando, aliisque ejusmodi officiis obeundis maximè eſt capax & habilis. *Ingenium quid.* Cæterùm cum ad exercenda hæc officia concurrat phantaſia cum intellectu agente, & ipſa bonitas phantaſiæ pendeat à ſenſitorio & à corpore cujus omnes actiones plurimùm debent innato temperamento; Non immeritò hic quæritur quale temperamentum ſit maximè idoneum ad excellentiam ingenii & mentis perſpicacitatem, & quæ ad hujus præſtantiā conferant: Licet autem aliud videatur eſſe temperamentum, aliud complexio, quod hæc permixtionē humorū, illud autem qualitatū ſignificet; quia tamē ordinariè cōjuncta ſunt imò à ſe invicē abeſſe non poſſunt, idcircò communiter pro eodē uſurpantur: Qui n. habet complexionem

cho-

choleticam ipſe communiter dicitur habere temperamentum igneum vel calidum, & qui ſanguineus eſt, aereus etiam & calido humidus eſſe creditur, niſi tamen aliquando complexio vel temperamentum ſit accidentarium, id eſt, ex mala victus ratione, aliiſque rebus non naturalibus exortum; nam hoc modo poteſt pituitoſus eſſe calidus, & bilioſus frigidus, quorum ſcil. unum eſt ex natura & alterum ex accidente. Jam

DICO primo, ad ingenii perſpicuitatem optima eſt complexio cholerica melancholiæ commixta; Ita communiter omnes & Conn. l. 2. de gen. c. 8. q. 9 a. 3. ex Ariſtotele tota ſectione 30. probl. Et probatur, quia cholerici facilè apprehendunt, citò ratiocinantur, motusque habent acres, cum calor & ſiccitas generent ſpiritus tenuiſſimos & lucidiſſimos, unde etiam ingenioſi facilè iraſcuntur; propter melancholiam verò quæ revocat mentem à rebus externis eamque in ſe recolligit, Cholericus in ſe conſtanter judicat, & in ea aſſiduè incumbit, quæ ſemel apprehendit; Nam melancholia refrænat ſpiritus bilioſos nimiumque celeres, & eos ad diuturnam meditationem omnemque nobiliorem operationem contemperat. Unde verum illud quod Gal. l. quod animi mores ſequantur temperamentum, refert, ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus, intellige tamen non nimiam ſiccitatem immodico frigore conjunctam, qualis eſſe ſolet in extremè ſenibus & de quibus ipſe l. 2. de temper. & rurſum l. 5. de ſanitate tuenda circa finem. Quod ſi tamen

Qui melancholici ſint ingenioſi.

DICAS primò, Ariſtotelem libro de longitudine & brevitate vitæ, & Gal. Aphor. 1. Comment. 15. complexionem ſanguineam laudare, ergò hæc præferenda eſt bilioſæ. Reſpond. hos Authores loqui in ordine ad vitæ longitudinem & ad actiones tam naturales quam vitales, quæ per hanc complexionem, ut quæ in calido & humido conſiſtit, optimè adminiſtrantur & conſervantur.

DICES 2. Gal. libro artis Medicæ ait, mentis celeritatem calidi & ſicci eſſe temperamenti, cum hoc ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicet: Et accedit ratio, quia in cholericis abundat calor, qui alacritatem & celeritatem in omnibus functionibus exercendis addit, ergò bilioſis abſolutè convenit eſſe ingenioſos. Reſpond. loqui de bilioſis, qui ſimul ſunt melancholici; nam calor convenit bilioſis & ſiccitas melancholicis: Deinde etiamſi bilioſi habeant motus celeres & promptitudinem ad percipiendum & intelligendum, carent tamen maturitate ad judicandum tum firmitate & conſtantia ad retinendum, in quibus excellunt melancholici, ut teſtatur idem Gal. primo de natura humana Comment. 16. ad textum 39. ubi ait, quod animi acies & intelligentia ſit à bilioſo humore, conſtantia autem & firmitas à melancholico.

Cholerici quare non ingenioſi.

DICES 3. Ariſtoteles 2. de anima c. 9. docet, quod illi qui habeant carnem mollem, ſint ingenioſi; ſed pituitoſi habent carnem mollem, ergò. Idem & docet l. phyſiogn. de carne. Reſp. Ariſtotelem non loqui de mollitie, quæ ortum habeat ex humore pituitoſo & aqueo ſeu frigido, ſed quæ ex aereo provenit. Hinc enim temperamentum pituitoſum ad exercendas operationes mentales eſt omnium ineptiſſimum, quia propter nativi calidi imbecillitatem generantur cum hoc multa excrementa, multique craſſi & lenti humores qui ſpiritus obtundunt, & ad motum tardiores efficiunt: propterea pituitoſi ſunt rudes, pigri, tardi & ſomnolenti adeò ut iis teſte Heurnio Medico de humoribus anima pro ſale veluti ſuibus data ſit.

DICES 4. Ariſtoteles 30. probl. 1. ſcribit, omnes Viros claros ſemper fuiſſe Melancholicos, ergò falſum eſt complexionem cholericam præſtare. Reſp. Ariſtotelem intelligendum eſſe de iis, quibus cum flava bile ſimul atra commiſcetur, vel quibus ineſt flava bilis claro ſanguine fortique calore attenuata, non autem atra, ſicca, frigida & flatulenta: vel certè Ariſtoteles locutus fuit de iis qui propter multa ſtudia continuosque labores tandem ex cholericis in melancholicos collectâ copioſâ bile atrâ evaſerunt, quod fieri poſſe teſtantur Medici: Hinc patet pituitoſos propter defectum caloris eſſe tardos, ſomnolentos, pigros, pingues; ſanguineos ob ſanguinis copiam nulla re ſeria & gravi detineri, totos in jocos, fabulas, cantiones, cibum, potum, libidines & voluptates ferri, quæ magnoperè mentem offendant; Cholericos habere motus nimium acres & celeres; melancholicos autem propter frigus & ſiccitatem nimium tardos eſſe, & ſimul cholerici, aptiſſimos ad benè clareque agendum.

Effectus complexionum.

DICO 2. ad ingenii bonitatem imprimis multum conferunt natalitia ſydera in bono ſenſu, quia videl. juxtà D. Thomam 3. contra Gentes c. 84. influunt in humores & organa ſenſuum variiſque affectionibus ea imbuunt. Deinde Progenitores, qui jure hæreditario complexionem, robur, imbecillitatem, valetudinem, virtutes & viria conferunt: Adhæc Regiones, quia aliter in hanc quam in illam Regionem juxtà conſiderationem aliarum circumſtantiarum & diſpoſitionem influunt ſydera ut notiſſimum eſt; Sic vitia, virtutes, affectiones & mores animi quibusdam gentibus ex loci natura ſunt ingeniti ut patet in Hiſpanis, qui ſunt jactabundi & glorioſi; de Scythis qui ſunt feroces; de Arabibus qui ſunt effœminati; de Aſiaticis qui ſunt molles; de Germanis qui ſunt fortes, conſtantes, ſinceri &c. Tandem etiam ratio victus & omnis frugalitas multum facit ad ingenii acumen ut docet Gal. l. de cibis boni & mali ſucci: Sicut autem omnis frugalitas & victus bonus, unde generantur boni humores & ſpiritus, plurimùm conducit; ita in contrarium omnis intemperantia & alimenta, quæ gignunt craſſos humores & ſpiritus, non parum officiunt:

P 2 His

His omnibus addunt Medici immodicum vini uſum & obſcænas voluptates, quæ ideò maximè inter reliqua effundunt ingenium, quia vel generant craſſus & turbulentos ſpiritus vel conſumunt hebetantque mentis operationes, qua de re videri poteſt Albertus Magnus l. 22. de animal. ubi refert in cujusdam viri anatomia caput fuiſſe repertum cerebro vacuum propter tot frequentatas libidines.

DIFFICULTAS XIII.

Quodnam temperamentum valeat ad vitam longam.

DAnd. l. 1. de corpore animato c. 27. docet, complexionem cholericam eſſe aptiſſimam pro longa vita, & cum calida ſit & ſicca, maximè reſiſtere morbis; phlegmaticam unam tantùm habere qualitatem vitæ ſociam & adjutricem, videl. humorem; melancholicam verò duas mortis pediſſequas, ſcil. frigus & ſiccitatem, ſanguineam tandem facilè morbis ſubjectam eſſe, quod calore & humore abundet.

Turiſanus, Thomas de Garbo & alii præferunt humidum & calidum temperamentum calido & ſicco: Et hæc ſententia videtur etiam fuiſſe Galeni l. 6. de ſanitate tuenda c. 8. & Ariſtotelis, qui multis in locis humorem & calorem vitæ principia ſtatuit.

Adverte, temperamentum vel conſiderari abſolutè abſque habito reſpectu ad morbos, qui facilè hinc gigni poſſunt, vel in ordine ad ægritudines, quibus vel magis vel minus reſiſtit. His poſitis

DICO primò, ſi temperamentum primo modo conſideretur, ad vitam longiſſimam conducit maximè humidum & calidum, id eſt, ſanguineum. Probatur, quia illud temperamentum maximè valet ad vitam protrahendam, quod in ſe continet principia vitæ; ſed hoc habet temperamentum ſanguineum, videl. humorem & calorem, ergò. Confirmatur, quia imprimis cum complexione ſanguinea ordinariè conjuncta eſt optima membrorum & organorum conformatio, meatuum amplitudo, humidi radicalis diſtributio &c. quibus omnibus vita conſervatur, Deinde quia in ſanguineis omnes functiones vitales maximè & perfectiſſimè adminiſtrantur, ut patet ex robore corporis & virtute omnium viſcerum, unde etiam variis morbis & imprimis ſiccitati & frigori quæ ambo mortis ſunt ſociæ, reſiſtunt. Adhæc infiniti penè homines moriuntur ex defectu caloris nativi & debilitate complexionis, ex vitioſa corporis conſtitutione aliiſque quamplurimis erroribus quibus nullum temperamentum magis reſiſtit quam ſanguineum, ergò verum eſt hoc ad producendam vitam maximè conducere.

DICO 2. Si autem temperamentum ſecundo modo ſpectetur, videl. in ordine ad morbos, qui ab humorum putredine naſcuntur, præſtat cholericum: Ex hoc modo intelligendus eſt Dand. loco citato. Ratio hujus eſt ut ipſe habet, quia nulla complexio magis reſiſtit cauſis putrefacientibus & morbis ab humorum putredine dependentibus. Siccitas enim eſt qualitas quæ maximè reſiſtit putredini, ut patet in ſale, aloe & aliis, tum in vulneribus ubi ſiccantibus opus eſt. Et hinc colligitur non fruſtrà additum eſſe, complexionem cholericam reſiſtere morbis putridis, ne quis putet ad omnes morbos hanc reſiſtentiam extendi poſſe, quia hoc falſum eſſe inde manifeſtum eſt, quia etiam cholerici multis obnoxii ſunt morbis ut conſtat Medicis: Deinde cholerici non abundant tantoperè humido radicali ſicut ſanguinei, ut proinde non poſſint reſiſtere morbis frigidis, ſiccis &c.

DICES, ad vitæ commoditatem nulla videtur complexio melior quam temperata, ergo non ſanguinea nec cholerica. Antecedens eſt Dini, Conciliatoris & aliorum, & ratio eſt, quia in complexione temperata non tantoperè agunt in ſe mutuò qualitates ſicut in iis ubi vel una vel altera qualitas dominium habet. Reſpond. Dandinus loco citato, hæc omnia vera eſſe, ſi vitam ſanam conſideremus abſolutè & abſtrahamus à longævo: Sed quia quæſtio eſt de vitæ diuturnitate quam abſtrahimus ab operationibus, à temperie vel intemperie & ſignificamus ſolam permanſionem animæ vegetativæ cum calido, ut ab Ariſtotele definitur, certum eſt vitæ diuturnitatem conſiſtere in humido & calido: Fit enim ſæpè ut is ad magnam ſenectutem perveniat, qui nunquam temperatus eſt, ſed utplurimùm valetudinarius & frequentibus morbis obnoxius.

DIFFICULTAS XIV.

Quænam temperamenta conveniant ætatibus & temporibus anni.

QUatuor ſunt Elementa, quatuor humores, quatuor ætates & quatuor tempora anni, de quorum temperamentis & qualitatibus quæ & ipſa quatuor ſunt, hic ex parte inquiritur: quod elementa quatuor ſint totidemque anni tempora & humores, vix aliqua præterquam apud nonnullos circà ignem eſt controverſia; de ætatibus variè à variis ſentitur, dum aliqui tres, aliqui ſex, ſeptem aut plures vel pauciores etiam ſtatuunt: Melius tamen & probabilius faciunt, qui ad proportionem quatuor temperamentorũ hominis diſtribuunt ætatẽ in adoleſcentiã,

quæ

quæ ſub ſe infantiam & pueritiam comprehendit, in juventutem, in virilem ætatem & ſenectutem: Et juxtà hunc ordinem & qualitatum primarum tum diſtributionem tum contemperationem habemus etiam quatuor anni tempora, quibus alias & alias obſervamus alterationes aeris & tempeſtates: Equidem vita noſtra in humido & calido conſiſtit, & dum animal in quacunque ætate conſiſtens vivit, calorem & inſtrumentum primarium ad actiones vitæ obeundas, & humorem velut pabulum & fomentum caloris requirit; cum verò calor & humor ætatum decurſu varias habeant mutationes, ideò accidit ut una ætas jam magis minusve calida aut humida dicatur, quod idem de frigore & ſiccitate intellige: Similiter cum corpora cœleſtia perpetuò moveantur & ſtellas errantes præſertim verò ſolem variis motibus jam propinquius nobis advehant, jam remotius abducant, fit ut per hujus acceſſum & receſſum varias circà calorem, frigus, humorem & ſiccitatem, immutationes & conſequenter ab his emergentes aeris alterationes & tempeſtates ſuſtineamus non alium in finem quam ut per hujusmodi viciſſitudines res omnes ſublunares gignantur & conſerventur, tum ut hiſce temporum vicibus homines qui aliàs varietate gaudent, nonnihil ad impediendum vitæ tædium recreentur, ipſa etiam denique inferiora corpora ſive mixta ſive ſimplicia à maturiori interitu vindicentur. Quæritur itaque, quale temperamentum conveniat ætatibus hominum & temporibus anni, & qualem proportionem inter ſe habeant.

DICO primò, pueritia & adoleſcentia eſt calida & humida, habetque temperamentum ſeu complexionem ſanguineam; juventus eſt calida & ſicca, habetque temperamentum bilioſum, Ætas virilis eſt temperata, quâ juventutem reſpicit, quâ ſenectutem frigida & humida, & habet complexionem pituitoſam: Senectus denique eſt frigida & ſicca, habetque duas qualitates mortis ſocias, easdem ſcil. quæ melancholiæ competunt. Probantur ſingula; nam quod imprimis pueri & adoleſcentes ſint calidi & humidi, hinc manifeſtum eſt primò, quia recenter ex ſanguine & ſemine calidis & humidis coaluêre. 2. quia molles ſunt & tenelli. 3. quia minus firmi ſunt & robuſti. 4. quia multum comedunt & creſcunt. 5. quia ſomnolenti ſunt, humor enim cum vaporem copioſum exhalet, ſomnũ conciliat. 6. quia non vigent intellectu eò quod organa ſenſuum internorum multo humore in functionibus ſuis perfectè obeundis impediantur, unde à contrario ſenes ob ſiccitatem diu multũq; vigilant, & intellectu præſtant, ergo pueri non tantum ſunt calidi ſed etiã humidi, imò magis humidi quã juvenes. Deinde quod hi ſint calidi probatur, quia primò ſunt vicini ortui, in quo à parentibus copioſũ calidũ acceperunt. 2. quia omnes eorũ actiones vitales ſunt & quaſi ignei. 3. quia experientia tactos docet eos eſſe calidos & quidẽ calidiores viris & ſenibus, an etiã pueris alibi dicetur; quod ſimiliter ſicci ſint non quidẽ abſolutè, quo ſenſu nulla pars corporis animata eſt vel ſicca vel frigida, ſed facta collatione ad pueritiã, probatur, quia habent juvenes calorẽ magis acrẽ & æſtuoſũ, qui proinde magis ſiccitati jungitur, ut ex omnibus eorũ actionibus confirmatur. Accedit ætas virilis, cujus tẽperatio quã juventutẽ reſpicit, hinc oſtenditur, quia primò omnes actiones in hac ætate tẽperatæ ſunt. 2. quia hic ordinariè ſumũt viri incremẽtũ corporis vers⁹ latitudinẽ, videl. ob bonã caloris & humoris tẽperaturã, quæ non tãtũ ſufficiens eſt, ut molẽ corporũ in præſenti ſtatu & gradu conſervet, ſed etiam ut eam adaugeat; ſed quò magis ad ſenectutem deflectitur, eo etiam calor fit debilior, fitque corpus frigidum & exiccum, quia videl. humidũ radicale conſumitur, nullumque ſubſtituitur per nutritionem, & ſi quod humidum accedit, illud aqueum eſt & frigidum, idcoque corpori accidentarium. Quæ enim humiditas eſt in ſenibus, ea colligitur ex defectu caloris neque ad corpus ſpectat, ſed quæ homini paulatim totum calorem adimit & vitam: Itaque frigiditatem ſenum teſtatur articulorum tremor & totius corporis debilitas, quæ duo proveniunt ex defectu caloris non potentis amplius jam membra ſuſtinere & in ſublime erigere; ſiccitatem indicat ariditas cutis ex penuria vaporũ & exhalationum transſudantiũ.

Pueri ſunt calidi & humidi.

Iuvenes calidi & ſicci.

DICO 2. temperamento ſanguineo & aereo correſpondet ver, quod eſt humidum & calidum, bilioſo ſive igneo æſtas, quæ eſt calida & ſicca, melancholico ſive terreo autumnus, qui eſt frigidus & ſiccus, pituitoſo vel aqueo hyems, quæ eſt frigida & humida. Hæc Concluſio deſumitur ex ipſa natura horum temporum, ſenſuque communi, & corroboratur experientia; nam quod hyems ſit frigida, experiuntur malè veſtiti; quod æſtas calida, noverunt illi, quibus ſolis æſtus eſt moleſtus &c. Hic tamen adverte, temperamenta & anni tempora ſecundum principium, finem & medium ſemper nonnihil evariare, quia in principio conveniunt cum eo, quod præceſſit, in fine cum eo quod ſequitur, in ſolo medio habent naturam ſibi ſoli propriam; ſic juventus in principio eſt humida & calida, quo utroque cum adoleſcentia convenit, in fine ubi ætatem virilem tangit, temperata eſt; in medio autem quia calidior eſt, ideò ſiccitatem comitem habet: Et ſic ver quod calidum eſt & humidum, non ex æquo tale eſt, quia initium ejus aliquid adhuc de frigore participat, unde etiam plus humoris quo cum hyeme convenit quam caloris habet; finis ob propinquitatem imminentis æſtatis minus humoris quam caloris obtinet; ſolum medium temperatè humidum eſt & calidum; & hoc idem de cæteris intellige. De ſola humiditate hyemis & ſiccitate autumni eſt difficultas; Nam

DICES primò, hyems ſiccior eſt quam autumnus, eſt frigidior, magisque nocet vitæ *Hyems an ſiccior autumno.*

 quæ

quæ in calido & humido conſiſtit, ergò ſiccitas propriè convenit hyemi. Reſp. negando conſequentiam, quod autem hyems imprimis ſit ſiccior, id eſt per accidens, quia omnia conſtringuntur frigore & glacie, aliàs per ſe eſt humidiſſima, quod indicant continuæ nives, pruinæ, gelu, glacies &c. quod hyems ſit frigidior quam autumnus verum eſt, idque ex longiſſimo receſſu ſolis; ſed hoc nihil convincit uiſi quod animal hyemale frigus propter intenſionem difficulter ſuſtineat, eſto conjunctum ſit humori, quia etiam frigus aquæ plus officit quam frigus terræ: Nec quicquam ſuffragii habet humor, qui non eſt qualitas motis, quia quando dicitur vitam in calido & humido conſiſtere, accipitur ibi humidum in concreto pro ſubjecto ſimul, quod ſit caloris pabulum, ne calore in ſe conſumptus deficiat. Deinde non convenit autumnum eſſe frigidum & humidum, quia utràque qualitate eſſet contrarius æſtati &c.

DICES 2. Hipp. de natura humana docet quod ver ſit calidum & humidum; Galen. autem ſect. de temper. c. 1. quod ſit temperatum, ergò vel unum vel alterum eſt falſum. Reſp. negando conſequentiam: Nam quando Hipp. dicit, ver eſſe humidum & calidum, putat calorem ſuperare frigus & humorem ſiccitatem: Quando autem Galenus vocat temperatum, ſenſus eſt quod calor & humor ita exeedant, ut vix exceſſus deprehendatur, adeoque meritò temperatum ſit æſtimandum, ſi præſertim fiat comparatio ad aliorum temporum complicatas qualitates, v. g. caloris & ſiccitatis in æſtate.

DICES 3. nunquam plures morbi accidunt quam tempore verno, ut habet Ariſtoteles 1. probl. 27. & Hipp. 3. aphor. 20. ergò tempus vernum non eſt ſalubr. Reſp. negando conſequentiam; quod autem tempore verno multi morbi accidant, id eſt per accidens, quia videl. corpora ſunt inſalubria & plena excrementis ex hyeme præteritâ congeſtis.

DICES 4. magnas & copioſas pluvias experimur in autumno & in hyeme omnia frigore exicca & glaciata, ergò autumnus erit frigidus & humidus, hyems autem frigida & ſicca. R. negando conſequentiam: Quod autem in autumno pluvias habeamus & in hyeme vel nives vel pruinam, id eſt per accidens, quia videl. frigus intenſum hyemis omnia conſtringit, quod propter temperatum vel frigus vel calorem non poteſt fieri in autumno. Sed nec poteſt eſſe autumnus frigidus & humidus propter immediatè præcedentem æſtatem, quia aliàs hujus utrique eſſet qualitati contrarius, quod fieri non poteſt, ne contrà ordinem naturæ duæ ſimul qualitates pereant, aliæque duæ contrariæ producantur, quod nec in aliis temporibus obſervari ſolet, ſed nec poteſt aut debet.

DICO 3. etiam quatuor ætatibus reſpondent aliquo modo quatuor anni tempora, ita ut cum vere proportionem habeat adoleſcentia, cum æſtate juventus, cum autumno virilis ætas, & cum hyeme ſenectus. Hæc concluſio non aliter probatur, quam ex ipſa tam corporum quam temporum naturali conſtitutione, & quod ita experientia & non aliter eſſe doceat; Nam videmus tempus vernum eſſe humidum & calidum, id quod etiam de infantibus, pueris & adoleſcentibus judicamus: Dixi tamen aliquo modo, unde quædam cum explicatione advertenda ſunt, præſertim cum in pueris imprimis & adoleſcentibus videamus copioſum calorem, contrà autem in vere temperatum vel etiam remiſſum; ſimiliter in æſtate magnam ſiccitatem, in juventute valde remiſſam; Adhæc in ætate virili calorem & humorem temperatum, in autumno autem abſolutam ſiccitatem; Denique in hyeme cum frigore magnam humiditatem, in ſenectute autem abſolutè ſiccitatem: Hæc inquam diſtinctione & explicatione opus habent. Nam imprimis non habent eam proportionem 4. ætates cum 4. temporibus anni, ut ſemper & ubique ſint æqualia, quia ſiunt hæ anni conſtitutiones à ſole cauſiſque elementaribus, illæ autem ab anima & diſpoſitione corporis dependentes; deinde magnam habent latitudinem & temporaanni & ætates hominum, ita ut una & eadem ætas juxta diverſos ſui terminos poſſit dici proportionaliter calida & frigida, humida & ſicca: Denique poteſt uni res aliqua eſſe per ſe & alteri per accidens propter eſſentialem utriuſque differentiam; Et ſic calor in homine eſt corporis & principii animati medium valdè neceſſarium, ne cum diſpendio ſuppoſiti multum deflectat, quod in Elementatibus annuiſque conſtitutionibus non adeò requiritur: Sic ætas virilis poteſt etiam dici & eſſe frigida & ſicca ubi terminatur ad ſenectutem, ſicut & autumnus non eſt frigidus ubi reſpicit æſtatem, proinde ubique poteſt reperiri conſenſus & diſſenſus; Sic denique poteſt humiditas hyemi eſſe per ſe & intrinſeca, ſenectuti autem per accidens, dum copioſus humor ex defectu caloris colligitur, ut ſit illi pernicioſus, qui mox tendit ad interitum.

DIFFICVLTAS XV.

Vnde homines dicantur bilioſi, melancholici.

ADverte, bilioſum aut melancholicū eſſe, dupliciter ſumi poſſe; ſemel quia abundat in homine aut flava aut atra bilis, & ſic dicimur à ſanguine ſanguinei, à bile bilioſi, à melancholia melancholici &c. Semel, quia videmus hominem elicere actiones, quas à bile aut melancholia provenire credimus, ut ſunt ira, ſubita excandeſcentia, triſtitia, mœror, taciturnitas, &

& ſi quæ ſunt ſimilia. Solemus autem ideò frequentiùs in ore biliosos & melancholicos habere, quia frequentiores ſunt paſſiones animi, quas ab hujusmodi humoribus deducimus, quamvis nec ſanguineis deſit animus ſemper in jocos & levitates effuſus, nec pituitoſis mens hebes tarda & ſomnolenta. Et hinc non eſt æquè facilè intelligere ac dicere, quid ſit eſſe biliosum, quid melancholicum, an hæ affectiones ſint corporis an animi, an ad humorem ſpectent an ad actiones cordis vel cerebri, id eſt ad paſſiones animi. Nam quod primum falſum ſit, patet inde quia reperiuntur in quibus dominatur bilis, cum tamen non habeantur bilioſi ex actionibus: Et eodem modo falſum eſt alterum, quia ſæpius videmus facetos & jocoſos in quibus phlegma vel melancholia dominatur, & contrà triſtes, tardos mœſtos, ſomnolentos qui bilioſæ ſunt complexionis.

Suppono, aliud eſſe temperamentum radicale & innatum quod cum materia ſeminali partibus organicis impreſſum eſt; aliud adventitium, quod à cauſis extrinſecis homini ſupervenit: Dum itaque quæritur, unde ſit & dicatur homo bilioſus, melancholicus, an proveniat hoc ſolum à dominio illorum humorum, vel etiam à certis diſpoſitionibus corporis & imprimis ipſius cordis.

Unde dicatur homo bilioſus. DICO primò, nec dominatur homo verè & propriè bilioſus aut melancholicus, à dominio humoris, nec ab actionibus ſive paſſionibus, quæ aliàs ſuis temperamentis ſunt peculiares, Probatur primùm, quia ſæpius dominatur bilis aut melancholia ex cauſis morbificis vel erroribus circà res non naturales commiſſis, cum tamen homo ad hujusmodi humoris dominium nullam habuerit inclinationem ſive propenſionem naturalem, ergò in hoc caſu non eſt homo dicendus bilioſus aut melancholicus ex ſuperabundantia humoris. Probatur ſecundum, actiones vitales & humanæ paſſiones & motes animi, propenſiones & inclinationes à variis cauſis, circumſtantiis & accidentibus homini quotidiè occurrentibus oriuntur, v. g. à rebus adverſis vel ſecundis, à conditione ſtatus, à ſucceſſu rei domeſticæ, ab illatis injuriis, à beneficiis, ab educatione, conſuetudine & ſimilibus, unde triſtiria, melancholia, ira, gaudium &c. & tamen hæc omnia ſuis innatis complexionibus non ſunt connaturalia, ergò ab iis non denominatur homo verè & propriè bilioſus, melancholicus. Et confirmatur ab experientia, quia ſæpius habemus melancholicos contra hujus temperamenti naturam facetos; & ſimiliter non raro bilioſos manſuetos, mites & placabilis ingenii, contrà verò phlegmaticos furioſos, audaces &c.

DICO 2. Homo dicitur verè & propriè melancholicus, bilioſus à temperamento innato. Ratio, quia temperamentum ſive complexio eſt fundamentum hujusmodi affectionum, ergò quod homo ſit & dicatur bilioſus vel melancholicus, hoc habet à temperamento innato, imò bilioſum eſſe & melancholicum eſſe nihil aliud eſt quam habere temperamentum & complexionem bilioſam vel melancholicam, adeoq; identificantur. Hoc autem ut melius intelligas, Adverte, in materia ſeminali vim omnem & qualitatum primarum harmoniam quam tribuunt parentes, inexiſtere, atque ita ſingulis membris & viſceribus corporis organici communicari, ut progreſſu temporis dum nutritur & augmentatur corpus, nunquam ita per extrinſecas Injurias & cauſas morboſas alteretur, quin ſemper ad extremum usque ſenium in hac conſervandâ ſe tueatur, & ad priſtinum ſtatum ſeu vigorem, quantum conditio corporis id patitur, ablatis impedimentis ſeſe reducere conetur. Porrò dum hæc qualitatum harmonia viſceribus ſingulis eſt impreſſa & radicata, ita efficit & modificat partes prout ipſa in ſe affecta eſt tribuitque ſanguini, hominibus & ſpiritibus denuò producendis eandem quam habet naturam, inflectitq; vel ad naturam ſanguineam, ſi ipſa in calore & humore abundet, vel ad bilioſam, melancholicam &c. atq; ita dum his ipſis humoribus totum corpus nutritur & conſervatur, ipſa quoque ſe magis & magis firmat, gignitque in omnibus membris novâ quotidiè ſubſtantiam, quæ non tantum in qualitatibus primis ſed & in ſecundis eandem cum innato temperamento naturam redoleat, ut proinde temperamentum, quo imbutæ ſunt partes ſolidiſſimæ, in integrum non pereat, eſto vehementer ab extrinſeco inflectatur. Quomodo autem citrà inclinationem nativi temperamenti tam diverſi humores in corporibus cum alimentales tum excrementitii gignantur, ut bilis in melancholico, pituita in bilioſo, &c. Id fusè apud Medicos dum morborum cauſas tractant, habetur.

DICES, temperamentum radicale non facit ſemper hominem melancholicum aut bilioſum, ergò falſum eſt, melancholicam & bilioſam conſtitutionem verè & propiè derivari à temperamento innato; Antecedens patet ex probatione ſecunda concluſionis primæ, & confirmant id non pauci mortalium, quorum ingenia, mores, paſſiones & affectiones animi contrà naturalem inclinationem ſæpè aliò diriguntur, vel ita immutantur, ut penitus alterius hominis eſſe videantur. Ad hoc argumentum Reſpondeo &

DICO 3. Melancholia humoralis ſemper eſt à temperamento radicali per ſe, non item mentalis. Ratio prioris eſt, quia ſemper alimentum ex quo gignuntur ſanguis & humores, recipitur per modum recipientis & afficitur ſicut ipſum corpus cum ſuo calido nativo totâque complexione affectum eſt, ergò ſi hæc melancholica ſit vel bilioſa, faciet etiam *Melancholia humoralis & mentalis.*

gigni connaturales huic temperamento humores. Dixi tamen per ſe, quia ex cauſis variis, exceſſibus & erroribus circà cibum & potum aliaſque res non naturales poteſt evenire contrarium & gigni bilis in phlegmatico, ſanguis bonus aut bilis in melancholico. Ratio poſterioris eſt, quia paſſiones animi, ex quibus frequentiſſimè dicimur biliosi aut melancholici, non tantum ſeqvuntur temperamentum & complexionem radicalem, ſed etiam pleraque accidentia, quæ homini quotidiè circa ſtatum & conditionem, circa honores, divitias, iujurias illatas, fortunam, res domeſticas &c. Contingunt, ſed & peculiarem diſpoſitionem & conſtitutionem corporis & imprimis cordis, quod meritò ſedes eſt appetitus tam iraſcibilis quam concupiſcibilis, ut alibi pluribus dicetur. Et certè in corde fit ebullitio ſanguinis & ſpiritum, qui idæam habent totius naturæ & complexionis; In corde vicinisque partibus fit dilatatio, dum meatus undiq; ſunt ampli & ſanguis ſpirituoſus, clarus, purus, fervidus, ut faciant hominem generoſum, audacem, hilarem &c. Et fit conſtrictio, dum ex vapore terreo, tetrico, nigro, melancholico, frigido pori recluduntur, fitque homo mœſtus, puſillanimis, deſperabundus &c. In corde denique vigent paſſiones, dum acceſſum habent ſpiritus, dum anima in cerebro reſidens & quamcunque rem ſive magis ſive minus apprehendens imperat, injuriam objicit, periculum proponit, & ob peculiares quaſdam & individuales diſpoſitiones, quæ vel majorem vel minorem inter has partes principales faciunt conſenſum in ſui corporis paſſiones aut reprimendas aut excitiendas conſentit. Itaque alia eſt melancholia humoralis, alia mentalis; Illa eſt à dominio humoris, hæc à cōſtitutione cordis in quocunque etiam ſubjecto & à variis cauſis extrinſecis, quæ in cerebro & corde juxta eorum conſtitutionem & formationem, ad quam utramque diverſimodè operatur anima, paſſiones excitant.

Melancholia mentalis fit ex variis cauſis & ex peculiari conſtitutione cordis.

DIFFICVLTAS XVI.

Quomodo animi mores ſequantur temperamentum.

GAlenus libro, quē de hac materia peculiariter conſcripſit, ſimpliciter affirmat, perturbationes & mores animi ſemper ſequi temperamentum corporis: Rationes ejus ſunt, quia nimirum percipimus ex varietate locorum, temperamentorum, anni temporum, alimentorum, ætatum, vitę generum &c. varios conſurgere mores diſtinctaſque perturbationes, cujus rei ratio alia non eſt, niſi quia ſingula enumerata connexionem habent cum temperamento corporum, quod deinde ſeqvuntur mores & perturbationes. Et hoc ait teſtari non tantum experientiam ſed etiam Ariſtotelem, qui 7. de repub. comparans Græcos cum Aſiaticis & Europæis dicat, varios eſſe harum gentium mores, id quod alii tam Medici quam Philoſophi ſemper docuerint; Et confirmat hanc Gal. ſententiam Stoicorum opinio, quæ habet quod primi animi motus non ſint in noſtra facultate, propterea que nos quâdam naturæ neceſſitate turbari & moveri.

Adverte, circà hanc materiam tria in nobis reperiri ut notat Picol. in ſuis moralibus; 1. Propenſiones ad perturbationes, v.g. ad iram. 2. Perturbationes ipſas. 3. Mores; & hæc tria ſe habent ut principium, medium & finis; nam mores non ſunt abſolutè perturbationes ſed tales rectè formatæ vel potius modi earū; Deinde nomen moris vel ſumi poteſt pro more interno vel pro externo prodeunte ab interno, quia ille eſt actio ab hoc prodeuns ejuſque inditium, hic autem eſt animi certa conſtitutio ad aliquid agendum, & competit nobis vel ab ortu vel acquiritur progreſſu temporis: Si ab ortu, vel competit univerſo humano generi, vel alicui nationi, vel quibusdam ſolum Induiduis, & de hujusmodi moribus loquitur Ariſtoteles 6. mor. ad Nic. c. 13. ubi ait ſingulis competere certos quoſdam mores per naturam: De illis autem Senc. Ep. 95. dum ait, omnium honeſtarum rerum ſemina admonitione excitantur non ſecus ac ſcintilla levi flatu adjuta ſuum excitat ignem. Mos ille qui in vitæ progreſſu acquiritur, vel eſt levis & diſpoſitio quædam, vel conſtans & habitus, qui magis propriè mos dicitur, de quo Ariſtoteles ſub initium lib. 2. mot. air, res more & aſſuetudine comparari. Cæterùm quamvis omnes actiones viventis ita à temperamento oriantur, ut ſine eo laudabiliter adminiſtrari non poſſint; Sunt tamen quædam ex iis quæ peculiariter ſuam ab hoc habeant dependentiam. Non eſt autem ſenſus an omnium facultatum actiones temperamenti naturam ſequantur, quia certum eſt quod concoctio, nutritio, accretio, viſus, guſtus, tactus, volitio, intellectio, actus vitiorum & virtutum æquè ſint in bilioſo ac melancholico; Sed ſenſus eſt, an actiones animi ſenſitivi, ſub quibus intellige paſſiones, inclinationes & propenſiones connaturales, ita dependeant à temperamento, ut non quodvis ſed certum & determinatum conſequantur. Nam communis opinio & doctrina eſt, bilioſos eſſe iracundos, & audaces, melancholicos triſtes, pituiroſos timidos, ſanguineos ſpe, gaudio, lætitia & amore plenos. Quæritur itaque an & quæ actiones poſito hoc aut illo temperamento exerceantur ab anima, & rurſum quomodo mores ſequantur temperamentum.

Suppono autem, actiones vitales vel eſſe animæ vegetativæ ut concoctio, nutritio &c. vel ſenſitivæ, ut viſus, guſtus, apprehenſio, imaginatio, appetentia, paſſiones animi, inclinationes & propenſiones naturales &c. vel denique intellectivæ, ut intellectio, volitio. His poſitis

DICO primò, actiones animæ vegetativæ, ut nutritio, accretio, generatio ſpirituum, pulſatio &c. non pendent totaliter à peculiari aliquo

aliquo temperamento, id eſt magis bilioſo quam melancholico. Probatur, quia actiones vitales pendent ab anima ſub quocunque etiam temperamento, & ſunt omnibus hominibus, imò & ipſis brutis communes, nec magis ſecundum ſe conſideratæ in uno quam in altero exercentur, ergò non dependent ab aliquo ſingulari temperamento; & confirmatur, quia vita conſervatur in humido & calido non conſideratis eorum gradibus. Dixi tamen totaliter, quia certum eſt, ſanguineos, bilioſos & in quibus calor benignior abundat, melius digerere alimentum, & gignere puriorem ſpiritum.

DICO 2. nec actiones ſenſuum externorū, ut viſus, tactus, requirunt peculiare temperamentum, ſed nec actus omnes ſenſus interni. Ratio prioris eſt, quia hujusmodi actiones fiunt ab organis ſuis ritè cum calore & humore diſpoſitis & formatis & non ab hoc aut illo temperamento. Nam æquè videt bilioſus ac melancholicus, ſentitque dolorem non imperfectius ſanguineus quam pituitoſus. Et hoc idem de motu intellige, quia ambulatio fit beneficio partium, quæ ad motum à natura deſtinatæ ſunt, cum temperamento ſive bilioſo ſive melancholico veluti primâ corporis viventis conditione ac diſpoſitione. Et hæc eadem eſt ratio circa actus ſenſus interni: Nam memoriam non habent minus bilioſi quam ſanguinei & melancholici, omnesque exercent æquè actus phantaſiæ, reminiſcentiæ &c. De appetitu ſolo difficultas eſt, qui ſive in corde ſive in cerebro collocetur, plurimùm pendet à temperamento, ut patet in paſſionibus animi: Et hinc

DICO 3. ſi mores ſumantur pro facilitate & propenſione ad varias perturbationes, verum eſt. Quod ſequatur temperamentū &c. ex cujus etiam mutatione & varietate ipſæ immutantur; Ratio eſt, quia ita connexi ſunt temperamento, ut ubicunque cenſeantur hoc ſequi tanquam effectus ſuum principium; Et hoc idem intellige de moribus, qui nobis ab ortu competunt, quia & hi proxime temperamentum, quod radix & fundamentum eorum eſt, ſequuntur. Nam docet imprimis experientia, commune hoc eſſe bilioſis quod in iram ſint proclives, & quod melancholici ſint triſtes & meticuloſi, pituitoſi ſocordes, pigri & tardi, ſanguinei deoique in jocos resque ludicras effuſi; Et ratio omnium eſt quia imprimis bilioſi ſunt calidi & ſicci, ideòque gignunt multam bilem, ſanguinem & ſpiritus calidiſſimos, qui ad quemvis animi motum celerrimè rapiuntur ad caput & cor undique pervium, & ideò hi ſimul etiam audaces ſunt, quia cum omnia incendio velut ardeant, nullâ ratione ducuntur, ſed cæci in pericula delabuntur: Deinde melancholici ſunt triſtes quia humor melancholicus terreæ eſt ſubſtantiæ, craſſus, frigidus & ſiccus, ideoque conſtringendo vitalia eorumque ſpiritus triſtitiam, metum & puſillanimitatem infert. Adhæc pituitoſi ſunt hebetes, ſomnolenti tardique ingenii, ſanguinei verò ſemper hilares & læti animique præſentis, illud quia pituita frigida eſt gignitque ſpiritum craſſum & frigidum actionibus animalibus imparem & inutilem, hoc autem quia ſanguis humor benignus eſt vitæq; humanæ, cujus actiones in affabilitate quadam conſiſtunt, maximè proportionatus. Quod autem hæc ut plurimum & non ſemper accidant, præter communem certamque experientiam ratio eſt, quia impediunt hoc variæ frequenter circumſtantiæ, diſpoſitiones & differentiæ ultimæ ſive individuantes, cujusmodi ſunt quabitates & temperamentum adſcititium, quod vario genere potus, cibi, aliquarumque rerum non naturalium accrevit, amplitudo vaſorum circa ſubſtantiam cordis, magnus item conſenſus ſive ſympathia cordis eum cerebro, qui non ſemper & ubique idem eſt, internæ membrorum formationes quæ vel magis vel minus anſam ad cordis alterationem præbent, tum infinitæ aliæ diſpoſitiones individuales, quæ animam in ſingulis hominibus aliter operari faciunt. Similiter propenſiones in hoc aut illud non ſemper dependent à temperamento, ſed à peculiaribus etiam parentum impreſſionibus, præſertim matris tempore geſtationis, ab influentiis cælorum, ab educatione, conſuetudine, generis nobilitate, ſocietate, gratia divina, &c.

Effectus humorum in bilioſis, melancholicis, &c.

Quæ paſſiones animi & mores impediant, quo minus naturam per. ſequātur.

DICO 4. Si mores ſumantur prout à nobis progreſſu temporis acquiruntur, non ſequuntur propriè & directè temperamentum nec nobis per naturam competunt. Ratio eſt, quia in noſtra facultate eſt eos exercere & non exercere, comparanturq; conſuetudine, quæ etiam propterea altera natura dicitur. Dixi propriè & directè, quia licet temperamentum neceſſariò non ſequantur, magnam tamen ab eo hauriunt propenſionem, cum homines ut plurimùm ita vivant, ut ſuis cupiditatibus indulgentes non ductum rationis ſed brutalis appetitus ſequantur, quod non accidit in homine prudente & benè educato, qui novit rectâ ratione depravatas ſuæ naturæ propenſiones corrigere. Adverte hic, alia eſſe quæ neceſſariò temperamentum ſequuntur, ut odores, colores, ſapores, ut conſtat ex alibi dictis; alia autem quæ non neceſſariò illud ſequuntur, ſed quæ labore & conſuetudine emendari poſſunt, ut perturbationes & mores animi, cujus varietatis ratio eſt, quia hi cognitionem requirunt cui etiam ex parte ſubiiciuntur, niſi tamen aliquæ paſſiones ſint nimis vehementes & incorrigibiles, ut inſania furor, amentia, quæ cum nullis legibus ſubjectæ ſint, potius ægritudines corporis quam animi nuncupantur. Et hinc colligitur, affectiones animi magis ſequi temperamentum in brutis quam in homine, quia hic rationem dominantem habet, illa cognitionem tantum imperfectam. Quantumvis autem homo rationis legibus ſubjectus ſit, motus tamen primos frenare neſcit, adeoque non habet eos in ſua facultate vel elicere vel non elicere, eùm abſolutè rationem antevertant.

DICO

Ingenium quid. DICO 5. Ingenium, quod nibil eſt aliud, niſi quædam conſtitutio corporis & imprimis cerebri benè diſcurrendi, apprehendendi, judicandi, cæterasque ejusmodi functiones obeundi, dependet à temperamento, non autem volitio & exercitium multorum actuum virtualium. Primum probatur ex Ariſtotele ut videre eſt Difficult. 9. hujus Diſput. probatur ſecundum, quia volitiones æquè cadunt in bilioſum, ſangvineũ, &c. quamvis aliquando ob nimium calorem ſpirituum qui ſunt à temperamento, cognitionem perfectam antevertant. Actus virtutum & vitiorum ad gratiæ divinæ vel amplexum vel deteſtationem pertinent, ut videre eſt apud Theologos.

DICO 6. Pulchritudo non oritur ex ſolo temperamento, ſed partim ab hujus bonitate, à qua plerumque ſuavitas colorum exiſtit, partim à virtute formatrice & auctrice. Primum patet inde, quia multos videmus deformes eſſe, qui tamen egregia ſunt valetudine & optima qualitatum temperie: Similiter ſecundum manifeſtum eſt, quia à vi formatrice & auctrice eſt concinna & abſoluta membrorum perfectio.

DICES cum Galeno, mores ſequuntur animam tanquam ſuum principium: Sed anima nihil eſt aliud quam temperamentùm, ergò etiam ſeqvuntur temperamentum. Reſp. negando minorem tanquam doctrinam falſam & impiam, quæ etiam adverſatur naturæ & conditioni morum, qui propterea tales dicuntur, quia competunt nobis non natura ſed conſuetudine ex Ariſtotele 2. ad Nicom: ſi autem temperamentum neceſſariò ſequerentur, ex naturà nobis competerent ſicut & alia quæ dependent à temperamento. Et adverſatur hoc etiam experientiæ, quia ſæpè experimur in nobis rationem pugnare cum propenſione & nonnunquam dominari, ut videre eſt in Viris fortibus, quod omninò fieri non poſſet, ſi dependerent à temperamento; quin imò compertum eſt in multis ſapientibus mores cum temperamento pugnaſſe ut de Socrate refert Alex. Aphrodiſæus. His omnibus accedit quod Aſſertores hujus opinionis diſſentientia loquantur: Nam Gal. c. 11. hujus libri dicit, necandos eſſe viros malos, ut eorum exemplo alii ſcelerati terreantur, quod tamen fruſtrà fieret, ſi mores ſequerentur neceſſariò temperamentum, quia non homines ſed natura punienda eſſet, ut quæ neceſſariò ſtatui deberet principium probarum & improbarum actionum, non autem libera hominis prælectio, quæ periret; Et fruſtrà leges proponerent præmia bonis malisque pœnas. Quod ſi Galenus eodem loco dicat, nos diligere probos & odiſſe malos, non quia ex prælectione oriantur eorum peccata probæque actiones, ſed quia eſt ſui natura bonum ſervandum & amandum eſt, malum contrà deteſtandum; Reſpondetur, hoc potius eſſe erroris confirmationem quam purgationem; Nam aliud eſt loqui de bono & malo animi & morum, & aliud de bono & malo naturæ; mores dicuntur boni & mali ſuntque puniendi, quia ex noſtra ſunt prælectione, contrà verò qui ſunt à natura: Et ex hoc fundamento damnamus homines vitioſos non albos, nigros, deformes, quia hoc eſt in natura, illud in prælectione & moribus. Adhæc ſententia Galeni de facinoroſis necandis ſibi adverſatur; nam cum dicat animam eſſe temperamentum, non erit melius facinoroſum mori quam vivere, quia hujus exemplo alii non corrigentur, cum eorum temperamenta propterea non mutentur. Denique ex hac Galeni doctrina ſequitur, magis ſupplicio plectendum eſſe illum, qui morbo contagioſo laborat ut benè notat Picolom: ciratus, quam injuſtum & vitioſum, cujus ratio eſt, quin ab hoc noſtrum temperamentum & noſtra natura non læditur aut offenditur ſicut ab illo.

DIFFICVLTAS XVII.

Quas complexiones habeant animalia, eorumque ſingula membra.

SUppono differentias temperamentorum vel deſumi à ſexu vel ab ætate vel à ſubjecto partiali; Ita enim ſexus marem habet & fœminam, & ex his diſcrepantia temperamentæ. Ita ætas infantiã, pueritiam, adoleſcentiã, &c. Ergò ætates plurimum inter ſe temperamentis differunt. Ita denique aliæ partes ſunt carnoſæ, oſſeæ & ſpermaticæ, aliæ muſculoſæ, ſanguineæ, ſpiritales.

Temper. Viri vel maris calidius eſt quam fœminæ. DICO 1. Ordinariè temperamentum maris eſt calidius quam fœminæ. Dico ordinariè, quia ſecundum nonnullorum opinionem fœmina calidiſſima Viro frigido calidior eſſe videtur. Probatur primum 1. Mas in omnibus eſt perfectior & natus ex intentione Generantis. 2. Mas generatur ex calidiori ſanguine ut ait Hipp. 1. de diæta & 5. aph. 48. 3. Celerius formatur, movetur velocius, eſt fortior, ſiccior, ſolidior, quæ omnia conſeqvuntur vim & efficaciam caloris, ſicut & ratio victus, inſtitutum vitæ, mores, omnesque actiones vitales. De ſecundo dubium eſt, certum tamen quod ſæpius multæ circumſtantiæ in fœmina excepto ſolo ſexu ſuperent virum. Reperiantur enim aliquando fœminæ quæ etiam ad virum comparatæ in omnibus actionibus illi vel æquales ſunt vel etiam ſuperiores ut experientia docet; Sed quidquid in fæmina ſit, probabilius eſt, virum eſſe calidiorẽ quocumque etiam calore. Rationes quædam & circumſtantiæ pro fœmina pugnantes nihil convincunt. Nam ſi

DICAS 1. Fæmina pulſum habet celeriorem. 2. Uberiorem gignit ſanguinem. 3. Animoſior eſt & iracundior. 4. Citius creſcit, pubeſcit, deficit, &c. Quæ omnia à caloris exuperantia proficiſcuntur. Reſp. ad primum, concedendo antecedens, quia hoc ipſum arguit fœmineī caloris inefficaciam propter angusti-

Digitized by Google

guſtiam vaſorum, quæ ex defectu caloris oon ampliantur. *Reſp.* ad ſecundum, fœminam generare ſanguinem uberiorem non calidum ſed frigidum & aqooſum. *Reſp.* ad tertium, nihil aliud concludi, quam quod fæmina paſſiones habeat Viro deteriores, & quod magis aut facilius ad iram excitetur noo ob efficaciam caloris, ſed ob pravitatem naturæ & malitiam, unde etiam ſæpe videmus virum frigidum calido magis & citius incendi oon propter caloris abundantiam, ſed propter alias cordis & corporis iuternas diſpoſitiones, tum faciliorem æſtimatæ Injuriæ apprehenſionē, quâ corpus & humores citius alterantur & moventur. Ad hæc multa poſſunt aſcribi calori influenti noo innato tum reliquis circumſtantiis ut robori corporis, coagmentationi membrorum, valori viſcerum, ſtatui & conditioni: Hinc enim vir phlegmaticus minus robuſtus & compactus, defectuoſus, vitæque & conditionis miſeræ minus videbitur calidus quam fæmina heroina & Virago cujus temperamentum bilioſum, corpus benè formatum & ſtatus vitæque conditio ſuperior eſt. Ad quartum *Reſp.* ex illis quæ adferuntur manifeſtè ſequi, quod principia generationis io fæmina ſint infirmiora citius que ad interitum tendant: Sed hæc pateot ex ult. difficult. Diſp. 2.

DICO 2. Ætatum temperamenta plurimùm etiam inter ſe diſſident. Probatur experientia, quia videmus hominem non tantum delioeamentis, figura & forma exteriori ſed etiam qualitatibus alterativis & motivis plurimum à ſe deflectere, cujus ratio eſt mutuus partium illarum inſultus, quo ſubjectum ab intrinſeco eſt corruptibile, ut proinde non poſſit ſemper exiſtere ſibi ſimile propter tot continuatas Agentium alterationes corruptivas: Nam ut optimè quidam ait, quod erat primùm humidius, paulatim humore per calorem abſumpto fit aridius: Quod mollius, ſucceſſivè tangitur ſolidius & durius; Quod corpus minutius, extenſis per novam adgenerationem partibus mole ſua eſt vaſtius; Quod ad motum impotentius, contractis nervis & muſculis tandem erigitur fortius, turſumque cadir debilius; Quod demum ceu flos vernans in adoleſcentia vigebat humido virentius, poſt juventutem decreſcit turpius, & io ſenecta cadit triſtius.

DICO 3. Partes carnoſæ ſunt ſpermaticis calidiores. Ratio eſt, quia hæ exangues quaſi ſunt & ſiccæ, illæ ſanguine redundantes & molles. Calidiſſimus autem in univerſo corpore ſpiritus influens nou fixus, quem proximè ſequitur cor, epar, ſanguis, caro ſimplex, ren, lien, pulmo, venæ & arteriæ fibris plenæ. Frigidæ partes ſunt oſſa, cartilago, ligamentum, tendines, cerebrum, ſpinalis medulla, nervi, membranæ. Humidæ ſunt adeps & medulla oſſium, cerebrum, ſpinalis medulla, teſtes & mammæ, caro muſculorum, lien, renes, pulmo, caro, liogua, &c. Siccæ nervi, arteriæ, membranæ, venæ, oſſa, ligamenta, tendines, cartilago. Temperatiſſima eſt cutis quia media eſt inter partes ſanguineas & exangues, unde etiam caro nervoſa & nervus carnoſus dicitur; De his vide Diſp. 3. Diffic. ultimam.

DIFFICVLTAS XVIII.

An homo inter animalia ſit calidiſſimus.

QUæſtio eſt imprimis de calore formali non virtuali, quem habent mixta quædam inanimata inteuſiorem, ut patet in calce, Vitriolo, Arſenico; Deinde eſt de calore tam innato qui exiſtit in humido radicali, quam de influente, qui quotidiè intra corpus ex alimentis gignitur, & viſcera roris inſtar alluit; Eſt etiam de calore animalium perfectorum & ſanguineorum; Denique eſt de calore intenſivè ſumpto.

DICO 1. Homo eſt calidioris temperamenti quam omnia cætera animalia. Probatur primo ex Ariſtotele ſect. 4. Probl. 7. ubi cum quæreret cur homo plurimum ſeminis emitteret; Reſpondit cauſam eſſe quod is omnium maximè ſit humidus & calidus, quorum illud materiam ſuppeditet, hoc verò conficiendi & emittendi ſeminis vim plurimam contineat. Probatur 2. ex eodem Ariſtotele S. 10. Probl. 55. ubi eum quæreret cur animalia ſæpius ſumant alimentum ſiccum quam humidum, & contra homo ſæpius humidum quam ſiccum; Reſpondit cauſam eſſe quod homo ideò majori egeat refrigeratione quod ſit calidisſimus. Probatur 3. ratione, plurimus ſanguis indicium manifeſtum eſt plurimi caloris; Sed in homine plus ſaoguinis eſt quam in ullo animalium proportionaliter, ergò & plus caloris quia ſanguis proprium ſubjectum eſt caloris. 4. Homo omnium animalium maximum habet cerebrum ut conſentiunt Philoſophi & Medici, ergò & copioſisſimum calorem: Probatur hæc conſequentia, quia cerebrum datum eſt ad cor refrigerandum, ergò quantò major eſt calor cordis, tantò etiam majus debet eſſe cerebrum, ergò cum in homine maximum ſit cerebrum, conſequenter debet etiam eſſe maximus calor cordis. 5. In homine ſunt operationes perfectisſimæ, ergò excellentisſimum requirunt calorem; Hoc oſtendit Ariſtoteles l. de reſpir: ubi cum quæreret cur animalia quædam habeant pulmones, hanc tradidit cauſam, quod ea quæ præſtantiora ſunt ut nobiliorem habent animam, ita vehementiorem calorem aſſecuta ſunt, ideoque illis refrigeratio fuit neceſſaria. 6. Abundat homo præ cæteris animalibus ſpiritibus vitalibus & animalibus, ergò etiam calore cujus ope & miniſterio gignitur.

DICES, multa ſunt bruta, ut Leo, Tigris, Leopardus & alia quæ calidiora ſunt quam homo, ut patet ex eorum fortitudine, animoſitate aliiſque actionibus, ergò non univerſè dicendum eſt hominem eſſe inter animalia cali-

calidiſſimum. Reſpondent aliqui, in leone & quibusdam aliis brutis majorem eſſe calotem elementarem, qui eſt corporis, non autem vitalem, qui eſt inſtrumentum animæ ſed hæc xeſponſio nihil valet, quia actiones quibus leo videtur eſſe calidiſſimus, non ſunr caloris elementaris ſed vitalis; deinde quemcunque calorem leo haber, is vitalis eſt, ergò fruſtrà affingitur alius calor corpori. Reſpondent alii,

Quomodo homo ſit calidior leone. tigride &c.

leonem, leopardum &c. non eſſe calidiores calore innato, ſed influente, qui in ſicco magis quam in humido pingui & aereo exiſtat: Sed nec hoc placet, quia hæc ſolutio concedir abſolurè quædam animalia eſſe homine calidiota, quia ab eo calore, qui in nobis quotidiè gignitur, qualis eſt influens, dicimur calidi: Si itaque leo calorem habet influentem, qui major ſit & vehementior quam hominis, dicerur abſolntè calidior eſſe quam homo: ſive enim calor in ſicco ſive in humido exiſtat, poteſt alrerum in graduum intenſione vincere. Reſpondent itaque alii fortè melins, prædominium caloris non ex una tantum actione, qualis eſt vis concoctrix in Struthione, vel animoſitas in leone, ſed ex reliquis omnibus quæ viventis ſunt, deſumendam eſſe atq; ita præſtare hominem cæteris brutis univerſis, eſto quædam ſint truculentiora ut urſus, leopardus; alia fortiora ut taurus; alia animoſiora ut leo, alia majora ut Elephas, quia præterquam quod habenda ſit ratio & proportio quoad magnitudinem, hæc omnia non convincunt abſolutè dominium calôris. vide quæ diſp. 19. hujus lib. diffic. ultima dicentur.

DICO 2. in homine pars ſiniſtra calidior eſt quam dextra. Probatur, illa pars eſt calidior quæ cordi vicinior; ſed pars ſiniſtra eſt vicinior, ergò. Major eſt Ariſtotelis l. 3. de part. animal. c. 4. ubi dicit, in homine cor ad ſiniſtram partem flectere, & paret etiam ex pulſu cordis, qui eſt in parte ſiniſtra. Major probatur, quia in corde ejusque arteriis eſt calor & ſpiritns vitalis, qui longè eſt intenſior, quam qui eſt in Epate & venis, ergò pars ſiniſtra ideò eſt calidior quia cordi vicinior.

DICES primo, plures & majores venæ ſunt in parte dextra. 2. pars dextra eſt vivacior, robuſtior, omnesque actiones promptiores. 3. Ariſtoteles loco citato ait, cor in homine aliquantulum inferiori parte ad lævam flectere, ut ejus partium frigus moderetur & compenſet, ergò pars dextra eſt calidior. R. ad primum, negando conſequentiam, quia arteriæ quæ ſunt plures in parte ſiniſtræ, intenſiorem continent ſanguinem quam venæ. Reſp. ad ſecundum, negando ſimpliciter antecedens: Quod ſi autem homo videatur eſſe robuſtior in parte dextra. id ſit propter copioſiorem ſanguinem qui eſt ſubjectum caloris, tum etiam quia à puero porius uti dextra quam ſiniſtra manu conſuevit, unde etiam ob continuatas actiones naturales videtur eſſe in ea parte robuſtior, ſicur ille qui ſemper fuit ſiniſter; Nam & hic parte ſiniſtra robuſtior eſt & ad omnes actiones promptior. Reſpond. ad tertium, ex Ariſtotele nihil aliud concludi quam partem ſiniſtram à corde eſſe valdè calidum, quod intendit hæc ſententia probare.

DIFFICVLTAS XIX.

Quibus inditiis ſingula partium temperamenta cognoſcantur.

MEdici tactum cognoſcendi temperamenti optimum indicem eſſe docent, eoque ſi ratio & reliquæ oportunæ conditiones accedanr, non incongruè deprehendi, quicquid complexionis natura corpori implantaverit; Sed quia per tactum nihil niſi qualitates tangibiles deprehenduntur, & hæ ad cognoſcendas complexiones corporis & ſingulorum membrorum non ſufficiunt, alia inſuper quærenda ſunt quibus naturæ partium omnium & totius exactius manifeſtentur.

Suppono, præcipua corporis humani temperamenta eſſe quærenda non tantum in primariis partibus corporis ut corde, cerebro, Epate, ventriculo &c. Sed etiam ex adipe, pilis, colore, figura membrorum & conſtitutione corporis, ex operationibus, paſſionibus, ſomno, ſomniis, excretis, retentis &c. Hinc ut ad ſingula.

DICO primò, Cordis calidioris notæ ſunt pulſus frequens & velox, reſpiratio magna, animus excelſus & magnus, præſens & acer, iracundus & præceps, corpus totum calidum. Frigidioris ſigna ſunt oppoſita. Siccioris ſunt pulſus durus, corpus durum. Humidioris pulſus mollis, ita parva, quæ etiam facilè pacatur, corpus humidum. Cerebri temperati inditia ſunt, ſi excrementa per nares & aures effluentia ſint naturalia, hoc eſt ſi in colore, odore & copia nihil ſit exoticum & inſolens; ſi pili in infantia ſint ſubruffi, in adoleſcentia flavi in juventute ad nigredinem vergentes non niſi criſpi & leves, mediocre caput quodque non facilè ab externis lædatur. Calidioris notæ ſunt totum corpus calidum, ſi facilè à calidis lædatur, ſomni breves & non profundi, ingenii ſenſuumque celeritas. Frigidioris ſunt ſenſunm omniumque motunm tarditas, ſomnus longus & profundus, caput nec tactu fervens nec colore rubens ſed palleus, pili renues ſerò tardeque creſcentes, plani quique non calviriem ſed canitiem cauſant; rurſum ſi à rebus frigidis offendatur, à modicè autem calidis iuvetur, unde etiam catarrhis obnoxium. Siccioris capitis ſigna ſunt excrementa pauca, capilli criſpi, matura calvities, difficilè diſcere, facilè & firmirer retinere, vigor ſenſuum, vigiliæ frequentes, Humidioris ſunt oppoſita v. g. facilè diſcere, citò oblivìſci, ſenſus turbulenti, motus tardi &c. Epatis calidi ſigna ſunt ſanguis & caro calidior, [illegible] abun-

abundantia flavæ bilis in Juventute, atræ in ſenio, venæ amplæ, corpus hirſutum. Frigidi habitus frigidior, copia pituitæ, venæ graciles, corpus glabrum. Sicci ſanguis purus & craſſior, corpus ſiccum. Humidi his oppoſita. Ventriculus calidus deterius appetit, cocta difficiliora facilè coquit & facilè corrumpit, ructus edit nitroſos, cibo potuque calido gaudet, calidis externis fotisque admotis læditur. Frigidus vehementius appetit, negligentius digerit, roctus edit acidos, delectatur frigidis, à quibus etiam facilè læditur. Sicci ventriculi inditia ſunt ſitis frequens quæ non facilè ſedatur rebus ſiccis delectatur. Humidus licet tarò ſitiat, multum tamen fert potionis. Harum partium temperaturæ compoſitæ facilè ex jam dictis colligi poſſunt ſicut & reliquorum membrorum quæ proportione quadam propter connaturalem connexionem communi vitæ inſervientem inter ſe correſpondent, & in unum temperamentum totale & adæquatum conſpirant. Sequuntur jam cætera quæ præter tactum hominis nativam complexionem indicant.

DICO 2. caro molta & rubra humidam & calidam temperaturam ſignificat cum ſoliditate membrorum & firmitate virium: Nam multa caro humorem prodit, rubedo vero ſanguinem & ſpiritum, quibuscum neceſſariò conjungitur virtus ſolida. Corpus gracile ex habitu naturali & non ex cauſa morboſa ſiccitatem prodit, & rubore aſperſum colorem. Adeps multus humorem prodit & frigus, paucus ſiccitatem & calorem: Partes enim tenuiores & unctuoſæ ſanguinis, ſi è venis exudantes in partes calidas incidant, à calore reſolvuntur; Si in frigidas, adhæreſcunt & coagulantur fitque adeps & pinguedo præſertim in fœminis. Itaque in melancholicis deeſt materia, in cholericis autem calor nimius eſt. Quod autem cordi adoaſcatur adeps, id fit ex peculiari providentia naturæ, ut ſcilicet circumjecto adipe refrigeretur & nimia exiccatio impediatur, quæ ex perenni motu tantoque calore poſſet oriri. Pilus ſi omninò non oriatur aut tardè aut rarus ſit, frigoris & humoris argomentum eſt, qoia propter frigus non poteſt materia reſolvi nec expelli nec pori aperiri & materia extrudi; Deinde abundat humor aqueus minimè aptus qui in pilum reſolvatur. Contraria ſigna habentur ex contrariis. Pilus autem craſſus & frequens ex multa materia fumoſa, craſſa & aduſta propter vehementem calorem reſoluta naſcitur, ideò piloſos homines, cum calore & ſiccitate abundent, libidinoſos dixit Ariſtoteles 4. de gent animal cap. 5. ſect. 4. Probl. 32. & ſ. 10. Probl. 26. propterea quod multum habeant excrementi reſoluti & ſeparati magnumque calorem in expellendo. Contrarium ſumitur ex ſignis contrariis, pilus criſpus & niger calorem ſignificat & ſiccitatem, quia præter pororum & meatuum obliquitates fit ex calore & ſiccitate ut apparet in Æthiopibus; Et hinc patet nigredinem ſignificare temperiem ſiccam & calidam propter deuſtum vehementi calore halitum & in fuliginem quaſi mutatum; Albedinem contrà frigidam & phlegmaticam, quia pilus albus oritur ex pituita & in ſenibus ex inopia caloris; Flavedinem & rubedinem temperaturam qualitatum, quia flavus color fit ex halitu non magnoperè aduſto, ruffus ex media materia inter pituitam & bilem; Ad hanc tamen magis quam ad illam accedit, & ideò ruffus cholericam potius notat conſtitutionem, flavus ſanguineam: Adhæc pili qui oriuntur tardè & non ita copiosè, ut par eſt, notant temperamentum humidum & frigidum, quia frigus efficit ut materia pilorum non poſſit reſolvi & per poros protrudi ad quod requiritur calor inſignis: Humor aqueus non eſt materia apta pilorum; Econtrà ſi cito creſcant, temperamentum cholericum indicant.

DICO 3. Color niger arguit calorem comburentem, albus frigus, ruffus & flavus temperatas magis qualitates. Color totius corporis naturalis & non ex regione ſi ſit albus, ſignificat frigidam & pituitoſam, ſubniger & ſubruffus bilioſam, rubens & fuſcos ſeu obſcurus melancholicam complexionem. Figura membrorum, amplitudo & rectitudo pectoris & thoracis, firmitas muſculorum, compactio totius corporis & ſoliditas indicant caloris prædominium, & amplitudo venarum copiam ſanguinis cum calore adeoque temperamentum ſanguineum. Contraria his contrarias quoque indicant complexiones: De cæteris partibus ut oculis parvis, aſperitate membrorum, naſo aquilino, &c. Incerta ſunt quæ dicuntur. Appetentia ciborum plerumque fertur in ea, quæ naturæ ſunt ſimilia ſecundum illud, ſimile appetit ſibi ſimile: Quibus igitur homo delectatur, ad eorum complexionem & temperamentum proximè accedit; Intellige tamen hæc de appetentia naturali & non præternaturli: Operationes perfectiſſimæ ſignificant temparatam naturam, vehementes & concitatæ calidam; Propterea qui ſunt celeri lingua præditi, judicantur bilioſi & atræ bili obnoxii. Debiles & tardæ actiones frigidam præſumunt complexionem, quamvis ex accidente contingere poſſit, ut calor etiam debiliter operetur, dum nimium conſumit & reſolvit; Juvat autem frigus ſi calor ab eo ad interiora compulſus ad vehementiorem actionem totius colligatur, ſic enim & dormientes melius coquunt cibos, & hyeme largiori cibo veſcimur, quia ventres tum calidiſſimos habemus. Paſſiones etiam ab externis qualitatibus factæ non parum præſtant ad ſignificandam temperaturam, prout ſcil. aliquis vel facilè vel difficulter à qualitatibus externis immutatur. Nam iracundia & ardor omnis animi, ſolertia, perſpicuitas Ingenii, audacia, inverecundia, morū civilitas, &c

Certa caloris ſunt ſigna, frigoris autem quæ his opponuntur. Perſevetantia in ira, furote aut manſuetudine, laboris tolerantia & patientia ſiccitatem arguunt: Contra ab omni affectu facilè dimoveri, omnis inconſtantia, levitas mornm, animus effæminatus, &c. Humorem indicant: Viri autem propter ſiccitarem magis ſunt conſtantes: Fœminæ & pueri propter humorem leviſſima ex cauſa mobiles. Somnia quoque complexionem denotant, ſive ſint triſtia, ſive jucunda iracunda: Et hue quoque ſpectar ſomnus brevis, longus, profundus, facilis, interruptus, Excrementa ut fæces, urina, ſputum & ſimilia ex qualitaribus primis rum ſecundis non parum conducunt ad ſignificandum temperamentum ut patet ex Medicis.

DIFFICVLTAS XX.

A quo membro principaliter dependeant temperamenta partialia, & quis eorum Conſenſus.

ADverte, non quæri hic, an temperamentum totale & parrialia omnia ita dependeant ab uno aliquo membro principali, ut ad illud quoad eſſe fieri & conſervari teſetantur, quia hoc falſum eſſe docent ea qnæ hactenus de corpore organico dicta ſunt & quomodo Genitor tanquam principalis ejus effector vim omnem, efficaciam & calorem ſemini imprimis tribuerit, tum toti corpori ejusque ſingulis membris & organis dederit. Quæritur ergò, quodnam ſit principale membrum in hoc corpore organico, à quo vis potior in reliquas partes influat, & à quo ceu fonte & principio caloris omnia temperamenta partialia conſerventur: Sicut enim verum eſt in humano corpore eſſe unum aliquod principale membrum, à quo partes omnes corporis foveantur earumque actiones ſingulæ adminiſtrentur; Ita etiam neceſſarium eſt unum eſſe membrum, à cujus temperamento reliquæ partes dependeant, & cujus diſpoſitiones ſe cum ſuis temperamentis conformitet teneant, ita ut non tantum ab eodem conſerventur, ſed etiam ejus natutam & complexionem ipſæ ſi non æqualiter ſaltem proportionaliter participent.

A corde ſumuntur reliqua tempera-menta.

DICO 1. cor eſt principale membrum ad cujus temperamentum & complexionem reliquæ omnes partes cum ſnis temperamentis diriguntur. Habet hæc concluſio veritatem in natnra fundatam, & probatur primò, cor eſt omnium actionum & operationum vitalium rector & adminiſtrator, haberque dominium & poteſtatem in omnes partes corporis, ut ex alibi dicendis fuſius patebit, ergò ab eo pendent omnes partium complexiones & temperamenta. 2. A corde influit omnis calor & virtus regiriva in partes corporis, ergò qualem calorem & quale temperamentum cor poſſidet, tale etiam proportionaliter poſſidebunt partes. 3. Conveniens imò neceſſarium eſt, ut omnes partes corporis ſicut ab uno principali membro, corde ſcilicet in actionibus ſuis eliciendis, ita etiam in calore & complexione babeant eandem ab eo dependentiam, ne tot organorum diſcrepanija & viſcerum diverſitas maximam & cum diſpendio ſanitaris patiant confuſionem, quod vel maximè fieri neceſſum eſſet, ſi non ſub nnius Imperio ita vigerent, ut ad ejus naturam & complexionem ſe conformia haberent, ergò cor eſt membrum principale ad cujus temperamentum omnes reliquæ partes corporis diriguntur. Reliqua argumenta quæ pro dominatu & principatu cordis dimicant, huc quoque referri poſſunt, ut videre eſt Diſp. 19. hujus lib. Diffic. 17.

DICO 2. Quamvis diverſæ partes diverſa quoque habeant temperamenta partialia, eum tamen babent conſenſum & eam connexionem inter ſe ut ad nnam & omnem omnium vitam conſervandam conſpirent. Hæc concluſio probatur primò, omnes partes corporis babent mutnnm conſenſum in ſuis actionibus & functionibns, nt fuſè id explicant & interpretantur Medici, ergò etiam mntuam proportionem in temperamentis ſive complexionibns, qnia ab his dependent operationes omnes vitales. Probatur 2. temperamenta partialia unum habenr finem, videlicet ſanitatem conſervandam & vitam propagandam, ergò mutuum habebunt conſenſum. 3. Temperamenta partialia conſtituunt unum rotale & adæquatum temperamentum, cujus beneficio & miniſterio regitur & adminiſtratur totum corpns, ergò neceſſum eſt ut habeant mutuam connexionem inter ſe, qnia aliàs non fieret ex iis unum integrum & perfectum. 4. Sanitas conſiſtit in debita & connaturali omninm partium diſpoſitione, ergò neceſſarium eſt ut omnes habeant in primis qualitatibus totidemqne bumoribus conſenſum mntuum. Antecedens eſt Phyſicotum cum definiunt ſanitatem conſtitutionem naturalem, omnium ſcilicet partium; Eſt etiam Medicorum, qui tum corpns morboſum eſſe docent, cum pars una vel plures à debito ſtatu & connexione, ut ad conſervandam vitam & ſanitatem inter ſe babenr, deflectunt. Eſt denique ægrotantium, qui hunc diſſenſum & mutuum receſſum cum dolore, deperditione ſanitaris & periculo vitæ ſentiunt.

DICES, ex bis omnibus argumentis & rationibus nibil aliud concludi, quam temperamenta partialia eſſe inæqualia, quia non habent qualitates primas æqualiter commixtas, ergò nullus erit inter eas conſenſus aut con-

connexus. Reſp. negando conſequentiam, quia non conſiſtit cooſenſus in hoc ut partes omnes corporis organici participent æqualiter primas qualitates cum hoc in corpore heterogeneo nec poſsit nec debeat eſſe; Sed in hoc ut ſe mutuò tam ad conſervandam vitam & ſanitatem quam ad actiones vitales connaturaliter eliciendas adjuvent, & quantum in uno nonum excedit aut deficit, id alterum compenſet: Nam ita partes corporis in ſe conſtitutæ ſunt, ut quævis habeat ſuas functiones propter quas adminiſtrandas vel in calore aut frigore, humore aut ſiccitate deficere & excedere oporteat. Exemplum ſit loco omnium Cerebrum; Hoc propter animales & ſenſuales operationes eſt frigidum, & tamen cum corde quod contrà propter generandos ſpiritus vitales eſt calidum, hunc habet conſenſum, ut hujus calorem contemperet, à quo & ipſum foveatur: Similiter Ventriculus qui propter primam concoctionem & receptionem ciborum magnam continet capacitatem & ex partibus membranoſis conſtitutus eſt, in ſe ex defectu carneæ ſubſtantiæ non habet ſufficientem calorem, qui ad digerendos cibos duros, craſſos & crudos requiritur, niſi eum ex circumjacentibus partibus, à quorum incubatu validoque calore magnum accipit beneficium, mutuaretur. Cæterùm in quo miſtionis gradu & proportione qualitates ſive temperamenta partialia inter ſe correſpondeant, & quem ordinem, reſpectum, diſpoſitionem ſive conſtitutionem ad principalem cordis complexionem dicant, facilius eſt dicere quam perfectum cognoſcere, & ſufficit ſcire, quod omnes partes, quæ per ſe & ex natura ſua ad conſervationem tam ſui quam totius ſtudeat, eam inter ſe qualitatum primarum temperaturam & harmoniam obtineant, quæ ipſis obſervatâ ſemper proportione ad totum, in eliciendis ſuis actionibus, & in adminiſtrando aliis per conſenſum beneficio ſufficiant. Et hinc ſequitur

DIFFICVLTAS XXI.

An inter partes corporis detur mutua actio & paſsio.

CUm totum corpus animalis ſit heterogeneum, aliæque partes ſint frigidiores, aliæ calidiores, aliæ humidiores, aliæ ſicciores. Controverſia eſt an illa quæ eſt calidior refrigeretur ab ea, quæ eſt frigidior, & hæc viciſsim calefiat ab altera, v. g. an cerebrum calefiat à corde & hoc refrigeretur ab illo & ſic de reliquis.

Negativam tuetur Gentilis in Avic. Interpret. 1. Fen. Can. de membrorum temperatione, ubi ait nullo modo dari ejusmodi hoſtilem pugnam in corpore humano; Si quid autem fiat, id fieri privativè, id eſt, prohibendo ne peregrina qualitas accedat v. g. cerebrum impedire tantum ne cor nimio æſtu inflammetur: Et malè inquit fuiſſent omnia in prima generatione temperata, ſi poſtea futura fuiſſet actio poſitiva, nec ſapienter feciſſet natura, ſi membris dediſſet aliquam qualitatem qua continuò vel augeri vel minui debuiſſet, cum tamen primitus membra potuiſſent in ea temperatione perduci ad quam per actiones contrarias & corruptivas jam ſint continuò reducenda; Sed omiſſo Gentilis errore.

DICO breviter, datur mutua poſitiva & contraria actio & paſsio inter membra corporis. Ita docet imprimis Garbius quæſt. 33. Summæ Medicinalis contra Gentilem ex Ariſtotele multis in locis, in quibus ait cerebrum calefieri à corde & hoc viciſſim inde refrigerari. Nam 2. de part. animal. cap. 7. & lib. 3. ejusdem operis cap. 4. docet totum corpus à corde calefieri. Probatur 1. ratione, in corpore heterogeneo dantur diverſæ & contrariæ qualitates quæ neceſſariò inter ſe pugnant, ergò in corpore animalis, quod eſt heterogeneum, dantur actiones contrariæ poſitivæ. 2. Implicat in corpore corruptibili non dari actiones corruptivas à qualitatibus contrariis, cum hæc ſit noſtra & omnium ſublunarium natura, ut per hujusmodi continuatas actiones deficiamus, tandemque communi interitu diſſolvamur, ergò. *Partium actio & paſſio mutua.*

DICES, Galenus 8. de uſu partium cap. 2. & 5. reprehendit Ariſtotelem quod docuerit cor à cerebro refrigerari primò propter longam diſtantiam; 2. Quod cor ſatis à pulmonibus ex aere inſpirato refrigeretur. 3. Quod cerebrum ſit aere calidius proinde refrigerare non poſsit. 4. Quod cor à cerebro propterea non poſsit refrigerari cum hoc ab illo calefiat. 5. Quod cerebrum ſi cor refrigeraret, adhuc magis refrigeraret partes proximiores contrà experientiam: Et accedit quod vita conſiſtat in humido & calido, quælibet pars ſit actu frigida: Et ex his ſequitur, cor nullo modo refrigerari à cerebro, eſto calefiat hoc ab illo. Hic antequam reſpondeatur, Adverte, aliquid poſſe per accidens refrigerare, primò ſi membrum nimio humore aqueo ſit planum, & ſpiritus ſeu vapores aſcendentes refrigerat, quo modo cerebrum ſpiritus cordis ſolet refrigerare. 2. Si ab aliquo membro defluat humor frigidus partesque alias refrigeret, quo modo cerebrum per frigidos ſeroſosque humores partes ſubjectas, in quas deſtillat, refrigerat. 3. Si pars una vel refrigerando calefiat vel calefaciendo refrigeretur, quo modo pulmones dum cor aere refrigerant, ipſi viciſsim calefiunt, & rurſum quando hoc modo cor calefacit cerebrum, viciſsim ab eo calor ejus mitigatur; non quidem ipſe calor qui eſt in corde, ſed quieſt in ſpiritibus ad Cerebrum delatis. His poſitis reſpondet Dand. de corpore animato capite vigeſimo ſeptimo,

Juxtà hunc modum cor à cerebro refrigerari vel potius ejus ſpiritus, qui eum ſint nimis calidi & ferventes ideoque ad actiones minus apti, prius à cerebro contemperantur: Et hoc videtur voluiſſe Ariſtoteles lib. 2. de part. animal cap. 10. ubi dicit quod ſangnis calidioris agitatio officium ſentiendi iutercipiat & refringat, id eſt, quaſi cerebrum ſpiritus cordis nimis calidos pro organis propè cerebrum poſitis & eorum operationibus refrigeret & contemperet.

DIFFICULTAS XXII.

An temperamentum totaliter in eodem ſubjecto immutetur.

SEnſus quæſtionis eſt, an cum per ætates & continuas viventium alterationes temperamenta ſemper immutentur, hæc mutatio ſit ejusmodi, ut penitus diverſum ſit temperamentum à priori v. g. ſi temperamentum in adoleſcentia fuerit bilioſum, an ſucceſſivis temporibus fiat phlegmaticum & ſic de cæteris.

Suppono, temperamenta differre ſpecie, ſubjectis & ſecundum magis & minus: Specie differunt ſanguineum & bilioſum: Subjecto, bilioſum unius à bilioſo alterius: Secundum magis & minus, ut temperamentum magis bilioſum ab alio minus bilioſo. Jam

DICO 1. Temperamentum plurimùm immutatur per ætates. Probatur primò experientia, quia pueritia eſt calida & humida, Juventus eſt calida & ſicca, virilis ætas temperata, Senectus denique frigida & ſicca, ergò bis ætatibus temperamentum immutatur. Antecedens patet ex dictis & repetitur hoc ordine: Nam imprimis corpora puerorum coaluêre recenter ex ſemine & ſanguine, ſunt molliora, teneriora, minus firma & robuſta, plurimum creſcunt ex Hippocrate, ergò ſunt calida & humida. Deinde Juvenes habent actiones celeres acres & ferventes, abundant bile, ſunt inconſtantes, & neſciunt frænare ſuas paſſiones & cupiditates, ergò ſunt calidi & ſicci, non ſimpliciter ſed factâ collatione ad pueritiam in qua humiditas eſt longè uberior: An autem calor in puero an in Juvene ſit major, lis eſt apud Medicos & dubia ut patet ex Hipp. libr. 3. aphor. Gal. lib. 2. de temperat. cap. 2. Valeriol. lib. 1. locorum communium cap. 10. Garb. lib. 1. Summæ Medicinalis quæſt. 17. Fern. lib. de ſpiritu & calido innato cap. 8. & aliis: Et videtur ſtatuendum eſſe quod pueri ſicut humido primigenio ita copia innati caloris magis abundent, id eſt calore humido non calore ſicco: Quod ſi ergò Juvenes ad ſenſum percipiantur calidiores, id vel verum eſt calore influente vel calore ſicco, quia videlicet pueri habent corpus humidius, Juvenes ſiccius. Ad hæc in virili ætate ordinariè ceſſat augmentum corporis, non quidem in longitudinem ſed verſus latera, actiones omnes & paſſiones animi ſunt quieriores longèque temperatiores, ergò hæc ætas eſt temperata. Denique in ſenectute omnia tremunt & ſunt arida, omnesque vires collapſæ, ergò hæc ætas eſt frigida & ſicca: Et ſi videantur humore continuò abundare, is excrementitius eſt propter caloris defectum quo fit ut humiditas hæc non ſufficienter abſumi poſſit.

An pueri vel juvenes ſint calidiores.

DICES 1. Hinc ſequitur quod animal toties ægrotet, quoties fit hæc temperamenti mutatio; Nam conſtat morbum conſiſtere in notabili primarum qualitatum mutatione. Reſpondet. negando ſequelam, quia tunc ſequi ſolet morbus, quando à cauſis externis & prætetnaturalibus notabiliter immutatur temperamentum, non quando à cauſis internis & naturalibus, v. g. à calore nativo humidum depaſcente.

DICES 2. Si temperamentum quod eſt in pueritia humidum & calidum, ita immutatur ut ſucceſſivè v. g. in ſenectute fiat frigidum & ſiccum, ſequitur primò, eundem hominem ſucceſſivè habere temperamenta ſpecie diſtincta, v. g. jam bilioſum, jam melancholicum, jam calidum, jam frigidum. 2. Proprietates poſſe mutari vel omninò corrumpi non mutato ſubjecto quod eſt abſurdum. Reſpond. primò negando ruſum hanc ſequelam, quia temperamentum ſenectutis non eſt ſpecie diſtinctum à temperamento pueritiæ in eodem ſubjecto: Nam licet dicatur frigidum in ſenectute, non eſt tamen abſolutè frigidum, ſed reſpectivè tantum, videlicet reſpectu ejus quòd eſt in pueritia vel Juventute. Reſpond. ſecundò hominem, qui in pueritia ex conſtitutione nativa bilioſus fuit, ſemper manere talem tota vita, & ſi evadat melancholicus, id fieri per accidens, nimitùm per multos errores in victu rebusque naturalibus commiſſos, unde etiam quia ita à complexione ſua connaturali deficit, ad interitum tendit; Quisquis enim morti proximus eſt, à nativa conſtitutione defeciſſe æſtimandus eſt. Ad hujus itaque Confirmationem.

DICO 2. Temperamenta & complexiones quamvis per ætates, morbos, cauſasque violentas notabiliter infringantur, ſervant tamen ſemper in eadem ſpecie aliquam proportionem, prout natura corporis id fert & partium omnium conſtitutio. Ratio hujus eſt, quia temperamentum & complexio non in ipſo ſanguine, ſpiritibus aut humiditatibus, ſed in ipſa viſcerum ſoliditate, quæ nunquam

Temperamenta nunquam ex toto deperduntur.

quam niſi cum interitu totius diſſolvenda ſunt, radicaliter fundantur, proinde qui naſcitur bilioſus, licet per varias tam internas alterationes quam externas iojurias plurimùm à ſe deflectere videatur, verè tamen naturam ſuam ex integro non deperdit, ſed ſervata ſemper ad priorem proportione dicitur bilioſus; Atque ita cum aliqua ex primis qualitatibus io prima Embryonis coagmentatione dominium obtinuit, idem per varias annorum & ætatum decurſus proportionaliter ſervabit, & ſe abſente ſuo contrario, à quo nonnihil ad ſtatum alienum ſeceſſerat, absque labore reſtituet, id quod in ægris quotidiè fieri videmus, qui evaneſceote morbo à quo graviter conflictati, & in contrarium quaſi ſtatum deducti fuerant, ſemper nihilominus ad eam naturam & complexionem redeunt quam prius obtinuerant, cujus ratio eſt, quia hæc io ſoliditate partium implantata eſt.

Colligitur, proportionem illam quam temperamenta partialia inter ſe tum in ætatum commutatione habent, cooſiſtere in quadam primatum qualitatum temperie, per quam ad ſe invicem reſpectum quendam & ordinem cooſeutientem ſive amicabilem habilitatem dicant, eſto oon poſſit hæc ſingularum partium temperies quoad omnes omnium qualitatum gradus ab humano Ingenio ſufficieuter coguoſci & expbcari.

DIFFICVLTAS XXIII.

Vnde mores & naturales anni propenſiones in hominibus cognoſcantur.

EXplicatis ſignis & indiciis quibus omnia partium & totius temperamenta cognoſcuntur, ſupereſt hic quærere, unde mores & naturales animi propenſiones deprehendi poſſint. Et videtur jam dudum inter mortales io uſu fuiſſe, ut cum puteut exteriotem habitum hominis eſſe verum Indicem animi, multa ex conſtitutione lineamentiſque exterioribus corporis cognoſcere præſumant. Hanc ſcientiam vocarunt phyſiognomicam, quæ ſi intrà ſuos maneat terminos, fortè repudianda oon eſt, quia ad naturalia ſpectat eamque etiam accuratè Ariſtoteles poſt libellum de admiraodis tradidit: Licet enim nihil certi ex ejuſmodi corporis ſignis de moribus ſtatui poſſit, & generoſus animus facilè naturam ſuam frenare poſſit, probabiliter tamen aliquid inde conjici poſſe manifeſtabuot ea, quæ in ſequentibus dicentur. Hinc breviter cooſtabit, utrum & per quid exterior habitus corporis mores humanos & naturales inclinationes commonſtret.

DICO 1. naturales propenſiooes ah imorum & motes hominum poſſunt probabiliter ex habitu corporis indicari. Probatur primò, ex diligenti cognitione habitus externi & aliarum circumſtantiarum poſſumus deveoire in cognitionem vel etiam in certitudinem tempeiamenti eonnaturalis, ergò etiam in cognitionem morum & oaturalium propenſionum; Antecedeos cooſtat ex dictis, conſequeotia probatur ex illo quod mores ſequantur temperamentum, de quo Gal: integrum conſcripſit librum. Probatur ſecundò ex Ariſtotele qui artem phyſiogomicam probat inde, quod qui etebrò verſaotur inrer bruta, iofallibiliter eorum formâ perſpectâ de præſtantia & defectu ipſorum ferre poſſiut judicium; Sic enim equites ex ſola corporis conformatione equorum naturam & Venatores caoum Ingenia facilè addiſcunt, raròque à ſcopo aberrant. Tametſi non negandum ſit, multò eertius de beſtiis hac in re judicium ferri poſſe quam de homine qui affectionum ſuarum dominus eſt & paſſiones ſuas cohibere poteſt.

DICO 2. Mores deſumuntur ex tempetameoto corpotis cum quo magna eſt animæ Sympathia & neceſſitudo. Probatur, ſanguinei ad lætitiam, bilioſi ad itam, pituitoſi ad ſomnolentiam & tarditatem, melancholici ad triſtitiam & taciturnitatem ſuot propenſi, ergò ex complexionibus colliguntur motes & inclinationes oaturales.

DICO 3. Affectiones hominum colliguntur etiam ex quantitate, colore, figura & conformatione membrorum & corporum. Explicantur ſingula; In quantitate ſpectatur parvitas & magnitudo. De parvis habet Ariſtoteles loco citato, parvi inquit valdè acuti ſuor, præcipites & iracundi; Acuti quidem quia ferè omnia animalia parva ſunt ingenioſa utapes, formicæ, araneæ; Præcipites autem & iracundi, quia cum cor exiguum habeant, caloremque & ſpiritus innati vim collectiorem, hinc fit ut membra parvi corporis citius moveantur, & ſanguis celerius in caput efferatur; De magnis concludit ita eodem in loco, quicuoque valdè magni, tardi ſunt inquit, quia vis animæ per magnum caput diffuſa minus unitur; Addit etiam, qui magno corpore cum ſiccis carnibus ſunt præditi, ſunt perfectivi & ſenſitivi; Hinc etiam inter magnos reperiuntur glorioſi, ut ex hiſtoriis conſtat de Carolo Magno. De coloribus hæc habet, valdè nigros & valdè albos timidos eſſe, flavos magnanimos, rubros aſtutos & acutos; Illumque qui ad fortitudinem cooſert, medium inter nigrum & album. Figura & conformatio membrorum manifeſtare poteſt motes factâ quadruplici comparatione: Primò ſi aliquis confeſatur cum alio qui natus eſt ſub alio Climate, verb. gratia Viennenſis niger cum Aphro nigro, qui cum timidius ſit ex

Ariſtotele, etiam hunc Viennenſem eſſe timidum probabile erit. 2. Si quis habeat membra & partes fœminis & pueris ſimiles, quia talis non abſimilis erit moribus. 3. Si quis comparet corpus vel partem aliquam hominis unius cum partibus alterius hominis, v. g. ſi quis oculos ſemper habeat ſimiles oculis itati hominis, quia hic probabiliter ad itam propenſus erit, aut ſi quis tetricus ſit, habeatque dejectos oculos cum continuo ſilentio, quæ triſtibus ſunt communia, quia hic melancholicus erit. 4. Si quis comparet membra hominis cum membris vel cum toto corpore brutorum etiam animalium; Nam cum hæc v. g. Urſi, Leonis, Tauri, Leopardi, &c. Sint fortiſſima, etiam hominem ex magnis extenſisque artubus fortem & robuſtum dicemus.

DICO 4. Præter temperamentum, colorem, quantitatem, figuram & membrorum conformationem ſpeciatim membra quædam ut caput, capilli, frons, oculi, naſus, os, collum, humeri, pectus, manus & pedes obſervari ſolent ad cognoſcendos hominum mores affectus & naturam. De capite habet Hipp. l. 2. de morbis popularibus; Magnum inquit caput, oculos nigros & magnos, naſum craſſum & Simum habentes, boni. De compoſitione vultus ejusque externâ ſpecie docet Valeſius S. Ph. c. 32. quantum valeat apud tribunalia; Nam legibus inquit civilibus cautum eſt ut ſi duo homines inciderint in ſuſpicionem criminis, is primò torqueatur qui ſit deformior. Certè ipſe Eccleſiaſticus cap. 13. bonam faciem vocat veſtigium boni cordis & cap. 19. ex viſu ait cognoſcitur vis, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus, amictus corporis & riſus dentium & ingreſſus hominis denunciant de illo, &c. Quid de Juliano Apoſtata D. Gregor. Nazian; ex his ſignis prædixerit, apud eum Orat. 2. in eundem legi poteſt. Ariſtoteles ait qui magnum habent caput, ſenſati, qui parvum, inſenſati ſunt. De oculis multa habet quod videlicet parvi puſillanimem, concavi maleficium, eminentes fatuum, parum concavi magnanimum, valdè nigri timidum, &c. Significent: Similia etiam habet Lev. Lem. de occultis naturæ miraculis l. 4. c. 6. Pili molles juxta Ariſtotelem timidum, duri fortem denotant, quod etiam ſignum eſt in brutis animalibus, ut patet de Lepore, Ove, Apro, Urſo, Lupo, Leone, & apud populos Septentrionales, qui pilos duros habent, & meridionales qui molles, unde timidi. Naſum magnum ſemper minori meliorem teſtantur diverſi Authores, & valdè magnum ejusmodi Virum, qui aliena vituperet, ſuaque extollat, unde & tales naſuti dicuntur, & naſum rhinocerotis habere juxtà illud Martialis. Hæc tamen ſicut etiam omnia priora non ita ſunt & dicuntur, ut ſemper & neceſſariò vera ſint, quia etiam Angelus Politianus vir magni Ingenii naſum ingentem habuiſſe dicitur, ſicut & Rudolphus domus Habsburgenſis Cæſar primus, quem ingenii acutiſſimi, naſique maximè fuiſſe perhibent. Ariſtoteles ait eos magnanimos eſſe qui naſum habeant rotundum & obtuſum, qualis eſt Leonibus. In capite verò præcipuè obſervatur eminentia ſyncipitis & occipitis; Rotunditas quoque vel acumen, depreſſio vel projectio in ore. In auribus ſitus, longitudo, rotunditas; In fronte latitudo, connexitas, quadratura, aſperitas cum foſſiculis & monticulis, rugoſitas. In ſuperciliis disjunctio vel conjunctio, extenſio ad tempora, vel verſus naſum in longum, piloſitas vel pilorum carentia: In manibus item, pedibus, digitis, volis, aliisque partibus ſua quoque ſigna, de quibus omnibus videri poteſt Ariſtoteles tum alii qui de hac arte phyſiognomica ſcripſerunt.

DIFFICULTAS XXIV.

Quid de Chiromantia quæ ad artem Phyſiognomicam ſpectat, judicandum ſit.

SOlent nonnulli homines aliàs indocti & rerum naturalium parum experti volas & cavitates manuum inſpicere & ex contemplatione linearum non ſecus atque Aſtrologi ex ſyderum certis poſitionibus, quæ in hominis nativitatem cadunt, ſuum ſpargere judicium, & deinde præſagire non ſolùm qua complexione & quibus moribus præditus, aut in quas virtutes & vitia propenſus ſit homo, ſed etiam quid circà ejus fortunam, ſtudia, mutationem ſtatus, ægritudinem, mortem, &c. Futurum ſit: Et hoc totum ut melius capias

NOTA 1. Iſtos Chiromanticos dividere manum in tres partes; in carpum quæ eſt pars exiſtens inter os brachii & montem pollicis; in palmam quæ eſt pars interior exiſtens inter carpum & radices digitorum; Et in ipſos digitos. Digiti in tres juncturas dividuntur & ungues præter pollicem, qui duas tantum habet juncturas: Natura verò conſtituit in digitis os triplex tam ad firmitatem quàm ad actiones idoneè exercendas ut habet Galenus l. de uſu part. Carpus ſingulare nihil complectitur niſi quod eſt inter juncturam, vel os braebii & montem pollicis & lunæ usq; protenditur, proinde etiam nec ad partem invigilandum eſt. Palma in qua potiſſima virtus, conſtat lineis & montibus, id eſt, muſculis: Lineæ principales ſunt quatuor. Vitalis ſcilicet, cerebralis, Epatica & mentalis, quæ vocantur etiam naturales ſequuntur naturam hominis. Ad partes quæ diverſæ in diverſis apparent & proprium cujuslibet individui temperamentum comitantur, non attendendum eſſe docent ipſi Chiromantici, multò mi- *Chyromantia.*

rò minus ad accidentales quæ proveniunt ex labore, frigore, fame, vulnere &c. principalibus tamen lineis adjunguntur aliquando tres aliæ, quas vocant proprias ſorores, ut ſolaris, lactea & Cingulus Veneris, quibus etiam ſuæ virtutes adſeribuntur ſi reperiantur. Montes ſunt ſex, primus pollicis, qui Veneri aſſcribitur; Secundus indicis qui Iovi; Tertius medii qui Saturno; Quartus annularis qui Soli; Quintus auricularis qui Mercurio: & ſextus denique manus ea parte qua inter percutiendum manus tangitur, lunæ adſeribitur. Linea vitalis vel Martis eſt illa quæ oritur inter indicem & pollicem circuitque montem pollicis, & hæc dicitur reſpondere cordi; Cerebralis ſumit initium ab ortu vitalis inter pollicem & indicem, & excurrit fundum palmæ terminaturque ad montem manus, & reſpondet cerebro. Epatica quæ etiam triangularis dicitur eò quod prædictis adjungatur & ſit baſis triangulum conſtituens, aliquando comparet tota cum ſignificatione bonæ complexionis, aliquando non tota comparet, vel omninò abeſt cum ſignificatione contraria. Menſalis quæ alia quoque nomina habet, eſt illa, quæ ſub monte auriculari propè dorſum egreditur, tres digitos complectitur ut auricularem, annularem & medium, & terminatur ad radicem montis indicis. Sorores vitalis lineæ etiam quaudoque reperiuntur, & una ex iis vitalem ſequitur ſicut iris iridem; altera autem à corpo vel raſcetta vel etiam reſtricta proficiſcitur per mediam palmam usq; ad lineam cerebralem, vel etiam quandoque usque ad radicem digiti medii. Sorores Epaticæ & menſalis ſunt proximæ & parallelæ. Solaris egreditur à menſali recta ad radicem annularis: Lactea ab inferiori parte carpi vel raſcettæ oritur inter triangulum & montem lunarem, extenditque ſe usque ad radicem auricularis. Cingulus Veneris eſt linea cingens perfectè medium & annularem ſive eorum tuberculos inter indicem & medium initium ſumens, & deſinens inter auricularem.

NOTA 2. præter lineas & montes etiam eſſe attendendum in prædictionibus ad quantitatem manus & ſingularum partium, ad pilos, nervos, venas, triangulum, quadrangulum, colorem, tactum, figuram & cæteras qualitates; inſpiciendam etiam eſſe manum hominis ſani non ebrii, uon pueri ante ſexennium, non extenuati, defatigati, laborioſi, quique manus habent calloſas. Inſuper obſervandum, an manus fæminæ ſit vel maris, an dextra vel ſiniſtra, quia prætetquam quod ex natura diverſæ ſint, tempus etiam hic multum facere, ut quod manus ſiniſtra fœminis in autumno vel hyemē, die & hora Veneris, dextra verò maſculis in Vere vel æſtate, die & hora ſolis inſpicienda ſit. Item quod ut delirat Tricaſſius genitis noctu ſiniſtra, genitis de die dextra ſit conſideranda. Tandem aliter judicandum eſſe Gallum, aliter Hiſpanum, Germanum, ruſticum, nobilem, divitem, pauperem, fæminam, marem, ſenem, juvenem, de quo vide Goclenium fol. 137. circà finem vel initium novæ appendicis.

NOTA 3. ex infinitis prædictionibus, ut aliqua ſaltem producantur, has ſequentes ab iis haberi. Manum nimis levem ajunt denotare Cavillatorem & furem, melius ſi de longis manibus & digitis id dixiſſent; tenues loquacem, longas & graciles tyrannum, molles ſine linea epatica pigrum impotentem; ſi fortiores lineas habeat manus ſiniſtra, hominem noctu natum eſſe, ſi dextra de die; manum mulieris ſine lineis miſeram & infelicem. Cui linea è brachio per carpum in finem montis Veneris aut juxta vitalem excurrit, nobilitatem animi ſignificare: Cui linea craſſa egrediatur è carpo, & obliquè verſus montem percuſſorium vergat, hominem in ſervitutē venturum. Cui multæ lineæ in concavitate palmæ terminantur, propinquam habere mortem. Cui triangulus nulla in parte per lineas fuerit conjunctus, ſtultitiam & luxuriam; Cui triangulus ſit parvus & proportionatus, ſuperbum, avarum, iniqvum. Cui linea vitalis brevis, brevitatem vitæ notare; cui longa, longam; cui craſſa & rubicunda, ſalacem, bellicoſum, inconſtantem; cui bifurcata in angulo ſupremo, vagabundum & fatuum. Cui linea capitalis ad digitos ſurſum extendatur, malitioſum & ſtultum; cui ad montem lunæ usque excurrat & curvata ſit, ſenium laborioſum; Cui menſalem tangat, adverſam fortunam; cui verſus carpum demiſſa ſit, fæneratorem & avarum; cui livido colore tincta, futuram epilepſiam aut apoplexiam; cuj crux in ipſa ſit linea, vulnus in capite aut tibiis &c. His tanquam vaniſſimis nugis poſitis.

DICO. Ars hæc, qua per inſpectionem manus Chiromantes multa ſolent homini prædicere, non tantum vana eſt & erronea, ſed etiam ſuperſtitioſis deliramentis pleniſſima. Hic adverte, Chiromantes qui ſua ſigna ad naturales cauſas & temperiem hominis referunt, ad phyſiognomicos ſpectare & inter viros bonos numerandos eſſe: qui verò ad vanas quasdam & nulla ratione aut experientia nixas obſervationes hæc ſigna referunt, meritò ab omnibus reprehendi, adeoque ad impoſtores & Zingarorum fecem ſpectare. Iam probatur Concluſio primò, hæc ars nulla habet fundamenta præter ſolam eamque falſiſſimam experientiam, ergò illi in rebus tam ſeriis credi non debet; Nam manus inſpectio non videtur habere alios inventores & progenitores quam vaniſſimorum effectuum animadverſores, qui cum cernerent, quod qui ad regna, honores, conjugia, ſacerdotia, fortunam, pericula &c. accedant, in manibus ſæpè quasdam conſimiles lineas habeant, paulatim credidêre, hujusmodi effectus in manu depictos eſſe, tantumque apud poſteros effecêre, ut unus poſt alium infirmitates, lites, itinera, navigationes, homicidia, infamias, vulnera, mortes, virtutes, vitia, caſus felices & adverſos in particularibus hominibus obſer-

vavit, lineaſque, calores, figuras in ipſorum manibus ſemper contemplans, ſimiliaque in ſimilibus accidentibus reperiens, tandem varia ſuper his dogmata conſtituerit, & ſic omnia in unum colligens hanc manus inſpectionem fabricaverit. Probatur 2. Effectus quos Chiromantes promittunt, ſunt utplurimùm voluntarii & contingentes non ſecus ac illi qui ab Aſtrologis prædici ſolent, & de quibus mera eſt falſitas, ergò. 3. lineæ & configurationes diverſæ manuum non habent ſeut cauſæ ſed ut ſigna; Atque hæc falſiſſima ſunt, & innituntur ſoli experientiæ, quæ mater eſt multorum errorum & falſitatum, ergò. 4. hanc artem utplurimùm comitantur cognitio aſtrorum & effectuum eorundem; ſed hæc vaniſſima ſunt & à conciliis totaque Eccleſia Catholica condemnata, ut alibi de Aſtrologia dicetur, ſi non universè ſaltem eâ ratione & modo quem Chiromantes hic ad ſuos errores applicant. 5. lineæ à quibus deſumitur hæc ars, evaneſcunt ſæpè adeoque immutantur, ut manifeſtè appareat, manus contextum omninò jam eſſe alium & diverſum ab eo qui nuper fuerat, ergò falſum & erroneum eſt quicquid effectuum promittitur. 6. hæ lineæ formatæ ſunt à vi formatrice in utero materno ad diſtinguendos muſculos movendasque ſingulas particulas manus prout opus fuerit. Deinde etiam naturaliter ortæ ſunt ab illa complicatione prima manuum in utero ut cuivis facilè manifeſtum eſt; Errant igitur, qui palmas fictis quibusdam lineis dividunt in partes, ſingulasque ſingulis tribuunt planetis, & quæ à naturalibus cauſis in utero matris per vim formatricem & complicationem contigêre, illud per planetarum curſum & concurſum interpretantur, futuraſque felicitates, ægritudines, varia genera mortis & alia ſexcenta, quæ à libera voluntate pendent, vel merè contingentia ſunt, ex his prædicere præſumunt. Et hinc etiam rejiciendæ ſunt fabulæ, quas de planetarum Regionibus ac montibus in manu, de Veneris cingulo, de via lactea, de linea ſolari, de Martis triangulo, de linea Saturnina &c. impiè comminiſcuntur Arabes, Græci, Hebræi, Chaldæi, latini aliique altioris ut vocant Philoſophiæ inveſtigatores, noſtro autem ſeculo noſtriſque annis Petrus Apponenſis, Hier. Manfredus Bononienſis, Andreas Cornus, Goclenius, Joannes Teiſnerus l. de Chirom. & alii.

DIFFICULTAS XXV.

Quid reſpondendum argumentis contrariis.

DICES primò, partium externarum conſtrutione poſſumus colligere complexionem hominis & propenſionem animi, ergò etiam multa alia circa ſtatum corporis, felicitatem, bona & mala futura poſſumus non tantum ſuſpicari ſed etiam prædicere. Reſp. negando conſequentiam, quia priora ſunt purè naturalia & pendent à ſe mutuò ut effectus à ſua cauſa, imò ſunt effectus qui intrà ſuam cauſam poſiti ſunt & qui hanc neceſſariò conſequuntur, ut naturalis exrenuatio corporis, temperamentum valdè calidum, ira præceps, complexio bilioſa &c. At verò poſteriora ſunt ejusmodi effectus, qui vel ſunt voluntarii, ut navigatio, vel caſuales ut ſubmerſio, inventio theſauri, nulloque modo pendent à conſtitutione manus externa, ut futuras.

DICES 2. tam mirabilis & anfractuoſa linearum ſtructura non poteſt oriri à vi formatrice, à complicatione manus, cum plicatio ſemper ſit eadem, non autem ſimilis manuum ſubique facies, ergò debet ſubeſſe alia cauſa ſuperior. Reſp. negando antecedens, quia vis formatrix nunquam format duos homines in omnibus ſibi æquales ut patet in tota poſteritate Adami, & hoc non à cauſa ſuperiori; ſed ex ſe & præcisè in vigore ſui generantis, à quo in materiam ſementivam impreſſa fuit, unde negatur etiam conſequentia.

DICES 3. Aſtra quæ præſunt homini & ſingulis ejus membris, magnam vim habent, ut in nos influant & præſertim in volam manus, ergò non malè faciunt, qui ex his aliquid prædicant. Reſp. quid quantumque aſtra faciant, & qua ratione tam in hominem quam in reliqua animalia, tum etiam in universa ſublunaria influant, alibi dicetur; hic autem negatur antecedens.

DICES 4. Experientia hæc omnia hactenus confirmavit. Nam longo tempore animadverſum eſt, lineas manuum in plures ductus confractas, decurtatas, inciſas, aliarum linearum interventu divulſas & velut in ſurculos fiſſas ſignificare corporis imbecillitatem, contra verò contraria. Docuit præterea experientia, certas lineas certis congruere in corpore membris deque eorum conſtitutione, temperie, virtute, affectionibus, robore vel infirmitate argumenta non levia continere nullam aliam ob cauſam, quam quod venarum, arteriarum & nervorum propagines, quarum origo ex corde, Epate & cerebro variè in ſummam cutem explicatur, ibi potius prominerant quam alibi, ergò temerarium eſt his omnibus refragari. Reſp. has experientias omnes eſſe falſas, nec habere alios defenſores quam earundem vaniſſimos venditores. Venæ, nervi & arteriæ non terminantur in manibus ſed ſpargunt minutiſſimos & infinitos penè in omnem partem ſurculos etiam in extremos digitorum, nec lineolæ volarum factæ ſunt propter hæc vaſa ut eum quibus nullam prorſus habent connexionem aut conſenſum, eſto transfundantur ab iis ſpiritus & facultates ad extremitates manuum, quia etiam transfunduntur tales undique ad partes corporis ad vitam tuendam & conſervandam.

DICES 5. homo habet duplicem naturam, cæleſtem & elementarem; prior ab aſtris eorumque influentiis conſervatur, & ideò ad hanc pertinet totus manuum contextus. Reſp. quic-

quicquid in homine eſt, id præter animam rationalem eſt elementare, nihil cæleſte; cælos tamen influere in hanc juxtà ſenſum, quem ſaniores Philoſophi amplicant, & non quem qnivis Enthuſiaſta comminiſcitur.

DICES 6. Accedit Authoritas Gal. Ariſt. & S. Scripturæ. Galenus enim l. 1. de complexione ait ex digitis longis longa quoque Epatis additamenta ſignificari. Ariſtoteles l. 1. de hiſt. animalium c. 10. ait pars interior manus vola dicitur, carnoſa eſt, & ſciſſuris vitæ judicibus diſtincta, longioris ſcil. vitæ ſingulis aut binis ductis per totam &c. Et in probl. 48. ſ. 10. cur qui manus ait cæſuram per totam obtinent palmam, vivere diutius poſſint. Iob. c. 37. habetur, qui ſignat in manu omnium hominum ut ſinguli noverint opera ſua. Hanc ſententiam ait Goclenius non aliter quam de Chiromantica artis uſu intelligi poſſe & debere; ſe enim hac de re doctisſimos Hebræos conſuluiſſe, & ab iis propter linguæ hebraicæ coutextum & ſignificationem verũ hoc reſponſum accepiſſe, ergò Deus cuique in manu ſua depinxit ſigna eorum quæ acturus quæque paſſurus ſit: Et accedit illud Exodi 13. erit igitur quaſi ſignum in manu ſua. R. Gal. ex longis digitis longa Epatis additamenta colligere tanquam effectum quendam naturalem, qui ſequatur ex aliqua partium proportione: Et hujusmodi res purè naturales tractavit Ariſtoteles toto libro ſuæ phyſiognomiæ, quæ autem longè à chiromanticis nugis diſtant; propterea forte & illi tolerandi eſſent, ſi intrà hujusmodi terminos naturales manerent. Ariſtoteles non malè colligit vitam longiorem, ſi lineæ per totum ſint ductæ, eò quod lineæ tales arguant virtutem primam fuiſſe robuſtam, quæ accuratam in ſua materia articulationem perfecerit, quæ benè autem articulata ſunt diutius durare poſſunt cæteris paribus ut ait Septalius & Iulius Guaſtavinius ambo Medici in problema illud Ariſtotelis. Dixi cæteris paribns, quia poteſt fieri, nt quis natura alioqnin debilis ob ſummã cautionem in cibo & potu diutius vivat, quam quisque alius robnſtiſſimus, qui per immoderatum victum ſibi vitam abbreviat. Quid autẽ Ariſtoteles loco citato problematis reſpondeat, videre poſſunt Chiromantes. Ad Iobũ R. primò, quamvis de ſignis chiromanticis intelligeretur, qnod tamen Pineda negat, non plus diceretur, quam Deum in manibus cujnsqne potuiſſe ſigna naturalia & veriſimilia futurorum operum eo modo, quo à phyſicis explicantur non antem prout ab iis explicantur. 2. Valeſius de S. Philoſophia c. 32. dicit longè alium illius loci eſſe ſenſum: Manus enim inquit teſte Galeno homini data eſt ut rationali & ſapientiſſimo animali tanquam proprium illius inſtrumentum: & rectè quidẽ quia homo prudentiſſimus eſt, ideoque etiam manibns uti novit: Nam non poteſt nun intelligere, ſibi datum eſſe inſtrumentum præſtantiſſimum, qno opera admiranda effici poſſunt, id quod Valeſius putat Iobum inſinuâſſe, quando dixit, Deum in manu hominũ ſignaſſe opera eorum, id eſt, propterea manus datas eſſe nobis ut iis operemur. Reſp. 3. eruditiſſimè Pineda, dum ait verbum ſignat non valere ſignificat, ſed obſignat, claudit ſive ſigillat; ſic enim Iobum 9. dicere, Deus ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo, nempè cum illas obducit nubibus & noſtro aſpectu eripit. Cũ ergò Iob c. 37. ante & poſt illa verba loquatur de tempeſtate aeris, imbribus, nivibus &c. hic ait Deum ſignare in manu omnium hominum, quaſi dicat Deum claudere manus hominum, quando ſubmittit tempeſtates, imbres &c. nt ſciant omnes maximè agricolæ, cui ſua opera debeant in acceptis referre, quia niſi Deus det ſerenum cælum, otioſi clauſis & complicatis manibus coguntur ſedere, ita ut nec arare poſſint, nec metere. Ita Pineda, ſecundum cujus optimam & doctisſimam interpretationem nihil favet Chiromanticis iſte locus, multò minus ille Exodi, qui alludit ad conſuetudinem hominum qui memoriæ cauſa ſignum aliquod digitis vel annnlo digitorum, quos ſemper habent ante oculos, ponunt, ut ex illo ſubſequenti colligitur, erit ſcil. quaſi ſignum in manu tua & quaſi monumentum ante oculos tuos. Rectè verò ait Goclenius ſe Hebræum conſuluiſſe, à quo etiam didicerit germanum ſenſum Iobi, quo revera Chiromantici intelliguntur. Quis autem non videt indignitatem rei, quod tantns Doctor iniquiſſimum & imperitiſſimum Iudæum vel Rabinum conſulat quibus nihil antiquius, quam impoſtorum more fabulas ſpargere, & impudentiſſima mendacia confingere. Nihil profectò abſurdius commiſit unquam Goclenius quam quod typo ſpargat, ſe conſuluiſſe Hebræum quoad ſenſum legitimum S. Scripturæ, indoctiſſimum ſcil. aſinum, nt omnes in univerſum ſunt Iudæi, & ab hoc ſe genuinã interpretationem accepiſſe: Hoc ipſo enim ſe cum ſua Chiromantia facit vel maximè ſnſpectum, ut nemo ipſi credat, qui juratos Chriſtianitatis hoſtes adducat, ut ab eis ſuam mendaciſſimam artem confirmari teſtetur.

DISPU-

DISPUTATIO OCTAVA,

De Generatione hominis Orientis.

DE ptincipiis, quæ ſpectant ad vetam generationem, de materia ſeminali vatiè conſtructa & efformata, de Embryone & corpore organico de qualitatibus & Elementis, quæ ipſum ingrediuntur, de mixtione & temperamento, quæ ſunt præviæ diſpoſitiones ad formam ultimam, hactenus ex vatiorum Authorum opinionibus, doctrinis & ſctiptis, quantum præſens conditio & intentio paritur, actum eſt; hic ſequitur actio noviſſima qua forma producitur & unitur materiæ, quâ totus fit homo, tutum vivens, totum compoſitum, quâ natura incipit, vita, accretio & nutritio. Ad terminum itaque, id eſt, ad generationem, quæ baſis eſt & fundamentum totius hujus tractatus, deſcenditur, quia hoc ipſum tes & inſtitutum requirit, ut cum quis hominem producturus ſit, ab ejus generatione primùm poſitis omnium retum naturalium principiis & diſpoſitionibus præviis exordiatur: Ab hac incipit homo eſſe & vivere, vivitque poſt hanc, donec in communem denuò materiá & in ea principia, ex quibus conſtabat, reſolvatur: Ab hac etiá eſſe primũ habent quæcunq; ſub cælo per naturalem actionem producuntur; ſunt enim ipſa per formam & hęc per generationé, quæ inſtantaneus eſt motus, quæq; omni debetur creaturæ præter animam creatione factam: Et quamvis forma hominis, quæ omnium ſublunarium nobiliſſima eſt, non per actionem naturalem producatur, habeatque Architectorem Deum à quo creatur, nihilominus tamen dicitur homo verè generare & generationem attingere, quia producit diſpoſitiones ad formam hanc divinam, attingitque intrinſecè productionem unionis, inter animam rationalem & materiam. Cæterùm agetur hac præſenti diſputatione non tam de generatione ipſius hominis, ad quem cognoſcendum hæc tota eſt inſtitutio, quam etiam de generatione in communi prout comprehendit omne corpus naturale, & ad omne vivens conſtringitur: Occurrit itaque primò

DIFFICVLTAS I.

An detur in rebus naturalibus generatio.

ADverte, variè ſumi nomen generationis: Primò pro omni mutatione, qua aliquid fit de novo, ſive illud ſit ſubſtantia ſive accidens. 2. pro mutatione qua fit aliqua ſubſtantia de novo, ſive ea ſit animata ut leo, ſive inanimata ut aurum, ſive ſimplex ut aer, ſive compoſita ut lapis, 3. pro productione viventis corruptibilis quam incorruptibilis. Iam quæritur an detur generatio tam ſubſtantialis quam accidentalis.

Suppono, ſemper ante generationem ſubſtantialem dari alterationem, quæ ſit tendentia, via & motus ad illam, quia non intelligimus quomodo è potentia materiæ forma naturalis ſubſtantialis abſque præcedente alteratione educatur, hic poſitis

DICO, datur in rebus phyſicis ſublunaribus generatio non tantum accidentalis ſed & ſubſtantialis. Eſt hæc doctrina communis apud Medicos & Philoſophos contrà quosdá veteres, qui præter materiam nihil ſubſtantiale agnoverunt, & contrà hos eſt probatio prima ex Ariſtotele vatiis in locis, ubi de his ambabus transmutationibus agit ut 1. de gen. c. 4. 5. phyſ. c. 1. 11. met. c. 3. &c. Probatur 2. de mutatione accidentali, quia frigidum paulatim fit calidum, & paries albus denigratur ut conſtat experientia. De mutatione ſubſtantiali probatur 3. quia dantur formæ ſubſtantiales in ſubjecto, in quo prius non fuerant, ergò dantur mutationes ſubſtantiales. Antecedens nemo negaverit, niſi cæcus ſit & amens, quia lignum dum convertitur in ignem accipit formam quam prius non habebat, adeoque jam eſt ignis, quod antea lignum fuerat. Probatur 4. experientia, quia videmus & experimur aquam transmutari in aerem, ſanguinem in carnem, ovum in pullum, carnem in vermem, ſemen in hominem &c. Et hæc eſt conſtitutio univerſi, ut cum omnia ſublunaria ſint corruptibilia, & quotidiè res plurimæ imò quaſi infinitè pereant, rerum jactura per novas ſubſtantiarum productiones reſarciatur, ne ſpecies cum ſuis individuis paulatim corrumpantur, & perfectio totius univerſi tollatur, cum nuda materia quæ puriſſima eſt potentia, ad hoc efficiendum non ſufficiat, ſed pulchritudinem ſui & perfectionem per formæ ſubſtantialis ornamentum acquirat.

DICES, ſi datur forma ſubſtantialis, ſequitur aliquid fieri ex non ente, ergò ex nihilo, quod tamen abſurdum eſt. Reſp. non ens dupliciter ſumi; primò quatenus excludit ens in actu tantum & non in potentia. 2. quatenus abſolutè negat ens tam in actu quàm in potentia. Primò modo verum eſt, generationem ſubſtantialem fieri ex non ente, quia fit ex materia, quæ licet non ſit ens in actu, eſt tamen ens in potentia, ac proinde non ens hoc modo ſumptum non eſt idem cum nihilo, quia illud habet potentiam ad eſſe entis, hoc autem excludit & potentiam & actum.

DIF-

DIFFICULTAS II.

Quid ſit generatio ſubſtantialis in communi.

TAmetſi res omnes ſublunares ſive animatæ ut plantæ, bruta & homo, ſive inanimatæ ut elementa, metalla, lapides, in ratione ſuæ productionis & generationis quoad extrinſeca & quaſi connata ſpeciales ſuas habeant definitiones: cum tamen earum generationes omnes ſint ſubſtantiales & quoad conceptum quidditativum univocè conveniant, ideò etiam ſub una ſequenti definitione comprehenduntur; & hinc

Generatio in communi quid. DICO, generatio prout completivè omnem ſolamque generationem ſubſtantialem, conſenſu omnium rectè definitur ab Ariſtotele l. 1. de gen. c. 4. quod ſit mutatio totius nullo manente ſenſibili ut ſubjecto eodē. Antequam explicetur hæc definitio, adverte, hanc definitionem convenire ſolum generationibus naturalibus, quæ fiant à cauſis creatis nullo præſuppoſito miraculo; ratio eſt, quia mutatio, quæ ponitur hic in definitione, connotat ſubjectum præexiſtens & privatum formâ producendâ, ut proinde generatio nihil ſit aliud quam mutatio à privatione formæ ſubſtantialis ad formam ſubſtantialem in materia. Jam explicatur definitio. Dicitur 1. mutatio, ejus ſcil. quod fieri debet in tempore & eſſe de novo: Quod enim mutatur, tranſit de non eſſe ad eſſe, v. g. aqua in aerem, lignum in ignem; & hinc excluditur generatio filii Dei à patre æterno, quia non facta eſt hæc in tempore, nec unquam tranſiit filius Dei à non eſſe ad eſſe, quia ſemper fuit; imò excluditur ejus generatio facta à matre, quia licet ſit facta in tempore, exiſtat etiam vera generatio ſicut prior à patre, nulla tamen ex his facta eſt modo naturali & à cauſa ſecunda aut cum mutatione, quia genitus eſt filius Dei intrà uterum B. V. ſine ſemine Viri ut patet ex diſp. 4. hujus lib. diffic. 5. in fine; adhæc excluditur etiam prima mundi creatio, quia quod mutatur, debet habere ſubjectum, cum nulla mutatio poſſit intelligi abſque ſubjecto, debetque eſſe aliquid, quod ab uno termino tranſeat ad alterum, quæ omnia non reperiuntur in creatione carente omni ſubjecto. Dicitur 2. mutatio totius, per totum intelligunt tam Philoſophi quam Theologi totum compoſitum ſubſtantiale, ut ſit ſenſus, tum eſſe generationem quando unum compoſitum ſubſtantiale mutatur in aliud, quod poteſt fieri vel conjunctim cum omnes partes mutantur, vel diviſim cum tantum aliquæ, prout hic intelligenda eſt definitio, ubi per totum, quod materia & forma conſtat, non intelligitur neceſſarium eſſe utramque partem mutari, quia ſatis eſt ſi manente materiâ forma mutetur, quæ conſtituit totum, quæque eſt ratio ſubſtantiæ & totius. Dicitur 3. nullo manente ſenſibili ut ſubjecto eodem; ſenſus eſt, tametſi maneat quantitas informata accidentibus ſenſibilibus in eodem ſubjecto, inhæſionis nempe in materia; non tamen manet in eodē ſubjecto denominationis ſive totius compoſiti ſubſtantialis, quod reduplicatur per illa verba ut ſubjecto eodem; ſic quando ex aqua fit aer, manet quidem materia quæ eſt ſubjectum inhæſionis, non tamen manet ſubjectum denominationis ſive totius compoſiti quod prius fuerat, nempe aqua quæ tranſit & mutatur in aerem; & ita per hoc diſtinguitur generatio ab alteratione, augmentatione & motu locali, quia in illis ſemper manet idem ſubjectum denominationis, videl. homo albus, magnus, currens &c. Thomiſtæ docent hic, quod nullum ſenſibile ideò remaneat, quia concedunt reſolutionem uſque ad materiam primam de qua libro ſecundo.

DICES, Terminus generationis non eſt forma ſed compoſitum, ergò generatio non eſt mutatio ad formam. Antecedens probatur, quia generatio eſt mutatio ad id, quod per ſe exiſtit; ſed ſolum compoſitum per ſe exiſtit & non forma exceptâ anima rationali. Ad hoc argumentum reſpondebitur ſequenti difficultate.

Colligitur primò, non malè à nonnullis definiri generationem in communi, dum ajunt, quod ſit productio entis ex ſubjecto; ejus explicationem vide apud Arriagam diſp. 1. de gen. ſubſt. ſ. 1. 2. ſi agens naturale in materiam omni formâ denudatam induceret formā, hanc actionem fore quidem veram generationem, non tamen mutationem totius in totum, quia non præceſſiſſet totum. 3. ſi quando vermes in ſententia Catholicorum generantur ex ſpeciebus Sacramentalibus, eſſe veram hanc generationem, tametſi non ſit mutatio totius. 4. huc referendas eſſe omnes generationes mineralium, foſſilium rerumque naturalium tam viventium quam non viventium.

DIFFICULTAS III.

Quis ſit terminus generationis ſubſtantialis.

NOTA, terminum hujus generationis ita dividere Philoſophos, ut unum vocent primarium vel ultimum vel ut Quod, nempè compoſitum, alium verò ſecundarium, vel minus principalem & ut Quo nempe formam quia in hunc utrumque terminum definit generatio. Jam

DICO primo, Terminus primarius ultimatus & ut quod eſt compoſitum ſubſtantiale, minus autem principalis & ut quo eſt forma ſubſtantialis, vel ut alii diſtinctius loquuntur, unio cum formis partialibus in generatione humana, ubi forma non generatur aut producitur ſed creaturæ, in generatione autē compoſiti purè materialis unio & forma. Probatur prima pars, illud producitur primariò &

& ut quod, quod dicitur generari ſeu quod eſt ſubjectum denominationis; ſed tale eſt compoſitum, non unio vel ſola forma cum unione, ergò; quia hæc forma, non eſt per ſe, nec producitur per ſe ſicut compoſitum ſed eſt tanquam id quo aliud eſt, unde etiam antecedit origine compoſitum eſtque in executione prior, ſicut econtra compoſitum in intentione; hoc enim ultimatè & per ſe intenditur, cum productio formæ & unionis natura ſua alterius ordinetur. Probatur 2. pars, generatio eſt mutatio à privatione formæ ad formam ergò forma eſt terminus formalis generationis. 2. Generatio conſiſtit in introductione ſive unitione formæ, ergò proximus illius terminus eſt forma licet minus præcipuus. An autem per aliam actionem terminetur forma, & per aliam compoſitum, diſputant Philoſophi; & negant id potiores, quia dicunt unam & eandem actionem, quæ intrinſecè terminatur ad formam, extrinſecè terminari ad compoſitum; unde quod colligitur.

DICO 2. generatio conſiſtit in actione, qua producitur unio. Probatur 1. non conſiſtit in productione formæ, ergò in actione unitiva formæ & materiæ, quia amplius nihil reſtat. Probatur antecedens, in ea actione conſiſtit generatio, qua fit compoſitum; ſed non conſiſtit in productione formæ, ergò in unitione formæ cum materia. Probatur 2. ſi foret unum agens quod produceret unionē, & aliud quod formam, non diceretur v. g. generare compoſitum ignis, arboris, leonis, lapidis &c. qui formam horum compoſitorum produceret, ſed qui produceret eorum unionem, aliàs homines non generarentur ab hominibus, quia animæ eorum creantur à Deo, ergò generatio conſiſtit in actione unitiva formæ & materiæ, id eſt, qua fit compoſitum. 3. reſurrectio eſt iterata quædam generatio, ſed hæc non conſiſtit in productione formæ, ſed in ejus unione cum materia quia forma jā dudum producta fuit, & producta reunitur materiæ, ergò. Quod autem homo producat actionem ſpiritualem ſecundum quid, id eſt, unitionem rei ſpiritualis, nempe animæ cum ſubjecto materiali, reſtantur inſignes Philoſophi apud Conn. l. 1. de gen. c. 4. q. 15. a. 2.

Generatio conſiſtit in actione unitiva formæ cum materia.

Colligitur, compoſitum propriè generari ſicut & corrumpi.

Compoſitū propriè generatur & corrumpitur.

DIFFICULTAS IV.

An & quomodo generatio unius ſit corruptio alterius.

ARiſtoteles l. 1. de gen. c. 3. ait, generationem unius eſſe corruptionem alterius & contra. Hoc pronunciatum variè interpretantur Philoſophi, moventque ſequentes difficultates; primò an in generationis definitione etiam comprehendatur corruptio, 2. an non tantum quoad ſubſtantias ſed etiam quoad accidentia generatio unius ſit corruptio alterius. 3. an hoc etiam univerſaliter de ſubſtantiis ſit verum: Nam primò in eorum ſententia qui volunt elementa manere ſecundum ſuas formas in mixto, non videtur generatio unius mixti eſſe corruptio alterius, quia elementa manent. Deinde etiam in ſententia eorum qui ſtatuunt in viventibus formas partiales, mortuo vivente videtur etiam fieri corruptio ſine ulla generatione, cum nihil de novo generetur. 3. quando alimentum convertitur in ſubſtantiam viventis, corrumpitur forma alimenti, v. g. ſanguinis, & tamen non generatur nova forma, ſed in materia alimenti recipitur anima quæ jam antea erat in corpore viventis. 4. quo ſenſu generatio unius ſit corruptio alterius, an in ſenſu formali, id eſt, quod unius generatio ſit id ipſum quod eſt corruptio alterius, an verò intelligendum ſit conſecutivè, ut ſenſus ſit, quod nunquam generatio fiat unius, quin eam ſequatur corruptio alterius: De his omnibus hoc loco agendum eſt.

DICO primò, veriſſimum eſt quod in definitione generationis etiam contineatur corruptio. Probatur hoc ex Ariſtotele, qui ſtatim ad initium l. 1. de gener. & corrupt. promittit ſe de hac utraque acturum, nunquam autem alibi corruptionem toto hoc libro definivit, ergò probabile eſt ſub definitione generationis eum ſimul comprehendiſſe corruptionem. Deinde quia omnia verba definitæ generationis conveniunt corruptioni, ergò. Antecedens patet, quia etiam corruptio eſt mutatio totius, ſiquidem per eam perit compoſitum ſubſtantiale, nullumque eo corrupto manet ſenſibile ut ſubjectum idem, ergò etiam in definitione generationis continetur corruptio, ſcil. mutatio totius.

Generatio unius eſt corruptio alterius.

DICO 2. hæc propoſitio Ariſtotelis non eſt intelligēda de generatione & corruptione accidentium ſed ſubſtantiarum. Probatur primum, falſum eſt quoties generatur unum accidens, toties aliud corrumpi, quia quando lumen v. g. corrumpitur in aere, non producitur aliud accidens, quod ei ſuccedat, quia lumen non habet contrarium, & idem intellige de nonnullis aliis qualitatibus, ergò Ariſtoteles non intellexit accidentium ortum & interitum. Quod autem ſubſtantiis intellexerit, patet inde, quia non poſſunt in eodem ſubjecto exiſtere duæ formæ ſubſtantiales totales ſibique nullo modo ſubordinatæ, ergò ſemper neceſſum eſt, ut una adveniente recedat altera & diſpereat.

DICO 3. etiamſi hæc propoſitio non ſit univerſaliter vera in productione accidentium, eſt tamen vera in productione primarum qualitatum. Ratio eſt, quia hæc eſt natura & conditio materiæ, ut nunquam ſit abſque contrariis, & quantum deperdit unius contrarii, ſemper acquirat tantum alterius, ergò generatio unius contrarii eſt corruptio alterius contrarii.

Gen. eſt corrup. etiam in qualitatibus.

DICO

DICO 4. non ſemper opus eſt ut ad productionem novæ formæ ſubſtantialis antecedens pereat aut corrumpatur, ſed ſatis eſt, ut ceſſet eſſe & informare in eo ſubjecto, prima pars patet in morte hominis, ubi introducitur forma cadaveris ſecundum multos, & tamen anima quæ prius illud ſubjectum informabat, non perit aut corrumpitur. Similiter patet ſecunda pars, quia cum non poſſint duæ formæ ſubſtantiales totales ſibi nullo modo ſubordinatæ informare eandem materiam, neceſſarium eſt, ut una adveniente ceſſet altera informare ut patet in dato exemplo.

DICO 5. ſemper neceſſarium eſt, ut pereunte aut abeunte una forma ſubſtantiali ſubſequatur alia, quocunque tandem modo hæc ſuccedat, primum patet, quia non poteſt naturaliter relinqui materia abſque omni forma ſubſtantiali, ergò pereunte una ſemper debet ſuccedere alia. Dixi quocunque modo ſuccedat, quia aliquando producitur per veram actionem phyſicam, ut quando in alimentum v. g. in panem inducitur forma ſanguinis pereunte formâ priori. aliquando verò non producitur forma ſed prius producta ſubit tantum vel extenditur per novam unionem, ut accidit in nutritione & accretione hominis.

DICO 6. hoc dictum intelligendum eſt conſecutivè, ut ſit ſenſus, nunquam aliquid corrumpitur, quin aliquid aliud generetur. Probatur primò, ſi aliquis cum Ariſtotele quæreret, qui fieri poſſet, ut per corruptiones rerum non tandem aliquando minuerentur. Reſpondendum eſt cum eodem, hoc quidem fore timendum, ſi rebus corruptis non ſufficerentur aliæ; ſed ideò non evenire, quia nihil corrumpitur, quin ejus jactura alterius generatione compenſetur. Probatur ſecundò ex fundamento duorum axiomatum, quorum primum eſt, quod nunquam materia poſſit naturaliter exiſtere ſine ulla forma, unde etiam ſequitur, ut quoties una forma expellitur, induci debeat alia. Secundum, quod eadem materia non poſſit ſimul informari duabus formis ſubſtantialibus ultimis ut jam patet. Additur autem hoc ultimis propter formas partiales, quæ ſunt diſpoſitiones ad præcipuam formam viventis; & idcircò non ſunt formæ ultimæ conſtituentes infimam ſpeciem rei. Cæterùm quod non accipiendum ſit hoc dictum in ſenſu formali, patet ex hoc, quia generatio & corruptio non ſunt idem, ſed differunt terminis; generatio enim tendit ad eſſe & corruptio ad non eſſe, unde ad eſſe unius formæ ſequitur non eſſe alterius.

Gener. & corrupt. differunt.

DICO 7. generatio unius ſemper conjuncta eſt cum corruptione alterius in ſenſu jam explicato. Probatur primò quando quærit Ariſtoteles loco cit; cum ſemper aliquid corrumpatur in non ens, cur tandem non ſint omnia conſumpta. Et reſpondet cauſam eſſe, quod quoties unum corrumpitur, alterum generetur, atque ita reſtauretur per generationem, quod per corruptionem deſtruitur: Et hæc ratio oſtendit, ſemper conjunctam eſſe generationem cum corruptione; ſi enim in aliquibus non eſſent conjunctæ, paulatim partes univerſi abſumerentur, neque tamen reſtaurarentur. Probatur ſecundo, nihil corrumpitur niſi à contrariis qualitatibus; at contrariæ qualitates, quæ unam formam corrumpunt, producunt aliam, ergò corruptio non poteſt eſſe abſque generatione alterius: Minor patet, quia ideò, qualitates expellunt formam, ut materiam ad aliam cujus ſunt ipſæ cauſæ efficientes & diſponentes, faciant habilem.

Ad argumentum primum initio poſitum reſpondetur, in ſententia, quæ negat elementa manere in mixto, hoc nullam habere difficultatem: Hinc enim ſequitur in generatione mixti corruptionem elementi eſſe generationem mixti, quia una cum altera conjuncta eſt.

Argumentum ſecundum quod petitur à formis partialibus, majorem difficultatem habet: quando enim moritur homo, ſi conſtat formis partialibus, non producitur nova forma cadaveris, ſed ſublatâ formâ ſive animâ remanent formæ partiales oſſis, carnis &c. Zabarella concedit quidem nullam formam fieri de novo, ſed formas illas partiales oſſis, carnis, cum antea haberent rationem materiæ (erant enim diſpoſitiones viventis) deinceps eſſe formas præcipuas cadaveris, illudque conſtituere in certa ſpecie, quod ex eo oſtendit, quia cadaver ſpecie diſtinguitur ab homine vivente. Sed hæc reſponſio licet pulchra ſit & ingenioſa, non tamen admittitur ab aliis, quia dicunt non eſſe ad ſenſum Ariſtotelis, niſi velimus Ariſtotelem tantum de ea corruptione fuiſſe locutum, in qua forma ſubſtantialis ita corrumpitur, ut ſi non ſubſtituatur alia, remanſura ſit materia nuda, quod naturaliter fieri nequit, proinde dicunt id in propoſito non eſſe timendum, eò quod ſublatâ anima nihilominus maneat adhuc compoſitum ſubſtantiale conſtitutum ex materia & formis partialibus. Quod ſi dicas, ergò non eſſe univerſaliter verum, quod generatio unius ſit corruptio alterius, quia in animali verum non eſt. Reſp. nihilominus etiam eſſe verum, quia in corruptione animalis ſaltem corrumpitur ſanguis, & in materiam ejus inducitur alia forma.

Argumentum tertium ſumebatur à corruptione alimenti, ad quod reſpondetur, quando deſtruitur forma ſanguinis, non ſolum in ejus materiam induci formam viventis, quæ antea erat in reliquo corpore, ſed etiam de novo produci in ea formam partialem, quia ex ſanguine fit caro, os, nervus &c.

Digitized by Google

DIFFICVLTAS V.

In quo diſcrepent & conveniant generatio & corruptio.

NOTA præter generationem dari adhuc alias mutationes phyſicas, quæ tamen omnes ab illa terminis diſcrepent. Nam accretionis & decretionis eſt quantitas ſive major ſive minor; loci eſt ubi; alterationis qualitas: at generationis eſt forma ſubſtantialis, cujus adventu tota ſubſtantia mutatur. Cæterum de corruptione non agitur hic, niſi quatenus cum generatione neceſſariò connectitur. Si itaque quæratur quæ ſit convenientia & quod item diſcrimen inter generationem & corruptionem.

Gen. & corr. in quo conveniãt. DICO primò, multipliciter convenit corruptio cum generatinne. Primò enim utraq; habet pro ſubjecto materiam primam, ut per ſe manifeſtnm eſt. 2. Perpetuò una alteram comitatur, ut patet ex jam dictis, & ex communi illo Ariſtotelis axiomate l. 1. de gen. c. 3. quod videl. generatio uuius ſit corruptio alterius. 3. utraque eſt eodem momento in ſubjecto; nam eodem puncto temporis, quo res corrupta deſinit per primum ſui non eſſe, incipit res genita per primum ſui eſſe ut patet in ligno qnod corrumpitur & in formam ignis tranſit. 4. utraque naturalis eſt materiæ rebusque ſublunaribus corruptibilibus ut alibi dicetnr. 5. denique ſolet propriè accidere compoſito, Ita ut ſicut hoc propriè dicitur generari, ita etiam corrumpi; & ratio eſt, quia ſi res naturales per generationem compoſiti, id eſt, per unionem materiæ & formæ dicuntur accipere ſuum eſſe, meritò etiam amittnnt illud per compoſiti ejusdem interitum. *Compoſitũ dicitur propriè generari & corrumpi.*

Diſcrimen inter gen. & corr. DICO 2. multis etiam modis differunt generatio & corruptio; nam imprimis generatio eſt mutatio realis & poſitiva, ut patet ex terminuo in quem tendit ſubſtantia, ſcil. quæ prius non erant in ſubjecto; corruptio verò eſt quid negativum, quia tendit in negationẽ ſubſtantiæ quæ prius fuerat in ſubjecto, ſive jam forma pereat, ut videmus fieri in forma ignis, bruti; ſive remaneat ut anima rationalis; ſufficit enim compoſitum ſemper interire, ratione cujns ſemper terminatur ad quid negativum. Deinde per generationem itur à potentia ad actum, contrà verò in corruptione ab actn ad potentiam; hoc patet quia materia per interitum formæ amittit ſuum actũ, quem habet à forma, vel qui erat ipſa forma, fitque potentia pura ad aliam formam; per ortum autem acquirit & amittit potentiam quam habebat ad hanc formam; adhæc peculiariter proficiſcitur corruptio à materia, non autem forma, quia etiam ſunt formæ abſque materia, unde dicitur materia principium intrinſecum corruptionis, easque res eſſe incorruptibiles, quæ carent hoc principio, ut Angeli, anima rationalis. Denique corruptio ſemper habetur pro malo natnræ, contrà verò generatio pro bono ejusdem, unde etiã fit ut natura hanc intendat per ſe & illam per accidens, ut in fine lib. 2. diſp. de corruptione dicetur.

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo differat generatio & converſio.

COnn. 1. de gen. c. 4. 11. a. 1. quinque conditiones in converſione requirunt. Prima eſt, ut illnd quod convertitur, planè deſinat eſſe; ſic enim aer quando convertitur in ignem, deſinit eſſe aer, & ſic de cæteris. Hic tamen adverte, in re quæ convertitur, aliquando manere aliquid, v. g. materiam & aliqua accidentia ut patet in aere, dum in ignem tranſit, quia manet materia, manet calor, raritas, pelluciditas; Sic in vino Canæ Galilææ remanſit materia vino & aquæ communis, remanſit humiditas &c. aliquando autem deſinere omnes omninò partes compoſiti ut fit ex fide Catholica & juxta Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 8. can. 2. in ſacratiſſimo Euchariſtiæ myſterio, ubi non viribus humanis ſed divinis fit converſio non ſolum formæ ſed etiam materiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti. Conditio 2. eſt, ut res quæ nova converſione producitur, accipiat novum eſſe, novamque dependenriam ut patet in igne ex ligno vel aere converſo, quia novum eſſe novamque dependentiam accepit, quam prius non habuit. 3. eſt, ut in converſione dentur duo termini poſitivi à Quo & ad Quem, id quod aliter eſſe non poteſt, quia nihil poteſt amittere aliquod eſſe, niſi prius habuerit, & nihil terminat veram realem & poſitivam actionem, niſi quod verum reale & poſitivum recipit. 4. eſt, ut ſit qnædam connexio, dependentia & naturalis conſecutio inter terminum à Quo deſinentem, & ad Quem ſuccedentem, id eſt, ut unus deſinat, quia alter ſubſequitur & contra, quia alias non eſſet converſio, ſed unum planè deſineret & alterum de novo ſimpliciter produceretur, id eſt, propriè crearetur. 5. denique ut maneat aliquid commune utrique termino, v. g. materia & accidentia quædam in aere, qui convertitur ex aqua, in ſtatua illa uxoris Loth materia utrique communis, in diviniſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſpecies communes vino & pani tum corpori & ſanguini Chriſti. Quod ſi autem fiat aliqua converſio virtute divina v. g. lapidis vel ligni in Angelum, ubi nihil videatnr remanere commune Angelo & lapidi: reſpondent Connimbr. nihilominus in Angelo remanere quædam accidentia eaque divinitus ſervari poſſe, quæ prius in lapide exriterint. Hisp oſitis

DICO 1. generatio quæ fit naturaliter, ſem-

ſemper eſt converſio. Ratio eſt, quia quotiescunque naturaliter fit generatio, ſemper unum in aliud convertitur ut patet inductione: Nam quando ex aere generatur ignis, ex aqua aer, ex carne vermis, ex cibo ſanguis, ex ſanguine caro, os, nervus &c. tunc aer verè in ignem convertitur, aqua in aerem, caro in vermem & ſic de cæteris.

DICO 2. generatio quæ fit per potentiam divinam, non eſt converſio. Probatur, quia ſi Deus jam creet aliquam materiam & in eam inducat cum diſpoſitiones tum formam bovis, canis, hæc productio erit vera generatio ſubſtantialis, ut patet ex dictis & concedit urà Philoſophis, non tamen erit converſio, quia nihil dicitur converti in bovem, carnem, ergò. Unde patet productionem Adami & Evæ fuiſſe generationes & converſiones, quia eorum converſio & generatio facta fuit non ex nuda materia ſed ex materia informata formâ terræ, animalis & coſtæ.

DICO 3. etiamſi generatio naturalis ſit ſemper converſio, in nonnullis tamen differunt. Probatur, primò enim terminus à Quo generationis eſt privatio, converſionis autem reale quid & poſitivum: hoc patet in iis, quæ de formatum productione dicta fuerunt, quia forma in materia producenda ſemper ſupponit privationem ejus in materia ſolamque aptitudinem; quando autem convertitur aer ex aqua, hæc eſt illius terminus à Quo realis & poſitivus. 2. ſemper in generatione manet eadem materia, non verò ſemper in converſione ut patet de SS. Euchariſtiæ myſteriu, ubi non eſt eadem materia ſanguinis & carnis Chriſti, quæ prius fuerat panis & vini, aliquando tamen manet ut patet in vino Canæ Galilææ, in quo eadem remanſit materia, quæ prius fuerat aquæ. 3. generatio una tantum eſt actio ſimplex, v. g. unitio formæ cum materia; in converſione autem repetiuntur duæ actiones, quarum altera eſt negativa, qua res convertenda evaneſcit, & altera poſitiva quâ exiſtit illud in quod fit converſio, v. g. ignis ex aere, aer ex aqua &c.

DICES generatio & converſio eadem videtur eſſe actio, quia ſemper in productione alicujus concurrunt, ergò non differunt. Antecedens patet manifeſtâ inductione, quia quotiescunque fit converſio, fit etiam generatio & contrà ut patet in aere, quando producitur ex aqua, quia eadem actio, quæ dicitur eſſe converſio aquæ in aerem, dicitur etiam eſſe generatio. Reſpondeo &

DICO 4. utraque hæc actio eſt eadem realiter non autem eadem eſſentialiter. Probatur primum, in transmutatione ſubſtantiali naturali non datur niſi una actio realis & poſitiva, id eſt, ipſa generatio, qualis actio eſt etiam ipſa converſio, ergò fruſtrà multiplicentur actiones, cum illud nec ratio perſuadeat nec neceſſitas. Probatur ſecundum, quia converſio in conceptu ſuo quidditativo includit terminum à Quo poſitivum, generatio autem privativum, ex quo ſicut etiam ex aliis differentiis ſuprà adductis facilè eſt colligere generationem & converſionem diſtingui eſſentialiter, quando ſimul concurrunt, & ſi una abſque alia reperiatur, prout fit v. g. in generationibus divinis, ubi nulla eſt converſio, differre inter ſe realiter.

DIFFICULTAS VII.

Quomodo differat generatio & creatio.

CIrcà creationem multa ſunt quæ tam à Philoſophis quam à Theologis quæri & & diſputari ſolent. His pleriſque omiſſis quæretur tantum primò, quid ſit creatio. 2. an creatura poſſit creare. 3. an creationem agnoverint veteres. 4. denique quomodo differant generatio & creatio.

Adverte, hæc quinque produci, generari ſive fieri, mutari, moveri & creari multum inter ſe diſcrepare. Produci eſt accipere eſſe ab aliquo, etſi id quod illud accipit, non aliud numero accipiat ſed unum & idē, cujus contrarium eſt deſinere in iis quæ principium & finem habere poſſunt. Generari ſive fieri & effici eſt accipere eſſe ab aliqua ſui parte præexiſtente, quæ vicem ſubjecti habeat reſpectu alterius, cujus contrarium eſt corrumpi, id eſt, reſolvi in id ex quo genitum ſeu factum eſt. Mutari eſt rem ſe aliter habere quam prius, ſive id fiat tranſeundo ab uno ſtatu in alium in Inſtanti ſive ſucceſſivè. Moveri eſt mutari ſucceſſivè. Creari eſt accipere eſſe ex nihilo, eujus contrarium eſt annihilari ſeu amittere totum eſſe. Jam *Quid ſit produci.* *Generari ſive fieri.* *Mutari.* *Moveri* *Creari*

DICO primo, creatio eſt actio ſive productio rei ex nihilo. Ita Philoſophi & Theologi cum D. Thoma p. 9. q. 45. a. 3. actio ſive productio eſt loco generis; ex nihilo autem loco differentiæ. Quod creatio ſit actio certum eſt, quia per eam tanquam per actum divinæ potentiæ ponitur res creata in eſſe ſuo: Nec eſt quod multi id negent ideò, quod creatio cum ſit actio productiva, neceſſariò antecedat rem creatam ſive productam, atque ita ſubjectum ſit prius creatione, & creatio prior ſubjecto quod implicat; quia reſpondetur, creationem eſſe natura priorem re creata in genere cauſæ efficientis, rem verò creatam in genere cauſæ materialis antecedere creationem, id quod multis aliis rebus non incongruum eſt, videl. unam eandemque rem in diverſo genere cauſæ eſſe aliâ partim priorem partim poſteriorem. Ex nihilo non ſumitur tanquam ex nihilo cauſæ quia creatio habet cauſam efficientem & finalem. Neque etiam ſumitur tanquam ex nihilo ſubjecti, quia ut docet fides Chriſtiana, verbum divinum eſt productum & genitum ex nihilo ſubjecti & tamen non creatū: Et Chriſtus ejusq; corpus

Creatio fit ex nihilo. in SS. Euchariſtia producitur ex nihilo ſubjecti, & tamen rigidè aut propriè loquendo non creatur; ſed ſumitur tanquam ex nihilo termini à Quo, ſeu ut alii loquuntur, non exiſtentiæ, ſeu ut alii ex nihilo negativè, quia non datur terminus à Quo, niſi detur commune ſubjectum, ex quo expellatur terminus à Quo per terminum ad Quem, quod in generatione contingit & non in creatione.

DICO 2. nulla creatura poteſt naturaliter creare. Ita communiter docent Philoſophi & Theologi; rationes variæ à variis efferuntur, à Thomiſtis hæc, quia in quantum ad creationem requiritur virtus infinita & illimitata, quæ ſoli Deo competit: Ab aliis hæc, potentia creandi non magis poteſt tem unam quam aliam & ſic omnes poſſibiles producere: Sed hoc creaturæ non competit, quia eſſet omnipotens, ergo. Sed nec poteſt creatura eſſe connaturale inſtrumentum creationis, ut videre eſt apud Theologos, qui docent, probabile eſſe divina virtute poſſe creaturam per potentiam obedientialem elevati ad creandū. *Potentia obedientialis facit creaturam creare.* Eſt autem potentia hæc nihil aliud, niſi cum ſubſtantia & entitas naturalis extraordinario Dei concurſu elevatur ad aliquod opus ſupernaturale producendum; proinde quoties creatura elevata per potentiam Dei obedientialē producit effectum, quem nec formaliter nec eminenter in ſe continet, tum dicitur ſuprà vires naturæ ſuæ agere & operari; quod ſi etiam rem ſine ſubjecto producit, creat. plura videantur apud Theologos.

DICO 3. quicquid antiqui de creatione cum Ariſtotele ſtatuerint, omninò lumine naturali videtur oſtendi, eam dari poſſe. quod Philoſophos illos veteres concernit, communis opinio eſt, eos ignoraſſe creationem, adeoque nunquam credidiſſe, ex nihilo aliquid fieri poſſe. Quod ad Ariſtotelem, dubium *An Ariſt. creationem agnoverit.* eſt, quid ſenſerit, quia multi non poſſunt ſibi perſuadere, hunc virum unquam id aliquo ſenſu concepiſſe, ut patet ex Pererio inſigni aliàs Philoſopho & maximo ipſius Ariſtotelis defenſore, qui l. 5. de materia & privatione c. 7. fusè ex ipſius libris, ſcriptis & doctrinis, tum ex aliis rationibus probat, eum non agnoviſſe creationem. Alii autem ut Soarius, Ægidius, Conn. & quamplurimi ex recentioribus putant poſſibilem fuiſſe creationem apud Ariſtotelem: Et probant illud imprimis ex illo 12. met. t. 38. ubi dependentiam cœli ad Deum refert. 2. ex 8. phyſ. ubi paſſim toto libro primum motorem agnoſcit, ab eoque omnia dependere, tam in fieri quam in conſervari. 3. ex 2. de gen. animal. c. 3. ubi habet ex potentia ſeminali educi animam vegetativam & ſenſitivam, rationalem verò extrinſecus accedere, ergò produci ex nihilo, id eſt, creari, quia ſecundum ipſum non ſunt omnes animæ rationales ab æterno condita. Quod denique humanis rationibus lumineque naturali creatio cognoſci poſſit, id probat Pererius citatus 8. pulcherrimis rationibus, quas, qui volet, legat.

DICO 4. etiamſi tam generatio quam creatio ſit vera & poſitiva actio, quæ feratur in terminum realem & poſitivum, nihilominus tamen omnium opinione diſtinguuntur ſpecie. Probatur primò, quia generatio fit præexiſtente aliquo ſubjecto ſeu materia, è cujus potentia forma naturalis ad actum producitur: Creatio vero fit ex nihilo, neque habet pro ſubjecto ullam materiam. 2. in generatione terminus à Quo eſt privatio ſeu negatio in ſubjecto apto, quia homo generatur ex ſemine, quod non eſt homo, ſed aptum fieri hominem. Creatio autem omninò caret hoc termino, quia non ſupponit ſubjectum. 3. in generatione terminus ad Quem, eſt res ſemper corporea, materialis, corruptibilis, v.g. forma mortalis & corporea; In creatione autem eſt etiam immaterialis & incorruptibilis ut Angelus, anima rationalis. 4. in generatione eſt motus, quia eſt actio tranſiens in ſubjectum, fitque ſucceſſivè propter diſpoſitiones, quas neceſſariò requirit. *Generatio diſtinguitur ſpecie à creatione.* Creatio verò non habet ullas prævias diſpoſitiones, proinde fit in inſtanti & non in tempore. 5. generatio ſemper fit à cauſa ſecunda vel primariò vel ſecundariò ut cum cœlum vel Deus concurrit; creatio autem ſemper fit immediatè à ſolo Deo & nullo modo à cauſis ſecundis, quia cum inter nihil & ens ſit infinita diſtantia, etiam in Agente naturali & creatione nulla penitus eſt proportio, quia requirit hæc infinitam virtutem, quâ illud caret.

DIFFICVLTAS IIX.

An generatio ſit actio inſtantanea.

QVæritur hic primò, an generatio ſit vera actio. 2. an ſit actio inſtantanea. 3. an etiam ſucceſſiva: Nam certum eſt, Ariſtotelem ſæpè generationis nomine intelligere mutationem aliquam præviam & ſucceſſivam ante ultimum inſtans generationis, quo inſtanti res non dicuntur generari ſed eſſe genitæ. Quæritur ergò, an in generatione compoſiti purè materialis v.g. in generatione Leonis præter præviam alterationem & diſpoſitionē tam accidentalem quam ſubſtantialem detur aliqua actio inſtantanea, quæ ultimo inſtanti producat formam quæque ſit ab illa ex natura diſtincta, ut fit in generatione humana, in qua creatio animæ eſt diſtincta à præviis alterationibus.

Suppono, generationem, quatenus ſumitur pro momentanea formæ introductione, diſtingui intrinſecè & eſſentialiter ab alteratione, quia generatio hoc modo ſpectata habet pro termino ſubſtantiam, alteratio verò qualitatem, quæ differentia ex parte termini certè intrinſeca eſt & eſſentialis. Jam

DICO 1. generatio ſumpta pro inſtantanea formæ productione, vera & realis eſt actio. *Generatio eſt actio, quia eſt motus.* Quod ſit actio patet, quia generatio ita accepta eſt mutatio; ſed hæc eſt actio,

actio, ergò & illa. Major probatur, quia materia in inſtanti generationis aliter ſe habet propter formam quam recipit, ac ſe prius habebat, ergò eſt vera mutatio; deinde hujusmodi mutatio infertur ab Agente, id eſt, ab eo qui formam generat & introducit, ergò eſt actus agentis, id eſt, actio. Quod ſit realis *Gen. eſt actio realis.* ſicut & terminus ipſius generationis tam mediatus & principalis, compoſitum ſcil. quam proximus immediatus & minus principalis, forma nimirum. Probatur 1. quando bos vitulum, leo leonem generat, datur vera actio, qua generans formam geniti ſaltem ut terminum minus principalem producit unitque cum materia, quia producere & unire eſt agere, ſed hujusmodi actio eſt generatio ut patet ex dictis, ergò generatio eſt vera actio. Deniquè ad generatio quæ fit, dum nutritur vivens, eſt vera actio, quia eſt motus continuus, qualis motus realiter eſt actio, ergò etiam totalis generatio, quâ forma ſubſtantialis primò producitur & unitur materiæ, erit vera actio, quia utrinque eadem eſt ratio.

DICO 2. generatio formæ ſubſtantialis eſt actio inſtantanea; eſt communis hæc ſententia, & probatur primò, ideo generatio eſt diſtin- *Gen. formæ eſt actio inſtantanea.* cta ab alteratione; quia hæc conſiſtit in motu ſucceſſivo, & illa in inſtãtaneo, ergò generatio eſt actio inſtantanea. 2. terminus generationis eſt indiviſibilis, ergò etiam actio ipſa qua terminus ille, forma ſcil. ſubſtantialis producitur, erit indiviſibilis ſive in inſtantanea. Nam forma ſubſtantialis ideò recipitur in inſtanti, quia eſt indiviſibilis, ergò actio illa qua recipitur in materia, erit indiviſibilis. Obſerva hic, ut producatur forma ſubſtantialis in materia, requiri certam aliquam partem quantitativam, ita ut ſi minor ſit, forma introduci non poſſit, unde Agens quod inducit formam ſubſtantialem, debet primò diſponere certam aliquam partem quantitativam, quæ ubi debitè fuerit diſpoſita, tunc demum inducitur forma ſubſtantialis, v. g. quando comburitur lignum, ignis applicatus ligno calefacit prius certam aliquam partem quantitativam & propinquam ſibi, quæ poſtquam tantum caloris receperit, ut idonea ſit ad formam ignis, in inſtanti comburitur: Sequenti tempore ignis calefacit alteram partem, quam ubi debitè diſpoſuerit, in eam etiam inducitur forma ignis in altero inſtanti & ſic deinceps. Sed de his pluribus ſequenti difficultate.

DICES, generationem plurimis in locis numerari inter ſpecies motus; ſed motus non fit in inſtanti, quia datur in eo prius & poſterius, ergò nec generatio. Reſp. generationem aliquando ſumi pro alteratione prævia unà cum ſuo termino extrinſeco, qui eſt forma ſubſtantialis introductio, aliquando verò pro ſola forma introductione: quando itaque Ariſtoteles generationem numerat inter ſpecies motus, loquitur de generatione in primo ſenſu & non in ſecundo.

DIFFICULTAS IX.

An & quomodo generatio ſit etiam actio ſucceſſiva.

CONſtat inter omnes, mutationem ſucceſſivam eſſe non poſſe niſi illi reſpondeant partes formæ, quæ producitur. Cum enim mutatio ſit alicujus rei productio, non videtur fieri poſſe, ut niſi forma quæ ſit, ſit diviſibilis in plures partes, ipſa productio habet partes ſucceſſivas priores & poſteriores, quia productio adæquatur cum re, quæ producitur; ſi ergò res eſt indiviſibilis, etiam productio erit indiviſibilis: ſit enim productio v. g. unius horæ, ſi ejus forma eſt indiviſibilis, mediâ horâ finitâ neceſſariò erit tota producta, & tamen multæ partes reliqua hora productionis adhuc ſuperſunt; ergò vel non poterit illa productio durare unam horam contrà hypotheſin, vel debebit eſſe indiviſibilis ſicut & forma: Itaque ad productionem ſucceſſivam requiritur ut forma quæ producitur, habeat partes.

NOTA 1. duplex eſſe genus partium; aliæ enim ſunt quantitativæ & extenſivæ, aliæ gra- *Partes aliæ quant. & extenſ. aliæ grad. & intenſivæ.* duales & intenſæ: per illas res extenditur in ordine ad locum, eumque occupat, ut ſunt plures palmi in ligno: per has res non extenditur, ſed in eodem loco atque in eadem parte quantitativa habet majorem intenſionem, ut cum lignum bipalmare calefit, in primo palmo paulatim acquirit plures & plures gradus caloris.

NOTA 2. ſubſtantiam non habere ex ſe partes quantitativas nec intenſivas. primum patet ex hoc, quia ſubſtantia diſtinguitur realiter à quantitate. 2. habetur ex Ariſtotele in categoria ſubſtantiæ, cum ait ſubſtantiam non ſuſcipere magis & minus: Dantur tamen præter has partes etiam entitativæ: Nam in *Etiam ſunt partes entitativæ.* uno palmo ligni non tantum eſt ſubſtantiæ, quantum in toto ligno, ergo plures partes entitatis ligni ſunt in toto ligno quam in uno palmo. Eſt itaque nunc controverſia, an ſaltè reſpectu iſtarum partium entitativarum ſit in generatione aliqua ſucceſſio, quandoquidem hæc ſucceſſio requirit aliquam multitudinem partium, quarũ una ſit prior altera poſterior.

DICO 1. aliquæ generationes ſunt ſucceſſivæ ratione partium entitativarum, aliquæ non. Obſerva, alias generationes fieri à principio extrinſeco, alias ab intrinſeco: ab ex- *Aliqua gener. eſt ſucceſſiva.* trinſeco fit v. g. ignis in materia lignis quia fit ab alio igne vel à ſolis radiis &c. ab intrinſeco principio fit v. g. generatio pulli in ovo, quia fit virtute formativa pulli quæ eſt in ovo: generatio igitur quæ eſt à principio intrinſeco, eſt inſtantanea & nõ ſucceſſiva ratione pariũ entitativarũ: Rat. eſt, quia in tota materia v. g. in toto ovo eſt principiũ intrinſecũ, ideò ſimul omnes part. trãſmutãtur, & nõ una poſt aliã, quod illuſtratur ab Ariſt. exemplo coaguli,

quando enim lac coagulatur, non incipit primum coagulari ab una parte, ſed totum ſimul coagularur, quia coagulum diffuſum eſt per totum lac, illudque ſimul conſtringit, ita etiā à principio intrinſeco omnes partes ſubſtantiales ſimul & in inſtanti generantur; generatio verò quæ eſt à principio extrinſeco, eſt ſucceſſiva ratione partium entitativarum, quod probatur, quia omnis actio quæ eſt ab Agente extrinſeco, primò fit in parte proxima, deinde in remotiore, ut quando ignis agit in lignum, prius comburit partem ſibi propinquam quam ſequentem, ergò ille ignis producitur ſucceſſivè; Nam qui eſt in prima parte, diſtinctus eſt ſecundum entitatem ab eo qui eſt in ſecundo; Deinde ejusmodi generatio fit à primis qualitatibus diſponentibus materiam; ſed partes materiæ diſponuntur ſucceſſivè, ergò & generatio fit ſucceſſivè.

DICO 2. falſum tamen eſt contra Franc. Bonamicum l. 2. de motu c. 14 generationem eſſe ſucceſſivam ratione materiæ, quæ paulatim reducatur de potentia in actum, & fiat ſemper propinquior formæ producendæ: Ait enim hic, quando lignum v. g. calefit & diſponitur ad formam ignis, eam materiam fieri paulatim & ſucceſſivè propinquiorem formæ, neque ſolum recipere calorem majorem & majorem, ſed reduci paulatim ad actum reſpectu formæ ſubſtantialis. Quod verò hæc ſententia falſa ſit, inde patet, quia materia quando fit propinquior formæ ignis, vel acquirit aliquid ſubſtantiæ vel accidentis; ſi hoc ergò eſt alteratio & non generatio; ſi illud, vel ea eſt materia vel forma ignis; non materia quia hæc eſt ingenerabilis, nec forma, quia cum ſit indiviſibilis, non poteſt ejus acquiſitio eſſe ſucceſſiva: Deinde appropinquare materiam formæ vel ſignificat materiam recipere diſpoſitiones ad formam, atque hæc non eſt generatio, ſed mutatio accidentis; vel ſignificat materiam magis accedere ſecundum locū ad formam, atque hæc eſt incredibilis deliratio, quia forma educitur de potentia materiæ, neque ullo modo ab ea diſtat loco, aut certè aliquo alio modo fit materia propinquior formæ, quem Bonamicus necdum explicavit: Vide quæ ſequenti diſput. de productione formarum difficult. 6. & 8. dicantur, ubi Bonamicus eandem cum Sennerto, Hoffmanno & aliis tuetur ſententiam deliram.

DIFFICULTAS X.

Quæ ſit materia, generatio & natura rerum non viventium ut metallorum, lapidum, foſſilium &c.

HÆc omnia, ſi elementa & ſuccos quosdam concretos exceperis, mineralia ſunt, ſub quibus terræ, foſſilia, bitumina & metalla tam perfecta quam imperfecta & monſtroſa, ut cadmia & excrementoſæ eorum ſubſtantiæ quales ſunt ceruſſa, lithargirium &c. continētur, quæ omnia an ad terras lapides ſeu metalla referas, parum intereſt; ſunt autem terræ jamia, lemnia, chia, cretica, bohemica, rutcica & ſimiles, quæ à loco unde eruuntur, nomen accipiunt; item bolus armenus, qui ſolus cum terra lemnia & ſigillata Medicis inſervit, Lapides ſunt Rubinus, Smaragdus, Hyacinthus, Adamas, Magnes &c. Metalla aurum, argentum, æs ſeu cuprum, plumbum, ferrum, ſtannum & argentum vivum; alii chalybem addunt; alii eum à ferro non diſtinguunt, cum ferrum ſæpius ignitum & à recrementis purgatum in chalybem transeat. Alii electrum inter metalla referunt, ſed falſò, quia reverà eſt hoc bitumiois genus è ſaxis defluens. Alii ſtannum è numero & natura metallorum expungunt, docentque non diſtiogui ſpecie à plumbo & argento. Alii argentum vivum non oumeranr ioter metalla, eò quod non ſit clarum nec ductile, nec concreſcat frigore ut cætera metalla ex 4. met. c. 9. proindeque nec habere materiam aqueam ſed magis aeream ut oleum: Et hinc fit ut dum caleſcit, agitatur & vitro includitur, ad ſuperiora evolet contra Concil. differ. 151. qui exiſtimavit eſſe terreæ & aqueæ ſubſtantiæ. Alii denique ut Conn. tr. 13. meteorol. c. 4. inter reliquas hac de re opiniones duas indicant probabiliores, quarnm una 7. enumerat ſpecies, ut aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, argentum vivum & ſtannum; altera tantum 6. removendo ſtanonm, quod ſit indiſcreta ſpecies argenti & plumbi.

Suppono primò, definitionem generationis ſubſtantialis in communi, quæ data eſt diffic. 2. hujus diſp. competere generationibus rerum non viventium, ut diſquirenti facilè patet, meliusque patebit ex ſequentibus. 2. omnia hæc mineralia eſſe ſine anima & vita contra Card. l. 5. de ſubtilit. non enim nutriuntur, non etiam habent venas & inſtrumenta nutritioni dicata, non moriuntur, nec exercent actiones ullas vitales, ut benemanet merit oque ridet J. Scal. exerc. 101. c. 14. & 18. & tota exerc. 102. Suppono 3. fabulas eſſe, quod metalla certis debeantur Planetis ut plumbum Saturno, ſtannum Iovi, Marti ferrum, Soli aurum, æs ſeu cuprum Veneri, Mercurio argentum vivum, Lunæ argentum, Iam *Planetis nō debentur metalla.*

DICO primò materia metallorum non eſt humor aliquis pinguis ut voluit Alb. M. in opere de mineralibus, nec argentum vivum & ſulphur, ut Chymici & Alchimiſtæ delirant, ſed eſt halitus aliquis ex vaporibus & exhalatiooibus miſtus intrà terræ viſcera concluſus, & ob ipſius terræ lapidumque cum frigiditatem rum ſiccitatem coagulatus: Ita docent meliores Philoſophi & cum iis Cono. tr. 13. meteor. c. 1. Quod materia ſit aquea patet, quia concreſcit frigore, quod de humore pingui *Materia metall. eſt halitus mi ſtus ex vapor. & exhalat.*

qui dici non poteſt ; & liqueſcit calore ſicut glacies; quod non ſit ſola aqua, inde manifeſtum eſt, quia concreſcit etiam extrà denſum frigus; deinde igneſcit quod manifeſtè convincit cum humore aqueo conjunctam eſſe ſiccam exhalationem. Itaque materia hæc eſt halitus unctuoſus ſubtilis cum terreſtri ſubſtantia ſubtili perfectè commixtus, ſive jam metalla in aere ſive in terra concreſcant, quia eadem eſt ubique materia. Quod autem etiam in aere hoc non infrequenter fieri ſoleat, docet experientia, dum ſæpius coruſcante cælo corpora ænea multarum librarum pondere deciderunt ex aere, & tam ſolida etiam ut frangi non potuerint : Et hinc quia hæc materia non eſt ſolus vapor nec ſolus halitus, ſed uterque invicem commiſtus prævalente vaporum humiditate, meritò inquit Ariſtoteles, metalla partim eſſe aquam, partim non aquam : facilè enim eſt colligere, quare imprimis illa unctuoſitas in metallis non ita ſit corruptibilis ſicut in cera, oleo & adipe; deinde quare metalla liquefacta non ita diffluant ſicut aliæ humiditates; quia videl. in cauſa eſt terreſtre adjunctum & perfectè admixtum, quod impedit quò minus accendatur unctuoſitas aut accenſa conſumatur & liquefacta diffluat.

DICES, Alchimiſtæ ad aurum efformandum adhibent argentum vivum & ſulphur, ergò veriſimile videtur hæc duo eſſe materiam metallorum. Reſp. quicquid ſit de modo Alchimiſtarum, diſtinguenda eſt conſequentia : illa duo ſunt materia proxima metallorum, negatur; remota eſſe poſſunt, quia priusquā ingrediuntur compoſitionem metallorum, converti debent in expirationem humidam & ſiccam ſeu ex vaporibus & ſiccis exhalationibus compoſitam, quæ propinqua eſt materia metallorum.

DICO 2. materia lapidum eſt halitus ex vaporibus & exhalationibus mixtus ut in metallis, cum hoc tamen diſcrimine, quod in metallis halitus plus vaporis contineat, hic verò plus exhalationis, quia ſicciſſimi ſunt lapides & non liqueſcunt ſicut metalla propter terreſtres exhalationes, quæ in iis dominantur. Itaque probatur hæc concluſio à duritie, ſiccitate & quod non liqueſcant calore. Eſt autem magna inter lapides differentia propter halitum velut materiam proximam; nam quidam ſunt nitidi & ſplendidi, qui concreſcunt ex ſucco puriſſimo & non ex halitu fumoſo. Et hoc idem Ariſtoteles docet cum ait lapides generari ex halitu ſicco nonnihil permixto cum humido. Alii ajunt terram potius lutoſam ſeu humidam, unctuoſam & viſcoſam, id eſt, paſſam ab humido unctuoſo & viſcoſo eſſe materiam lapidum opacorum, perſpicuorum verò aquam magis vel aqueum humidum cum tenuiſſimo ſicco terreo permixtum : Sed hoc eſt contrà Ariſtotelem & rationem, quia in omnibus lapidibus dominatur terra non aqua ; & licet in lapidibus perſpicuis plus abundet humidi quam in opacis, dominatur tamen terra, neque ullo modo liqueſcunt; & ſic fit cryſtallus ex nivibus, nimirùm terræ permiſtis & in ſummam ſiccitatem coalitis. Quod ſi quæras an ex materia unius elementi poſſit generari lapis v.g. ex terra, & an dentur lapides, qui aliquid de aere participent ut pumex. Reſp. quod nullus lapis quantumvis ſiccus poſſit generari ex ſola terra; ratio eſt, quia partes non poſſent cohærere aut continuari, cum quodvis mixtum durum prærequirat humidum, quo partes commixtæ cohæreant & conglutinentur: Apparet hoc in terra, quæ pura ſemper in pulverem neceſſariò comminuitur. An verò pumex aliique lapides, qui non merguntur ſub aquā, participent de aere, dubium eſt apud nonnullos, quia putant ideò tales non ſubmergi, quod ſint ſpongioſi, poriſque pervii, quibus aer includatur, tritos verò aut in pulverem redactos ſtatim petere fundum, ut alia corpora duriora; videntur tamen nihilominus materiam aeris in ſe continere, quia omnis halitus, qui eſt materia proxima, eum in ſe continet, jam plus jam minus, prout omnis halitus cum aliis diſpoſitionibus in hanc aut illam lapidis formam tendit.

Materia lapidum eadem qua metall. cū aliqua diff.

DICO 3. materia foſſilium remota ſunt elementa, proxima vapor & exhalatio, id eſt, materia humida, unctuoſa, ſubtilis, ſicco terreſtri attenuato optimè permixta. Adverte 1. halitum nihil eſſe aliud quam corpus aliquod tenue & ſubtile, quod ex elementis præſertim ex aqua & terra madeſcente vi caloris in ſublime tollitur; & hic halitus eſt duplex, vapor & exhalatio; ille eſt calidus & humidus halitus, qualis eſt ille, qui extrahitur ex aqua fervente; hæc eſt halitus calidus & ſiccus fumo ſimilis, proinde differunt in qualitatibus primis & ſecundis ut gravitate & levitate, quia exhalatio levior eſt & aſcendit ad eum locum, ubi fiunt impreſſiones ignitæ, vapor autem ubi aqueæ ex Ariſt. 1. meteor.

Materia foſſilium. Halitus quid.

Adverte 2. nunquam eſſe vaporem ſine exhalatione, nec hanc ſine illo. Ratio eſt, quia niſi vapor haberet aliquid levitatis igneæ per admixtam exhalationem, non poſſet tam altè aſcendere; ſimiliter ſi exhalatio careret omni admixtione humidi vaporis, non haberet partium cohærentiam & continuitatem.

Adverte 3. halitum non tantum extrahi è terra & aqua, ſed etiam ab aere & igne : de aqua & terra nemo dubitat : de igne patet ex flamma è facibus ; ab aere autem craſſiore præſertim hujus infimæ regionis ſemper aliquid exhalat dum attenuatur. Jam probatur concluſio, quia quicquid in terræ viſceribus gignitur, id cauſam proximam habet halitum, aliquando in humido, aliquando in ſicco dominantem, id quod communiter ſentiunt Philoſophi. Nam Alb. M. 3. miner. tr. 1. c. 3. docet, materiam proximam foſſilium eſſe materiam humidam, unctuoſam, ſubtilem, ſicco terreſtri attenuato optimè permixtam, & materiam lapidum non perſpicuorum eſſe ter-

Vnde gignitur halitus.

terram, cui inſit humor unctuoſus & viſcoſus immixtus; eorum verò qui ſunt perſpicui, eſſe humidum magis aqueum cum exhalatione terrea ſubtiliſſima, ut habet l. 1. min, tr. 1. c. 2. & 3. Ariſtoteles 3. meteor. c. ult. duplicem ponit halitum, unum vaporoſum, qui proprio nomine dicitur vapor, fumoſum alterum; Et ex his duplex genus mineralium ſtatuit, foſſilia ſcil. & metallica; illa air fieri ex fumoſa ſeu ſicca materia, hæc verò ex vaporoſa: Et hanc doctrinam ſeqvuntur Card. l. 7. de ſubtil. Valeſius ſac. Philoſophiæ c. 49. Conn. tr. 13. meteot. c. 1. & alii, ut proinde foſſilia ſint omnia, quæ è terris exceptis metallis eruuntur.

Foſſilia qua.

DICO 4. cauſa efficiens principalis metallorum lapidum, omniumque foſſilium non eſt virtus quædam mineralis terræ aut ſpiritus metallicus, ut multorum eſt inſipida opinio, & jam olim nonnulli eum Avic. crediderunt: qui cum ita à ſtellis ſicut vim vegetantem à ſeminibus deduxerunt; Nec ſolus Deus quaſi hic ab initio mundi omnia mineralia creaverit & produxerit; nec ipſa aſtra, ut Aſtrologi jactitant, dum ſingulis Planetis ſingula metalla abſolutè aſſignant; ſed eſt influxus ſyderum præſertim ſolis; inſtrumentalis autem & proxima partim calor vapores & exhalationes attenuans, partim frigus eoſdem congregans & condenſans. Ita docet Ariſtoteles l. 1. meteor. c. 2. D. Thom. Alb. M. Vico Mercatus, Ioannes Picus Mirand. l. 8. adverſus Aſtrol. c. 4. Agricola l. 4. de ortu & cauſis ſubterraneorum pag. 50. l. 5. pag. 52. & 73. Alex. ab Angel. l. 5. in Aſtrol. a. 17. Franc. Valeſius c. 44. S. Philoſophiæ. Conn. tr. 13. meteorol. c. 1. & 2. & 1. de gen. c. 10. q. 2. 2. & 3 probatur primò experientia, qua conſtat cœlum lumine & calore in hoc mundo inferiori & præſertim per acceſſum receſſumque ſolis eſſe cauſam omnis viciſſitudinis rerum naturalium, ergò etiam influit in productionem omnium mineralium & foſſilium, quia non excedunt cauſam cœlorum, id eſt, ſuâ nobilitate & præſtantia effectum. 2. probant hanc concluſionem Conn. cit. hoc modo, metalla, lapides & omnis generis foſſilia non poſſunt generari ab elementis, quia hæc ſunt imperfectiora, neque ab aliis metallis, lapidibus & foſſilibus ut conſtat, ergò aliunde, & nihil præter ſydera occurrit, maximè autem ſolem, cujus vis & influentia latiſſimè diffunditur & ad ſimiles effectus mira efficacia omnia quaqua verſum penetrat. Neque dicas ſpiritum metallicum eſſe, qui mineralia producat; quia per ſpiritum hunc, cum ſit rei inanimatæ differatque à ſpiritu vegetabili, vel intelligitur vis aliqua cæleſtis, vel elementaris vel metallica in halitu fundata; ſi metallica, non habet in ſe virtutē producendi aliquod mixtum, cum nec metallum habeat; ſi ſit elementaris, ſimiliter non poteſt id efficere ut patet; ergò reſtat ut ſit cœleſtis id eſt vapor & exhalatio mixta, in quibus aſtra concurrentibus efficaciter elementorum, qualitatibus metallorum, lapidum aliorumque foſſilium formas producant: Nam inter potiſſimas cauſas effectrices ſunt elementorum virtutes & qualitates, ut habent Tol. l. 1. de gen. c. 10. q. 19. & l. 2. de gen. c. 8. q. 11. Conn. cit. & alii qui communi conſenſu docent, elementa eſſe cauſam efficientem miſtorum, quatenus per ſuas qualitates activas diſponunt materiam ad formam mixti. De calore & frigore docet Ariſtoteles 3. meteor. c. ult. Agric. de ortu & cauſ. ſubter. l. 4. pag. 54. & l. 5. pag. 76. Conn. cit. c. 2. quia videl. calor cujus eſt attenuare humidam expirationem, gignit & coquit, tum omnes elementorum halitus miſcet extrahentque è materia humorem efficit eam duriorem, frigus autem eundem arctiſſimè cogit & non parva aeris portione è permiſtione expreſſa denſat. Ad hæc ſunt & aliæ cauſæ effectrices foſſilium, quas Authores prioribus annumerant. Nam imprimis Agr. l. cit. inter effectrices lapidum cauſas adſciſcit ſuccum lapideſcentem; Albertus M. virtutem mineralem; Chymici apud Gaſtonem Claucium in apologia chryſopopæia ſulphur: Bernhardus Cæſius l. 1. de min. c. 5. ſ. 7. ait in ſinu terræ virtutem aliquã laritare diſtinctam ab Elementis & qualitatibus primis, quæ ut cauſa proxima effectrix præſtet ortum foſſilibus. Et hinc colligitur, mineralium & foſſilium eſſe cauſas quamplurimas remotas, proximas, principales, minus principales, inſtrumentarias, verè efficientes &c. & inter has eſſe cælos, elementa, primas qualitates, virtutem mineralem partim ſolarem, partim elementarem in halitibus latentem.

Cauſa effic. metall. & lapidũ.

Elem. non poſſunt generare metalla, quia ſunt his imperfectiora.

Elem. diſponunt ſolum ad formas mixtorum.

DICO 5. qualitates & accidentia metallorum præter qualitates primas, de quibus nihil aut vix quicquam certi apud Authores determinatur, ſunt color, odor, ſapor, ſoliditas, ductibilitas, dolabilitas &c. Ductibilitatis eadem eſt cauſa quæ liquationis, videl. dominium humidi unctuoſi quod à calore liqueſcit. Colores 3. ſunt, & reperiuntur jam in hoc jam in illo metallo, ut albicans in argento plumbo, ſubrubeus ſive citrinus in auro & cupro cujus color vergit ad nigrum aduſtum; & 3. qui eſt quaſi fulgor ſplendidus ſive lumen in corpore luminato. Hi autem colores oriuntur à certa qualitatum primarum temperie & debita materia, v. g. color albus oritur ab humido & terreſtri, ſubtili & digeſto, non autem impuro ſive lutulento, ex quo niger aut fuſcus oriretur: Primi generis ſunt argentum, ſecundi ſtannum, tertii plumbum, quarti ferrum, cujus terreſtre impuriſſimum eſt & aduſtum ſimul, unde etiam fuliginem facilè contrahit, ſi adurens aliquid in illud projiciatur, ut ſal, ſulphur, auripigmentum &c. Color citrinus oritur ex ſulphure colorante quod cũ cætero terreſtri puro & humido fortiter admiſto calor digerens commutat: quod ſi verò terreum ſit impurum neque humido benè admiſtum, calor digerens & commiſcens adurat, citrinumque calorem nigredini proximũ efficiet ut apparet in cupro, quod aduritur ex ſul-

Qualitates mineralis.

Colores unde oriuntur.

ſulphure ſuper ipſum projecto; Contrà verò in auro quod putiſſimum eſt, non offenditur, Si quæras, quare ſulphur ſuper auro ſparſum convertat ipſum in nigrorem; Contrà verò ſal & tartarus in albedinem; Deinde quare quædam adurant argentum & non aurum. Reſpondetur ad primum, quia ſulphur adurit terreſtre, convertitque in nigrorem, ſal verò & tartarus quia ſunt acuta, coqvunt, depurant & ſeparant terreſtre & combuſtum, reſiduumque purius efficiunt. Ad ſecundum reſpondetur, quia humidum in argento minus eſt cum terreo commiſtum & depuratū, exactiſſimè vero in auro. Sapores & odores fœtidos habent omnia metalla propter ſulphur, de quo participant plus vel minus, pro cujusque natura, propter quam cauſam habent etiam aliquid acredinis & faciunt corr[illegible]iones: In auro quidem ſulphur eſt ſubtile, unctuoſum, fortiter commiſtum, minus etiam evaporat, ut hinc odor vis advertatur. Argentum habet terreum non tamen aduſtum ſulphur, magis autem evaporativum eſt quam aurum, unde etiam magis odorabile, licet minus quam æs & cuprum reſpectu cujus habent odorem & ſaporem dulcem, magis autem aurum, Ferrum habet terreſtre cum pauco ſulphure commiſtum: Plumbum & ſtannum vix habent ſaporem & odorem propter multam aquoſitatem: Evaporativum maximè eſt æs & ferrum, unde etiam maximè inficiunt aquas & earum mineras propter ſaporem. Quod ſoliditatem aliaque accidentia concernit, horum cauſæ facilè parent ex dictis. Quantum vero ad virtutes, illa vix aliquo ſenſu percipiuntur, cum ſint corpora ſolida & aut terrea aut aquea. Ferrum tamen & cuprum quia multum de ſulphure & de ſubtili terreſtri, quod per calorem aduritur, participant, vim calidam ſiccam & penetrantem participant, plumbum vero, ſtannum & argentum ſeqvuntur naturam ſui elementi prædominantis, aquam ſcil. à qua frigiditatem hauriunt, omnium autem maximè argentum vivum, quod etiam propter vim deleteriam ſuperadditam calorem nativum animalis omninò ſuffocat. De auro potiſſima fama eſt & tanta etiam quæ cælos penetret, ſi tamen hactenus experimentum vel unicum tot Chymicorum promiſſionibus reſpondiſſet.

Sulphur quare in auro nigrorem, plus tartarus candorem producunt.

Virtutes mineralium.

DICO 6. Accidentia lapidum ſunt gravitas, lenitas, ſoliditas, poroſitas, pelluciditas, color, durities, dolabilitas, &c. Suppono hic, materias pro lapidibus generandis aliquando malè, ſæpius benè miſceri; Si illud fiat, & ſi humidum in terræ portione validius exiccetur à calido ſicco, ſi à materia evaporet humidum cum calido, neq; fiat bona digeſtio, non generabitur corpus lapidoſum ſolidum & durum, cum facilè minuatur, quia prout materia terrea cum aquea conjungitur, & à circumſtantibus qualitatibus juvatur, ſecundum id fiet diverſitas lapidum in duro, ſolido, compacto, poroſo, &c. Gravitas & levitas ſunt à prædominante elemento: Soliditas eſt à cauſa communi cum metallis ſicut & durities, quæ tamē aliquando major aliquando minor eſt, prout humidum aut magis aut minus terræ commiſtum eſt: Si enim ex terreſtri evaporaverit humidum, aut frigidiſſima ſiccitas hoc apprehenderit, & in ſe convertendo vehementer expreſſerit, lapides duriſſimi generantur; ſi autem ariditas non ſit tanta humidumque accedat non tam fortiter à terreſtri apprehenſum, lapides fient molliores. Dolabilitas ſive indolabilitas fiunt ex majori vel minori duritiè, quia duriſſimi non poſſent dolari; Contrà vero qui mediocriter duri ſunt conſtrictis poris ſecundum ordinem locatis, ut patet in lignis quæ dividuntur juxtà ſeriem partium fortiter adhærentium & fluxus nodorum, humidoque unctuoſo perfectè mixto neque in extremam duritiem vi calidi concreto. Poroſitas reperitur, quia terreſtri materiæ humidum non ex omni parte propter aërem in poris materiæ concluſum eſt comixtum. Perſpicuitas cauſatur ex multa materia aeris & aquæ, quæ cum materia terreſtri pura & ſubtili eſt congregata & congelata, & in his aliquando aer aliquando terra prævalet. Colores quia varii ſunt, ſic varias quoque cauſas habent; Albus enim cauſatur ex multis perſpicuis in materia terrea ſubtili puraque determinatis; Niger verò ex partibus opacis, quæ opprimunt perſpicuitatem, ſive etiam ſæpè ex terreſtri combuſto, unde plerumque tales lapides ſunt duriſſimi & magis potibiles quam ſecabiles. Colores medii fiunt ex utriusque extremi varia commiſtione ut rubeus, viridis, flavus, &c. Rubeus fit qando cum perſpicuo luminoſo conjungitur & immiſcetur fumus tenuis, accenſus, unde omnes lapides, qui hunc colorem habent, dicuntur calidi ut hyacinthus, carbunculus, granatus: Prout tamen pollent perſpicuitate multa, pauca, craſſa, ſpiſſa, aquea & aerea, cum fumo tenui, lucido, multo, pauco, igneo, obſcuro, aqueo, aereo, &c. Sic carbunculus totus eſt igneus, hyacinthus aqueo lucido conſtat, granatus ex ſpiſſo: Flavus color oritur ex ſubſtantia clara & perſpicua, cui permiſſa eſt ſubſtantia ſubtilis terreſtris valdè combuſta ut patet in Saphiro: Habent autem nihilominus ſuas differentias etiam prout illud perſpicuum cum terreſtri ſubtili combuſto clarius fuerit & obſcurius: Si autem cum tali combuſto ſit perſpicuum aqueum aliquantum ſpiſſum, tunc reſultabit color Hyacintho, qui minus eſt clarus quam Saphirus; Color viridis fit es perſpicuo aqueo & vapore fortiter aduſto: Et prout hæc duo complicata ſunt, etiam oritur diverſitas viriditatis ſcintillans & cæruleus ex lucido perſpicuo, quod ſuperducitur tenui & modico vapore aqueo incenſo: Color medius qui fulvus quaſi eſt & cæruleus, cauſatur ex perſpicuo terminato quod ſpiſſo fumoſo aqueo ſicut & terreſtri ſuccenſo ſuperinfuſum eſt. Et hi fermè ſunt colores omnium lapidum pretioſorum; cæteri ſi qui habentur tam ſimplices quam compoſiti, tam terminati quam interminati, facilè colli-

Accidentia lapidum & cauſæ efficientes

Gravitas & levitas.

Soliditas.

Dolabilitas.

Poroſitas.

Perſpicuitas.

Colores.

colliguntur ex quibus miſcibilibus fiant. Reliqui autem colores utcunque perſpicui non tamen determinati reperiuntur in ſilicibus, topbis, quadris & marmoribus, in quibus ſunt niger, glaueus, vitens, albus, &c. Marmor niget cauſatur ex terreſtri fuliginoſo coagulato, albus ex terreſtri ſubtiliſſimo, quod commiſtum eſt multo aqueo, quodque decoctum albeſcit: Glaucus ex terreſtri opaco, quod alterat modicum album, quo cepit multum aqueum coagulari; vireus ex multo aqueo vaporibus ſimul irrorantibus ſic coagulatur; hinc alabaſtrum ſive Marmor albus componitur ex multo perſpicuo, quod alteratum eſt à terreſtri ſubtili. Quam variè autem lapides ex materiæ proximæ & cauſarum componentium ſive diſponentium diverſitate generentur, facilè eſt videre ex iis, quæ hactenus explicata ſunt. Plura conſtant ex Authoribus citatis.

DIFFICULTAS XI.

Quid ſit Generatio viventium in communi.

SUb generatione viventium in communi comprehenduntur omnia viventia nullis omninò exceptis, adeoque hujus definitio latiſſimè patet, ut ex ſe manifeſtum eſt. Sicuti autem varia ſunt genera viventium ut vegetabilia, plantæ, animalia. Inſecta, animalia perfecta & rationalis homo; Ita variè hæc omnia generantur, quædam ab alio in genere ſive vivente ſive non vivente, quædam ab alio vivente, quædam ab alio vivente per cognitionem imperfectam, quædam per cognitionem perfectam & amorem: Et hæc omnia licet eſſentialiter ſub una definitione mox dicenda comprehendantur, propter quædam extrinſeca & connotata tamen ſuis propriis definitionibus ſuo loco explicabuntur. Itaque

Generatio viventis quid. DICO breviter. Generatio viventis in communi eſt productio ſive proceſſio ejus ab aliquo: Ita docent communiter naturales Philoſophi & cum iis Coun. l. 1. de gen. c. 4. q. 10. a. 1. Dicitur imprimis productio ſive proceſſio, ut ſignificetur vivens produci per actionẽ naturalem phyſicam, ut Leo ab alio Leone. pyrus à ſemine pyri, rana à ſole, &c. Et ſic excipitur actio creativa animæ rationalis & Angeli à Deo, tum emanativa Spiritus Sancti à Patre & Filio. Dicitur deinde productio viventis loco differentiæ, & ad excludendas res omnes inanimatas. Dicitur denique ab aliquo, ut nimirùm ſignificetur Agens, vel generans viventis, & nullum eſſe quod non ab aliquo producatur. Ad hanc itaque definitionem ſpectat Filius Dei productus à Patre & B. Virgine Maria, primi parentes producti à Deo, omnes homines & bruta, animalia, quæ à ſuis Genitoribus producuntur, arbores & plantæ, quæ ex ſeminibus & ſurculis gignuntur, omnia denique animalia imperfecta, quæq; ex putri vel ſponte naſcuntur, quia vitam ſoli & aſtris aliiſque cauſis elementaribus per actionem Phyſicam tranſcribunt: Excipitur autem anima rationalis & Angelus, quia creantur à Deo.

DICES 1. Si animæ rationales excipiuntur ab hac definitione, etiam excipientur homines, quia hi tantum ratione ſuæ formæ, à qua rationem viventium habent, ad hanc definitionem pertinent. Reſp. quamvis anima rationalis tanquam pars primaria hominis creetur, nihilominus tamen hominem produci ab alio homine per veram generationem productis nimirùm veris diſpoſitionibus & unione inter formam humanam & materiam.

DICES 2. Adamus non fuit productus à Deo per veram generationem, quod idem de Eva ejus uxore, ſed & de Chriſto Filii Dei intelligo, ergò ad hanc definitionem non pertinent. Antecedens probatur, quia fuerunt formati, organizati & producti in Inſtanti contrà naturæ ordinem & communem ejus curſum. Reſp. ad antecedens, quod homo per virtutem formatricem in materia ſementiva facit, id ſe ſolo fecit Deus in materia ex qua Adamus, Eva & Chriſtus Filius B. V. producti fuerunt; Nam produxit omnes diſpoſitiones ad formam humanam requiſitas, formavit corpus organicum, illudq; debitis qualitatibus imbuit, tandemq; productâ per creationem animâ rationali eam materiæ jam ultimùm diſpoſitæ univit, hinc id in inſtanti ſive ſucceſſivè factum fuerit. Atque hæc vera Adami, Evæ & Chriſti fuit generatio, qualicet non in modo, in re tamen convenit cum aliis aliorum hominum productionibus.

Colligitur ad hanc quoque generationem ſpectare reſurrectionem mortuorum, quia eſt vera generatio licet reiterata & quoad modũ ſuprà vires naturæ humanæ. *Etiam reſurrectio eſt vera generatio.*

DIFFICULTAS XII.

Quid ſit Generatio vegetabilium.

Quid gen. vegetabilium. DICO, generatio vegetabilium eſt productio viventium à principio vitæ conjuncto ſecundum rationem ſimilitudinis ſaltem in ſpecie infima. Hæc definitio ſumitur ex aliis viventium definitionibus tum ex Ariſtotele 7. met. cap. 8. & 4. Probl. 14. dicitur imprimis productio ſeu proceſſio viventis, quod excludit generationes rerum non viventium ut metallorum, lapidum, &c. Dicitur deinde à principio vitæ conjuncto ad excludenda ea vegetabilia quæ non fiunt ab aliquo vivente, ſed virtute ſolis ex certis rerum putrefactionibus. Itaque pertinent huc ſolum illæ plantarum & arborum productiones, quæ fiunt ex ſeminibus fæcundis, vel arborum frondibus, plantarum ſurculis, &c. Dicitur 3. ſecundum rationem ſimilitudinis in ſpecie infima, id eſt, arbor & planta quæ producuntur, debent eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ, cujus ſunt ſemina, vel

Digitized by Google

vel fuerunt ſeminum arbores & plantæ, à quibus hæ ſunt productæ; unde excluduntur omnes illæ plantæ, quæ à ſuo generante deflectuntur, aliamque ſpeciem induunt, ſi tamen verum eſt, quod multi experientia docti teſtantur. Sed reſpondendum ad hoc primò, illa vegetabilia quæ in aliam ſpeciem degenerare videntur, ut ſiligo in triticum, & ſi quæ ſint plura, non differre ſpecie perfectâ & completâ, ſed recipere aliquando majorem aliquando minorem perfectionem in ſua ſpecie, idque beneficio ſolis & aſtrorum, ſoli, ſationis, plantationis. Reſp. 2. multas ſpecies vegetabilium eſſe tam imperfectas, ut quotannis mutationem jam in melius jam in deterius fortè ex cauſis citatis patiantur, tum etiam ex imperfectione animæ vegetabilis, de qua mirum non eſt, ſi in rebus tam vilibus & præſertim circà quædam accidentia tot metamorphoſes induat. Nam quod ſiligo tranſeat in triticum & contra, id fit beneficio terræ ſolis, &c. Neque differunt inter ſe ſpecie completa, quod idem de multis aliis intellige. Quod ex bulbo alius flos hoc anno ſuccreſcat, quam qui ante annum excreverat; Reſp. non eſſe alium florem in eſſentialibus ſed tantum in accidentalibus. Quod unum idemque inſectum intrà paucas ſeptimanas diverſas formas induat ut patet de bõbice, qui in papilionem & Erucam tranſit; Reſpondeo eſſe & manere ſemper idem inſectum, & transformari ſecundum extrinſeca.

Degenerationi plantarum in aliam ſpeciem.

DICES 1. Hinc ſequitur nullum ex vegetabilibus ad hanc generationem poſſe revocari, cujus ratio eſt, quia nullum ſuo generanti tanquam principio vitali conjunctum eſt. Nam ſi dicas fieri ex ſemine, conſtat ex plurium Authorum ſententia, ſemen non eſſe actu animatum: Si dicas fieri ex ſurculis, nec hi animati ſunt, quia ſejuncti ſunt ab arbore, ergò nullibi arbores & plantæ ſunt in ſua generatione cum principio vitali conjunctæ. Ad hoc argumentum Reſp. 1. incertum eſſe, an ſemina plantarum ſint inanimata; Multi enim ſunt qui judicant ipſa actu vivere, quod & de ſurculis dicendum eſt, in quibus utrique videtur omninò anima, quæ valdè materialis eſt & diviſibilis ut materia, tamdiu collocanda eſſe, quamdiu manent qualitates primæ illæſæ, quo poſito negatur ſequela. Reſp. 2. etiamſi ſemina non ſint animata, ſufficere tamen, quod initio ſuæ productionis ſuo principio vel generanti fuerint conjuncta, à quo etiam acceperint virtutem producendi arborem, plantam, &c. Itaque planta quæ generatur, conjungitur cum ſuo ſemine quod fuit conjunctum cum principio vitæ, id eſt, cum ſuo generante, cujus vices etiam jam in generatione ſupplet & adminiſtrat; & hoc idem in generatione animalium, in quibus ſemen penitus non eſt animatum, dicendum eſt.

Semina plantarum ſunt animata.

DICES 2. Hæc definitio etiam convenit aliis viventibus, ergò non eſt bona. Reſp. negando conſequentiam; Quamvis enim in ſe animalium quoq; generationes comprehendar, ideò quod latius pateat quam definitio animalium & hominis; Propria tamen eſt vegetabilium, quę purè naturaliter & ſecundum rationem ſimilitudinis juxtà illud, ſimile generatur à ſibi ſimili, operantur, cum èconta bruta animalia per conjunctionem & homo inſuper per amorem operentur.

Hæc definitio convenit omnibus viventibus.

DICES 3. Ad minimum quæ ſponte, ex patri vel vigore ſolis & aſtrorum generantur, huc referri non poſſunt. Reſp. verum eſſe ſi abſque ullo ſemine ejusque virtute producantur; Sed cum plerumque omnes plantarum generationes fiant ex præjacente materia ſeminali, quæ aliquando cum principio vitæ conjuncta fuit, jam verò à calore ſolis aliiſque cauſis ad generationem requiſitis excitetur, etiam hujuſmodi vegetabilium generationes ad præſentem definitionem revocandæ ſunt.

DIFFICULTAS XIII.

Quæ de plantis ſcitu digna ſint.

QUod cognitio plantarum non ſit minus utilis quam jucunda, oſtendit Plinius l. 18. c. 1. ubi ait, hanc contemplationem immenſam eſſe: Nicolaus Serarius ad cap. 1. Eſther, Pererius in Geneſ. c. 4. & alii. Et teſtatur Ariſtoteles l. de gen. animal. c. 1. & ultimo in fine, ſe libros quoſdam de plantis concinnâſſe, qui tamen ad nos non pervenerunt, ut proinde dolendum ſit, tantæ materiæ tantum deeſſe Authorem. Poſſunt autem circà plantam non tantum diſputari, quid ſit, & quodnam ejus principium productivum, de quo infrà, ſed etiam quæ ejus diviſio, nutritio & augmentatio, quis ſexus & locus, quæ proprietates, &c. De quibus omnibus breviter.

DICO itaque primò, planta generatim eſt vivens inſenſatum, vel vivens conſtans corpore organico & anima ſolum vegetativa. Per hanc unicam animam ſeu formam conveniunt omnes plantæ ſecundum communem rationẽ viventis cum omnibus aliis viventibus: Secundum verò ſpecificam ab iis diſtinguuntur, & ſecundum aliam adhuc inferiorem differentiam diſſident inter ſe ſpecie, ut proinde unica in plantarum univerſo genere forma vegetativa varios gradus & differentias in ſe contineat non re ſed ratione diſtinctos.

Planta quid.

Unica anima veget. varias differentias habet ratione diſtinctas.

DICES, plantis ineſſe appetitum, ut patet in odio & amore, quo utroq; ſe invicem proſequuntur; Hedera enim arbores requirit in fulcimentum, & vitis refugit braſſicam tanquam ſibi inimicam, ergò malè dicitur plantam eſſe vivens inſenſatum. Reſp. hunc ſenſum & appetitum non eſſe elicitum ſed merè naturalem non minus quam qui eſt lapidi & omni gravi centrum terræ petenti: Ita ſcil: eſt varius rerum inanimatarum inter ſe conſenſus & diſſenſus, qui non à ſenſu ſed à natura proficiſcitur; Quod autem Zoophita inter plantas numerentur & tamen ſentiant; Dicendum eſt non eſſe plantas ſed animalia & voca-

vocari ideò planta animalia, quod loco ſuo ſint ſemper more plantarum affixa, neque ut cætera animalia motu progreſſivo moveantur, non autē quod ſimul ad animalia & plantas ſpectent; hoc enim ideò fieri non poteſt, quia ſunt genera oppoſita. Quæ de quibusdam plantis mirabilia narrantur, videri poſſunt apud Authores & imprimis apud Pliniū, qui de planta Troglodytica ex Juba l. 13. c. 25. refert, quod hæc ſentiat quando capienda ſit; Et hinc induretur inſtar cornu, aut in lapidem transformetur coloremque mutet: Similia alii referunt. Sed has ſolo nomine plantas eſſe, reipſa verò animalia, vel fictitias aut certè magicas, aut denique anthipathiæ & ſympathiæ vires non evincere, probabiliter multi opinantur.

Species plantarū. DICO 2. Species communiter adferri ſolent juxtà opinionem communem arbor, frutex, ſuffrutex, planta. Arbor dicitur quæ à radice quidem ſimplici trunco aſſurgit, ramos tamen habet, nodos & ſurculos, ut ceratus, pyrus. Frutex, qui pluribus quidem truncis à radice attollitur, non tamen eâ craſſitie & altitudine, quâ arbor, ut roſus, rubus. Suffrutex unius eſt caudicis ſicut arbor ſed longè minoris, quo etiam ab arbore differt. Herba ſtatim à radice emittit folia & quidem plerumq; plura quam duo. Adverte tamen, has ſpecies non aſſignari ab eſſentialibus, quæ abſtruſiſſimæ ſunt, ſed ab accidentalibus differentiis, quæ utplurimùm in iis reperiuntur, v. g. à quantitate, numero, magnitudine ſtipitis, foliorū, &c. Hinc fieri poteſt ut non tantum eadem numero planta, v. g. myrtus diverſo tempore ſit frutex, ſuffrutex & arbor, ſed etiam eodem tempore ejusdem eſſentialis ſpeciei planta in uno loco ſit frutex, in altero arbor, ob cultus ſoli, polique diverſitatem. Sic ruta alicubi in arborem excreſcit ſecundum Cardanum, quæ tamen apud nos eſt humilis herba & ſic de reliquis. Aliæ diviſiones deſumuntur vel à locis natalibus earum, vel à partibus, vel à partium partibus, vel à tempore vel aliunde, ut cum dividuntur in fructiferas, floriferas, perpetuifolias, vernales, hyemales, aquaticas, ſylveſtres, terreſtres, domeſticas ſive urbanas &c.

Partes plantarum. DICO 3. Partes integrantes plantarum ſunt radix, caudex, ramus, ſurculus, folia, fructus, calyces, ſemen, cortex, vena, lignum, medulla ſive matrix: Et ad has plures aliæ revocari ſolent, ut acini, lanugo, nodus, lac, gummi ſeu lacrymæ. De harum partium officiis multum Authores, & inter cæteros Card. l. 8. & Scali exerc. 176. inter ſe digladiantur.

DICO 4. Nutriuntur plantæ eodem fine quo animalia, eodemq; ferè modo, ſicut enim hæc cibum per os in ventriculum dejiciunt, ac deinde per Epar & venas in corpus diſtribuunt; Sic illæ alimentum ex terra per radicem velut per os in truncum tanquam in Ventrem recipiunt, ac poſtea in ramos & reliquas partes poroſas diſtribuunt, donec in ſingulis partibus in ſubſtantiam ſtirpis convertatur. Non tamen aluntur plantæ puro alimento ut ait Ariſtoteles l. de ſenſu & ſenſili, quia mixta ſunt: Et hæc eſt cauſa cur cameli ſecundum Scalig: cum bibunt aquam, prius pede obturbent, ut ſcil: eò plus alat, quia tum minus eſt ſimplex: Mixtum hoc dulce ſit oportet ex Ariſtotele l. cit. ſi non ſimpliciter ſaltem multa ex parte: hoc autem alimentum ſugunt per potentiam ſuam attractivam, qualis omnibus viventibus ineſt diſtincta à calore & ſiccitate fortè ex utrisque orta, vel etiam immediatè ex anima plantæ emanans. Habent etiam plantæ excrementa, quæ maxima ex parte in corticem extruditur, ut ipſa teſtatur experientia.

DICO 5. impropriè dicuntur plantæ habere utrumq; ſexum contrà vulgi opinionem & fortè etiam contrà Card. l. 8. de ſubtil. ubi ſexum in quercu & robore admittit; Dicitur autem illa planta mas in aliqua ſpecie, cujus ſuperiora ſunt majora & robuſtiora, & cujus virtus validior in medicando: Neq; dicas, ſexum ideò admittendum eſſe, quod aliquando duæ plantæ juxtà ſe poſitæ & plantatæ, ſi una exſcindatur, altera etiam ſponte ſua exareſcat, quia hoc in quandam naturalem ſympathiam eſt referendum; Quod autem omnes plantæ ſemper ament locum naturæ ſuæ convenientem, id nihil eſt novi, & confirmat hoc totus mundus quia conſtat ex ferventi Lybia mitti aromata, ex Judæa balſamum, ex Arabia myrrham, ex Lybano cedrum, &c.

DICO 6. Maxima inter plantas reperitur anthipathia & ſympathia; nam fugit vitis braſſicam, laurum & corylum: quercus juxtà nucem juglandem poſita areſcit: Roſæ amant allium, & juxtà illud evadunt odoratiores; Vitis & ulmus ſe mutuò amplectuntur: Scylla omnibus herbis ita amica dicitur, ut quicquid illi applantatum fuerit, citius germinet: Hædera complectitur ferè omnes arbores, ſed vitem maximè offendit, ut ſi ex hæderæ ligno fiat vaſculum, & immittatur in illud vinum aqua mixtum, vinum effundatur aquâ relictâ, fides ſit penes Authores, apud quos etiam mille alia videri poſſunt: Unde autem hæc antipathia & ſympathia tam inter plantas, quam inter has & animalia producatur, difficultas eſt apud phyſicos, cum conſtet, hæc non poſſe primis qualitatibus adſcribi: Potiores & veriores putant conſentaneum eſſe veritati, quod antipathia & ſympathia, quibus afficiuntur integræ ſpecies rerum, proveniant ab ipſa forma ſubſtantiali: Hanc enim producere per emanationem qualitates activas ſibi accommodatas, tum alias occultas, quarum iſtæ ad repellendum, illæ ad attrahendū, aliæ ad alios effectus admirabiles valeant: Affectiones verò quæ non toti alicui ſpeciei inſunt, ſed quibusdam tantū individuis, non videntur à forma ſubſtantiali ſpecifica proficiſci, ſed vel ab individuali, vel ab extrinſeco ita ut ſint qualitates activæ illis impreſſæ, quæ deinde ob defectū contrarii longiſſimo tempore in eo ſubjecto remaneant, quo modo ferrū ex ſolo affrictu magnetis in ſe recipit vim aliud ferrū trahendi, quam poſtea multis annis non amittit. *Antip. & ſymp. plantarum.*

DI-

DICO 7. etiam ſunt hic ſtitpibus affectus & morbi tum monſtroſæ quædam degenerationes in alias ſpecies. Numerantur enim inter vitia plãtarum & berbarum ſive arborum ſyderatio, Carbunculus, rubigo, peſtis, tabes. formicatio, obeſitas, eroſio, vermiculatio, ſcabies, lanugo, inepta defrondatio, &c. Quæ omnia oriuntur à ſoli vitio, cæli inclementia, coloni imperitia vel aliũde; pejus autem cenſetur ſi defloreſcentem arborem grando, ventus validus, frigida nebula vel pruina percutiat; ſi imprudens olitor laxet radices corpusq; deſquamet, ſi araneæ, culices, ſcarabæi, erucæ, cantharides &c. Plantas detondeant, corrodant, ramosq; calvos relinquant. Quod degenerationem concernit, conſtat experientia, ex ſemine vel radice lolii ſæpè triticum naſci & contra; ex ſemine braſſicæ rapas gigni; ex radice ocymi ſerpillum, &c. quod ſi fiat, dicendum videtur, in ſemine vel radice talis planta virtutem utriusq; ſpecici fuiſſe contentam, quæ deinde ab extrinſecis cauſis, ut cælo, pluvia, ſolo, vel ad hanc vel ad illam ſpeciem determinetur.

Degeneratio plantarum.

DICO 8. Terra eſt maximè locus proprius plantarũ, tum aqua ut patet in lenticula marina vel paluſtri, quæ ſine radicibus quaſi ſupernatat, ut in junco, nymphæa, &c. Quæ radicem terræ infigunt, & per aquas exereſunt: & hoc etiam in mari pacifico fieri teſtantur, qui illuc unquã navigarunt, tum Plin. l. 13. c. 25. ubi ait in mari rubro ſylvas eſſe denſiſſimas arborũ ab imo in altũ per aquas exurgentium ac perpetuò folia retinentium. De cætero advertendum eſt 1. propter inæqualitaté ſoli vel antiperiſtaſin ſæpè fieri, ut planta calida in locis frigidis & contrà naſcatur. 2. Quasdã plantas nullibi ſervari aut plantari poſſe, quam in ſuo ſolo natali, ut de balſamo Judææ dicitur; quasdam verò plantatas creſcere & ferre fructum, ut conſtat de prunis Damaſcenis & aliis. 3. Transplantatas & translatas aliquando permaneere & producere ſui ſimiles; aliquando ob ſoli cæliq; inclementiã planè à priſtina natura & viribus diſcedere ut braſſica, quæ in Ægypto amara eſt, in Germania autem ſuaviſſimum olus. 4. Illas plantas aut arbores diutius durare, quæ humido lento magis & viſcoſo conſtant, minusq; aqueo, quia tales nõ ſunt adeò morbis obnoxię, ut pinꝰ, cedrus, olea, palma, quercus; narrat enim Joſephus Judæꝰ, adhuc ſuã ætate quercũ Abrahæ ſupvixiſſe. Quæ de cognoſcendis viribꝰ plantarũ, de artificioſa earum plantatione, coloribus aliisque multis ſuperſunt, & per modũ problematũ quæri ſolẽt, ea fulè apud diverſos Autbores habẽtur.

DIFFICVLTAS XIV.

Quomodo & à quo principio productivo generentur plantæ.

QUæri poteſt 1. an omnibꝰ plantis inſit potẽtia generativa. 2. Quot modis generentur plantę, 3. à quo principio productivo generẽtur.

DICO 1. in plantis eſt potentia generativa non minus quam in animalibus. Probat. plantæ conſervant ſe ſuamq; ſpeciem in ævũ, ut conſtat ſenſu & experientia, & hoc ſemẽ ſuum, ergò per potentiam generativam quam habent: an tamẽ omnes plantæ hanc vim habeãnt, dubiũ eſt, quia negat hic Ariſt. 1. de gen. animal. c. 18. ubi negat ſalicem & populũ habere ſemen & generare. Affirmat autem Valeſ. ſ. ph. c. 1. ubi putat in his plãtis ſemen latitare, id quod etiam alii docent exẽplo thymi ac ſiſymbrii convicti, quorum ſemina tam exigua ſunt, ut difficulter conſpici poſſint: & hinc incertum eſſe videtur, an ulla planta exiſtat, quæ ſemine careat, potiſſimum verò quod certò conſtat à ſalice ſemen in Inſula Creta proferri, imò & à fungis ubique.

DICO 2. tribus modis naſcuntur plantæ. 1. ſponte naturæ. 2. Ex ſemine. 3. Ex corpore: ſponte naturæ dicuntur generari & naſci, quæ absque opera & induſtria manifeſti Agentis producuntur, quæq; citrà labores hominũ in locis lapidioſis aut deſertis, quò nunquã creditur veniſſe ſemen, excreſcunt, adeoq; ſe ſponte propagant. Ex ſemine generantur plantæ, cum bæc ſtudio & labore hominũ in terrã defodiuntur. Ex corpore deniq; cum ex ſubſtantia plantę alia ſubnaſcitur, quod fit vel germinatione vel inſitiõe vel inhumatione: Germinatione propagantur plantæ, quæ ex corpore vel ſubſtantia plantæ quidẽ prodeunt, nihilominus tamen in eo manent ut patet in germinibus, quę ex trunco & ramis pullulant: Inſitione autem & inhumatione propagantur plantæ, quando non manent in corpore ſed inde avelluntur. Inſitio de qua Mizaldus integrum cõſcripſit librum, eſt cum ſurculus unius plantæ implantatur trunco alteriꝰ arboris ſive ejusdem ſive alterius ſpeciei: Inbumatio eſt, cum ſurculi vel rami ab arboribus abſciſſi vel defracti humo operiuntur, ut novas radices agant: & de hac inhumatione vide Carolum Cluſ. l. 1. Exoticor. c. 1. ubi de mirabili expanſione ficus Indicæ ſcribit, id quod etiã de hac arbore Plin. l. 12. c. 5. Theoph. l. 4. de plantis c. 5. Strabo & alii commemorant.

Plantæ quomodo naſcantur.

DICO 3. quæ ſponte naſcuntur plantæ præter cauſam materialẽ, quæ ſemẽ eſt vel certè materia aliqua ſemini analoga, efficientẽ principalẽ cælũ habent, vel certè aliam plantam, ejusq; ſemẽn in ſpecie conveniens. Nã conſtat plantas quæ ſponte naſcuntur vel fieri ex putredine vel ex ſemine, ergo certũ eſt earum cauſas productivas eſſe cælum vel ſemẽ ejusq; generans. Antecedens deſumitur ab experientia, quia vidẽꝰ ex corticibꝰ, radicibꝰ, putridisq; ſeminibꝰ contuſis & inhumatis alias atq; alias ſtirpes produci ut ex quernis radicibꝰ polypodium. Deinde experimur ſi in uno vaſculo terras diverſarũ regionum diſtinctè collocemꝰ, radiisq; ſolaribus exponamus, diſtinctas quoq; binc plantas ſponte proſilire, ſi præſertim ſufficiens vel à pluviis vel ab aliis aquis accedat humectatio, tantũ facit varia diſpoſitio terræ, & pluviarũ, quarum rerũ permiſſione variæ plantę conſurgunt. Adhæc tradunt Hiſtorici aſparagũ copioſè prorumpere, ubi animalium ſylveſtrium cornua contuſa ſeminãtur & aquis irrigantur, & quid tandem mirum eſt, poſſe plantas è rebꝰ putridis naſci, ſi ut conſtat animalia poſſunt. Quod plantæ quæ ſponte prodeunt, ex ſemine etiã aliquando gignantur, indè conjicimꝰ, quia ſæpè videmꝰ plantã perfectã in locis lapidoſis & deſertis absq; ullo putredinis indicio naſci, ergò ſignũ eſt id fieri ex præexiſtente ſemine. Nec valet illud quod eo in loco nunquam viſa ſit plantæ ſpecies aut ſemen, quia ut notat Val, loco cit: potuit vel

Cauſa efficiens plantarum ſponte naſcentium.

Digitized by Google

vi ventorum & fluminũ vel volatu aviũ eò aliquid ſeminis transportari. Cõſequentia itaq; certa eſt, quia ſi imprimis animalia ex putri nata cælum vel Deum pro cauſa principali efficiente habeant, etiã habebũt vegetabilia ſpontanea, cum alia nulla ſuperſit ut diſcurrenti patet; Nam ſemen & ejus generans deeſt, nec elementa id poſſunt, quia nõ poſſunt aliquid ſe nobilius producere, deficiunt etiam reliquæ cauſæ ſecundæ, ergò ſupereſt ſola cauſa ſuperior. deinde vegetabilia ſpontãea quæ ex ſemine producuntur, ad eum planè modũ & ab iiſdẽ cauſis generantur, à quib⁹ ea quæ ſatione, plantatione & induſtria hominũ è terra provocantur; ſed horum cauſa principalis eſt generans rum virt⁹ ſemini impreſſa, de quib⁹ infrà. ergò etiam illorũ, Itaq; mutatio tantum eſt extrinſeca inter utrumq; ſcil; labor & induſtria hominum, à quibus ſemen in terram defoditur, & caſualis projectio ejusdem ſeminis à vi ventorum, volatu avium, raptu fluminum &c. Sed quæ eſt ſpecialis cauſa efficiens.

Cauſa vera effic: plantarũ.

DICO 4. parum intereſt, ſive dicas ſemen v. g. pyri, pomi &c. eſſe cauſam principalẽ reſpectu arboris, ſive inſtrumentalem, Deum verò vel ſolem principalem, quia utraq; opinio & doctrina apud magnos viros probabilis eſt. Ante utriusq; ſententiæ explicationem. Adverte breviter, ſemen arboris, plantæ & fruticis juxta multorũ opinionẽ eſſe actu animatum, contrà verò ex aliorum mente animâ prorſus carere: qui itaq; primã tuentur doctrinam, hi conſequenter docent, ſemen v. g. pyri, pomi eſſe cauſam principalẽ reſpectu arboris, eò quod in ſemine anima ſit præſens, quæ pomum & pyrum producat. Quod autem ſemen ſit animatũ probant & confirmant ex 2. de gen. animal. c. 1. ubi Ariſt. ait, ſemen plantæ habere vim organizãdi & generandi plantã partesq; ipſius heterogeneas, ergò etiã habet animã, quæ ſit actus corp. org. conſequenter ut ibid. ad finem & c. 3. ejusdẽ libri ad initium docet, erit animatũ, intellige non in actu ſecundo & ſtatu perfecto, id eſt quod actu habeat operationes, ſed in actu 1. & imperfecto, ſicut ſe habet anima ſenſitiva in animali dormiente, & vegetativa in oſſe hominis ſenis, quod amplius creſcere non poteſt, ut interpretatur D. Thom. 1. p. q. 118. a. 1. ad 2. atq; ita ſemen arboris cum arbore eſt cauſa univoca & principalis reſpectu arboris, tametſi ſit imperfecta, quia non ſemper exercet operationes. Sed hoc argumentum ex Ariſt. deſumptum nihil convincit, quia etiã ſemen leonis & hominis vim habet organizandi, licet utrumq; anima careat; ex alio itaq; capite probandũ eſt ſemina vegetabiliũ vivere. Qui verò ſecundæ opinioni inhærent, hi ſemen arboris cauſam Inſtrumentalem & ſolem vel Deum principalem eſſe dicunt; hunc enim ad talem effectũ majori & efficaciori quàm ordinariè ſoleat concurrere cõcurſu, & juxtà ſubjecti diſpoſiti exigentiã potius determinare actionẽ virtutis ſementivæ ad talem ſpeciẽ, quã quæ ab illa determinaretur: de viventib⁹ aliã eſſe rationẽ, eò ꝙ in iis forma debilioris ſex⁹ tanquã cauſa principalis cum Inſtrumentali & ſementivâ operetur. Quod ſi

DIDAS, iſte concurſus Dei eſt extraordinarius, ergò miraculoſus, quod videtur eſſe inconveniens, videl: Deum toties miraculum facere, quoties gignitur planta vel arbor. R. neg: aſſumptum, imò eſt ordinarius, quia ad Deum ſpectat tanquam ad Authorem naturæ ita rebus proſpicere, ut materia non maneat nuda absq; omni forma, ſi diſpoſitiones ſint introductæ & formam præcedentẽ corrumpant: ſimiliter quando homo generatur & à ſolo Deo anima creatur, vel etiam unio in eorum ſententia, qui hanc immaterialẽ eſſe docent, ille concurſus Dei non eſt extraordinarius & miraculoſus ſed ordinarius, ergò nec hic erit miraculoſus.

Quæres quomodo virtus & forma ſeminis plantæ poteſt etiam eſſe cauſa principalis juxtà primam ſententiã, vel Inſtrumentalis juxtà ſecundam ad producendam plantam, cum eo Inſtanti, quo planta producitur, forma ſeminis non exiſtat. R. juxta primam ſententiam, quia forma ſeminis eſt anima in actu primo, quæ eadem remanet in planta & non corrumpitur, operationesq; incipit exercere in actu ſecundo ſeq; perficere & augere per nutritionem. Juxtà ſecundã opinionem R. in eodem ſemine plantæ conjunctã eſſe vim ejus arboris vel plantæ, à quo fuit deciduum, & operari juxtà ea quæ alibi de virtute ſeminali dicta fuerunt.

Colligitur itaq; in ſemine plantæ (idem de oviparis & viviparis intellige) duplicem eſſe ſubſtantiam; unam corpulentam quæ ſit ſubjectum formæ inducendæ & diſponitur ad formam plantæ vel animalis; alteram ſpirituoſam, ſubtilem & actuoſam, quam Medici vocant ſpiritum inſitum, qui agit in partem corpulentam eamq; ad formã diſponit. Et hinc poteſt idem agere in ſeipſum actione diverſa ſecundum partes diverſas; pars enim ſpirituoſa corrumpit corpulentam, id eſt, forma partis corpulentæ corrumpitur, & ejus materia ad recipiendam formã plantæ vel fœtus à ſpirituoſa diſponitur, hæc verò etiam durat in generatione, licet non fiat pars plantæ vel animalis, quia ſenſim corrumpitur vel evaneſcit & in aliam ſubſtantiam mutatur v. g. in aerem proinde jam deſinit eſſe Inſtrumentum; Et idem ſpiritus inſitus una cum Deo vel ſolo tanquam cauſa principali & Univerſali non ſolũ formas partiales ſed etiam unionem inter formam & materiã, quæ educitur, effectivè producit.

DIFFICVLTAS XV.

Quid ſit Generatio viventium ſenſitivorum.

Poſt definitionem generationis rerum ſublunarium inanimatarum & viventium in communi tum vegetabilium, quæq; animam habent vegetativam, ſequitur jam generatio brutorum animalium quæq; anima ſenſitiva informantur: Et de hac

DICO, quod ſit proceſſio viventis à principio vitæ conjuncto & per cognitionẽ operante ſecũdum rationem ſimilitudinis ſaltẽ in ſpecie infimâ. Eſt hæc definitio cõmunis apud Authores & explicatur. Dicitur 1. proceſſio viventis, per quod excluduntur productiones ſive generatiões rerũ inanimatarũ. Dicitur 2. à principio, videl. productivo & activo, unde excluduntur actiones, quibus ex uno principio producitur aliud ſine ullo concurſu alicujus actionis, queẽadmodũ ex coſta Adami fuit Eva producta, ubi Adamus nihil cooperatus fuit, proindeq; nec Eva ejus filia dicenda eſt. Dicitur 3. à principio vitæ, ut excludatur generatio rerũ viventiũ, quæ non fiunt à vivente, cujusmodi eſt generatio ranarum, vermiũ à ſole vel Deo. Dicitur 4. à principio vitæ conjuncto, per quod ſignificatur quod genitũ debeat aliquo modo eſſe conjunctũ generanti non ſecundum ſuppoſitũ, ſed ſecundum materiam ſeminalem, quæ ante deciſionẽ fuit cõjuncta generanti tanquã pars illius: Et hinc excluduntur filii adoptivi, emanatio Angelorum & aliorũ viventium à Deo, quia non fuêre pars aliqua Dei vel illi conjuncta; Chriſtus verò eſt filius Dei, quia componitur ex perſona divina, quæ eſt aliquid Dei & ex natura humana: Excluditur hic etiã creatio eâdem de cauſâ; ſimiliter actiones Dæmonum incuborũ, generatio capillorum, unguiũ, qui ſi vivunt, de quo inſiâ agetur, non ſunt partes alterius ſed ejusdem viventis: præterea non gignuntur per deciſionem materiæ generativæ. Dicitur 5. per cognitionem operante, quia animal quantumvis etiam imperfecta habet aliquã apprehenſionẽ & appetitũ per quã operatur: & hinc excluduntur ea viventia quæ citrà cognitionẽ operantur ut arbores, non autem muſcæ, apes & id generis animalcula, quæ in natura

Quid generat: ſenſitivorum.

pro-

apprehenſionem & appetitum, ut plerique Philoſophi conceduot. Dicitur 6. ſimilitudineoi quod non eodem modo explicatur ab Authoribus. Aliqui enim dicunt ſufficere ſimilitudinem geneticam vel analogam, licet ſit monſtroſa & præter naturam ut eſt geoeratio Muli, Lycis, Leopardi, &c. Alii verò docent, genitum debere eſſe generanti ſimile etiam io ſpecie infima, proinde ajunt, definitionem convenire generationi perfectæ, ordinariè naturali & oon monſtroſæ, cum natura intendat conjonctionem ejusdem ſpeciei. Sed prior opinio probabilior eſt ut patebit ex objectione: Nā ſi

Similitudo qualis.

DICES 2. aves quæ incubant alienis ovis, & ex iis fœtus excludunt, ut ſæpiſſimè fieri ſolet, ſunt hujusmodi fœtuum parentes, quia materiam diſpoount & formam introducunt, & tameo hi fœtus non conjunguntur eum incubantibus ut vitæ principiis, ſed cum iis, quæ ova concipiunt & patiunt, ergò definitio non eſt bona. R. neg. ant. quia pulli qui excluduntur, non habent parentes, à quibus longo incubatu & fomentatu ſunt producti, ſed à quibus vim & materiam generativā acceperuot, id eſt, à quib⁹ ova concepta & excluſa fuerunt; incubantes autem nihil contulerunt quām calorem aliquem, qui vim generatricem jam dudum à veris parentib⁹ impreſſam in actum teduceret, id quod etiam calor ſolaris & elementatis præſtare poteſt, ut teſtatur experientia & Ariſt. l. 3. de gen. animal. c. 2. quod autē illi ſint veri parentes, qui ova patiunt, hinc patet quia conveniunt cum illis ſimilitudine formæ totiusq; ſpeciei & non cum incubantibus, tum etiam quia aliàs deberent etiam parentes vocari fimus, terra, arenæ furnus & ſimilia, in quibus vi caloris pulli excluduntur.

DIC. 3. oō requiritur abſolnta ſimilitudo inter animal generās & generatū, ut patet in mulo, q generatur ex Aſino & Equa, vel ex Aſina & Equo, in lynce qui ex Lupo & Cerva, in Leopardo, qui prodit ex Pardo & Leæna &c. ergò in definitione ſunt hæc verba ſuperflua. R. 1. hie definiri generationē ordinariam, & quæ eſt ſecuodum oatnram, non eam quæ eſt præter naturam, ot eſt generatio muli &c. 2. Satis eſſe quod prędicta generatio tendat in ſimile fecūdum ſpeciē infimam, & hoc ex intitoto & ſine Agentis, etſi propter varia impedimenta hanc ſimilitudinē non conſequantur: impediunt enim ſe duorū aoimantiū ſpecie & natura differentiū ſemina, quæ inter ſe miſta degenerationem in tertiam ſpeciem efficiunt, participatā ab utroque parentum ſimilitudine, nt videri poteſt apud Ariſtot. l. 2. de geo: animal: cap. ult: ubi de Mulorum ſterilitate agit.

DIFFICULTAS XVI.

Quid ſit animal brutum & quomodo dividatur.

DE aoimalibus multi multa ſcripſerunt, ut Plin. Gal. Ælian. Alb. M. Rondel. Aldrov. & alii, imprimis a. Ariſt. lib. ſuis de hiſt. gen. & partibus animalium, ut mirum ſit hunc Virum inter reliqua & multa & ingenioſa quæ ſcripſit, potuiſſe tantam habere experientiam catum rerum, quę tam exactè & fusè tractavit.

Suppono autem, animal io cōmuni definiri à Metaphyſicis vivens ſenſitivū, & à Phyſicis vivens conſtans corpore inſtructo variis orgauis ſenſoriis & anima ſeoſitiva, quę dicitur actus 1. corp. org. potentia vitā ſenſitivā habentis. Jā

Animal in communi quid.

DICO, dividitur animal 1. ratione loci in qno degit, in terreſtre, aquatile & aereū. Terreſtre aliud eſt greſſile ut equus, aliud teptile ut ſerpens, aliud imobile ut Zoophita. Aquatilium quædam purè talia ſunt ut piſcis propriè dictus, qui extrà aquam poſitus propter innatum temperamentum deſioit vivere, quædam ſunt amphibia ut caſtor & ſimilia, quæ partim in aqua partim in aere vivunt. Alii dividnot aquatilia in ea quæ aquis non exeunt ut piſces, & quæ aqois exeunt vel pabuli cauſa ut cancer, vel conjugii ut murena, vel inſolationis ut polypus, vel ut hoſtē effugiant ut hirundo marina. Aerea animalia ſont aves omois generis. Ignea nulla ſunt, quia in hoc propter vehementem vim & actionē nulla diu ne pyrauſtæ quidem vivere poſſunt: hanc diviſionem vide apud Ariſt. l. de hiſt. animal. c. 1. 2. Dividitur animal ab aliis in viviparum, oviparū & vermiparum: Viviparum eſt Eqous, Canis, Leo, & quæ intrà ſe totum animal fovent & in lucem edunt. Oviparum parit ovum tantum & excludit ex eo pullum, ut Gallina & reliquus grex avium. Vermiparum prius vermen generat, ex quo deinde animal ſuæ ſpeciei prodit, ut habee Ariſt. l. hiſt. animal. c. 5. 3. Dividit idem Ariſt. l. cit. c. 4. & 4. ejusdem operis c. 1. animal in ſanguineum ut Leo, Canis, & exangue, quod ſanguine caret ut cancer, ioſecta. Suntautem hæc exanguia vel mollia, vel cruſtacea, vel teſtacea, vel inſecta. Mollia ſunt quæ neq; ſquamam habent ut piſces quidam, neq; cutem aſperā ſeu cruſtaceam ut cancer, neq; cruſtaceum tegumentum ut conchilia; Sed mollia planè velut homo, cujus generis ſunt polypus, ſepia & loligo, de quibus Plin l. 9. c. 28. Aldrov. l. 1. de exang. c. 2. Ariſt. l. 9. hiſt. animal. c. 37. 2. de part. c. 8. 4. ejusdem operis c. 5. aliisq; in locis. Cruſtacea variè dividuntur à Plinio, Scalig. & aliis, omnium autem optimè ut videtur ab Ariſt. 4. de part. c. 5. & 8. ubi ea dividit in locuſtas, gammaros, ſquillas, & cancros, de quibus Aldrov. cit. carent autem cruſtacea oſſibus, quia iis non indigent nec etiam conveniuot, tum quia omnis materia quæ oſſibus alioquin debetur, in cruſtacea illa veſte formanda & conſervanda abſumitur. Teſtacea ſunt conchæ, conchilia & oſtreæ, quorum ſpecies recenſet Ariſt. 4. de part. c. 5. quo etiam l. & c. 8. affirmavit contra Plin. hæc teſtacea habere viſum, tactū & olfactū, eò quod ſint animalia ideoq; ſenſitiva, & qood ſint ſenſitiva, ideoque ſenſibus prędita. Ortū eorum deſcribit 5. hiſt. anim. c. 15. ubi ait, oſtrea io cęnoſo limo morari, cōchas in arenoſo, in rimis autē cavernisq; ſaxorū vertibula, de quib⁹ meritò difficultas eſt, quomodo vid. hujusmodi teſtacea in ſolidiſſimis mōtib⁹ & marmore duriſſimo, obi limoſa & aquoſa illa materia abeſſe videtur, generari poſſint: Dicendum tamen id fieri poſſe, quia nunquā

ſaxea etiam corpora omni carent humiditate, ita ut lumine ſolis & aſtrorum influentiis poſſint diſponi & præparari ad animam conchæ aut cochleæ non ſecus ac quotidie in æſtate videmus in bufonibus, ranis & ſimilibus. Unde non mirū eſt ſi intrà medios lapides ejusmodi teſtacea gignantur, & rore tenui paucoqȝ per poros lapidum imbibito paſcantur, cum natura ſua ſint frigida, paucoque alimento egeant, imò facilè ſuo humore viſcoſo tantiſper ſuſtētari poſſint. Inſecta mole ſunt minima, difficultatibus autem maxima. Horum diviſiones ratione loci in quo degunt vel naſcuntur, ratione quantitatis, qualitatis, figuræ, partiū &c. Habentur apud Ariſt. 4. hiſt. animal. c. 7. & l. 9. c. 39. apud Aldrov. l. 5. de inſect. c. 12. tit. natura & alios, apud quos etiam videri poteſt mirabilis textura araneæ & materia ex qua is fila tanto ordine ſtruat; certè Joſephus Blancanus in hunc locum Ariſt. Mathematica planè annotatione deſcribit, quomodo videl. hic araneus ab uno loco ad alium pedibus planè inacceſſum fila ducat, & ea inter duas arbores valdè diſſitas ſuſpendat. Ad quam verò ſpeciem ex his exanguibus revocari poſſint Zoophita, dubium eſt, quia patū videtur intereſſe, an ex iis nova ſpecies conſtituatur, an vero ad teſtacea, cruſtacea &c. referantur. Recenſeri autem ſolent inter Zoophita urtica ideò ſic dicta, quod manum tangentis non aliter quam urtica herba adurat, de qua vide Ariſt. de hiſt. animal. l. 4. c. 6. l. 5. c. 16. l. 7. c. 2. l. 4. de part. c. 5. aliisq; in locis, tum Bellonium apud Aldrov. l. 4. de exang. c. 1. & 2. Adhæc penna marina de qua Aldrov. Leit. c. 8. mentula marina, uva marina, manus marina, cucumis, pulmo, ſpongia, de quibus Ariſt. 4. de part. animal. c. 5. & alii.

DIFFICULTAS XVII.

An inter animalia bruta dentur Centauri, Hippocentauri, Monoceros & ejus cornu, Phœnix, Pelecanus, Baſiliſcus, &c.

DE Satyris, Sphingibus, Tritonibus, &c. quæſitum & reſponſum eſt alibi, an nimirum dentur & hominibus annumerentur. Hic denuò quæritur, an dentur Centauri, hippocentauri &c. an bruta ſint, an homines, an Dæmones. Nam magna olim fuit inter Ethnicos, Poetas & Sanctos Patres contentio de horum exiſtentia; Et S. Hieron. in vita S. Pauli & Antonii Eremita dubitat, an Centauri homines ſint an Dæmones. Sed

DICO breviter 1. ſi per Centauros intelligatur animal compoſitum ex natura brutali & humana, ſic negatur unquā fuiſſe aut eſſe poſſe propter formarū & diſpoſitionū, quæ ad tales formas requiruntur, incompatibilitatē. Si autem intelligatur quod una forma interna brutalis informet figuratū aliquod animal extrinſecus partim hominē partim brutū repræſentans, nihil impedit quo minus hujusmodi mōſtra dentur, quia homo non eſt dicendus à figura tantum homo ſed à ratione; & poteſt anima rationalis informare monſtroſam ſæpè figuram ut docet experientia & contra brutalis forma figurā humanam ut patet in Cynamolgis, qui canina habēt capita, & de reliquo corpore homines quidē videntur, homines tamē non ſunt ſed bruta animantia. Unde colligitur non eſſe opus ut hujusmodi monſtra ex homine & bruto generentur, ſicut v. g. mulus ex equo & aſina, quia poſſunt ſeipſa propagare nō minus quam canis aut leo in ſua ſpecie, ſiquidem non min⁹ conſtat unâ & integ; ali naturâ.

DICO 2. Dari monocerotē teſtantur Strabo, Plinius l. 8. c. 21. Solinus in polyhiſt. c. 6. Paulus Venetus l. 3. c. 12. Paulus Jovius l. 18. Ferd. Corduba & Geſn. de quadrupedibus. Sed an idem ſit animal monoceros & rhinoceros, dubiū eſt apud Authores. Affirmat id Alb M. l. 22. de animal. cujus ratio eſt, quia etiā hoc animal unū habet cornu: Negant alii & quidē probabilius, quia monoceros ſuum cornu habet in fronte, alterū verò in ſummitare nariū & quidem buxei coloris, à quo alterū diſcrepat. De viribus incertū eſt, quid judicandum ſit, cum ejusmodi cornuum multa in variis animalibus dentur. Ælianus l. 16. c. 20. omninò tacet de viribus & efficacia cornu, quando agit de monocerote, ſed totā illam vim adſcribit l. 4. c. 52. Aſino Indico, quem ait unicornē eſſe & ſolipedem; & hujus aſini etiam meminit non tantū Ariſt. l. 3. de part. c. 2. Sed etiam alii, qui ajunt Indos contra Epilepſiam venena & alios morbos conficere ſibi ex ejusmodi cornibus pocula. Ferd. Corduba in Didaſcal c. 9. ait, cornua illa quæ hodie ſub unicorni nomine circūferuntur, eſſe ut plurimum alicujus piſcis monocerotis dicti, qui teſte Olao M l. 21. c. 10. in Septentrionali plaga reperiatur. Unde colligitur nihil certi in ejusmodi unicornibus definiri poſſe non tantū quod diverſorū ſint animaliū, ſed etiā quod alia ſint nigra juxtà diverſorū Authorū opinionem, alia alba, alia levigata, alia in ſphæras inſtar cerei contorta, ut eſt illud quod Argentorati in ærario aſſervari teſtatur Geſnerus in Corollario ad Monocerotē, ut proinde nihil certius ſit, quā magnā ſæpè fraudē in hiſce cornibus circumferendis & obtrudēdis ab Impoſtoribus committi, ut videre eſt apud Geſn.

DICO 3 licet nonnulli ex veteribus de Phænice quædā ſcripſerint, nullā tamen ejus mentionem facit Ariſtoteles, nullā Diodorus Siculus & Strabo, quamvis multa de variis Ægypti & Arabię animalibus ſcripſerint. Conn. verò 2. de cæl. c. 3. q. 6. a 4. cum videant tot eſſe Authores inſignes, tot magnorū Virorum ſcripta, tot veterū teſtimonia, tot recentes navigationum hiſtorias, imò litteras etiam ab Æthiopiæ Rege ad ſummum Pontificem de veritate hujus avis in ipſa Æthiopia exiſtentis ſcriptas, probabiliter putant dari phænicem, non tamen unicam, nec quæ ex cineribus ſuis ſemper repullulet, ſed quæ perfectum ſit animal, quæq; ex virtute ſeminali & non ex putri generetur: Nam ex communi Philoſophia cognitū eſt, nullū perfectum animal generari vi cæleſti & influentia cælorū, ſed ſolum illa quæ ex putri ducunt originē; unde etiam videtur dicendū, non unam eſſe hujusmodi avē, ſi tamen datur, ſed plures,

nec

nec etiã admitti poſſe fabuloſã ejus generationẽ eò quod vires naturæ ſuperet. Videantur ea quæ ſcribunt Ferd. Corduba in Didaſcalia c.7. Pier.l.20, Hierogl. Aldrov.l.12, ornithol.c.28. Geſn. de avibus, &c.

DICO 4. Pelecanum dari conſentiunt Authores, negant autem eum rupto ſibi pectore ſanguinem effundere, & pullos ſuos vel enutrire vel jam mortuos ad vitam revocare. Eundem faciunt cum Onocrotalo, de quo Franc. Sanctus apud Aldrov:l.19.ornithol.c.2.tit, mores narrat, nempe in ejus ſtomacho eum præ gravedine captus eſſet, inventum fuiſſe puerulum Æthiopem. Putant autem hanc fortè fuiſſe occaſionem fingendi ea de Pelecano quod ſoleat à Venatoribus in nido cum pullis ſuis igne circumdari, quo facto cum non avolare poſſit, ut filios eripiat, continuatâ alarum quaſſatione ignem conari extinguere, ſed ventilatum magis accendere & aduſtis pennis tandem capi. Vide Geſn, Aldrov. & Pier.l.18.c.20.

Ex quo putri naſcantur animalcula.

DICO 5. Baſiliſci generatio non eſt omninò Impoſſibilis, licet à multis ut fabuloſa explodatur. Probatur, nam ſi ex putridis rebus alia generantur animalia, v.g. putrefacta ſub fimo anate buffones, ex medulla ſpinæ dorſi humani ſerpentes, ex herba Baſilica Scorpiones, etiam poſſibile eſt, ex putrefacto Galli ſemine vel ex aliis putrefactis humoribus generari poſſe ovum & ex hoc Baſiliſcum, quia utrobique par eſt ratio. Quod autem dicatur ſolo viſu enecare homines, id non in nudum aſpectũ, ſed in tranſmiſſas per medium venenatas exhalationes ac qualitates ad oculos usq; intuentis referendum eſt. Modum ejus generationis in hunc modum narrat Lev. Lemnius l, 4. de occultis naturæ c 12. ubi inquit decrepitus incipit eſſe Gallus, ovum profert æſtivis menſibus ex putrefacto opinor ſeminis excremento, aut humorum colluvie conflatum, formâ non oblongâ vel ovali ut gallinis eſſe ſolet, ſed rotundâ & orbiculatâ, colore modo luteo, buxeo, flaveſcente, verſicolore, lurido &c, Ex quo produci Baſiliſcum latinè regulum nonnulli opinantur. Subjungit deinde; quod an fabuloſum & commentitiũ, non auſim certò pronunciare; hoc tamen experientia comprobatum habeo, gallum incubatu idipſum perficere. Ita noſtrâ memoriâ in civitate Ziriʒæa duo annoſi galli ægrè etiam fuſtibus ab ovi incubatione abigi, depelliq; potuerunt; & quoniam cives eam perſuaſionem concepiſſent, ex hujusmodi ovo Baſiliſcum emergere, ovum conterere ac Gallos ſtrangulare viſum eſt. Hæc ille. Et vidi ego pragæ in theſaurario regio corpus ejusdem Baſiliſci, qui Viennæ non procul ab ara S. crucis invent⁹ dicitur, exenteratũ, omnibusq; oſſiculis apprimè connexis eâ formâ exhibitum, quâ in vivis extitit.

DIFFICVLTAS XVIII.

A qua cauſa producantur Ovipara & Vivipara.

ADverte, quædam ex animalibus brutis produci ex putri, quædam ex ovis, quædã ex utriusque ſexus ſemine, & de his omnibus quæritur, a qua cauſa producantur, an ad eum modum quo plantæ. Suppono autẽ hic primò, non tantum marem ſed etiam fœminã emittere ſemen ex conſenſu Medicorum, plurimorũ Philoſophorum & gravium Theologorum. 2. Hoc fæminæ ſemen non tantum eſſe paſſivũ ſed etiam activum, ideoq; ad generationẽ ſimpliciter neceſſarium contrà unicum Garſiam diſp. 36. c.5. §. mihi autem videtur. 3. Semen maris eſſe neceſſarium ex natura rei ad generationem, atque ita ad efficienda organa unà cum ſemine fæmellæ concurrere activè 4 Semen maris etiam concurrere paſſivè ad fœtũ, ut in ejus materiã inducatur anima Cæterùm

Opiniones ſunt diverſæ & doctrinæ circà hanc difficultatẽ quæ fuſius dicentur l. 2. diſp. 2. Diff.ult. Nam prima eſt Scoti, Durandi & aliorum, ſolam formam ſubſt: eſſe ſubſtantiale principium alicujus ſubſtantiæ, accidentia verò ante generationem diſponere materiam actione diſtinctâ. 2. Eſt Thomiſtarũ Vasquez, Rubii, Pererii, Fonſecæ. &c. Principiũ immediatum & proximũ ſubſtantiæ eſſe accidentia & qualitates, remotũ formam ſubſtantialem. 3. Soarii d.18.ſ.2, n.14. Conn. 2. ph.c.7.q.18 & recentiorum eſt communiſſima & probabiliſſima, accidentia ſive qualitates activas immediatè tanquam Inſtrumenta cauſæ principalis ſubſtantialis concurrere effectivè ad productionem ſubſtantiæ. His poſitis.

Animalia ex putri producuntur à Deo.

DICO 1. Rana, vermis & quicquid producitur ex putri, producitur à Deo, vel ſole ſecundum nonnullos tanquam à cauſis principalioribus unà cum diſpoſitionibus Inſtrumentaliter cõcurrẽtibus. De diſpoſitionibus naturalibus nulla eſt quęſtio, quia hę ſunt Inſtrumẽta alicujus ſubſtantiæ, ad quam pertinet formam ranæ aut vermis producere. Quod autem illa ſubſtantia ſit vel Deus vel ſol, hinc manifeſtum eſt, quia nihil præter hæc ſupereſt; non forma alicuj⁹ mixti vel elementi quia hæc ignobilior eſt, ergo ad Authorem naturæ, qui eminenter omnia in ſe continet, recurrendum eſt, vel ad ſolem, qui licet in ratione gradus viventis ſit ignobilior quam ſit muſca vel vermis, eſt tamen in ratione propriæ eſſentiæ & naturæ longè nobilior & præſtantior cunctis inſectis & animalibus imperfectis.

DICES, ſolus calor producit formam ignis ut patet in ferro candente quod ſtuppam accendit; ſimiliter radii ſolares in ſpeculo reflexi aerem & aridam materiam accendunt; ſolus etiam calor generat metalla in viſceribus terræ, ergo accidens producit ſubſtantiam. R. negando, quod ſolus calor in ferro receptus accendat ſtuppam, quia accendit hanc ignis in foris ferri latens: In reflexione radiorum ſolis non producitur ignis à calore tanquam à cauſa principali, ſed vel à ſole, vel melius à Deo ſupplente formã ignis, quod idẽ dici poteſt de colliſione ſilicũ & de productiõe metallorũ in viſceribus terrę, quę etiã à ſole produci dicuntur.

Gallina incubans non eſt mater,

DICO 2, Certum eſt quod gallina v.g. incubans non ſit cauſa principalis fætus, ſed ſpiri-

tus inſitus in ovo gallinæ unà cum Deo tanquã cauſa univerſali. Primũ patet, quia quando gallinæ incubat ovis anatum, non generantur gallinæ ſed anates: Deinde ſequeretur, quemvis calorem moderatum eſſe dicendum cauſam principalem, quia hic idem facit ut alibi patet: Quod verò Deus unà cum ſpiritu inſito ovi principaliter concurrat, eadem eſt ratio quæ in generatione ex putri, & quæ de plantis data fuit, quia hic ſpiritus unà cum Deo ceu cauſa univerſali operante majori concurſu producit inſtrumentaliter formas partiales & formam ultimatam gallinæ unà cum unione, id quod etiam in ſeminibus plantarum fieri ſolet. Et hæc ſententia probabilior videtur. Quæ autem plura de oviparis eorumque generatione dici poſſint, vide Aquaperd. l. de format. ovi & pulli, Aemil. Pariſanum Medicum Venetum, & inter alios Harveium Anglum l. de gen. animal.

In animalibus viviparis ſola mater immediatè producit animam &c.

DICO 3. in animalibus viviparis quæ habent animam materialem, formæ debilioris ſexus v. g. urſæ, leænæ, habet vim productivam animæ, unionis & formarum partialium, proinde eſt cauſa immediatè activa principalis, cauſa verò inſtrumentalis eſt utriuſque ſemen non tantum paſſivum ut quidam opinantur, ſed etiam activum, ita Hurt. diſp. 2. de ordine gen. §. 72. & favet Ariſt. 2. de gen. animal. c. 1. & 1. de part. animal. c. 1. & probatur, quia animam canis vel producit utriuſque ſexus ſemen vel cœlum, vel Deus, vel pater & mater. Non ſemen quia hoc ignobilius eſt ſicut & cœlum, ſed nec Deus ut voluit Soar. diſp. 18. ſ. 2. n. 32. quia poteſt hæc urſæ vel leænæ generatio conſervari etiam abſque concurſu principali Dei, ergò vel pater & mater, non quidem pater, quia hic abſens eſt à matrice ubi fit generatio, imò ſæpè moritur antequam producatur canis ejuſque anima in utero, ergò mater quia hoc immediatè præſens eſt, & reſpondent illi omnes formalitates effectus, ac proinde habet rationem agentis immediati & principalis, cum æquè nobilis ſit & ejuſdem ſpeciei cum prole. Confirmatur hæc concluſio ex iis, quæ Phyſici docent, cum aiunt, ſubſtantiæ eſſe principaliter & immediatè producere aliam ſubſtantiam, & effectũ nunquam excedere dignitate aut nobilitate cauſam ſuam univocam; Hæc Hurtadus.

DICES, hinc ſequitur, marem nihil conferre ad generationem prolis, adeoque non eſſe activum. Reſp. 1. patrem ex ſe habere potentiam generandi filium, ſed impediri propter diſtantiam ab utero, idque per accidens. 2. ſufficere quod ſemen maris Embryonem formet & producat omnes diſpoſitiones, quæ naturaliter & neceſſariò exigant productionem formæ, quo modo etiam homo dicitur generare hominem, etſi non producat ejus animam, quæ tamen eſt principalior pars ſuppoſiti: Cum itaque in ſemine vis potiſſima, quæ formet partes & ordine collocet organa, ſit à patre, meritò dicitur etiam ad generationem prolis concurrere, eſto mater immediatè & principaliter producat animam. Neque dicas has diſpoſitiones eſſe nobiliores, quam ſit ipſa vis ſeminis formatrix à patre ſemini impreſſa; quia reſpondetur, in corpore organico duo eſſe conſideranda; primò organa in quantum per formas ſubſtantiales, quas partiales appellamus, conſtituuntur; 2. in quantum correſpondent ſibi invicem in ſitu connexione, temperamento, cæteriſque accidentiis, ſuntque diſpoſitiones materiales ad formam ſuperiorem: primo modo ſpectant ad animam matris vel debilioris ſexus, cujus eſt producere formas partiales & animam ſuperiorem; ſecundò modo ad vim ſeminis formantem à patre datam: Vel reſpondetur animam debilioris ſexus producere formas partiales omneſque diſpoſitiones in corpore organico unà cum virtute paterna ſemini impreſſa, illam quidem magis hanc minus principaliter. Ita Hurradus citatus.

Anima matris producit formas partiales.

DIFFICULTAS XIX.

Quid ſit Generatio hominis.

HÆc generatio ſicut & omnium brutorum animalium dupliciter conſiderari poteſt: Semel quatenus latiſſimè comprehendit totã ſeriem alterationum, quæ in Embryone præcedunt introductionem animæ rationalis; ſemel verò, quatenus præciſè dicit primum actum ſubſtantialem corporis organici, id eſt, ipſam unionem formæ cum materia. Vtriuſq; diverſum eſt principium productivum ut infrà repetetur: & quamvis animæ rationalis productio nullo modo homini imputari poſſit, nihilominus tamen verè homo dicitur generare hominem, eò quod accidentia ſeminis effectivè concurrant ad diſponendum corpus, ipſæ autem diſpoſitiones naturaliter cauſent & exigant unionem animæ cum corpore organizato, quam vel Deus ſolus facit, vel quæ effectivè emanat ab ipſa anima vel aliunde producitur. De generatione primò modo ſumpta, prout ſcil. conſiſtit in formatione corporis organici, ſuprà actum eſt: De ea verò quæ propriè & præciſè dicitur generatio humana, hic in præſentia agetur, de qua breviter

Homo quo modo generet hominē

DICO, quod ſit proceſſio viventis à principio vitæ conjuncto, & per cognitionem atq; amorem operante ſecundum ſimilitudinem in ſpecie, vel ut alii, ſecundum rationem ſimilitudinis ſaltem in ſpecie infima. Hæc definitio coincidit cum priori excepta particula per amorem, quia præter cognitionem perfectam, in quo etiam diſcrepat ab animantibus brutis, homo non tantum operatur per apprehenſionem & appetitum ſenſitivum, ſed etiam per rationalem, id eſt, per amorem, quod planè non competit brutis animantibus, ut conſtat apud Ethicos. Itaque per cognitionem atque amorem rejiciuntur omnes brutorum generationes, quia tales fiunt per cognitionem brutalem, quamvis à multis, imò etiam ab ipſis Conn. 1. de gen. c. 4. q. 10. a. 1.

Quid Generatio hominis.

a.1. huc referantur: Reliqua eundem ſenſum & explicationem habent, ſicut definitio pro viventibus ſenſitivis data.

Colligitur 1. in creatis non poſſe patrem ſuam naturam in Individuo communicare, ſed cauſare naturam ejusdem ſpeciei cum ſua natura per aliquid à ſe diſtinctum adeòque traductionem animæ rat. ſeq. Diſp. dicendam eſſe falſam & abſurdam. 2. Chriſtum eſſe verum proprieque dictum Filium Dei Patris & B. V. Mariæ, quia proceſſit ab utroque ut principio vitæ conjuncto in ſimilitudinem naturæ. 3. Omnes prædictas definitiones ita differre, ut prima pateat latiſsimè, ultima minimè, hæc autem ſit ideò perfectiſsima, quod in ea gignens nomen Patris, genitum verò nomen Filii obtineat. 4. Reſurrectionem quam Chriſtus Matth. 19. regenerationem vocavit, dicendam eſſe verè & univocè generationem, ſi eſſentiam ſeu conceptum eſſentialem generationis ſpectes; differre autem inter ſe quoad modum producendi ſive quoad connotata, primò, quia generatio naturalis fit à generante naturali, non verò ſupernaturalis. 2. hæc eſt actio vitalis, illa quæ à Deo fit, non eſt. 3. naturalis tranſit à privatione & aptitudine, naturali ad formam, ſupernaturalis autem ab obedientiali aptitudine, quia materia non habet potentiam naturalem paſſivam formas tali modo recipiendi, cum non detur potentia naturalis activa ei correſpondens. Differunt itaque ſecundum modum ſeu connotata & conveniunt quoad eſſentiam præcisè conſideratam: Vide Conn, 1. de gen. c. 4. q. 14. a. 1. & 2.

Reſurrectio quomodo ſit vera generatio.

DIFFICULTAS XX.

An ex congreſſu hominis cum Dæmone poſſit generari proles humana.

HÆc quorundam veterum opinio fuit; nam imprimis Platonici ut refert Plut. in lib. de Iſide, credebant Dæmones naturâ ſuâ præditos eſſe corporibus aetis & affici doloribus & voluptatibus non ſecus ac homines. Deinde cum Gen. 6. habeatur, ingreſſos eſſe filios Dei ad filias hominum, illasque genuiſſe, exiſtimârunt nonnulli, Dæmones vel Angelos aſſumptis vel propriis corporibus fæminarum concubitu liberos procreaſſe. Et ita ſenſit Joſeph. l. 1. antiquit. c. 5. Clem. Alexan. l. 3. Stromatum. Lactant. l. 2. c. 15. Tertul. l. de habitu muliebri & de velandis virginibus, tum Juſtinus Martyr in ſua Apologia pro Chriſtianis.

Suppono, vel ſenſum quæſtionis eſſe de Dæmone ſuccubo, qui rationem habeat fœminæ, vel incubo, qui vicem maris ſuppleat. Jam

DICO primò, ex congreſſu hominis cum Dæmone, non poteſt gigni proles primo modo. Ratio eſt, quia ad generationem & maturationem prolis requiritur corpus perfectũ, in quo ſemen recipiatur, calore foveatur, organiſetur & quæ plures actiones ad generandum hominem deſiderantur; ſed tale corpus nec aſſumere poteſt nec formare Dæmon, ergò in generando homine non poteſt agere ſuccubam vel fœminam. Quod ſi tamen dicas, id ſæpius obſervatum eſſe, quod videl. ex tali longa cohabitatione filii fuerint geniti; reſpondendum eſt, non fuiſſe hos veros filios ſed fictitios, quos Dæmon ex mero præſtigio toties impio ſuo cohabitatori oſtendit & ſubſtituit quoties voluit.

Dæmon nõ poteſt eſſe ſuccubus.

DICO 2. nec poſſunt Dæmones ſub perſonæ maris virtute ſua fæminarum concubitu generare. Probatur, Dæmones ſunt ſubſtantiæ incorporeæ; ſed nulla talis ſubſtantia poteſt vi propria aliquam formam in materiam inducere, ergò nec Dæmones vi propria generare poſſunt. Major probatur ex Concil. Lateran. 2. capite firmiter de ſumma Trinitate & fide Catholica, in quo dicitur Deum ab initio creaſſe ex nihil creaturam ſpiritualem cujusmodi ſunt Dæmones, & corporalem, ad quam pertinent omnia compoſita phyſica. Probatur 2. ſi Dæmones vi propriâ poſſent generare, ſequitur eos naturaliter eſſe corruptibiles quod eſt abſurdum; probatur ſequela majoris, quia generativum ſupponit vegetativum ut patet ex Ariſtotele cit. c. 3. & 1. cæl. c. 3. ergò

Nec ſuccubus vi propria generare.

DICO 3. probabile eſt Dæmones ſub perſona maris poſſe aſſumpto corpore cum fœmina congredi, & virtute ſeminis virilis aliundè arrepti hominem procreare. Hæc ſententia eſt communis apud Philoſophos & Theologos, & tuetur eam D. Thom. in 2. diſt. 8. q. 1. a. 4. ad 3. tum alii ut videre eſt apud Delrionem diſquiſit. magicarum l. 2. q. 15. probatur ratione, Dæmones poſſunt edere varios effectus naturales applicando activa paſſivis, id eſt, ad materiam idoneam, ergò etiam poſſunt per media debita generare ſobolem humanam. Antecedens veriſsimum eſt; conſequentiam teſtantur multi magnique viri, favetque omninò ratio, quia nihil ſit in tali generatione, quod vim naturalem ſuperet, quia vis generativa eſt ex parte viri & in ejus ſemine, quod Dæmon incubus poteſt à viro ſurripere, factoque cum fœmina incubitu in uterũ transfundere; unde etiam qui ita à Dæmonibus gignuntur non ſunt dicendi eorum filii, ſed eorum potius, à quibus ſemen illud deciduum fuit. Et quamvis apud nonnullos ambiguum ſit, an poſſit ſemen ita ſpiritu & calore confertiſſimum hinc inde transferri, & usque ad matricem illæſum conſervari, quod tamen maximè neceſſarium eſt: Doctrina tamen D. Thomæ loc. cit. & multorum aliorum Theologorum, Philoſophorum & Medicorum eſt, poſſe Dæmonem adhibitis externis fomentis calorem & ſpiritus in ſemine ad aliquod ſaltem tempus conſervare, & exinde ad prolis generationem extrinſecus concurrere, præſertim cum ille tanquam ſagaciſſimus rerum naturaliũ explorator intimè norit diſpoſiti-

Poteſt Dæmon ut ſuccubus per ſemen alienum generare.

ſitiones materiæ ſementivæ, uteri materni & cæterotum ad generationem præſentem concurrentium. Similiter an omnia ſint vera, quæ ab Hiſtoricis ſcribuntur, incertum eſt, & videtur ſæpè veris fabulas miſceri, aut certè idipſum de infantibus monſtroſis & defectuoſis judicari. Hos Delrio cit. Cambiones vocat aut vagiones à continuo vagitu & adeò à lacte inſaturabiles, ut 4 etiam nutricum rumis exhauſtis macileſcant, ponderoſiſſimi licet ſint: Et talem fuiſſe quendam dicit, quem mendicus ſuo tempore per Gallitiam Hiſpaniæ ſumma cum defatigatione ſuis humetis circumtulerit; hunc etiam eundem mendicum poſtea deprehenſum & ex certis ſuſpicionibus captivum non infantem quem bajulaſſet, ſed Dæmonem edixiſſe, qui ſibi promiſerit omnes ſe quam diu habitu morboſo & faſciis involutus circumferretur, facilè ad Eleemoſinas ei conferendas pellecturum. Quod attinet ad Platonicos, mirum non eſt, eos erraſſe, cum in rebos gravioribus erraverint. Ad locum autem illum Gen. dicendum eſt id quod ſentiunt ſancti Patres, nimirùm per filios Dei intelligi vel eos qui procreati erant ex ſancta ſtirpe Seth, vel qui fuerant filii Iudicum, principum & potentum; per filias autē hominum intelligi eas, quæ ex familia Cain deſcenderant: ſimiliter de Iuſtino Martyre ſentiendum eſt, illum ut virum bonum in ſtudio Philoſophico vel Theologico minus verſatum erraſſe. Quod ad Tertullianum, verum eſt, eum l. de anima c. 9. tum alibi animā rat. ſtatuiſſe corpoream, coloratam &c. ſed deceptum fuiſſe per fæminam quandam phanaticam ex ſchola ſectatis Montani oriundam, cui ipſe vir aliàs diſertiſſimus & doctiſſimus nimiùm facilè credidit, & unde etiam miſerandus ejus lapſus potiſſimùm accidit. Vide Baronium circà annum Chrſt. 201. in annal. ſuis Eccleſiaſticis, tum aliis in locis.

Vagiones vel Cambiones.

DIFFICULTAS XXI.

A quo principio producatur homo, & quomodo.

NOn quæritur hic idem, qood ſuperius diſp. 3. diffic. 6. de principio formativo fætus quæſitum fuit, quia non ſemper unum & idem eſt utriusque principium productivū, ut patet in Embryone pulli, ubi formatio fit ab alio, & anima pulli rurſum ab alio, quamvis videatur aliquando eſſe idem principium productivum & diſpoſitivum ut patet io productione hominis. Dum itaque qoæritur, an & quomodo ad generandam prolem humanam ejusque animæ productionem uterque parens concurrat; ſuppono 1. hominem verè generare hominem, etſi noo habeat vim producendi animam ejus 2. non tantum ſemen viri ſed etiam fæminæ eſſe neceſſariam ad generaudam prolem, & habere ſe tam activè quam paſſivè. Hinc

DICO 1. pater non concurrit ad generationem filii immediatè. Probatur, pater non poteſt immediatè attingere productionē fili per ſuam ſubſtantiam, ergò etiam non poteſt immediatè concurrere ad ejusdem generationem. Antecedens patet primò, quia ſæpè moritur pater immediatè poſt congreſſum cum fæmina & dom fætus incipit formari, 2. mas nunquam attingit cavitatem uteri in quo fit conceptio. 3. uterus poſt ſemen conceptum arctiſſimè clauditur ex ſententia Medicorum, ergò parens in conceptione abſens eſt, ergò non eſt immediatè conjunctus cum prolis generatione, eſto ſic præſens per virtutem à ſe relictam.

Per quomodo concurrat ad generationem filii.

DICO 2. fæmina concurrit immediatè in genere cauſæ efficientis ad generationem prolis. Hanc concluſionem habet Hurt. diſp. 2. de ord. gen. ſ. 6. ubi ait hoc jam dudū inter cæteros defendiſſe Ochamum in 3. q. 3. & Gabr. ibid. diſt. 4. q. unica. & probat hac firmiſſima ratione; fætus deber generari ab aliqua cauſa vel æquè nobili vel nobiliori; ſed non eſt alia præter matrem ejusque immediatam præſentiam, ergò; minor probatur, nulla adeſt cauſa immediata præter matrem & ſemina utriusque parentis; ſed hæc non poſſunt principaliter concurrere, quia ſunt ignobiliora fætu, ergò erit mater, cujus tanquam agentis principalis eſt concurrere ad formandum fætum, quem etiam vel maximè producet adæquatè, eò quod ſit ejusdem ſpeciei cum prole.

Fæmina quomodo concurrat.

DICES, ſi ideò in generatione fætus humaoi ad matrem tanquam ad cauſam principalem & immediatam concurrendum eſt, quia eſt æquè nobilis aut nobilior fætu, ſequitur hoc idem in mulo faciendum eſſe; ſed hic alia cauſa ſecunda quærenda eſt, eò quod mater aſina ſit ignobilior prole mulo, ergò & ibi. Reſp. aſinam non eſſe in eſſentialibus ignobiliorem mulo, ſed taotum in quibusdam accidentibus, quæ habet ab equo patre, aliàs etiam multa bruta ſuperarent hominem in dignitate & nobilitate, quod in quibusdam aliquando ſenſibus eſſent perſpicaciora; Imò aſinus habet potentiam generarivam, quam non habet mulus ut exerceat, & tamen hæc eſt actio valdè inſignis & nobilis. Et licet mulus per ſuam nutritionem prodocat animā ejusque unionem; non tamen requiritur tantum virtutis ad hanc actionem quantum ad priorem, quod etiam patet in ſpadonibus, pueris, ſenibus &c. qui ſe nutriunt, non tamen gignunt.

Aſina non eſt ignobilior mulo.

Mulus non habet vim generativā

DICO 3. concurrit tamen pater activè ad diſponenda organa mediante ſemine ab ipſo deciſo. Eſt communis hæc doctrina etiam apud Medicos, qui putant non eſſe aliquod ſemen absque virtute activa. Patet etiam ex alibi dictis & probatur ex ſuperabundanti; materia ſeminis eſt partim ſanguinea partim ſpirituoſa; ſed hæc habet vim activam in illum effectum, ad quem ex natura ſua dirigitur, ergò & ſemen viri habet actionem in organa,

Semen paternum diſponit organa.

ad

ad quæ immediatè dirigitur. Probatur minor, quia ſpiritus fuit ignei ut eſt mos loquendi apud Medicos, diriguntùrque ad formanda organa, non ut materia, quia non poſſunt ita coagulari, ergò ut efficiens. Hoc idem argumentum pugnat pro ſemine fœminino licet non æquè efficaciter.

DICO 4. Non tantum ſemen fœminæ, ſed etiam viri concurrit paſſivè ad fœtum, ita ut in hunc ultimò diſpoſitum inducatur anima rationalis. Ita docet tota Medicorum ſchola, cui conſentiunt Conn. l. 1. de gen. c. 4. q. 28. a. 1. quicquid autem probatur à Medicis & Hurt. cit. probatur à priori in hunc modum; ſi non concurrit ſemen parentum paſſivè ad generationem prolis, ſequitur, hanc non oriri à patre ut principio vitæ conjuncto; ſed hoc abſurdum eſt, ergò & illud. Sequela majoris patet, quia pater per ſemen eſt principium conjunctum filii, quia aliquid patris requiritur in filio, & ideò filius eſt perſona juncta patri. Minor jam probatur, quia ſi ſemen non manet in filio, nihil patris in illo remanet, quia pater per ſolum ſemen concurrit. Quod de ſemine patris, idem de ſemine matris intellige. An autem & quomodo & pater & mater immediatè & intrinſecè attingant unitionem animæ humanæ cum prole, vide infrà diſput. 11. de informatione animæ rationalis. Cæterùm hæc omnia vide paulò fuſius antecedenter diſp. 3. diffic. 6.

DIFFICULTAS XXI.

An omnes generationes humanæ quocunque tandem modo fiant, ſint verè propriè & univocè generationes dicendæ.

QUatuor ſunt modi generationis humanæ: primus eſt abſque mare & fœmina, quo modo Adam primus homo productus fuit; & ad hunc modum pertinet etiam communis hominum reſurrectio, quia præterquam quod ad eam nec mas nec fœmina concurrat, etiam à Chriſto vocatur regeneratio Matth. 19. Secundus eſt abſque fœmina ſed interveniente mare ut patet in productione Evæ, quæ ex coſta Adami per Deum efformata fuit. Tertius eſt abſque mare ſed concurrente fœmina, & ad hunc modum Chriſtus fuit genitus ex B. Virgine. Quartus denique eſt ex mare & fœmina, & talis eſt communis & ordinaria omnium hominum generatio. Jam quæritur, an definitio generationis, quæ convenit generationi humanæ 4. modo ſumptæ, etiam reliquis tribus verè propriè & univocè conveniat. *Qui modi gener. humanæ.*

NOTA, Generationem poſſe dupliciter ſumi, primò eſſentialiter ſeu quoad conceptū quidditativum, quo modo conveniunt omnes generationes rerum ſublunarium hactenus explicatæ. 2. quoad extrinſeca & quaſi connotata. Iam *Generatio dupliciter ſumitur.*

DICO primò, ſi generatio quoad eſſentiam conſideretur, certum eſt, quod omnes generationes eandem communem rationem generationis participent. Probatur, ad naturam & conceptum quidditativum generationis ut eſt mutatio, ſpectat tranſitus à privatione formæ ad formam in materia, tum ut eſt actio, formæque ſubſtantialis unitio cum materia; ſed hæc omnia in generationibus illis reperiuntur, ut manifeſtum eſt, & ex infrà dicendis parebit, ergò *Omnes gener. conveniunt univocè in eſſentialib.*

DICO 2. ſi generatio ſecundo modo ſumatur, non conveniunt tres priores generationes cum 4. univocè, adeoque plurimum ab ea diſcrepant. Probatur primò, in generationibus phyſicis, quales ſunt naturales & ordinariæ hominum generationes, diſponitur materia ſucceſſivè ab Agente naturali; ſed hoc non fit in tribus primis generationibus, ergò non conveniunt univocè cum 4. Neque dicas, quod etiam Deus non introduxerit formam in materiam niſi productis prius in ea diſpoſitionibus aptis; quia reſpondetur, hujuſmodi diſpoſitiones non fuiſſe introductas, ſucceſſivè & ad motum naturalem, ſed in inſtanti. Probatur 2. in ordinaria hominum generatione attingit minimùm Agens naturale animam & ejus unionem cum materia; in productione verò Adami & Evæ nulla intercedit actio alicujus entis creati, quod idem de reſurrectione intellige, ergò. Neque dicas, Angelos collecturos cineres mortuorum, ut videre eſt apud Theologos Scholaſticos, ergò mortui reſurgent miniſterio entium creatorum; Nam reſpondetur, communem eſſe doctrinam Theologorum, quod mortui corpora ſua organica, reliquum accidentium apparatum & formam informantem ſolâ virtute Dei ſint recepturi. Quod ad generationem Chriſti, ad hanc concurrit B. Virg. verâ actione phyſica, & ſubminiſtravit omnia quæ ex parte matris ad veram generationem humanam requiruntur, unde etiam vera mater Chriſti eſt. Officium autem viri ſupplevit Spiritus Sanctus, qui facultatem vitalem, & quicquid virgini præſtandum erat, concurſum videl. ejus ad evocandum, attrahendumque puriſſimum ſanguinem ad locum conceptionis, ſimiliter ad efformandum & organizandum corpus Chriſti momento temporis excitavit, ita ut omnia ad introducendam animam Chriſti uno inſtanti abſoluta fuerint, quæ aliàs in communi & ordinaria hominum generatione ad introductionem animæ rationalis 30. vel 40. diebus perficiuntur. Et ita ſentiunt omnes Theologi cum D. Thom. 3. p. q. 33. a. 1. apud Hurt. citatum. *Non in accidentalibus & connotatis.* *Corpus Chriſti fuit uno inſtanti efformatum.*

DICES primò, primæ generationes ſunt miraculoſæ, ergò nullo modo conveniunt cum ultima. Reſp. differre tantum in modo qui miraculoſus eſt, & ex parte principii activi, non autem in eſſentia, quia in omnibus producuntur diſpoſitiones ad formam, & unitur anima cum materia diſpoſita.

DICES 2. prima & ſecunda generatio non ſunt

ſunt actiones vitales quia non procedunt à principio vitæ conjuncto, ergò differunt à 4. etiam quod eſſentiam, quia actiones vitales diſtingvuntur toto genere à non vitalibus. R. negando conſequentiam, quia eadem prorſus eſt intellectio quam Deus ſe ſolo elicit cum ea quam homo, licet hæc vitalis ſit, quia oritur à principio vitæ, illa autem non vitalis: Unde patet, ex eo quod una operatio ſit vitalis & alia non vitalis, non collige præcisè differentiam eſſentialem inter generationes, quia producit Deus eandem generationem quam homo produxiſſet, ſi habuiſſet potentiam illam producendi.

Colligitur itaque, omnes prædictas generationes propriè & univocè generationem eſſe, & convenire in unius ſpeciei naturam eandemque eſſentialem definitionem quam habemus ab Ariſtotele traditam; Differre tamen & obſervare non eandem rationem, ſi reſpiciamus ea quæ naturæ generationis ſunt extrinſeca, quæque ideò nec ſubſtantiam nec eſſentiam variant, quod illius identitas per ſe non dependeat à modo quo fiant generationes, aut à principio activo, à quo fiant.

DISPUTATIO NONA,

De forma quæ eſt alterum hominis Orientis principium intrinſecum, anima ſcil. rationalis.

HÆc non tantum neceſſaria ſed etiam prima natura & præcipuum eſſe eſt in homine; ordine quidem tertium & ultimum, dignitate tamen primum & ſummum, adeoque Domina & Regina, cujus obſequiis & uſibus addicta ſunt & mancipata accidentia & effectiones materiæ, quia ſunt hæ partim ad accipiendam partim ad ſovendam formam datæ, & velut inſtrumenta exercendis operationibus ſuperadditæ. De hac, quæ maximè continet mundi pulchritudinem & ornatum, quæque fons & ſcaturigo eſt omnium actionum operumque admirabilium, non omnes idem ſentiunt Chriſtiani ſicut nec Philoſophi & Medici: Sunt enim à paucis jam annis nonnulli, qui cum luciferianis olim hæreticis docent animā noſtram, quod nefas eſt apud Catholicos, fieri ex Traduce, id eſt, propagari per virtutem ſeminalem: Sed nec Philoſophi inter ſe, nec obique cum Medicis conveniunt, quia in ſuas diviſi opiniones mirè juxtà varias Ariſtotelis interpretationes ſeſe oppugnant. Et tamen digna eſt hæc forma quam omnes ament, quā omnes appetant, & cujus naturam etiam Principes & quotquot ab ea informantur, cognoſcere deſiderent, ideoque turpe & indignum viro neſcire formam ſui corporis, gratem & amicam animulam, à qua nunquam ſeparari appetit, ſed cui adeſſe & abblādiri vellet in perpetuum. Certè hæc eſt pars altera noſtri, & quidem principaliſſima quam habemus à Deo, & quam idem ipſe creator à nobis aliquando repetet: Hanc accipit corpus noſtrum quamprimom ſufficienter per calorem ſeminalem organiſatum & ad operandum diſpoſitum eſt. De hac itaque cum ſit principium vegetandi, ſentiendi, intelligendi, motus, riſus, fletus, omniumque operationum vitalium, imprimis autem de forma ſubſtantiali, cujus naturam ante omnia paulò altius in genere ordiri oportet, ſit

DIFFICULTAS I.

Unde conſtet dari formam quæ ſit hominis Orientis rerumque naturalium principium intrinſecum.

ANtequam eſſentia & natura animæ rationalis explicetur, neceſſum eſt & utile prius aliquid agere de forma ſubſtantiali non unius aut hominis aut viventis, ſed rerum omnium ſublunarium in communi, quas ipſa velut alterum principium intrinſecè conſtituit. Et de hac multa hinc inde, præſertim verò in prioribus duobus phyſicorum libris egit dixitque Ariſtoteles, adeoque pulchrè & præclarè ejus ubique mentionem fecit, ut incertum ſit, an ullius rei melius alicubi. Vocat autem illam aliquando actum ut 8. metaph. c. 3. quia actuat materiam; aliquando naturam ut 2. phyſ. c. 1. & habitum 1. gen. c. 7. aliquando ſpeciem, decorem, pulchritudinem & perfectionem materiæ, aliquando terminum, quia terminat materiam aliàs ad hoc vel illud indifferentem; aliquando ſpeciem, quia eſt pulchritudo compoſiti vel certè ejus differentia. Aliquando ſubſtantiam, pulchrum, optimum &c.

Advertè autem, nomen formæ à variis variè ſumi, Sic primò ſignificat externam corporis & oris ſpeciem ſeu venuſtatem. 2. ſubſtantiam à materia ſeparatam, ſcil. intelligentiam. 3. formam ſive differentiam metaphyſicam. 4. totam eſſentiam hominis vel cujosvis rei naturalis, quæ cum materia conſtituit compoſitum. 5. propriè partem ſubſtantialem ſive ſubſtantiam phyſicam incompleram componentem unum Ens cum materia, quæ acceptio cum ſit propria hujus loci. Ideò

DICO, in homine Oriente & omni compo-

Datur forma ſubſt. poſito phyſico datur forma ſubſtantialis, quæ cum materia conſtituit unum per ſe quæque unum compoſitum ab alio diſtinguit. Hæc concluſio licet ex ſe manifeſta ſit, ratione que & experientia apud omnes ita communis, ut nemo de ea dubitare auſit; quia tamen teſte Pererio l. 6. phyſ. c. 2. apud multos non videtur id argumentis evidentibus convinci poſſe, ſic prob. 1. compoſita naturalia differunt à ſe invicem ſpecie, ergò danda eſt aliqua radix hujus diſtinctionis; ſed accidentia non poſſunt eſſe, quia hæc faciunt tantum differre accidentaliter; neque etiam materia, quia indifferens eſt ex ſe ad hanc vel illam ſpeciem, ergò erit forma ſubſtantialis, quia nihil aliud ſupereſt. 2. debet eſſe aliquod principium omnium potentiarum & operationum; ſed hoc non eſt materia neque aliquod accidens, ergò forma. 3. in homine Oriente dantur formæ partiales ſubſtantiales quæ conſtituunt corpus organicum in eſſe organici, & datur in eodem anima, quæ eſt vera forma ſubſtantialis informans materiam, quod idem intellige de cunctis aliis corporibus ſublunaribus, quorum formæ in ordine ad informationem ſunt ejusdem dignitatis & rationis cum anima rationali, ergò certum eſt dari formam ſubſtantialem, quæ conſtituat ens naturale phyſicum. Antec. patet imprimis ratione, quia ſi homo non informatur ab anima, debet informari ab alia forma ſubſtantiali & compleri ſubſtantialiter: Deinde eſt de fide, quia anima non aſſiſtit corpori, cum aliàs homo non intelligeret; neque eſt in homine ut nauta in navi; neque etiam ut accidens, ergò tanquam forma ſive actus ſubſtantialis. Confirm. quia materia non eſt adæquatum principium ſentiendi, videndi &c. in homine, ergò neque in equo erit completum principium ſenſus, viſus. 4. Paſſiones & multa accidentia, quæ unius tantum ſunt ſubſtantiæ propria, ut hinnitus, latratus, boatus, non profluunt à ſola materia, ergò ab alio principio, forma ſcil. ſubſtantiali. 5. aqua calefacta reducit ſe ad priſtinum frigus per aliquod principium intrinſecum; ſed non per materiam quia hæc eſt merè paſſiva; ergò per formam ſubſtantialẽ, quia aliud nihil ſupereſt, plura vide apud Philoſophos.

Res non diſtinguuntur niſi per formam. DICES 1. res non diſtingvuntur ab invicem per formam, ſed ſufficienter per accidentia, ergò forma eſt ſuperflua. Reſp. neg. anteced. quia per accidentia diſtinguitur unum Ens ab alio tantum accidentaliter ut patet in aqua calida quæ à frigida tantum differt accidentaliter: per formam autem conſtituitur res per ſe & differt ab alia ſubſtantialiter, ut patet in homine qui per ſuam formam differt eſſentialiter & ſubſtantialiter à leone; unde etiam liquet, majorem eſſe diſtinctionem inter hominem & leonem quam inter calidum & frigidum.

Etiam ſubſt. in materia eſt in ſubjecto. DICES 2. nulla ſubſtantia poteſt eſſe in ſubjecto, ergò nec forma in materia, ergò accidentia ſufficiunt. Reſp. nullam ſubſtantiam completam ut eſt compoſitum, eſſe in aliquo ſubjecto à ſe diſtincto, verum eſt, nullam incompletam ut eſt forma, falſum: forma enim ita ineſt materiæ, ut cum illa conſtituat unum aliquod per ſe completè ſubſiſtens, in quo differt ab accidentibus, quibus proprium eſt ita ineſſe, ut immutatâ entis ſubſtantiâ accedant & recedant, pereant & producantur, adeòque accidentalem tantum addant mutationem.

DIFFICULTAS II.

Quæ ſint diviſiones formæ.

DICO, variè dividitur forma. Primò in naturalem & artificialem: Illa eſt quæ à cauſa naturali vel etiam à Deo juxtà exigentiam naturalem producitur, ut forma lapidis, anima rationalis. Hæc verò quæ fit beneficio artis, ut dum ex ligno, lapide format ſtatuarius Mercurium vel Angelum. Secundò in exemplarem quæ participatâ ſui ſimilitudine dat eſſe, ut imago leonis ſenſui objectâ, & in informantem, quæ per realem ſui conjunctionem cum ſubjecto vel corpore dat eſſe, ut imago leonis ſenſui objectâ, & in informantem, quæ per realem ſui conjunctionem cum ſubjecto vel corpore dat eſſe, ut anima hominis, bovis, plantæ &c. Tertiò in ſubſtantialem, quâ ſubſtantiæ habent eſſe ſimpliciter ut anima hominis, & accidentalem quâ habent eſſe ſecundum quid ut calor. Quartò, in ſubſtantiales & accidentales ita ut aliæ dependeant à materia ut forma bovis ejusque calor, aliæ autem non dependeant ut anima rationalis ejusque intellectio & volitio, Quintò in accidentales mathematicas ut triangulus, phyſicas ut calor, & metaphyſicas ut unum verum bonum. Sextò in accidentales phyſicas reales & realiter operantes ut primæ qualitates, & intentionales ſeu intelligibiles quibus utimur ad operationes ſenſuum & intellectus, ut ſunt ſpecies ſenſiles & intelligibiles. Septimo in ſubſtantiales abſtractas à materia ut anima rationalis & intelligentiæ, & concretas cum materia ut formæ animalium. Octavo in materiales quæ dependent in eſſe fieri & operari à materia ut formæ brutorum, & in eas quæ quidem ſunt in materia, non dependent tamen in eſſe fieri & operari à materia ut anima rationalis. Nono in animatas ut forma hominis, bovis, & inanimatas ut lapidis, metalli, elementi. Decimò in principales quæ non ſubſunt alicui ſuperiori, ſed ipſæ alias ſub ſe habent ut anima formas partiales, & ut multi ſentiunt forma mixti formas elementorum. Et minus principales ſive ſubordinatas, quæ alicui ſuperiori ſubordinantur ut formæ partiales animæ hominis. Vltimo in formas Elementorum ſive corporum ſimpliciũ, & mixtorum tam animatorum quam inanimatorum; in formas viventium vegetabilium, ſenſitivorum & intelligibilium.

DI-

DICES, omnis ſorma vel eſt ſubſtantialis vel accidentalis , ergo cæteræ differentiæ & diviſiones ſunt ſuperfluæ. Reſp. neg. conſeq. quia imprimis eſt magna diſcrepantia inter formas ſubſtantiales ut patet in anima bruti & hominis, quarum illa eſt materialis hæc ſpiritualis; ſed & inter hanc alia eſt incompleta ut anima rationalis, alia completa, ut fotma angelica. Deinde inter utrasque eſt magna latitudo tam quoad ſpecialem quam accidentalem differentiam, ut patet in anima bruti quæ ſpecie differt à forma hominis vel plantæ, eſto conveniant in hoc quod ſint actus ſubſtantiales informantes, & in calote qui in producendo alio calote cauſa principalis eſt, cui nihilominus aliæ fotmæ minus ptincipales & accidentales ſubſerviunt ut raritas, ſiccitas, humiditas &c. Denique habent fotmæ ſive ſubſtantiales ſive accidentales diverſos reſpectus, operationes & fines, ſuntque variorum ordinum & ſubjectorum, juxtà quotum modificationem novæ ſemper exurgunt differentiæ, ut patet in eâdem anima rationali, quæ dum abeſt à corpora, vocatur ſeparata à materia, dum verò ei conjungitur, conjuncta ; ſic eadem hæc anima dum in vitaliter operando dependet ab cotpote, dicitur dependens à ſubjecto in operari, conttà verò dum extrà cotpus ſuas elicit operationes.

DIFFICULTAS III.

Quomodo definienda ſit forma ſubſtantialis.

APud Ariſt. 2. phyſ. c. 3. legitur, quod forma ſit ratio quidditatis , hoc eſt quod ſit illud in quo præcipuè cujusque compoſiti naturalis eſſentia continetur, ſeu quod eſſentiam tei ejusque definitionem abſolvit tum ab omnibus aliis diſtinguit. Iam quæritur, an hæc definitio ſit bona.

Forma quid.

DICO, quamvis hanc Ariſtotelis definitionem , qua forma dicitur ratio quidditaris, non imptobent philoſophi , nihilominus tamen clarius & accuratius eam actum ſimplicem ſubſtantialem unum per ſe cum materia conſtituentem definiunt. Definitio ptima ex hoc manifeſta eſt , quia forma eſt præcipua pars quidditatis & eſſentiæ, datque eſſe & operari omnibus rebus naturalibus. Secunda explicatur. Nam dicitur imprimis actus ad excludendam materiam veluti potentiam. Dicitur 2. ſimplex , ut excludatur compoſitum ex forma & materia, tum compoſitum ex pluribus actibus, ut album, dulce, & actus purus quia hic non tantum excludit compoſitionem ex actu & potentia, ſed etiam compoſitionem cum alio ut aliquod tertium exurgat, cujusmodi actus ſunt intellectiones, volitiones. Dicitur 3. ſubſtantialis, ut rejiciantur formæ accidentales v. g. calot, odor &c. Dicitur 4. conſtituens per ſe unum cum materia, id eſt, ad hoc ex natura ſua ordinata ut per ſe compoſitum naturale conſtituat vel conſtituere poſſit ut patet de anima rationali quæ etiam eſt forma & actus ſubſtantialis ex natura ſua, quamvis de facto non informet aut conſtituat compoſitum naturale phyſicum ; Et hinc excluduntur compoſita ſimplicia ſicut ſunt Angeli ſemper ſeparati à materia, quia non poſſunt hi venire in compoſiti unius naturam cum materia; Competit autem ideò definitio animæ rationali etiam ſeparatæ & abſtractæ à materia, quia dum non informat materiam, habet potentiam & naturalem inclinationem ſive ordinationem eam actuandi.

Forma actus ſimplex.

Definitio formæ etiam convenit animæ rationalis.

DICES, generans vel agens naturale non eſt Ens ſimplex, ergò nec forma tanquam effectus ſui Generantis. Reſp. neg. conſeq. quia Generans jam eſt Ens compoſitum ex actu & potentia; forma autem caret hac compoſitione & reſpicit tantum materiam actuandam; unde patet hanc formæ ſimplicitatem non importare aliquam dignitatem vel nobilitatem quâ ſit præſtantior Generante , ſed tantum carentiam compoſitionis phyſicæ. Deinde Generans non intendit abſolutè productionem formæ , ſed ejus conjunctionem ſimul cum materia adeoque compoſitum naturale phyſicum ſimile ſibi in ſpecie.

Simplicitas formæ quæ.

DIFFICULTAS IV.

Quidnam conjungat formam cum materia.

EX dictis patet quod ſorma conſtituat unum cum materia, Jam quæritur quo modo id fiat, aut quæ ſit cauſa , quod forma cum materia conjungatur, & an quævis materia cum quavis fotma poſſit conjungi.

Suppono , illud unum non eſſe unum aggregationis, aut ordinis aut accidentis, ſed quod reſultat ex compoſitione & unitione partium in unam aliquam naturam tertiam coëuntium, ut homo qui reſultat ex unitione formæ cum materia , tum ex compoſitione partium integrantium inter ſe ; Et hoc modo reſultant omnia compoſita naturalia ſiuntque unum per ſe ex unitione formæ cum materia.

DICO 1. cauſa extrinſeca quæ formam cum materia unit , eſt ipſum generãs tum diſpoſitiones ab eo introductæ. Prob. 1. nunquam poteſt materia & forma conjungi faceteque compoſitum, niſi illa ptius per debitas & convenientes diſpoſitiones ad hanc recipiendam præparetur , ergò requiritur aliqua cauſa extrinſeca, nimirùm ipſum Generans cum certis & debitis diſpoſitionibus ab eo introductis, quæ partim habent rationem cauſæ efficientis, quatenus ſunt inſtrumenta Agentis , partim materialis, quatenus materiam ex ſe indeterminatam ad hanc vel illam formam diſponunt. Prob. 2. ſi forma materiæ ſeipſa conjun-

jungitur absque Agente naturali & prævijs diſpoſitionibus, ſequitur materiam recedente formâ unâ poſſe indifferenter quamcunque aliam in ſe recipere, nec eſſe rationem quare ex putri materia non potius generatur aurum vel unio quam vermis, muſca, ſcarabæus &c. Prob, 3. ab esperientia, qua videmus non tantum in iis, quas arte fiunt ſed etiam quæ naturæ, multas & diuturnas ſæpè præcedere coctiones, elixationes, maturationes, laborationes, milleque alias diſpoſitiones, idque ſemper ab agente extrinſeco.

DICO 2. Interna cauſa, quod materia jam ſufficienter diſpoſita formæ uniatur, eſt ingenita utriusque propenſio & naturalis quidam appetitus, quo ad ſe invicem ordinantur. Conſtat ex ipſa natura materiæ quæ formam tanquam ſuum pulchrum appetit, hanc autem & non aliam propter ſuam jam præſentem habilitatem quâ in hanc potius quam in illam fertur: Et forma eſt propter materiam, è cujus potentia naturali educitur, & cum qua ſemper eſſe, nunquam ſeparari cupit; Ad hujus enim ſicut & univerſi totius cum pulchritudinem tum perfectionem ex natura ſua ordinatur.

DICO 3. non poteſt quævis forma cum quavis materia conjungi. Ratio eſt, quia non poteſt materia cum forma uniri niſi ad quam diſpoſita eſt; ſed ſimul & ſemel non poteſt habere diſpoſitiones ad quamvis formam, ergò nec cum quavis uniri; habet tamen appetitum ad omnes, quatenus per prævias diſpoſitiones habilitari ad omnes poteſt.

DIFFICULTAS V.

Vnde & quomodo oriantur formæ ſubſtant, juxtà veteres & modernos quosdam.

MAgna quæſtio eſt, ubi exiſtat forma antequam informet compoſitum v.g. forma bovis, antequam generetur bos &c. Nam vel forma eſt aliquid ante generationem vel omninò nihil; ſi eſt aliquid, ergò non fiet per generationem quia ſupponitur eſſe; ſi eſt nihil, ergò non poteſt fieri naturaliter, quia ex nihilo nihil fit naturaliter, proinde creabitur. Non autem agitur hic de anima rationali quæ planè eſt immaterialis, adeoque ab omni materiæ concretione libera, ut proinde nullum ſit dubium, eam independenter ab ipſa materia produci, ſed de formis tantum materialibus, ſive ſint ſubſtantiales ſive accidentales; Et de his fuerunt variæ olim & adhuc exiſtunt opiniones quædam minus laudabiles ut videre eſt apud Conn. l. 1. Phyſ. cap. 9. q, 11. a. 3. Sic

Opinio 1. fuit quorundam Veterum, formam ante generationem habere aliquod eſſe inchoatum & imperfectum in materia illieq; perfici per generationem; Et ab hac doctrina non differt in re ipſa opinio Sennerti, Hoffmanni & aliorum hoc tempore Medicorum ut infrà patebit.

Opinio 2. fuit Avic. in ſua metaph. tr. 9. c. 4. & 1. ſuffic. c. 10. formam v.g. ignis non præexiſtere actu in materia, ſed ſolum in virtute alicujus cauſæ ſuperioris, Angeli ſcil. qui eam producat, proindeque ab Agente inferiori, alio nimirùm igne uniti materiæ tantum per calorem diſpoſitæ, ſicut anima rationalis non præexiſtit in potentia materiæ ſed à Deo creatur & per virtutem ſeminalem unitur materiæ; Et hunc Angelum vocat Avic. Cholcoden, id eſt, formarum datricem & inferioris mundi Gubernatricem.

Opinio 3. fuit quorundam Theologorum tempore Alb. M. ut ipſe teſtatur, formas omnes à Deo per creationem non ſecus ac animam rationalem produci. Et hanc eand. ferè opinionem habet Marcus Marci Medicus Pragenſis in idæa ſua operatrice ad initium proœmii.

Opinio 4. eſt recentiorum quorundam cùm Philoſophorum tum Medicorum, & imprimis Sennerti Medici Wittembergenſis hypomn. 1. c. 3. & 4. tum Caſparis Hoffmanni Medici Altorffenſis libello de origine formarum; & aliorum, hi docent totam ſeriem formarum ſeipſis multiplicari & propagari juxta virtutem divinam, quam res omnes in prima creatione acceperint, ut ſe citrà fabuloſam illam ut ajunt eductionem è potentia materiæ ne anima quidem rationali exceptâ multiplicent. Ad ſingula horum argumenta infrà afferenda reſpondebitur.

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo producantur formæ ſecundum veriorem philoſophiam.

OPinio 5. & vera eſt, formas ante ortum ſui nec actu exiſtere, quia alias nihil de novo gigneretur, neque prorſus non exiſtere, alioquin jam materia aliquid ex nihilo efficeret; ſed eſſe poteſtate in materia & cauſarum naturalium efficacia, & ſic de illius potentia & gremio ad actum perfectionemque educi: Et hanc ſententiam quam multis in locis docet Ariſt, ſeqvuntur præter antiquiores D. Thomam, Scotum, Durandum, Hervæum & alios hoc noſtro ſeculo Pererios, Fonſeca, Soarius, Rubius, Toletus, Hurtadus, Connimbr. Arriaga, & ut verbo dicam, omnes meliores & ſaniores Philoſophi, qui in hodiernum adhuc diem tum ſcriptis quam voce & lectionibus clarent: Et cum etiam hac in re nemini quicquam difficultatis aut probabilitatis in contrarium occurrat, idcircò cum iis

DICO, omnes formæ materiales (anima rationalis ſpiritualis eſt & immaterialis & creatur à Deo) nullo modo præexiſtunt actu

in materia, ſed educuntur de potentia ejus paſſiva ad conſtituendum unum per ſe cum materia. Hæc concluſio antequam probetur. Adverte primò, potentiam præter alias e-
Potentia naturalis. jus diviſiones vel eſſe naturalem, id eſt, eſſe propenſionem vel inclinationem cujusque rei
Obedientialis. inſitam ad id quod eſt conveniens, v. g. lapidi deſcendere deorſum &c. vel obedientialem, id eſt, aptitudinem ſeu non repugnantiam ad aliquid; ſic aqua poteſt converti in vinum, caro in cineres, vermes &c. quia omnis materia eſt obedientialis Deo ad quamcunque for-
Violenta. mam; vel violentam, id eſt, renitentem ſeu repugnantem, quomodo materia in lapide reſiſtit ferri ſurſum; vel denique indifferentem ſive neutram; ſic materia ſub forma ignis nec
Indifferens repugnat motui circulari nec etiam ad illum inclinat, eſt etiam indifferens ad quamcunque aliam formam. Adverte 2. potentiam de qua hic ſermo eſt, eſſe tantum inclinationem ſive propenſionem naturalem in formas ſibi convenientes & reſpicere tantum eas quæ ſunt materiales, nullo modo autem immateriales ut eſt anima rationalis. Adverte 3. formam
Formam contineri in materia quid. contineri in potentia materiæ ſeu formam præexiſtere in materia nihil aliud eſſe niſi quod materia ſit talis naturæ, ut poſitâ actione naturalis Agentis poſſit in genere cauſæ materialis cauſare formam, conſequenter & actionem & formam illam in ſe recipere; Unde colligitur, quod effectus antequam ſit, dicatur eſſe in potentia ſuæ materiæ; Deinde quod forma educatur ex ſuo ſubjecto; tandem quod forma quæ non præexiſtit actu in materia, totum ſuum eſſe de novo accipiat; Nam illud quod incipit eſſe actu in rerum natura & antea non fuit tam ſecundum totum quam ſecundum partem, illud accipit totum ſuum eſſe
Formam educi è potentia materiæ quid. de novo, & tale quid eſt forma. Adverte 4. formam educi de potentia materiæ non eſſe idem quod recipi in materia, quia aliàs etiam anima rationalis deberet educi de potentia materiæ cum in illa recipiatur, ſed nihil aliud eſſe quam formam fieri per actionem dependentem à materia, quia concurrit hæc ad eductionem vel productionem formæ in genere cauſæ materialis; Et hinc videntur tria requiri ad hanc eductionem, 1. ut potentia ſubjecti vel materiæ ſit naturalis ſit eductio ſit naturalis. 2. ut materia in genere cauſæ materialis concurrat ad fieri formæ, id eſt, ut recipiat in ſe actionem per quam producitur forma materialis vel unio, quia ſi v. g. Deus crearet formam leonis eamque uniret materiæ, illa non diceretur educi de potentia materiæ. 3. ut forma quæ educitur, in fieri & in eſſe ſuo dependeat à materia, ita ut naturaliter ſine illa conſervari non poſſit, unde diſtinguitur eductio à creatione, quia hæc nullo modo pendet à ſubjecto, eductio autem ſemper. Jam prob. concluſio 1. ſi forma præexiſtit in materia, vel præexiſtit exiſtentia actuali vel poſſibili; non prima, quia hæc non differt niſi tantum ratione ab eſſentia, proinde ſi una præexiſtit, præexiſtet etiam altera; nec ſecunda,

quia eſſe poſſibile alicujus rei nihil dicit ex parte ſui niſi tantum non repugnantiam, & quod virtute agentis naturalis educi poſſit de potentia materiæ, conſequenter dicit, formam ſolùm eſſe in potentia materiæ quod quæritur. Quod ſi dicas, non formam generari ſed compoſitum; Reſpondetur formam generari ut quo, compoſitum ut quod. Prob. *Forma generatur ut Quo.*
2. ſi forma non educitur è potentia materiæ, jam actu præexiſtit in materia & non dabitur generatio quod eſt falſum. Prob. ultima pars conſeq. quia per generationem fit unum per ſe; ſed ſi forma præexiſtit ante generationem, jam cum materia eſt unum per ſe, quia hujusmodi forma non poteſt eſſe naturalis ſine unione & informatione, & ubicunque forma ſubſtantialis informat materiam, ibi eſt unum per ſe. Hic viderit Sennertus quid dicturus ſit ad ſuas formas tanquam ſubordinatas quas ſæpè ſine ullis operationibus diu latere ſcribit. Ad hoc autem argum. reſpondet Caſp. Hoffmannus loco cit. his verbis, qui inquit occulta formarum ſemina in materia deſidc-rabant; qui confuſum formarum habitum in materia ponebant; qui formas in materia ſecundum eſſe potentiale, habituale, confuſum dicebant; qui formas præeſſe ſecundum inchoationem quandam ajebant; qui formas *An forma ſubſt. tota-* latere in materia & fieri per generationem *ut ſit im-* manifeſtas aſſerebant; qui formas præexiſte- *perfecta* re ſecundum eſſe imperfectum & conſtitui in *& paula-* eſſe perfecto per generationem aſſeverabant *tim perfi-* qui formas adeſſe ſecundum partem perfici *ciatur.* autem ſeu completè produci per generationẽ contendebant &c. Hi omnes quia diſtinctum quid à materia quærebant, omninò tale quod materiam ſive ſubjectum adſtringeret ad hanc formam, quid aliud voluiſſe putas quam privationem? Hæc autem cum ſit quodammodo forma, cur non poſſit aut debeat vocari forma? Et hanc formam quia conſiderabant in ovo in re fiente, cur quis vellet eos redigere ad formam gallinæ? præeſt igitur hæc forma gallinæ in ovo ſed actu primo, illo in quam qui idem eſt cum potentia formali; Et ab hoc actu eſſentiæ proficiſcitur ad actum exiſtentiæ, hoc eſt, ex non gallina fit gallina. Et paulò infrà; ovum igitur inquit, quia non eſt gallina ſimpliciter, ſi ex illo fiat gallina, cur generatio ſubſtantialis dici non poſſit; ſi dicas ergò forma aliquando non eſt tota ſive perfecta. Reſp. ita eſſe in rebus fientibus, non in factis; gallina v. g. aut gallinæ forma ubi ubi eſt, integra eſt, & differt hæc ab illa numero; at ovum à gallina tantum differt gradu quia in gallinam ordinatum eſt: ergò fiet generatio formæ per partes; Reſpond. nihil id abſurdi eſſe, ſi modo de generatione impropriè dicta loquaris; Eſt enim in hac medium inter contradictoria, hoc eſt, ut aliquid partim ſit partim non ſit, abſurdum non eſt: Quod ſi apud Philoſophos formam non dicitur fieri per partes, quia dicitur eſſe tota ſimul & ideò

ideò impartibilis, id eſt ex eorum cenſu, quæ indigent explicatione, quia aliud eſt Inqui de forma perfecta & in ſuo termino conſtituta, & aliud de itinere ad perfectionem dum natura paulatim ſubſtantiatur &c. hæc & alia ad nauſeam Hoffmannus. Sed contrà hanc plusquam abſurdam doctrinam eſt 1. quia inauditum eſt apud Ariſtotelicos, formam in materia latere ante ſui generationem aut præexiſtere ſecundnm ſui imperfectionem, & fieri manifeſtam per generationem, cum verum ſit illud in philoſophia principium, cui hactenus nemo auſus eſt contradicere, quod forma ſubſtantialis ſit indiviſibilis, nec ſuſcipiat magis & minus, nec fiat ſucceſſivè aut per partes ſed in inſtanti ut infrà patebit, ergò nec prius eſt ſecundum inchoationem & poſterius ſecundum eſſe perfectum, nec prius ſecundum eſſentiam & deinde ſecundum exiſtentiam, quia hæc duo apud Philoſophos non niſi ſola ratione differunt nec poſſunt invicem ſeparari. 2, falſum ſimiliter eſt, poſſibilitatem, potentialitatem in materia aut illud quod aſtringit eam ad formam, eſſe quodammodo formam & poſſe taliter vocari; quia potentia illa in materia nihil eſt aliud niſi ejus propenſio & naturalis inclinatio in formas convenientes; illud autem quod aſtringit materiam ad formam, ſunt diſpoſitiones materiales à Generante in materiam introductæ, quia tales ita requirunt fnrmam, ut ſi agens naturale deficiat quod formã introducat, Deus vel cauſa alia generalis & univerſalis, cujusmodi ſunt cælum & aſtra, eam ſupplere teneantur. 3. Item abſurdum eſt, illud quod materiam ad formam aſtringit, eſſe privationem, & hanc eſſe quodammodo formam vel poſſe dici formam, quia illud quod materiam ad formam aſtringit, eſt principium activum quod in genere cauſæ efficientis ad futuram formam concurrit, quod nnn competit privationi quæ eſt pura negatio formæ in ſubjecto apto. Deinde privatio eſt negatio formæ, ergò non eſt ejus eſſe imperfectum, primum eſſe eſſentiæ, eſſe ſecundum partem &c. quia hæc eſt actus ſimul & ſemel totus, adæquatus, completus, perfectus, nunquam diviſibilis aut partibilis, in inſtanti productus, eſt eſſe & natura rei, ſpecies, pulchritudo entis, ſubſtantia, terminus & habitus; privatio autem pura negatio, non ens, nihil ad entis eſſentiam, exiſtentiam, pulchritudinem & ornatum pertinens ut videre eſt apud Ariſt. paſſim t. & 2. l. phyſ. & Pererium citatum; Et hinc 4. inepta planeque abſurda eſt diſtinctio perfectionis formæ in rebus factis non fientibus, quia ut patet, forma ante ſui inſtantaneam productionem nihil eſt, nec per partes factibilis ſicut motus aliæque res ſucceſſivæ, ſed fit tota ſimul & in inſtanti, præceditque ejus pura negatio ſeu privatio in ea materia & ſubjecto in quo ipſa eſt producenda: Et hæc privatio una cum diſpoſitionibus materialibus quæ formæ productionem & introductionem præcedunt, nihil ejus naturæ participant, ſed longius quam ſol à terræ puncto diſtant aut differunt. Quod ſi autem intelligat Hoffmannus formam præexiſtere exiſtentia poſſibili, in eandem incurrit abſurditatem, quia quod eſt poſſibile, id tantum poteſt exiſtere & nulla ſui parte exiſtit, ut ex terminis manifeſtum eſt, adeoque forma poſſibilis virtute agentis naturalis ex aliquo ſubjecto educenda eſt. Fieri itaque dicuntur in tempore res ſucceſſivæ, in inſtanti autem permanentes, nec eſſe prius ſecundum partem & paulatim ſecundum totum.

Mala diſtinctio formæ in fieri & facto eſſe.

Colligitur autem, materiam ſive ſubjectum concurrere in genere cauſæ materialis ad productionem formæ, ejusque ante generationẽ nihil actu præexiſtere, ſed fieri ex nihilo ſui tanquam ex termino à Quo, non ex nihilo ſubjecti, quia forma fit dependenter à materia.

DIFFICULTAS VII.

Quid reſpondendum ſit tribus primis opinionibus.

Ad opinionem primam reſp. falſam eſſe doctrinam illam veterum, quod ſcil. formæ ante ortum ſui præexiſtant imperfectè & quoad gradum inchoarum tantum, id eſt, quod lateant in rebus ſingulis & ab Agentibus naturalibus excitentur & in ſpeciem certam reducantur. Nam 1. forma ſubſt. non ſuſcipit magis aut minus. 2. gradus inchoatus formæ exiſtens ante generationem formæ vel eſt aliquid accidentis vel ſubſtantiæ. Si primum, ergò tantum eſt alteratio, quod nihil ad rem. Si ſecundum, vel eſt materiæ vel formæ non materiæ, quia hæc eſt ingenerabilis, ergò formæ quæ tamen eſt indiviſibilis nec poteſt acquiri ſucceſſivè. 3. gradus ille perfectior qui nec dum exiſtit, vel creabitur quod eſt abſurdum, vel naturaliter producetur quod ſimpliciter fieri non poteſt, quia deficit Agens naturale, vel certè quod neceſſarium eſt, de poteſtate materiæ generabitur. Et hæc eadem reſponſio valet contrà Sennertum & Caſp. Hoffmannum.

Forma non ſuſcipit magis aut minus.

Ad ſecundam opinionem Reſp. nullum Angelum quicunque ſit, ex ſe quicquam poſſe producere niſi ſolùm applicationem activorum ad paſſiva. Et hæc etiam eſt doctrina Theologorum, qui conſentiunt formas ſive accidentales ſive ſubſtantiales non poſſe in materiam induci à ſubſtantiis immaterialibus, cum hoc ſit tantum Agentium naturalium & artificialium; illorum quidem, quia à natura ſunt determinata ſunt ad certas actiones & effectus, horum verò quia ſupponunt materiam. Negari tamen non poteſt, plurimas formas quæ per applicationem activorum ad paſſiva in materiã introduci poſſunt, poſſe ab ipſis quoque excitari, ut qui Elementorum

Angeli ex ſe nihil producunt.

T 2 pro-

proprietates, influxus ſyderum & omnes denique rerum ſublunarium vires intimè perſpectas habent, & quid quantumque mutuis inter ſeſe actionibus poſſint, quibus etiam ad hujusmodo effectus inſtrumentis aut corporibus applicandis opus habeant, quæ non tantum ipſis Angelis ad motum localem obediunt, ſed quæ etiam ab ipſis facili negotio aliunde comportari & ad actiones applicari poſſunt. Et hoc modo Magos ſæpè ope Dæmonum admiranda facere compertum eſt apud Deir. in ſuis diſquiſ. magicis & alios. His poſitis apparet quare Angeli nec formam nec compoſitum aliquod phyſicum producere poſſint, quia videl. improportionati ſunt ad talem effectum; Nam cum omne agens producat ſibi ſimile, in productione formæ & compoſiti non tantum forma ſed & compoſitum ex materia & forma erit ipſum quoque Generans formasque in materiam inducat.

Ab Angelis applicatur activa ad paſſiva.

Quare Angeli nihil poſſint ex ſe producere.

Ad tertiam opinionem, ex qua tale argumentum formari poteſt, formæ non præexiſtunt in materia, ergò fiunt ex nihilo, ergò creantur. Reſp. fieri ex nihilo ſui conceditur, ex nihilo ſubjecti negatur, ergo creantur, neg. conſeq. quid autem ſit fieri ex nihilo ſimpliciter & ex nihilo ſubjecti, patet ex diſp. 1. diffic. 1. Ad ea quæ Marcus Marci ad confutandam eductionem & confirmandam creationem omnium formarum docet, quod videl. poſt ſeparationem à materia remaneant, cum ad perfectionem univerſi ſpectent: quod non poſſint ab ente creato corrumpi aut annihilari; quod ex eodem ſubjecto contrito repullulunt nova ejusdem ſpeciei individua, v.g. ex conciſo aut contrito ſerpente maſsâque putreſcente novus ſerpens, vermis &c. quod ex herba item contrita nova rurſum planta in vaſe vitreo cum ſuis coloribus ad vivum momento renaſcatur & c. ex quibus omnibus concludit nullas formas educi de potentia materiæ, ſed omnes creari, præexiſtere in materia nullasque ne pulicum quidem perire. Reſpondetur primò, ridiculum eſſe, tot formas adhuc in unaquaque ſpecie animalium comminiſci, quot individua in ea unquam extiterint, cum nec ſeparatæ ſi materiales ſint, nec exiſtere extrà materiam propter naturæ ſuæ incapacitatem poſſint. Negatur itaque primum antecedens & ejus probatio, quia omnes hujusmodo formæ materialis corrumpuntur à cauſis naturalibus à quibus fuerunt productæ, v.g. à diſpoſitionibus contrariis de quibus infrà. Ad perfectionem univerſi non ſpectant omnia individua ſed ſpecies, & quidē non omnes nec ſimpliciter, quia conſtat non omnes ſpecies præſertim inſectorum quæque ex putri naſcuntur, ſtatim poſt conditum univerſum extitiſſe; Deinde poſſet Deus citrà jacturam perfectionis univerſi multas ſpecies viventium deſtruere licet non conderet novas. Formæ naturales pereunt & deſtruuntur ab Agentibus naturalibus ſicut ab iis productæ fuerunt, ut patet de forma ignis, quæ ab alio igne producitur, & ab affuſa aqua deſtruitur, de quo tamen nulla eſt difficultas. Ad ſecundum reſp. ſerpentem aliaque viventia repullulare non propterea quod animæ eorum remanſerint in materia illa contrita, alioquin nulla hic eſſet corruptio aut nova generatio, ſed quia diſpoſitiones præſentes potius ad hanc quam aliam formam determinant; ſic ex fimo equino naſcuntur ſcarabæi, è ſordibus brutorum vel hominū certi pulices, cimices, pediculi, &c. Propter qualitates & dipoſitiones ipſis ſordibus intrinſecas & ad hujusmodi formas determinantes, nō autem propter formam ſerpentis quę in carne contrita adhuc ſuperſit, ut Marco Marci viro alioquin magni ingenii raræq; doctrinæ placet, aut quod idē eſt, propter animam pulicis, pediculi, vermis, cimicis, jam actu in materia putrida præexiſtentem ut Sennertus docet. Ad tertium R. incertum eſſe an plantæ in vaſe vitreo ita renaſcantur; Quod ſi tamen id fieri poſſe compertum ſit, intellige id fieri per induſtriam eorum qui norunt colores apparentes ſeu vaniſſimas ſpecies è vivaciſſimis plantarum vaporibus ſcitè & artificiosè exprimere, quod nihil ad ſtabiliendam hanc peregrinam opinionem convincit.

Non remanent anima bovina poſt occiſionem.

DIFFICULTAS IIX.

Quid ad Sennertum & Hoffmannum in re medica Profeſſores eximios ſit reſpondendum.

HI ambo, ut planè formarum ſive animarum materialium eductionem è medio tollerent, multa corraſerunt argumenta partim ex ſacris litteris, partim ex naturali philoſophia ut ajunt, partim ex ſe aliisq; deſumpta.

Primum itaque argumentum Sennerti eſt, Deus ſtatim ab initio mundi creavit omnium ſpecierum animas, quæ etiamnum in hodiernum diem, ſeſe per continuas individuorum generationes non educendo formas ex materia ſed communicando aliquid eſſentiæ generato propagant, ergò eductio ſuperflua eſt. R. neg. antec. quia Deus imprimis non creavit orbes cæleſtes, non plantas, non animalia nec denique hominem ut conſtat ex alibi dictis; Et tranſeat ipſum primas ſpecies creaſſe, quid tū? Conſequentia illa omninò falſa eſt, quia multiplicatio & propagatio quam Sennertus adfert, fabuloſa eſt & contra ſanam philoſophiam; ſpecies rerum ſublunarium propagant & conſervant ſe in individuis per novas & novas generationes & productiones naturales media virtute ſeminibus à Generante impreſſa, quam Deus primo ſpeciei individuo dedit eamque in omnem poſteritatem derivari voluit.

Secundum eſt, dixit Deus Gen. 2. creſcite & multiplicamini, id eſt, dedit benedictionem omnibus viventibus, ut ſe multiplicent per communicationem partis eſſentialis quæ à generante in generatum transfera-

feratur, ergò eductio formarum nulla eſt, R. non tam ridiculum quam fictitium eſſe id quod Sennertus ex his verbis creſcite & multiplicamini, colligit, quaſi tunc quævis forma aut quodvis compoſitum acceperit à Deo virtutem & benedictionem ex ſinu ſuo & propria ſubſtantiâ novam formam & animam depromendi, ut nihilominus ipſa maneant illæſa nõ aliter quam aqua aut flamma, quod Exemplũ Sennertus adducit, in duas vel tres partes diviſa, quæ interim ſemper maneant eſſentialiter & formaliter aqua & flamma; nam præterquã quod dum flamma aut aqua in partes multiplicatur & dividitur, ſemper minoratur, ſunt etiam eum ſuis formis in partes infinitas proportionales diſſecabiles, quod de formis animalium perfectorum dicere nefas eſt; nam bos cum generat bovem & homo hominem, non dividitur nec fit minor, quia nihil decedit animæ quæ eſt incommunicabilis nec ſuſcipit magis & minus, licet de ſubſtantia corporis, id eſt, de ſpiritibus, de ſangnine & ſemine nonnihil decedat. Generat itaque bos bovem, leo leonem, producendo qualitates & diſpoſitiones in materia ſementiva, cum per virtutem illi impreſſam educendo ex ea formam & animam materialem, quæ prius potentia in hoc ſubjecto continebatur, non quidem dando & communicando aliquid de propria animæ ſubſtantia & eſſentia, ſed exercendo virtutem, quam Deus toti ſpeciei dedit & conceſſit. Nihil itaque aliud voluit Deus iis verbis, quam ut ſpecies per continuas generationes in individuis ſeſe conſervent, per eam ſcil. virtutem quam ipſe imprimis omni viventi dedit, & quæ à Generante ſemini impreſſa variè unà cum præſenti temperamento diſponit, & formam, quæ tum neceſſariò ſequitur, è potentia materiæ elicit & producit ſi materialis ſit.

Creſcite & multiplicamini, quid virium habeat.

Tertium eſt, ſpeciali effectui ſemper debetur cauſa ſpecifica, id eſt, ſemper una forma producitur ab alia ſpecifica, ergò falſa eſt illa eductio è potentia materiæ. Reſp. imprimis falſum eſſe, quando dicitur ſpeciali effectui ſemper deberi cauſam ſpecificam, quaſi una forma ſpecifica producatur ab alia adæquatè, quia producitur à toto compoſito. Deinde negatur conſequentia, præterquam enim quod in productione leonis, bovis, pyri, &c. non producatur forma ſed compoſitum, cui ſpecialiter & univocè reſpondet leo, bos, pyrus, non opus eſt ut forma bovis concurrat ad productionem formæ bovis per ſui communicationem, ſed ſufficit ſi ex materia determinata per cauſas ſuas inſtrumentales educat formam bovis, quemadmodum videmus in ligno in quo ignis producendo calorem, ſiccitatem & raritatem producit alium ignem, nõ ex ſua ſubſtantia quæ præextitit & in lignum egit ſed ex ipſo ligno quod potentia continebat hanc formam, & ex quo per concurſum & efficaciam agentium naturalium nova forma novusque ignis productus fuit. Eadem res eſt cum univerſis aliis formis materialibus & compoſitis naturalibus.

Quartum eſt, generatio plantarum & viventium non fit contrariorum actione ſed animarum communione, id eſt, mediante ſemine quod corporis ſui fabricam non primariò contrariorum actione ſed amicorum attractione & inimicorum expulſione abſolvit; Generans autem ſemper aliquid de ſua eſſentia transfert in generatum. Reſp. generationes & corruptiones omnes omninò fieri per actiones contrarias, quæ ſi deſinant, deſinunt quoque omnes rerum viciſſitudines, & niſi in ſubjecto præcedant, nec forma quæ fuit in materia, expellitur, nec nova ſubſequitur; ſic v. g. forma ligni nunquam corrumpetur aut forma ignis inducetur niſi præcedant contrariorum actiones. Quomodo tamen ſemen amicorum attractione & inimicorum expulſione abſolvat corporis organici fabricam tanquam actione contraria, eſt quæſtio inutilis, quia nec animarum communio ad hoc requiritur, nec ut generans particulam eſſentiæ transferat in generatum, ſed tantum ut parens ſemini virtutem imprimat quâ formetur corpus organicum, & ad ultimam denuò factam diſpoſitionem anima rationalis à Deo ob defectum cauſæ ſecundæ creetur & infundatur, brutalis verò quæ purè materialis eſt & mortalis, è poteſtate materiæ educatur. Et ſi Sennertus intelligat, quod parens det proli eandem ſpecie naturam & eſſentiam quam ipſe habet, verè loquitur; ſi autem quod hanc eſſentiam à ſua forma decerpat & in filium transferat, falſum dicit, quia producitur de novo in ſubjecto in quo prius poteſtate continebatur; videtur autem omninò hoc ultimum velle, quia dicit animam leonis verb. grat. hominis, canis, producere aliam ex ſe, ſicut aqua & flamma producit aliam formam aquæ & flammæ cum dividitur, quæ ſimilitudo non tam riſu explodenda eſt quam ob rei indignitatem è publicis ſcholis & lectionibus eliminanda.

Quintum eſt, generatio per hujuſmodi propagationem non tantum non tollitur, ſed magis adhuc confirmatur; Nam fit generatio verè & propriè, quando verb. grat. generatur ſemen arboris, plantæ, bovis, hominis, quia tum formæ & animæ ſeſe multiplicant, non autem quando generatur arbor, leo, bos &c. Reſpond. ad hoc nihil aliud, quam quod ex hac generatione ſolùm producatur ridiculus mus: Quis quæſo tam ſtupidus eſt, qui dicat ſe in manu ingentem portare quercum, ſi glandem teneat? quis dicat hominem, leonem, canem, generari, occidi, ſubmergi, comburi &c. Si ſemen generetur comburetur, ſubmergatur? Si dicas eſſe hominem, bovem, canem, quoad eſſe imperfectum & inchoatum, vide quæ prius contrà hoc dicta ſint.

An quercus generatur quando glans producitur.

 Sextum

Spiritus metallicus.

Sextum, metalla, lapides aliaque inanimata multiplicent ſe per ſpiritum metallicum qui ſeſe diffundit per terræ viſcera, ergò idem de cæteris rebus dicendum eſt. Reſp. Spiritum metallicum noo eſſe animam aut formam metalli, ſed vaporem aliquem ſive exhalationem ut videre eſt ex anteced. diſputatione. Et licet metalla, lapidesque ſe per hujusmodi ſpiritum conſervent & multiplicent, quid tum? Eſt enim materia proxima in qua virtus & diſpoſitio ad formam auri, lapidis, unionis, ab aſtris & elementorum viribus producitur; unde eum aurum non ab alio auro nec lapis ab alio lapide gignatur, tantum valet argumentum Sennerti atque illud, aqua multoties diviſa retinet ſemper ſuam naturam & eſſentiam aquæ, ergò etiam anima leonis, bovis, hominis in plures animas diviſa ſemper manet integra natura & forma leonis, hominis; quis non videt pulchram ſimilitudinem & eximiam paritatem ſimilem illi, aqua & flamma diviſibiles ſunt, ergò & caput bovinum, leoninum, ita ut in eſſentialibus idem maneant.

Septimom, omnes animæ, etiam humanæ ſunt miſcibiles ſicut ſunt v. g. duæ guttæ aquæ, duæque flammæ in unum coeuntes. Reſp. hanc paritatem eſſe ſimpliciter abſurdam & indignam cujus ulla fiat mentio.

Octavum, hujus eductionis primus Author creditur fuiſſe Averrhoes; defenſores nihil firmi adducunt, ſed tantum conantur contrariam partem ad abſurditates deducere; Authores omnes in hac ſententia explicanda ſe miſerè torquent, magisque inter explicandum ſeſe implicant; de cauſa proxima ſive de principali efficiente hujus eductionis nihil certè aſſerunt; non intelligunt creationem mundi, & quid tum univerſis creaturis Deus promiſerit &c. Reſp. parum referre, quis Author eductionis formarum fuerit: hoc unum fatentur omnes hoc ſeculo excellentiſſimi Philoſophi, quorum vix diſcipulus eſſe meretur Sennertus, quod hac in re ſequantur rationem & Ariſtotelem, in quo verè Deus & natura oſtendit, quousque humanum ingenium naturaliter elevari poſſit: habet enim is inter cætera ubi ſubſtantiarum productionem agentibus naturalibus aſcribit l. 2. de gen. animal. c. 3. ſolam animam humanam extrinſecus advenire, id eſt, non multiplicari ad mentem Sennerti, ergò ſi anima humana non poteſt ſeſe multiplicare, nec poterant id reliquæ materiales. An autem illi qui formarum eductionem aſſerunt, nihil certi aut ſolidi adducant pro tuenda ſua opinione, lector judicabit: profectò non miſerè ſe torquent ut ait Sennertus, ſed certam & facilem rationique naturali conformem gradiuntur viam, & turpiſſimas abſurditates, quas ipſe ſibi Sennertus obtrudi & objici ait, in contraria parte manifeſtiſſimè oſtendunt, quod ſolum ad tuendam hanc eductionem ſatis eſſet, ſi cætera probationum argumenta deficerent, In cauſam proximam & principalem efficientem non ſtatuunt aliam quam generantem qui per virtutem ſeminalem operatur, vel compoſitum phyſicum quod immediatè formas materiales producit &c. Quod ſi quæras, quid Sennertus de formis inanimatis tam ſubſtantialibus quam accidentalibus ſentiat. Reſp. ſentire idem quod de animatis, videl. nullas educi de potentia materiæ: Docet enim loco cit. nullibi nec in elementorum nec in mineralium nec in qualitatum productionibus formas novas gigni, ſed omnes præfuiſſe & latuiſſe in materia, quod etiam ſenſêre veteres. Sic ait nihil vel calefieri vel frigefieri per veram alterationem ſive productionem novi caloris, frigoris, ſed per receptionem novarum atomorum frigidarum, calidarum, de quibus alibi. Sic docet cum lignum in ignem convertitur, formam ignis ſecundum eſſe imperfectum præfuiſſe, vel formam ignis in ligno eſſe eam quæ prius in alio ſubjecto fuerat, & jam diviſa ligno acceſſit quod tamen falſum eſſe conſtat partim ex dictis partim ex hoc quia dum forma ligni perit & corrumpitur, illudque ſubjectum aliam formam quod neceſſum eſt, accipit, quæro an hæc forma præextiterit; ſi reſpondet affirmativè, ergò migrat de ſubjecto in ſubjectum, eritque aliquando naturaliter absque ullo ſubjecto quod informat; ſi negativè, loquitur contrà ſe & concedit educi ex ligno formam ignis. Deinde, quando forma ignis in re combuſtibili per receptionem radiorum ſolarium in ſpeculo producitur, ubi fuit illa forma prius? Si dicas in concavo lunæ, nugaris; ſi in ligno præextitiſſe, falſum dicis, ut ex dictis patet. Sic rurſum ſcribit, vermes, ſerpentes, buffones è cadaveribus prodeuntes prius in corpore vivo latuiſſe, quia nimirùm horum è putri naſcentium formæ erant tantum ſubordinatæ, quod vel falſum eſſe infrà conſtabit, vel certè Doctorem Sennertum adhuc in vivis fuiſſe veriſſimum ſerpentem, buffonem, vermem &c.

Argumentum primum Caſp. Hoffm. Medici & Profeſſoris Altorffenſis eſt, cum homo inquit non generatur niſi vir ſemen ſuum conjungat cum ſanguine fæmineo, à ſemine autem ſit forma, profectò forma non debet dici præſtari à materia; cum ovum non fiat fæcundum, niſi gallina aliquid accipiat à mare, dici etiam non debet formam gallinæ eſſe in materiæ gallinæ; Nam ſi ibi non eſt, quomodo poteſt educi? Si ſanguis maternus habet formam, cur nunquam viſa eſt fæmina concepiſſe absque viro? Ex his Hoffmanni verbis, quæ valdè obſcura ſunt, formo tale argumentum; In ſemine parentum ex quo formatur animal, non præfuit forma animalis, ergò non potuit hinc educi; Et idem de materia ſeminali ad ovum ſpectante intellige. Vides quam ſubtile ſit hoc argumentum, ſimile huic, in cerebo hominis non eſt forma vermis, ergò cum cadaver erit, vel etiam dum adhuc vivus eſt, non poteſt hinc educi & generari. Negatur itaque conſequentia, quia dum Agens natura-

tale vel Generans ſibi ſimile generat, v. g. homo hominem, leo leonem, producit in materia ſeminali prius competentes & formæ futuræ connaturales qualitates & diſpoſitiones v. g. calorem, ſiccitatem, raritatem, denſitatem, apparatum organorum eorumque debitum ſitum & connexionem, tum verò formā ipſam, quæ cum ad has diſpoſitiones per naturalem ſequelam emanare cupiat, ab ipſo generante quod virtutem ſuæ ſpeciei à Deo olim acceptam habet, ſi materialis ſit, principaliter produci dicitur, à Deo autem creari & materiæ ſufficienter diſpoſitæ infundi, ſi ſpiritualis & immaterialis; Et ad hanc formæ productionem concurrit materia in genere cauſæ materialis, quia recipit illam in ſe, dum agens naturale eam ſufficienter diſpoſuit, & ad formam recipiendam habilitavit.

Secundum eſt, omne quod movet, eſt actu; at ſemen maſculum mover, ergò eſt actu, id eſt, haber actum eſſentiæ non exiſtentiæ; Et ſic ovum gallinæ habet aliquid formæ gallinæ; ſic ſemen maſculum habet in ſe formam, quam ſanguini menſtruo tribuit; Et hæc forma facit quod ſemen ſit ſemen; Et hic actus intelligitur per Ariſt. multis in locis, ut l. 2. de gen. animal. c. 1. & 3. l. 1. c. 2. 20. & 21. Reſp. concedendo totum, ſed negando quod ſubſumitur, quia non requiritur ut in ſemine exiſtat forma hominis, leonis, pulli, pyri, quia hoc operatur Generans per virtutem ſemini datam ut videre eſt diſp. 3. Et hæc vis agendi ut operetur, actu eſſe deber, ſicut ignis quando lignū incendit & in eo calorem ignemque producit, quorum neuter prius exiſtebat; non in ligno, quia hoc prius erat frigidum, nec in igne, qui migraſſet de ſubjecto in ſubjectum quod abſurdum eſt dicere, nec nova forma in ligno produceretur nullaque fieret aut corruptio aut generatio, quia forma prius exiſtebat quod item abſurdum eſt. Semen maſculum non habet in ſe aliam formam quam quæ mixti eſt, & quâ nihil ad extra operatur, haber autem virtutem formatricem & generatricem qua agit in ſubjecto proprio, id eſt in ipſo ſemine, tam maris quam fœminæ, cujus ſanguis menſtruus ad generationem prolis non concurrit, ut conſtat ex diſp. citata. Quod itaq; ſemen ſit ſemen, hoc habet à forma propria, quæ non habet vim producendi vivens, & ſi haberet id ab alia forma, jam non ſemen, ſed bos, homo, planta vel aliud vivens eſſet; Quid per actum Ariſtoteles hic intelligat, Conſuli poſſunt animaſtici quia forma ſubſtantialis eſt, quæ materiam actuat eique unita compoſitum conſtituit, non autem aliud quod formæ ſubſtantiali ſubordinatum eſt, aliqua ſcil. imperfectio, inchoatio, potentialitas, id eſt, rude figmentum compoſitis phyſicis gratis ſuperadditum.

Tertium, Ariſt. t. metaph. c. 6. ait, quemadmodum ſe habet artifex in producenda forma v. g. Mercurii; ſic ſe habet ſemen maſculum; Et ſicut menſarius infert formam menſæ, ita mas fatui. Reſp. ſi Hoffmannus ad hanc majorem velit formare minorem, debebit hoc modo concludere; ſed Artifex habet formam Mercurii actu in capite & in ſe, ergò & ſemen maſculum habebit ſuam formam quam intendit producere, in ſe. Quis autem non videat hanc ſtultitiam, & quis non rideat hoc argumentum, cum Artifex eminenter tantum & virtualiter habeat formam Mercurii, id eſt Idæam, quod item de ſemine dici poteſt. Comparet autem Ariſt. artem & naturam quod in producendis formis eundem penè modum obſeruent diſponendo materiam per congruas diſpoſitiones; ſic enim homo dum generat hominem, format prius corpus organicum, & Artifex dum Mercurium ſculpit, delineat prius manus, pedes, caput, oculos &c.

Quartum eſt, hanc doctrinam habent plerique Theologi & Philoſophi qui animam ex Traduce derivant, ergò eſt vera; quomodo enim anima poteſt communicari ibi individuo niſi aliquid ex anima decerpatur; Et ſi Ariſt. animam rationalem extrinſecus advenire ſentiat, malè ſentit, quia non eſt hæc deterioris conditionis quam ſit eqvus, canis, quibus conceditur ſubſtantialis generatio. Adhæc Deus dedit in paradyſo omnibus animalibus benedictionem, ut ſe abſque creatione multiplicent, ergò & homini. Reſp. Verum eſſe quod hanc ſententiam multi philoſophi & Theologi defendant, ſed non niſi acatholici nuper à Thummio ſuperintendente Tubingenſi fortè edocti, qui traducem, de quo infrà, olim à luciferianis hæreticis profeſſam & multis poſthæc ſeculis ſepultam ab inferis revocaſſe primus creditur; Et hanc hæreſin ſequitur etiam, ſicut in quibusvis erroribus & abſurditatibus fieri ſolet, formarum ſine generatione ſubſtantiali multiplicatio, quam nemo orthodoxorum ſive Catholicorum unquā docuit aut comprobavit, ſed velut erroneam & impiam ut mox diffic. 30. dicetur, condemnavit. Negatur itaque conſequentia, & ad confirmationem dico 1. non facilè aliquid craſſius & abſurdius à philoſopho poſſe excogitari, quam animam qualemcunque etiam eſſe communicabilem alteri, quia tam eſt hæc ſententia aliena apud ſaniores philoſophos, ut nunquam vel hujus mentionem faciant, vel in medium eam adferre auſint. 2. temerarium ſe oſtendit Hoffmannus, dum Ariſtotelem, cujus ingenium verè miraculum orbis & naturæ eſt, corrigit maleque ſenſiſſe ſcribit. 3. falſum eſt, hominem eſſe deterioris conditionis in producenda ſua forma quam ſit eqvus, canis &c. quia ſufficit quod producat diſpoſitiones quæ formam ex natura ſua requirunt, cum unionem inter corpus organicum & naturam rationalem: Denique homo non minus in paradiſo accepit benedictionem à Deo quam reliqua bruta, eamque ſemper exercet dum producit diſpoſitiones ad formam humanam convenientes: Non conſiſtit autem benedictio in hoc, quod animal dum ſibi ſimile generat, formam ſive animam ſuæ prolis ex

Derivatio ex traduce.

ex ſua decerptam anima producat, quomodo fit dum ſurculus ab arbore decerptus io terram defoditur & in juſtam magnitudinem excreſcit, ſed quod primum individuum ejus ſpeciei, v.g. primus homo, primus Leo, prima plauta acceperit à Deo virtutem quæ io omnem poſteritatem diſſeminata, in ſubjecto capaci diſpoſitiones producendi, & his mediaotibus formam ex eo eliciendi.

Quintum, defenſores contrariæ opinioois non ſatis tueri ſuam doctrinam, oeque ut par eſt, reſpoodere objectionibus, ergò ſignum eſt, eos malè ſentire. *Reſp.* hoc judicandum eſſe iis qui oon ex proprio affectu loqvuntur, & quorum doctrina ingeoiumq; plura quam Hoffmannus peoetrant.

Sextum, ſemen canis, v.g. eſt actu canis, ergò ejus forma non educitur è potentia materiæ. Antec: ita explicatur, in ſemine canis eſt actus primus qui vocatur eſſeotiæ & qui eſt in ordine ad perfectionem, ad operationem, ad exiſtentiam: Et hic actus ſemper eſt in ſemine canis ad canem, ovi ad gallinam, &c. Itaque ſemen canis hoc modo eſt canis, nec tollitur per hanc ſententiam geoeratio, quia quod eſt primum in actu primo & in potentia formali, fit ſucceſſivè in actu ſimpliciter, & quod organis ſuis deſtitutum eſt, iuſtruitur illis ut operari poſſit, proinde actus primus eſt ipſa eſſentia, ſecundus operationes, & non aliter differunt ſi duo actus ioter ſe quàm homo otioſus à laborante. *Reſp.* hanc eſſe novam & inauditam philoſophiam ad pueros remittendam, ut eam virgis vel baculis è ſcholis excuſſam eò remittant uode primum prodiit. Quis enim quæſo tam ſtupidus eſt inter Philoſophos aut Medicos, qui faciat talem inter eſſentiam & exiſtentiam animæ diſtinctiooem, ut ſit iu aliquo ſubjecto ſecundum eſſentiam noo autem ſecundum exiſtentiam, id eſt, exiſtat imperfectè, incompletè, inadæquate? Quis dicat animam canis eſſe potentiam formalem, id eſt, eſſentiam incipientem vel dimidiatam ſecundum Hoffmannum, cum tameo ea nihil ſit aliud quam alicujus rei naturalis propenſio vel appetitus in eſſe ſuum perfectum? Quis affirmet animam canis procedere io eſſentia ſua ab imperfectione ſua ad perfectiouem? Quis denique auſit docere, animam ſeu formam materiæ uoitam ut ſit juxtà Hoffmannum in ſemine canino, non eſſe ens Phyſicum, perfectum, completum & in eſſentia & in exiſteutia, compleri autem & perfici per organa & operationes, quibus generatio vera abſolvitur? Ad aratrum & boves cum hac ruſtica Philoſophia, quam meritò quisq; rideat: Nam dum anima quæ eſt impartibilis produciturq; ſemper tota in inſtanti, eſt io aliquo corpore, jam corpus hoc formaliter & eſſeotialiter eſt ens completum & compoſitum Phyſicum, neque completur per quicquam aliud niſi quod in eo dicatur vel eſſe in actu 1, vel in 2. in illo quidem dum necdum manifeſtè & adæquatè ſive efficaciter operatur, in hoc autem dum exercet omnes actiones vitales; Sic anima rationalis quæ petrum informat, reverà videt & audit in pede eſſentialiter, ſubſtantialiter & quoad actum primum, quia ubi eſt anima ibi etiam ſunt ejus poteotiæ, noo autem accidentaliter & quoad actum ſecundum, quia deficiunt organa & diſpoſitiooes ad viſum, auditum aliasque operationes requiſitæ. Et ex hactenus dictis formo tale argumentum, ſi ſemen canis, hominis, bovis, &c. Habet actu animam, ſequitur, quisquis profuodit, corrumpit & deſtruit ſemeo canis, hominis, bovis, &c. Hunc verè profundere, corrumpere & deſtruere canem, hominem, bovem &c. Nam ſi anima eſt in ſemine canino, erit informativè, ac proiode ſemeo oon erit amplius ſemen, ſed actu canis completus & perfectus, non perfectibilis per quicquam aliud, quia forma ſive anima dat eſſe & operari. Quod autem doctrina hæc, in ſemine ſcil: canis eſſe animam, falſa ſit, patebit infrà ex diſput: 19. diffic. 14. ubi fusè dicetur nullum ſemeu animalis vivere aut animâ actu proditum eſſe.

An ſemen canis ſit canis.

DIFFICULTAS IX.

An & quomodo formæ ſint communicabiles vel multiplicabiles.

Communicabile eſt, quod aliquid ſui cõmuoicat, ſive illud ſit ſubſtantia ſive qualitas ſive quicquam aliud: Multiplicabile autem eſt quod iu plura dividi poteſt ut, aqua quæ in plures partes ſive guttas eſt diviſibilis. Cæterùm tam communicabile quam multiplicabile variè conſiderari poteſt 1. ut communicatio vel multiplicatio ſit ſubſtantiæ vel accidentis; illud cum panis dividitur, hoc cum calor ad plures partes extenditur, aut etiam in eâdem parte iotenſus multiplicatur, vel aliam ad proximas partes inteoditur. 2. Ut tam communicatio quam multiplicatio fiat cum vel absque diſpendio ejus quod communicat; ſic quando pars panis communicatur alteri, panis non maoet integer, & quando aliquis in alium ſuam derivat artem vel ſcientiam, nihil illi de hac utrâque decedit. 3. Ut communicatio & multiplicatio vel fiat ab iodividuo vel ſpecie vel genere; ab individuo, ſi Petrus communicet alteri ſuam artem muſicam, à ſpecie, ſi homo quà ſpecies eſt, det Petro rationalitatem; à genere denique, ſi tota ſpecies accipiat ſuum eſſe à genere. Jam quæritur, quomodo formæ & animæ ſint multiplicabiles, quandoquidem tot tantisque rationibus & argumeotis ut putant Sennertus, Hoffm: & alii, conantur id affirmare & approbare.

Suppono, formam vel eſſe numericam, id eſt, individualem, quæ ſingulis ineſt individuis ut Petro, Paulo; vel ſpecificam, quæ uni tantum ſpeciei convenit ut anima rationalis homini; vel denique genericam ut anima vegetans quæ ſub ſe multas ſpecies continet ut animas diverſarum arborum, fruticum & plantarum, quod idem

Digitized by Google

idem de anima ſenſitiva intellige, quæ etiam ſub ſe multas ſpecies, ut leonum, boum, canum, &c. Comprehendit.

Forma numerica eſt individ. DICO 1. Forma numerica ut anima Petri, eſt prorſus incommunicabilis & non multiplicabilis. Conſtat ex dictis contrà Sennert; & alios; & ratio eſt quia ſingularis & individua eſt, quia ſuſtantia eſt quæ non ſuſcipit magis aut minus, quæque in ſe nec alterationi ſubeſt nec diviſibilitati; unde quando gignitur leo, arbor, homo, non ita gignitur, ut anima leonis, hominis jam geniti ſit aliqua pars animæ leonis & hominis generantis.

Forma ſpecif. & gener. quomodo ſint multipl. DICO 2. Formæ ſpecificæ & genericæ ſunt communicabiles & multiplicabiles, illæ ſuis individuis ut rationalitas Petro, Paulo; Hæ ſuis ſpeciebus ut animalitas homini & bruto. Hæc concluſio notiſſima eſt apud Dialecticos & conſtat ex ipſius rei eſſentia, quia omnia individua participant formam ſuæ ſpeciei, & quævis ſpecies eſt diviſa per ſua individua, quorum eſſentiâ & exiſtentiâ ipſæ conſervantur: Idem de forma generica intellige, inter quam & ſpecificam aliqui hoc diſcrimen advertunt, quod communicatio generica ſit eſſentialis quia fit per differentias eſſentiales quæ generi ſunt neceſſariæ; Communicatio autem ſpecifica quæ fit individuis, accidentalis eſt ideò quod ſpecies inde nullum gradum eſſentialem participent: Deinde communicatio generica ſemper expletur, quia omnes generum ſpecies ſemper actu exiſtunt; Contra verò fit in communicatione ſpecifica, quia non omnia individua ſimul actu exiſtunt propter Conſtitutionem materiæ quæ non poteſt ſimul omnes formas accipere. Adverte autem, quamvis ſingulis formis in productionis ſuæ primo inſtanti communicetur aliquid eſſentiale, quia datur ipſis tota natura; Hoc tamen non accidere ex aliqua particula animæ vel formæ, cujus eſſe conſiſtit in indiviſibili, ſed ex certo & determinato ſubjecto, ex quo agens naturale cujus potiſſima pars eſt forma, novam formam novumque compoſitum tanquam effectû ſibi ſimilem producere poteſt. Cæterùm quod formæ ſubſt: non ſuſcipiant magis & minus, vide Diſput. 5. Diffic. 7. in antecedentibus.

DIFFICULTAS X.

A quo producantur formæ ſubſtantiales.

QVæſtio eſt de formis materialibus, de quibus variè poteſt intelligi, quomodo Agens naturale earum productionem attingat, an per ſuam formam ſubſtantialem abſque adjunctis accidentibus, an per immediatum influxum, an per conjunctionem cum accidentibus; eſſentialis Sennerti, Hoffmanni & aliorum communicatio jam exploſa eſt.

DICO 1. Agens naturale non attingit productionem formæ ſubſtantialis abſque concurſu accidentium; Ratio eſt quia non eſt ſe ſolo operativum, ideoque data ſunt illi accidentia, quorum miniſterio agat, quod etiam patet ex Ariſt. l. de ſenſu & ſenſi ubi ait ignem, terram aut aliud corpus nihil efficere aut etiam pati niſi quatenus ipſis inſit res contraria. Quod ſi dicas, aquam calefactam reducere ſe ad priſtinum ſtatum per ſolam formam ſubſtantialem; Reſpondetur, id fieri per intermedias Virtutes & diſpoſitiones materiales corporis.

DICO 2. Agens naturale non ſemper influit neceſſariò per ſuam ſubſtantiam immediatè ad productionem formæ ſubſtantialis. *Formæ ſubſt. quomodo producantur.* Hoc patet in multis generationibus viventiū ubi producitur nova forma, quando generans non eſt amplius in rerum natura, ergò tunc non poteſt immediatè concurrere per ſuam formam ſubſtantialem, ſed tantum per virtutem relictam, quæ tamen virtus non operatur niſi ut Inſtrumentum, ſupplente Deo effectum quem Agens naturale efficere debebat.

DICES, hinc ſequitur, quod Deus in omnibus Viventium generationibus effectum ſupplere & formam principaliter producere debeat, quod videtur abſurdum eſſe. Antec. patet, quia Agens naturale etiam adhuc vivens non eſt immediatè conjunctum cum effectu qui producitur, proindeque eadem eſt ratio viventis & mortui, ut patet quando arbor, brutum & homo per ſemen operantur & generant; Cum enim virtus in ſemine relicta non operetur principaliter, reſtat ut effectus qui eſt forma, Deo ſemper cauſam ſecundam ſupplenti aſſcribatur, cum nihil aliud ſuperſit, & generanti tanquam abſenti aſſcribi non poſſit. Ad hanc objectionem vide quæ ſuperiori Diſp. 8. de genet. Diffic. 18. dicantur.

DICO 3. poteſt Agens naturale per ſuam formam ſubſt, immediatè concurrere cum accidentibus ad productionem novæ formæ ſubſtantialis, quando nimirùm præſens eſt alicui materiæ. Hoc manifeſtè videmus fieri quando ignis ligno applicatus immediatè concurrit ad producendum ignem cum calore, ſiccitate, raritate &c. à ſe productis; Et ſimiliter concurrit Deus immediatè quando ſpeciali concurſu ſupplet effectum & vices Agentis naturalis abſentis unà cum diſpoſitionibus & accidentibus, ergò de facto concurrit forma ſubſtantialis agentis immediatè ad productionem recentis formæ ſubſtantialis, cui eſt immediatè conjuncta. Plura vide lib. 2. Diſp. 2. Diffic. ultima.

DIFFICULTAS XI.

An omnes formæ Phyſicæ ſint generabiles & corruptibiles.

HIc rurſum quæritur de formis materialibus quæque de novo per generationem producuntur; Et de his

DICO 1.

DICO 1. Omnes formæ phyſicæ ſunt generabiles, patet hoc experientia, quia videmus omnes formas ab Agentibus materialibus produci, v. g. formam ignis in ligno, formam pulli in ovo, & ſic de reliquis. Prob. etiã ratione, quia ſi formæ non generantur, ſequitur vel eas produci ex nihilo vel eſſe ab æterno; Sed utrumque eſt falſum, ergò nam formæ phyſicæ ſi crearentur, non eſſent phyſicæ, id eſt, ab Agentibus naturalibus nec per motum phyſicum nec ex ſubjecto phyſico productæ. Sed nec poſſunt eſſe ab æterno, quia hoc modo nulla daretur generatio rerum naturalium, rueten tque omnia quæ habet Ariſtot. l. 1. phyſicorum.

Formæ materiales ſunt corrupti.

DICO 2. Omnis forma phyſica eſt etiam corruptibilis. Prob. 1. quia videmus paulatim ſubjecta & compoſita cum ſuis formis perire & emergere novas, idque per mundanas viciſſitudines, nec eſſe rem ullam phyſicam, quæ hactenus à corruptibilitate immunis remanſerit. Prob. 2. ratione, compoſita phyſica ſunt corruptibilia, ergò etiam eorum formæ, quia non poſſunt naturaliter deſtructo compoſito reſervari. Antec. Prob. quia 1. compoſita habent materiam quæ eſt fundamentum corruptibilitatis vel in qua eſt potentia contradictionis ad eſſe & non eſſe. 2. Quia aliquando cæperunt eſſe. 3. Quia conſtant contrariis in ſe mutuò agentibus. 4. Quia ab agentibus naturalibus producuntur, &c. Ergò neceſſariò forma eſt corruptibilis, & aliquando deſinet: Et confirm. quia niſi formæ phyſicæ corrumperentur, nullæ fierent rerum novarum generationes, quia non poteſt fieri generatio & novę formæ productio, quin prius adſit ſubjectum in quo recipiatur, & è quo prior forma deſinit: Et hinc notum eſt illud ex Ariſtot. 3. Phyſ. c. 8. & 1. de gen. cap. 3. Corruptio unius eſt generatio alterius & contrà, quia videl: una eſt materia quæ non abjicit formam quin recipiat aliam cum non poſſit naturaliter abſque forma exiſtere, quæ que nullam recipere poteſt, niſi abjecerit priorem, cum naturaliter non poſſit plures totales & non ſubordinatas ſuſtentare. Et hinc colligitur, quamvis anima rationalis ſit etiam forma phyſica quia verè facit & conſtituit compoſitum phyſicum; Hic tamen eximi & excludi è numero formarum phyſicarũ, adeòque nec eſſe generabilem, quia creatur à Deo, nec Corruptibilem quia eſt immaterialis & ſpiritualis, in quam non habet vim ullam agens aliquod creatum.

DICES, nec materia generatur nec forma ſed compoſitum ut habet Ariſt. 7. Met. cap. 8. ergò nulla forma eſt corruptibilis. Reſp. formam non generari ut quo negatur, quia ejuſmodi terminus eſt forma; Vt quod conceditur, quia hoc eſt totum compoſitum.

DIFFICULTAS XII.

Quales diſpoſitiones concurrant ad introducendam formam.

ADverte, diſpoſitiones alias præcedere formam ejuaque introductionem, alias verò cum forma ſimul incipere; ſic enim quando v. g. ignis calorem in aquam vel aeris vel ignis formam eliciendam inducit, calor ille qui primò inductus ad novam vel aeris vel ignis formam diſponit, eſt diſpoſitio formam præcedens, qui verò formam novam in puncto generationis conſequitur & cum eo manet, dicitur diſpoſitio conſequens. Jam quæritur, quomodo hæ diſpoſitiones concurrant, an omnes efficienter.

Diſpoſitiones quomodo concurrant ad formã introducendam.

DICO 1. diſpoſitiones formam antecedentes, ſive in puncto generationis maneant ſive pereant, concurrunt efficienter ad formã introducendam. Prob. 1. ſunt inſtrumenta agentis naturalis vel generantis, per quæ actione phyſica producitur forma, ergò efficienter. 2. hæ diſpoſitiones in ſe & ex natura ſua ita conſtitutæ ſunt, ut tanquam agentia realia phyſica producant effectum, imò ad hoc determinatæ ſunt, ut efficienter influant in effectum, ergò ad formas materiales & adanimam quoque rationalem in materiam introducendam activè concurrunt.

DICO 2. diſpoſitiones quæ cum forma incipiunt, non concurrunt efficienter ad ejus formæ introductionem. Prob. 1. qualitates & diſpoſitiones quæ præcedunt formam introducendam, ſufficientes ſunt ut ſubjectum præparent ad novam formam, ergò ſuperfluæ ſunt illæ quæ cum nova forma incipiunt informare. 2. tales diſpoſitiones producuntur à Generante vel Agente naturali, à quo producitur forma, à qua ſicut ipſæ potentiæ emanant, ergò 3. ſequeretur formam eſſe cauſam ſuipſius, quia cauſaret id à quo ipſa cauſaretur quod eſt abſurdum. Adverte tamen, has diſpoſitiones eſſe priores ipſa forma in genere cauſæ materialis non formalis aut ratione perfectionis quæ eſt tota forma. Nam illæ diſpoſitiones concurrunt ex parte materiæ ad novam formam, quia ita reddunt materiam capacem ad formam recipiendam, ut ſine ipſis etiam non poſſit fieri hujuſmodi nexus & copulatio; Et quia materia prior eſt forma, etiam hæ diſpoſitiones aliquo modo præcedunt formam. Ut autem res tota declaretur exemplis, aqua v. g. antequam in ignem convertatur, duplices in hac generatione ignis & corruptione aquæ reperiuntur diſpoſitiones; Nam primæ quæ aquam paulatim corrumpunt & ad formam ignis diſponunt, ſunt calor, raritas, levitas, ſiccitas remiſſæ, quarum aliquæ efficienter agunt ut calor, quædam eum conſequuntur ut raritas, levitas &c. Quæ autem cum forma ignis ſimul incipiunt, ſunt eædem qualitates ſed intenſæ quatenus ſunt veluti proprietates ignis quem complent; Et hæ ipſæ non concurrunt efficienter ad introductionem formæ, niſi cum præſente priori formâ erant remiſſiores, quo tempore & formam aquæ deſtruebant & ad formam ignis diſponebant. Sic dum homo gignitur, diſpoſitiones præcedentes ſunt virtutes & qualitates ſeminis, tum

nis, tum partium organicarum pulchra debitaque formatio, ſitus, connexio, homidique radicalis apta diſtributio, quarum aliquæ licet ex ſe paſſivæ ſint, efficaciter tamen requirunt formam ſive animam humanam; Quæ verò cum hac incipiunt, ſunt omnes quæ ſpectant ad perfectionem & complementum hominis jam viventis; Et hæ dicuntur efficienter fieri à generante, id eſt, ab eo qui formam priorem expulit gignitque hominem, emanare autem à forma cujus ſunt proprietates.

DIFFICULTAS XIII.

An & quæ formæ ſint extenſæ ſeu diviſibiles.

NOn quæritur hic, an formæ extenſæ ſint vel diviſibiles in partes phyſicas ut in materiam & formam, vel in metaphyſicas ut in genus & differentiam, ſed an in partes integrantes & extenſas ita dividantur, ut ſicut materia ita & formæ habeant partes quæ partibus quantitatis correſpondeant.

Adverte, formas ſubſtantiales de quibus hic ſermo eſt, vel eſſe rerum inanimatarum cujusmodi ſunt elementa cæteraque mixta, vel animatarum ut ſunt vegetabilia, ſenſitiva & rationalium homo: Et circa horum omnium formas 4. hactenus extiterunt opiniones, duæ videl. extremæ & duæ intermediæ: Una extremarum voluit omnes formas eſſe diviſibiles, quam Platonis fuiſſe ſcribit Marſ. Ficinus lib. 1. de Plat. Theologia c. 3 & l. 8. c. 1. Altera in contrarium eſſe indiviſibiles, & hujus defenſores commemorat Sixtus Senenſis l. 1. Biblioth. ſanct. annot. 8. Tertia intermedia docet, non tantum formas ſubſt. rerum inanimatarum, ſed etiam rerum animatarum excepto homine eſſe diviſibiles. Quarta denique vult, indiviſibiles eſſe formas tam hominum quam animalium perfectorum.

Nulla forma per ſe eſt extenſa. Dico 1. Nulla forma, qualiſcunque ea ſit, per ſe eſt diviſibilis & extenſa. Prob. quia diviſibilitas & extenſio ſunt affectiones propriæ quantitatis, ergò non poſſunt pertinere ad formam niſi per accidens, ſcil. propter quantitatem. Confirm. quicquid recipitur in ſubjecto quanto, hoc ideò eſt extenſum & diviſibile, quia eductū eſt è potentia illius ſubjecti & productum in eo diviſibiliter, tum etiam quia ab eo prorſus dependet; Sed omnes formæ materiales ita ſunt conſtitutæ, ergò non per ſe ſed ratione quantitatis adeòque per accidens ſunt extenſæ & diviſibiles; Major patet, quia alias nulla eſſet ratio, quare aliqua forma ſubſt. vel accidentalis eſſet diviſibilis.

Formæ rerum inanimatarum ſunt diviſ. DICO 2. omnes formæ rerum inanimatarum ſunt extenſæ & diviſibiles ſicut materia. Ratio prima eſt, quia penitus ſunt immerſæ in materia. 2. Ita educuntur è potentia materiæ, ut hæc pars formæ reſpondeat huic parti ſubjecti, altera altera & ſic deinceps. 3. Sunt formæ corporum adæquatè homogeneorum, ita ut unâ parte eorum avulsâ avellatur etiam pars formæ, ſicut fit dum aqua dividitur. Cum enim dividitur, utrobique eſt aqua cum ſua forma ſubſtantiali, quod ſignum eſt eſſe diviſibilem.

Etiã plantarum & animalium imperfect. DICO 3. Animæ plantarum, inſectorum aliorumque animalium imperfectorum ſunt diviſibiles. Prob. quia animæ horum viventium ita educuntur è potentia materiæ, ut pars è parte & totum à toto educatur, ergò manifeſtum eſt eas eſſe diviſibiles, quod inde vel maximè confirmatur, quia horum animæ ita conſervantur, ut pars dependeat à parte & totum à toto. Nam cum ejusmodi corpora ſecamus, ſemper poſt ſectionem & diviſionem videmus & deprehendimus motum, ſenſum aliasque actiones vitales in utrisque partibus, & hoc non tantum ad tempus breve ſed etiam ad longum ſubinde, ne quis putet, id ſolummodo beneficio caloris & ſpirituum vitalium fieri, ergò etiam conſequenter & animam & vitam, & quod maximum eſt, animarum diviſibilitatem. Jam ad punctum difficultatis, quæ formas & animas animalium perfectorum concernit, Reſpondeo &

Formæ animalium perfect. ſunt diviſ. DICO 4. Duas hactenus fuiſſe celebres opiniones, quarum prima vult eſſe diviſibiles, altera indiviſibiles. Argumentum primum primæ opinionis eſt, illud quod penitus immerſum eſt materiæ & ex ejus potentia eductum, debet eſſe quantum & diviſibile; Sed ita eſt cum omnibus formis materialibus, ergò minor certa eſt, quia ideò pereunt & corrumpuntur formæ materiales, quia ita addictæ ſunt materiæ, ut ab ea in eſſe, fieri & conſervari dependeant. Prob. major, quia quod eſt immerſum materiæ & ex ejus potentia eductum, ita ſequitur conditionem ipſius materiæ, ut una pars ex una parte materiæ, & alia ex alia parte educatur, ergò quod educitur è potentia materiæ, debet eſſe quantum & diviſibile, quia non videtur probabile, quod anima v.g. leonis educatur tota è qualibet parte materiæ, ſed potius tota ex toto ſubjecto, & quælibet ejus pars ex quolibet hujus parte. Argum. ſecundum eſt, non poteſt intelligi, quomodo v. g. anima bovis ſit indiviſibilis & tamen non ſpiritualis, ergò cum omnium perfectorum animalium animæ non ſint ſpirituales, ſignum eſt eas eſſe diviſibiles & quantas. Ad Argum. primum reſpondet pars contraria breviter, formas phyſicas accidentales ita immerſas eſſe materiæ ejusque addictas, ut omninò ejus conditiones ſequantur, non autem ſubſtantiales; Nam anima v. g. leonis non dependet & conſervatur ſecundum ſuas partes à partibus ſubjecti ſed à toto; Similiter tota præexiſtit potentiâ in unaquaque parte materiæ & tota de qualibet parte educitur,

Digitized by Google

non tamen ut de toto perfectibili, ſed ut de eo cui tota reſpondere poſſit dum corpus informat. Ad arg. 2. Reſp, quamvis omnes ſubſtantiæ ſpirituales ſint indiviſibiles, non tamen contrà indiviſibiles ſunt ſpirituales, quia illa tantum ſubſtantia dicitur & eſt ſpiritualis quæ ita inſectilis eſt, ut ſit immaterialis, id eſt, poſſit exiſtere extrà materiam quod de formis materialibus dici non poteſt. Secundæ opinionis arg primum eſt, formæ diviſibiles habent partes, quæ ſingulæ in fieri & conſervari dependent à partibus ſubjecti; ſed tales non ſunt animæ perfectorum animalium, ergò major eſt manifeſta, quia omnis forma diviſibilis ita educitur è potentia materiæ, ut pars è parte & tota educatur è toto quod non fit in animalibus animalium perfectorum. prob. minor, quia formæ animalium perfectorum nunquam conſervantur in parte ſed tantum in toto, ergò in conſervari non dependet pars è parte, ergò neque in fieri, quod prob. experientia, quia quando ſecantur animalia perfecta in partes, nunquam illæ notabili aliquo tempore retinent vitam, ergò veriſimile eſt, eas formas dependere à diſpoſitionibus partium ſubjecti. Arg. ſecundum deſumitur ex Ariſt. 1. de gen. c. 5, ubi dum agit de accretione animalium perfectorum, ait hanc fieri manente eodem quod augetur, ſecundū partes formales & non materiales, quia ſcil. non ſemper eadem manet materia ſicut forma ergò animæ tales ſecundum Ariſt. ſunt indiviſibiles, quia aliàs cum materia mutarentur.

Sunt indiviſibiles.

Ad arg. 1. reſpondent aſſertores primæ opinionis, formas quidam animalium imperfectorum reſpicere non tantum totam materiam ſed etiam partem ut perfectibile, non tamen formas perfectorum, quæ etiam ideò nō poſſunt conſervari in parte: Nam quò forma perfectior eſt, eò etiam majorem & perfectiorem apparatum organorum requirit ut in corpore conſervetur; Et hinc mirum non eſt ſi factâ diviſione organorum quæ locis certisq; ſedibus inter ſe diſtincta non ſunt, ipſa ſtatim pereat. Itaque ex hoc quod animæ perfectorum animalium partem materiæ ſeorſim informare non poſſint, non benè colligitur eas indiviſibiles eſſe, ſed tantum hoc quod ſint formæ nobiliores & perfectiores. Ad arg. 2. reſpondetur, dum leo v. g. nutritur & augetur, manere ſemper eundem quoad formā & non quoad materiam. quia & leo & quicquid creſcit, ſemper manet idem ſecundum rationem ſpeciei, cujus formam & non materiam ſemper retinet, adeoque Ariſt, non tantum de ſolis animalibus perfectis, ſed etiam de omnibus in univerſum rebus phyſicis locutus fuit. Cæterùm ex his opinionibus quæ ſit probabilior, quisque iudicet eligatque ſibi quam velit, licet prima ob argumenta efficaciora & quibus non facilè ſatisfieri poſſit, videatur probabilior; nam accedit & hoc argumentum ſatis validum, ſi v. g. abſcindatur pes leoni, ſtatim corrumpitur, ergò perdit animam; quæro quomodo perdat; vel enim tota anima corrumpetur, cum tota eam partem informaverit, quod per ſe abſurdum, vel reducit ſe ad partes remanentes; ſed illæ jam tum ſufficienter informatæ ſunt, & naturaliter forma materialis non migrat de ſubjecto in ſubjectum; vel denique deſinit informare partem abſciſſam eo modo quo de anima rationali dicitur, in quo tamen diſpar eſt ratio, quia hæc informat corpus independenter ab illo & exiſtere poteſt ſine ullo corpore, illa autem informat dependenter & proinde idem eſt in illa deſinere informare partem & deſinere eſſe; licet enim diſtinguamus ratione eſſe & informare, à parte tamen rei idem eſt animæ materialis eſſe & informare, quia nullo modo exiſtere poteſt & non informare; hoc ipſo ergò quod deſinit informare, etiam deſinit eſſe. Quæ de vera &: propriè dicta indiviſibilitate animæ rationalis ſuperſunt, vide in fine hujus diſputationis.

DIFFICULTAS XIV.

An forma ſit prior & nobilior quam materia.

SUppono, materiam eſſe priorem formâ in genere cauſæ materialis, formam autem in genere cauſæ efficientis, vel ut habet Pererius l. 6. phyſ. c. 4. de forma, materiam eſſe priorē ordine generationis & temporis, formam autem ordine perfectionis & intentionis, quomodo actus dicitur prior forma,

DICO, forma eſt præſtantior & nobilior quam ſit materia prob. 1. ſemper agens eſt præſtantius quam ſit paſſum; ſed forma eſt Agens & paſſum eſt materia, ergò forma eſt præſtantior & nobilior. 2. illud eſt nobilius quod perficit quod conſtituit rem in eſſe & certa ſpecie facitque differre ab omnibus aliis, quam quod eſt perficibile habetque ſe inſtar puri ſubjecti; ſed ita ſit cum forma & materia, ergò. prob. 3. Ex Ariſt, qui multis in locis præſtantiam & nobilitatem formæ tribuit, ut 1. & 2. phyſ. tum 7. & 9. metaph. ubi formam vocat divinum quippiam eamque expeti à natura veluti bonum & pulchrum à turpi, eſſe magis Ens &c.

DICES 1. materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis, contrà autem forma, ergò hæc eſt ignobilior. Reſp. materiam ideò eſſe incorruptibilem, ut conſerventur in univerſo rerum ſpecies, & ne per recedentes formas opus ſit novam ſemper creare materiam; hinc quia materia non eſt incorruptibilis propter ſuam perfectionem ſed ut ſit commune ſubjectum formarum, ideò negatur ex ſua hac incorruptibilitate eſſe nobiliorem formâ. Deinde forma & materia non ſunt ejusd. ordinis & rationis, quomodo forma cæli quæ eſt incorruptibilis, non eſt præſtantior quam ſit forma equi, quia hæc eſt vivens illa non.

DICES 2. materia habet exiſtentiam à ſe,

for-

forma à materia, ergò. Reſp. exiſteotiam formæ eſſe ſpecificam perfectam & abſolutam, materia autem pet formam eſt determinabilis & perfectibilis.

DICES 3. Materia habet Ageus nobilius, Deum ſcil: à quo producatur, forma autem Agens naturale, ergò hæc eſt ignobilior. Reſp. neg. conſeq. quia materia non producitur per ſe & propter ſe, ſed propter formas quibus perficiendum eſt univerſum; Finis enim nobilior eſt quam ea quæ diriguntur ad finem. Et hinc colligitur, quamvis materia ſit pars conſtitnens compoſitum, ac proinde etiam natura ſicut forma; hanc tamen præſtare quia eſt principium activum.

DIFFICULTAS XV.

An forma ſit prior & præſtantior quam compoſitum.

CIrca partem ſecundam hujus difficultatis duæ ſunt opinioues apud Phyſiços. Prima docet compoſitum eſſe formâ nobilius propter ſequentes rationes, quarum prima eſt, quod compoſitum ſit quid completum & in ſpecie conſtitutum, non forma. 2. Quod compoſitum per ſe generetur, per ſe ſubſiſtat & per ſe operetur, non forma. 3. Quod compoſitum plus contineat quam forma, quia cõtinet & formam & materiam. 4. Quod anima rationalis ideò cupiat uniri corpori dum eſt ſeparata, qnia præſtantius eſt eſſe hominem quam formam ita ſolam & incompletè exiſtere, unde etiam quælibet res conatur ſe cooſervare in ſtatu ſuo completo & perfecto. & quævis forma maoere cum materia. Secunda docet, formam eſſe præſtantiorem eò quod compoſitum ſit perfectum propter formam juxta illud, propter quod unumquodque eſt tale, illud eſt magis tale; ſed propter formam eſt compoſitum perfectum, ergò ipſa perfectior erit & nobilior.

DICO 1. Forma prior eſt compoſito prioritate naturæ nòn temporis. Prob. 1. pars, quia omnis cauſa ordine naturæ prior eſt ſuo effectu; Sed forma eſt cauſa ſui compoſiti tanquam effectus, ergò etiam erit prior naturâ quam ſit compoſitum: Et hoc modo etiam ſimplex eſt prius cõpoſito & pars toto. Prob. 2. pars, quia non poteſt forma ſe ſola naturaliter exiſtere, ergò non poteſt exiſtere ante compoſitum, ergò tempore ſimul erunt. Et ſic videmus omnes res naturales & artificiales ſimul exiſtere cum ſuis formis.

DICO 2. Forma per ſe & ſeparatim conſiderata ignobilior eſt quam ſit compoſitum. Probatur omnibus iis argumentis, quibus nobilitas & præſtantia compoſito aſſcribitur, ad quem ſenſum etiam eſt accipiendum illud Philoſophorum axioma, propter quod unumquodque, &c. Deſumptum ex Ariſt. 1. poſt. c. 3. propè finem & repetitum 2. Metaph. c. 4. Et hinc

DICO 3. Forma conjuncta cum materia eſt æquè nobilis & præſtans quam ſit compoſitum. Ratio deſumitur ex dictis, quia videl. forma hoc modo conſiderata nihil aliud eſt quam ipſum compoſitum, ergò inter utrumque eadem intercedet nobilitas & præſtantia.

DIFFICVLTAS XVI.

An & quomodo plures formæ poſſint eſſe in eâdem materia.

NOn eſt hic quæſtio, an cum forma totali poſſint eidem materiæ ineſſe formæ partiales aliæque ſubordinatæ, quia hoc verum eſſe patebit infrà. Nec quæritur an materia in diverſis locis poſita poſſit informari diverſis formis ſubſtantialibus, quia id eſt extrà controverſiam. Nec etiam ſeuſus quæſtionis eſt, an eadem materia in uno loco diverſas formas accidentales habere poſſit, quia conſtat in eadem parte materiæ eſſe calorem, colorem, humorem, raritatem, quantitatem, &c. Nec deniqne Difficultas eſt, an plures materiæ poſſint ſimul & ſemel unica forma divinitus informari, quia certum eſt apud Philoſophos 1. virtute divina poſſe idem numero corpus pluribus in locis collocari eâdemque formâ informari, v. g. corpus Petri in diverſis locis multiplicatum eâdem animâ rationali. 2. Conſtat non repugnare ut Deus conſervet animam in capite aut manu avulſis & ſeparatis à toto. Quæritur itaque an duæ formæ totales non ſubordinatæ poſſint ſimul & ſemel eſſe in eâdem parte materiæ eamque informare.

DICO 1. Duæ formæ ultimatæ totales non poſſunt naturaliter eand. materiam informare. Eſt contra Avic: & quoſdam alios, qui non tantum in corporibus homogeneis ſed etiam in heterogeneis præter formam, quæ per generationem naturalem in materiam inducitur, aliam corporeitatis admiſerunt, vel etiam tot quot exiſtunt gradus eſſentiales ſive attributa eſſentialia, v. g. formam entis, ſubſtantiæ, corporis viventis &c. Prob. Conclusio 1. quia diverſæ formæ requirunt diverſas diſpoſitiones, quæ ſe mutuò ex eodem ſubjecto expellunt & formam corrumpunt; ſed ſi darentur duæ formæ in eâdem materia, expellerent ſe mutuò & corrumperent, ergò dari non poſſunt. 2. Si in eâdem materia eſſent plures formæ ſubſtantiales totales, compoſitum hoc non eſſet in aliqua certa ſpecie conſtitutum; ſed hoc fieri non poteſt naturaliter, ergò nec illud. Major prob. quia forma dat eſſe & unitatem. 3. In homine non poſſunt eſſe plures animæ, ergò minus in igne, aqua vel alio quovis corpore homogeneo plures formæ. Quod autem non dentur vel forma corporeitatis vel tot formæ quot prædicata eſſentialia, manifeſtum eſt, quia quælibet forma totalis & ſpecifica quæ dat eſſe & unitatem, dat ſimul gradus eſſentiales, v. g. forma ignis dat igni quod ſit Ens, ſubſtantia, corpus, &c.

Forma ſpecifica dat unitatem & omnes gradus eſſentiales.

In Chriſto duæ ſunt naturæ.

DICO 2. Virtute Dei poteſt una materia à duabus formis totalibus informari. Ita docent communiter Philoſophi & Theologi, & prob. quia poſſunt eſſe duæ naturæ in Chriſto, uti de facto ſunt, ergò etiam duæ formæ in eâdem materia. Deinde nulla eſt contradictio quod prob. ſi enim aliqua eſſet, eſſet hæc quod una natura eſſet alia & poſſet una de alia prædicari dicendo, ignis eſt lapis & contrà, & tamen una non eſſet altera nec una de altera prædicaretur, quia eſſentia lapidis non eſt ignis; Sed hæc non eſt contradictio, quia licet eandem materiam informent forma lapidis v. g. & forma ignis, non tamen eſſet una integra natura, proinde non eſſet una utriusque forma, nec prædicarentur de ſe invicem.

Eandem naturam poteſt informare divinitus forma lapidis & ignis.

DICES, in ferro candente duæ ſunt formæ ſubſtantiales totales naturaliter, ergò. Reſp. neg. antec. quia imprimis in ferro candente non eſt ubique forma ignis, ſed calor intenſus, ſicut etiam in ligno. Deinde ubicunque eſt forma ignis, ibi deficit forma ferri, ligni; Reperitur autem forma ignis tantum in poris ferri, in quibus exhalationes convertit in ſubſtantiam ignis, & quia undique puris ferrum conſtat.

DIFFICVLTAS XVII.

An in eodem compoſito præter formam principalem ſubſtant. dentur aliæ ſubordinatæ & quales.

ADverte, formas ſubordinatas ita dici, quod ſubordinentur alicui ſuperiori cum qua ſunt compatibiles, ut patet de formis partialibus & de forma mixti, quæ ſunt in embryone ante adventum animæ eâque recedente permanent.

Non ſunt tot formæ quot prædicata eſſent.

DICO 1. in nullo compoſito tot ſunt formę ſubſtantiales à ſe invicem diſtinctæ, quot prædicata eſſentialia. Ratio prima eſt, quia daretur ſingulare aliquod individuum pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ, quod tamen ſub nulla ejus ſpecie contineatur; Hoc falſum eſt, ergò & illud. Prob. ſeq: quia poteſt Deus eam formam ſolam quæ Petrus v. g. ſubſtantia eſt, conſervare in materia reliquis omnibus extinctis, quo facto erit Petrus hæc ſubſtantia, & tamen neque vivens neque rationalis, nec aliquid reliquarum ſpecierum, cum ponamus nullam ei ineſſe formam à qua aliquod tale prædicatum accipiat. 2. Forma qua Petrus conſtituitur homo, eſt ſubſtantialis ex ſuppoſitione, ergò per eam accipit eſſe ſubſtantiale, quid igitur opus eſt fingere aliam diſtinctam à qua eam denominationem ſortiatur. 3. Eſt, ſicut forma dat eſſe, ita etiam dat unitatem, ergò ſi plures ſint, compoſitum non erit unum ſimpliciter & per ſe, quia quælibet forma de ſe ſufficiens eſt facere unum per ſe. 4. Angelus habet plura prædicata eſſentialia per eandem ſingularem naturam, ergò idem de compoſitis materialibus intellige.

Dantur formæ partiales.

DICO 2. Dantur in compoſito reverà formæ, quæ uni ſuperiori & ſpecificæ ſubordinantur quæq; cum illa compatibiles ſunt. Ratio eſt, quia dantur in animali formę partiales ſubſtantiales præter animam, datur etiam forma mixti in Embryone ante adventum animæ rationalis, quæ etiam eâ accedente & recedente remanet ut patet in cadavere. Si quæras quæ ſit neceſſitas hujusmodi formarum. Reſp. &

DICO 3. Formæ ſubordinatæ vel ſunt ſubſtantiales ut forma mixti, formæ elementorũ ſecundum aliquos & formæ partiales; vel accidentales ut qualitates tam primæ quam ſecundæ. Si de prioribus ſermo ſit, vel inſerviunt hæ formæ velut quædam diſpoſitiones ad aliquam ſuperiorem ut forma mixti quæ prius eſt in ſemine & ſanguine animâque accedente nõ evaneſcit quia nihil eſt à quo expellatur animaq; cum hac ſuperiori compatibilis; vel faciunt diſtinctionem particularem viſcerum & membrorum ut carnis, oſſis, nervi, ut ſunt formæ partiales; vel conſtituunt corpus in aliquo eſſe completo dum anima recedit, ut fit in cadavere, ubi ſuperior anima receſſit, nemo aliam formam induxit, & tamen cadaver in eſſe completi corporis conſtituitur, ſcil. per formas partiales; vel denique ut materia ſit capax recipiendi alias formas ad quas determinatur vel fit habilis per formam mixti, quæ interea ſemper cum ſuperiori eſt compatibilis. Si de poſterioribus, id eſt, de accidentalibus loquamur, conſtat ex tota naturali Philoſophia, has eſſe diſpoſitiones, quæ primò dentur ſubſtantiæ in complementum eamque in ſubjecto conſervent, ut ſunt proprietates, virtutes vel potentiæ, quæ 2. tam ad introductionem quam expulſionem formarum ſuperiorum concurrunt, ut patet in calore & ſiccitate, quæ formam ex aqua pellunt ignemque introducunt, & quæ 3. extrinſecus hominem afficiunt ut craſſities, durities, raritas, calor, &c.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quid ad argumenta contraria Sennerti reſpondendum ſit.

ADverte, eſſe hæc argumenta Sennerti Medici hypomn. 5. cap. 2. Non tam ad aſtruendas formas ſuas ſubordinatas, quam ad confirmandam ſuam opinionem de formarum productione: Et loquitur non de formis rerum inanimatarum, nec de accidentalibus, quæ propriè ſunt diſpoſitiones ad formas totales ſubſtantiales, ſed de formis viventium, or plantarum, inſectorum, animalium perfectorum & ipſius hominis. Et quia pro fundamento habet, Deum dediſſe in primo ſtatim mundi exordio talem tantamque benedictionem viventibus, ut ſe citrà eductionem formarum è potentia materiæ propagent; ideò conſequenter docet non tantùm formas ſuperiores ut leonis, canis, hominis, ſed etiam ſubordinatas v. g. Vermium, Cimicum, Scarabæorum, &c. ex ſe fundere & producere aliam formam vermis, &c. Proindeque dum in homine producitur pediculus, vermis, in cadavere ſerpens, buffo, in ſtercore aquino

Scara-

Digitized by Google

ſcarabæus, in ligno putrido, cimex, eruca &c. præfuiſſe ſimilium animas eo modo quo Diff. 8. videre licet, Ejus Itaque

Argumentum 1. eſt, videri conſentaneum in corporibus viventibus eſſe pluras formas ſubordinatas quæ ſint quaſi miniſtræ ſuperioris, &c. Reſp. nullas dari formas ſubſtantiales ſubordinatas præter formas partiales, mixtorum & Elementorum ſecundum aliquas, & has cum accidentibus ſolas diſponere materiam vel ad conſervationem præſentis formæ vel ad introductionem novæ ſuperioris. Et ad quid anima vermis, muſcæ aut ſcarabæi in cerebro hominis vel Doctoris?

Argumentum 2. Eſt, hanc doctrinam non eſſe novam, ſed jam dudum eum ab aliis tum à Scalig: exerc. 59. ſ. 2. fuiſſe edoctam. Reſp. ſanam veramque de formis ſubordinatis doctrinam non eſſe novam ſed eam quæ eſt Sennerti; Et ideò priorem probat, non hanc novam Scaliger; Nam ut de aliis taceam, ipſe loco cit: nihil aliud vult quam omnia viventia gignere ſe mutuò, dando eſſe per virtutem à ſe communicatam & non per eſſentialem formatum ſive animatum communicationem, quod aſſerere pudori ipſi fuiſſet.

Argumentum 3. juxtà optimos Authores remanent in contritis cimicibus rudimenta, & in cadavere vel plantis formâ ſpecificâ abolitâ ſupereſt non tantum craſis ſed etiam forma ſubſtantialis tanquam occultarum facultatum principium; Et hoc de omnibus formis tam animatis quam inanimatis intellige. Reſ. falſum eſſe in contritis cimicibus remanere formas ſubſtant. Cimicum quæ deinde repullulent, quia alias formaliter eſſent Cimices, ſed adeſſe quaſdam diſpoſitiones & accidentia quæ potius ſuo tempore ad formam Cimicum quam pulicum aut etiam Elephantis determinent. Quid ſit illud, quod in planta areſcente tot virtutum & effectuum Author remaneat, lis eſt inter viros magnos, ſitne aliquid diſtinctum à forma ſubſtant. necne; Affirmativam potiores ſentiunt, quia ajunt virtutes illas non ſtatim cum forma ſubſt. perire, ſed multo tempore remanere & paulatim cum temperamento debilitari & evaneſcere; Vide de his l. 2. Diſput. 20. de qualit. virtualibus Diffic. 5.

Argum. 4. hæ formæ ſubordinatæ præſente ſuperiori ad materiam pertinent; eâ verò recedente fiunt ſpecificæ funguntúrq; officio quo prius carebant; Et hoc patet in veſpis, ſcarabæis, &c. Quæ habebant prius rationem materiæ non formæ. Reſp. verum eſſe, quod formæ ſubordinatæ de quibus loquitur Sennertus, ad materiam pertineant, antequam fiant ſpecificæ, id eſt, eſſe in pura potentia materiæ antequam ex ea educantur; Nam formæ muſcæ, vermis, ſcarabæi antequā producantur, planè nihil ſunt ſui, ſed primum è ſordibus putriq; per agentia naturalia educuntur.

Argum. 5. malè objicitur, in homine præter formam ſpecificā eſſe vermes vel alia animalcula, cum non inſint ad modum animæ, nec fungantur ejus officio, nec animent materiam nec ullas operationes exerceant, niſi cùm pri^a anima & forma principalis recedit. R. non malè ſed benè objici; dum enim anima eſt præſens materiæ, etiam eandem informat, dat eſſe entis completi, dat gradum viventis, operatur vitaliter, niſi tantum aſſiſtat materiæ, quod tamen de anima materiali & per ſe corruptibile abſurdum eſt dicere; Quando verò exiſtunt diſpoſitiones ſolæ ad animam vermis, tunc eſt in ſola potentia materiæ.

Argum. 6. non tantum plantæ ſed etiam inſecta in alienas ſpecies degenerant, ut ſiligo in triticū, Eruca in papilionē, hic in bombicē &c. ergò neceſſum eſt, eorum animas tanquā ſubordinatas præfuiſſe in materia. R. omnia Exēpla tam inſectorum quam vegetantiū quę in ſe mutuò videntur transmutari, nihil ad rem facere. Nam hæc omnia imperfectæ ſunt ſpecies, vel certè ſi quæ in iis im̄utationes accidūt, non ſuperant rationem accidentium, ut patet in Eruca, quæ dum in papilionem & bombicem abit, accidentaliter tantum immutatur, quod idem de fæmina intellige quando in virum tranſit. Siligo ut multorum fert opinio, non diſtinguitur ſpecie perfectâ & completâ à tritico, ſed tantum accidentaliter, quod idem de multis aliis ſive plantis ſive ſeminibus & fructibus vero ſimile eſt.

DIFFICULTAS XIX.

An & quomodo formæ materiales corrumpantur.

Omiſſis hic iis quæ apud Philoſophos de rerum naturalium & maximè de formarū inceptione & deſitione diſputari ſolent.

Adverte 1. corruptionem formaliter non eſſe actionem aut mutationem poſitivam. Ratio, quia mutatio habet terminum à quo & ad quem, qualem utrumq; corruptio non habet; nam quod corrumpitur, non exiſtit ſub termino ad quem, quia deſiit eſſe; Quod ſi tamen ea etiam dicantur mutari quæ corrumpuntur, intelligendum eſt non propriè aut per ſe 1. ſed ratione materiæ quę ſub utroq; termino manet. 2. Eſſe corruptibile, nihil aliud ſignificare quam naturaliter eſſe à materia ſeparabile, quia aliàs poterit aliquid ſe ſolo independenter ab alio exiſtere & operari.

DICO 1. nulla forma materialis (de immateriali per ſe patet) propriè corrūpitur. Prob. 1. id propriè dicitur corrumpi quod mutatur aut alteratur; ſed hoc de formis materialibus dici non poteſt, ergò. Neque dicas calorem mutari & alterari; quia gradus aliquis caloris aut frigoris tantum accidit & deſinit. 2. Corruptio eſt mutatio totius; ſed totum non eſt forma, ergò non corrumpitur; Vnde colligitur ſolum compoſitum propriè corrumpi. quia in hoc fiunt omnes mutationes & alterationes.

Forma materialis propria nō corrumpitur.

Solum cōpoſitū corrumpitur.

DICO 2. Nulla forma materialis annihilatur, Prob. quod annihilatur, non deſinit naturaliter, ſed deſinit ſimpliciter propter ſubtráctionem concurſus divini;

Digitized by Google

ſed hoc de formis materialibus & eorum corruptione dici non poteſt, niſi tamen Deus aliquod compoſitum omninò cupiat anuihilare, quo caſu & forma & materia annihilantur.

Formæ materiales deſinunt in ſubjecto.

DICO 3. Formæ materiales propriè deſinunt in ſubjecto, id eſt, pereunt & tranſeunt in nihilum ſui quod fuerant prius. Prob. 1. hujusmodi formæ nec corrumpuntur nec annihilantur, ergò deſinunt & pereunt in ſubjecto. 2. Quoties deſinit concurſus conſervativus, toties etiam deſinunt res quæ per talem concurſum conſervabantur; ſed hoc ſolùm & propriè in formis materialibus verum eſt, ergò ipſæ propriè deſinunt per ſubtractionem hujusmodi concurſus. Dixi tamen perire per deſitionem, quia non ſatis eſt ut deſinant ſubjectum informare aliàs hoc idem de anima rationali dici poſſet, quæ quidem in ſubjecto deſinit eſſe ſed non perit, cum poſſit ſeparata à ſubjecto exiſtere & operari, quod de formis materialibus dici non poteſt. Nam cum hæ non ſint naturaliter ſeparabiles à materia, neceſſariò pereunt ſi diſſolvatur compoſitum, & redeunt in idem nihilum ſui, cujus eſſe prius habuerunt. Sed de his plura in fine lib. 2. de corruptione.

DIFFICVLTAS XX.

Quæ ſint proprietates formarum materialium.

DICO breviter, proprietas 1. eſt, quod ſint generabiles & corruptibiles; niſi enim eſſent generabiles, aut eſſent æternæ aot crearentur; Sed non poſſunt eſſe æternæ, quia alias rueret tota ſcientia de principiis; neque creantur, quia aliàs non poſſent produci ab Agente naturali; Si autem ſunt generabiles, ſequitur eas etiam eſſe corruptibiles: Sciendum tamen, formas has generari & corrumpi non per ſe ſed ratione compoſiti, quod propriè generatur & corrumpitur. 2. Quod forma materialis non poſſit naturaliter ſine compoſito eſſe, tum quia corruptibilis eſt (eſſe autem corruptibile, nihil aliud ſignificat quam eſſe ſeparabile à materia naturaliter) tum quia aliàs non dependeret in ſuo eſſe à materia poſſetque ſine illa operari quod repugnat. 3. Quod omnis forma materialis ſecundum ſe ſit diviſibilis, quia non niſi per quantitatem dividitur. 4. Quod omnis forma moveatur per accidens ad motum compoſiti, per ſe autem ſit immobilis tam activè quam paſſivè; Cum enim forma ſecundum ſe non ſit diviſibilis, noo erit etiam ſecundum ſe mobilis. 5. Quod nulla forma ſecundum ſe recipiat magis & minus, quia eſſe ipſius conſiſtit in indiviſibili. Plura colliguntur ex dictis.

DIFFICVLTAS XXI.

An detur anima rationalis.

TAmetſi pleraque ſiot ambigua & valdè difficilia quæ de eſſentia animæ rationalis apud Philoſophos diſputantur & docentur; Meritò tamen hac carere & humano oomine indignus cenſeri debet qui eam dari oegat; Nam adeò hoc ſemper iodubitatum fuit, ut etiam Athei quibus nulla poſt hanc vitam pœna aut triſtitia, nulla felicitas aut beatitudo, ſed omnis rerum præteritarum oblivio, cinis & extinctio, eam in humano corpore ab aliis diſtinctam adeſſe crediderint; Et hinc etiam ejus probatio ab Ariſt. intermiſſa fuit; Vt tamen conſtet quibus rationibus & argumentis neceſſitas hujus formæ vindicatur.

DICO 1. In homine datur anima ſeu forma ſubſtantialis, quæ ſit diſtincta ab omnibus aliis rerum corruptibilium formis. Hæc concluſio duo cootinet, primò quod in homine detur forma ſubſt: de quo nullum eſt dubium, niſi fortè apud ejusmodi homines, qui compoſitis phyſicis ſuas negantes formas animâ informante indigni ſunt; A forma enim habet homo qood ſit compoſitum phyſicum, quod conſtituatur in certa ſpecie rerum naturalium habeatque diſtinctum eſſe ab aliis, &c. 2. Quod hæc forma diverſa ſit ab omnibus aliarum rerum formis: Nam ideò diſcrepat homo eſſeotialiter ab equo, leooe, arbore &c. quia diverſam habet formam ab iis & omnia reliqua diverſa quæ hanc aut ſequuntur aut comitantur. Qualis tamen hæc ſit forma, an ſubſtantia, an aliud genus, an ſpecies infima, an forma in materia, an diviſibilis, dicetur in ſequentibus.

DICO 2. Anima hæc eſt rationalis & elevata ſuprà omnes formas rerum naturalium, & accedit extrinſecus informatque Embryonem ſive corpus organicum eo inſtanti quo verum eſt dicere, jam per virtutem ſementivam introducta eſt ultima diſpoſitio, quæ ad præſentiam hujus nobiliſſimæ formæ requirebatur. Prob. pimum, quia omnes illæ operationes quæ in homine fiunt, ooo poſſunt fieri à ſolis accidentibus aut ab aliqua forma materiali, ergò ſignum eſt, eſſe animam ſeu formam in eſſentia ſua elevatam ſuprà cæteras omnes formas materiales; Antec: patet in brutis animantibus, quorum actiooes omnes ſunt longè inferiores iis quæ ab homine fiunt, unde etiam Prob. Concluſio 2. ex illo communi axiomate, modus operandi ſequitur modum eſſendi, ſed modus operandi in homine planè diverſus eſt à modo brutorum animantium ergò & ejus modos eſſendi, id eſt, anima à qua eſſe ſuum habet, diſcrepat à modo eſſendi brutorum: Hoc axioma quod deſumitur ex variis locis Ariſtotel. eſt D. Thom. 1. p. 9. 12. a. 4. & proponitur ab aliis, quod operari ſequatur eſſe, vel qualis mod⁹ eſſeodi, talis operandi, adeoq; hic commenſuretur & proportionetur illi. Quod autem hæc anima poſt factam ultimam diſpoſitiooem, id eſt, poſtquam perfectè corpus organicum eſt fabrica-

bricatum, infundatur, patet ex ſequeotibus; Hinc eſt

DIFFICVLTAS XXII.

Quando infundatur anima rationalis.

SVppono, animam rationalem non ptoduci ex ſubſtantia Embryonis viribus naturæ ut infrà dicetur, ſed creari à Deo & infundi in corpus organicum: quæſtio eſt quo rempore id fiat.

Opinſo 1. Eſt, conceptum ſive Embryonem etiam ante formationem organorum eſſe animatum: Et hanc amplectuntur omnes qui ſemeo actu animatum docent. 2. Eſt, animam rationalem infuodi in corpus die tertia numerando à die conceptionis: Et hæc eſt Fieni Medici Lovanienſis tr. de formatione fætus. 3. Quæ eſt Marci Marci Medici & profeſſoris Pragenſis Viri aliàs longè doctiſſimi, ait, animam infundi in fætum, quando à matre avellitur & umbilicus præſcinditur; Toto enim geſtationis tempore ait l. de idem operatrice c. 8. fætum vivere animâ matris & informari, cum ſit ejus pats ſicut pomum pars arboris; Et alibi, eodem momento inquit, quo anima matris à fætu abſiſtit, virtute Dei alia nova creatur & fætui infunditur, ne tot animæ per abortum pereant &c. 4. Deniq; dicit, fætum animati primò anima veget. ſenſitiva tandemq; intellectiva, idq; ex præcepto Ariſt. 2. de gen. animal. cap. 3. ubi habet non ſimul fieri animal & hominem, quæ verba tamen variæ à variis explicantur, ut infrà de Inform. animæ rat. Diſp. 21. Diffic. 14. dicetur.

DICO 1. Conceptus ſive fætus aut Embryo non vivit aote formationem orgauorum: Eſt contra omnes, qui volunt ſemen actu animatum eſſe. Ratio hujus eſt, quia in hoc fætu ſive Embryone non poſſunt eſſe ullæ operationes vitales, cum ſit corpus homogeneum. Vide Diſp. 19. Diff. 5. 6. 7. & 15. hujus libri.

Embryo non incipit vivere die 3. à tempore conceptionis.

DICO 2. nec incipit vivere Embryo die 3. ut docet Fienus. Prob. nunquam anima rationalis inducitur in mareriam ſementivam, niſi cum organis convenienter inſtructa eſt, ut in ea vitaliter operari poſſit; ſed falſum eſt tertio die id fieri, ergò. Prob. major, quia ideò forma eſt in ſubjecto ut præter eſſe det quoq; operari, ergò cum anima in ſubjecto non poſſit operari niſi poſitis prius organis factisque ultimò diſpoſitionibus, ut ipſe Fienus concedit, non inducetur in illud die 3. quo nullus adhuc factus eſt partium & membrorum apparatus.

Non infunditur anima rationalis poſt umbilicũ præciſum.

DICO 3. Nec infunditur anima rationalis in fætum, cum umbilicus illi jam recens nato præſcinditur, vel ipſe quocunq; modo à matre avellitur, ut habet M. Marci in ſua idæa operatrice c. 8. Prob. Toto tempore antequam à matre avellitur fætus, ſi non vivit anima propria rationali, vel vivit anima vegetativa & ſẽſitiva propria, vel animâ matris, cujus ſit pats ſicut fructus arboris ut ait M. Marci; ſed utrũque abſurdum eſt, ergò. Prob, hæc minor 1. ſi fætus imprimis vivit anima ſenſitivâ propriâ, ſequitur 1. hanc animã informare corpus peregrinum, quia informaret corpus cum diſpoſitionibus animæ rationalis. 2. Hominem non generare homioem, quia non produceret diſpoſitiones ad animam rationalem, ſed ad animam brutalem. 3. Sequitur, quod homo gignat brutum, quia produxit ſolam animã ſenſitivam quæ brutalis eſt, exerceto; io utero ſolas operationes brutales. 4. Sequitur etiam, quod ſimile non generet ſibi ſimile, & quod amor maternus qui in fætum dirigitur, ſit illicitus, quia eſt brutalis, & ſi quæ alia his ſimilia abſurda, quæ per ultimò advenientem animã rationalem vindicari nõ poſſunt, quia pet tam incertum caſum, qui mille modis prohiberi poteſt, hęc abſurda non tolluntur; Nam ſi mulier inter pariendum occumbat partusq; pereat, jam eſt mater bruti, non geſtavit hominẽ ſed brutum, nooamavit prolem ſed ſimiũ, non produxit effectum ſibi ſimilem ſed monſtroſum. Prob. 2. ab authoritate medica; Quantumvis enim Medici de tempore animationis diſſentiaot, in hoc tamen omnes unaoimiter concordes ſunt, quod mater intrà uterum geſtet bominem, quod alat fætum anima rationali præditũ &c. Prob. 3. à legibus JurisCooſ. quia pœna mortis dignum judicant eum, qui fætum animatum occiderit, quod dubio procul noo facereot, ſi fætum anima canis aut bovis informari intelligereot, cum noo dignus ſit morte qui bovẽ aut canem occidit: Et hoc idem Prob. 4. ex ſacris litteris Zach. 2. ubi habetur, eum morte mulctaodum eſſe qui mulierem percuſſerit & fætum aoimatũ occiderit. Et confirmatur hæc concluſio ab anima nobiliſſima & puriſſima Salvatoris noſtri, quæ non infuſa eſt poſt partum immaculatæ Virginis, ſed quæ adfuit in inſtanti hujus miraculoſæ conceptionis, quod probat D. Joannes Bapriſta, dum ad ſui redemproris & non alicujus bruti præſentiam in utero matris Eliſabethæ præ gaudio exultavit, ut oſtenderet Chriſtum ſuum verè & realiter anima & corpore eſſe præſentem, & ita pręſentem, ut ſciamus in hoc innocentiſſimo Dei filiolo quoad generationem nihil ſi modum exceperis, factum fuiſſe, quod reipſa in cæteris mortalibus oon etiam fiat: Accedit tandem, quod parvuli etiam ſine reſectione umbilici, extrà uterum capite maou vel pede promiocotes licitè & cum conſẽſu Eccleſiæ ad obtinendam regenerationẽ vitamq; æternam baptizentur tum etiam quod in fide Catholica ii parvuli oon fiant beati, qui intrà matrem ſine baptiſmo juxtà ſacras literas emoriuntur, qnod tamen malè fieret, ſi primũ ad umbilici reſectionem anima rat: accederet, quia eâ carerent. Quod deniq; proles io matre non vivat hujus animâ rationali, Prob. quia mater & proles unũ eſſet compoſitũ ſubſtantiale Phyſicũ, quod eſt plus quam abſurdum & hactenus inauditũ, etiã contrà omnẽ ſanã Philoſophiã propter multa abſurda q̃ hinc ſequũtur & cuivis facilè occurrũt inter quę Medicũ eſt, quod matre exiſtente hecticâ proles etiam

 talis

talis exiſteret, phyſicum verò quod proles à matre revulſus eo inſtanti moreretur, quia recederet anima rationalis, quâ priùs informabatur, & altero inſtanti per novam formam reviviſceret. Similitudo cum fructibus arboris claudicat, quia illi ſunt hujus veræ partes, habentque unam quidem animam vegetantem, ſed ita materialem, ut in partes infinitas proportionales dividi poſſit, ipſæque partes à toto avulſæ ex multorum opinione animatæ remaneant, quouſque omninò corrumpantur & in terram reſolvantur.

DICO 4. nec animatur fœtus humanus tũ primum quando manifeſtè & ad ſenſum moveri incipit. Ratio eſt, quia hic motus non pertinet ad gradum vegetantem ejuſque operationes, quæ primis temporibus exercentur; Deinde hic motus qui eſt animalis, non eſt neceſſarius fœtui animato. Adhæc motus hic ſentitur in fine menſis tertii vel initio quarti à tempore conceptionis, quo conſtat jam dudũ fuiſſe animatum. Denique hic motus non ſolum prærequirit perfectam corporis delineationem, ſed & firmitudinem aliquam ſive robur partium, quam anima ad operationes purè vegetantes primis diebus non deſiderat. Quod ſi cum Ariſt. 7. de hiſt. animal, c. 3. dicas, marem moveri circà diem 40. Reſp. Ariſtotelem loqui de motu animationis; Eſt enim in fœtu præter hunc motum alius alterationis quando coquit & digerit ſanguinem, alius ſubſtantialis quando nutritur & augmentatur, & alius denique localis, qui primis ſeptimanis ob corporis teneritudinem nullus eſt, paulatim verò tam exiguus, ut non advertatur, donec cum diebus & menſibus accedat partium robur: Deinde addit Ariſt. nihil certi in his affirmari poſſe.

DICO 5. Anima rationalis non creatur diu antequam informet corpus, ſed eo inſtanti quo corpori unienda eſt. Eſt contrà quoſd. Theologos & Philoſophos jam dudum à Leone 1. Epiſt. 13. damnatos tum contrà Priſcillianiſtas hæreticos. Prob. 1. anima rationalis ex natura ſua eſt forma corporis, cujus unione ſubſtantiali perficitur, & cujus naturalis finis eſt compoſitum; ſed anima rationalis non debet produci abſque intrinſeca ſua perfectione ſubſtantiali, neque etiam carere fine ſubjecti connaturalis, ergò non debet produci antequam corpus informet. Neque dicas, animam rationalem pereunte homine exiſtere ſeparatam, ergò etiam antequam corpus informaret. Reſp. neg. conſeq. quia quod jam exiſtat abſque corpore, referendum eſt ad cauſas ſecundas corrumpentes; ſi autem prius id contingeret, ille defectus eſſet referendus in ſolum Deum & naturam. Prob. 2. anima rationalis ante unionem corporis nullam exercet imò nec exercere poteſt operationem; ſed nulla ſubſtantia tam nobilis qualis eſt anima rationalis, poteſt ex ſua natura produci eo in ſtatu in quo longo tempore nihil faceret, ergò nec debet nec poteſt produci ante corporis unionem. Major vera eſt, quia unde hauriret ſpecies intelligibiles, quia nullam aliam operationem præter intellectualem exerceret.

DICO 6. materia fœtus non informatur 1. animâ vegetativâ, tum ſenſitivâ, poſtremò intellectivâ. Vide hanc concluſionem infrà diſp. 11. diffic. 16. de informatione animæ, ubi hæc difficultas ex profeſſo tractabitur.

DICO 7. anima rationalis infunditur & unitur eo inſtanti, quo materia ſufficienter eſt diſpoſita, & organorum apparatu inſtructa. Sed qua hora, quove die? hic labor, hoc opus eſt. Philoſophi communiter docent marem abſolvi circà diem 40. fœminam circà 80. propter defectum caloris; Et hoc inde confirmant, quia inquiunt in lege veteri fuit fœmina ab ingreſſu templi diebus 40. ſi filium peperiſſet prohibita, & 80. ſi filiam, ideò quod juxtà interpretes divinarum litterarum tanto tempore purgarentur perfectè, & tanto item tempore fœtum in utero quoad informationem perficerent. Vide Hurt. d. 2. de cauſis & ordine gener. ſ. 9. Medici verò eum Valeſ. l. 2. controv. c. 9. ad finem ajunt, fœminas nõ formari ante diem 40. & mares ante 30. vel 35. Andr. Laur. requirit in fœmina dies 42. in mare 30. quod communiter Medicorum ſchola docet, & Peramatus l. de hominis procreatione c. 9. confirmat. ſed quæ ſit infallibilis Embryoniſmi periodus & quod verum animationis initium, novit ſolus is qui omnia novit. Unicum hoc adverte, hanc legem non obſervaſſe corpus Chriſti in utero B. V. quia ex doctrina SS. Patrum & Theologorum ſcholaſticorum ut notant Conn. 1. de gen. c. 4. q. 14. a. 2. divinitus in inſtanti perfectè formatum & abſolutum fuit.

DIFFICULTAS XXIII.

An anima rationalis ſit ſubſtantia an accidens.

Variæ olim fuerunt veterum opiniones, quidnam propriè eſſet anima, an ſubſtantia, an accidens, an quippiam aliud; ſic ſtoici dicebant eſſe ignem contrà alios qui aerem eſſe volebant, & rurſum contra alios qui ſanguinem vel cor vel mixtum aliquod. Sic Pythagoræi eredebant eſſe id quod movet atomos contrà Democritum, Leucippum & alios qui dicebant eſſe compoſitum ex atomis, ſed rejectis horum vanitatibus, de quibus Ariſt. toto cap. 2. l. 1. de anima.

DICO 1. anima non eſt complexio primarum qualitatum & conſequenter nec accidens ſecundum veteres, de quibus Ariſt. 1. de anima c. 4. & quam ſententiam jam pridem ſepultam revocaſſe videtur Gal. 3. de loc. affect. c. 6. & l. quod animi mores ſequantur temperamentum c. 3. & 4. Et quamvis eum pleriq; Medicorum ab hoc infami errore conentur purgare, quod vel non ita ſenſerit, ut verba ſonant,

nant, vel aliter alibi docuerit; nihiſominus tamen l. de natural. facult. de ſympt. & 3. de uſu part. ſatis manifeſtè indicat ignorare ſe quid ſit anima. Ut ut verò ſit. prob. concluſio 1. ex Ariſt. cit. ubi ait. quod anima debeat eſſe ſenſus motusque principium, quale non poteſt eſſe commiſtio ſive harmonia primarum qualitatum. 2. In homine, idem intellige de brutis animantibus, ſunt multæ complexiones carnis, oſſis &c. ergò deberent etiam eſſe multæ animæ quod eſt abſurdum. 3. complexio eſt quædam diſpoſitio ad animam, ergò non ipſa anima. 4. functiones quæ oriuntur ab anima, ſunt altoris ordinis, quam ut proficiſcantur à primis qualitatibus, à quibus ſunt calefactio, frigefactio &c. non autem nutritio, accretio, motus, intellectio, ſenſatio &c. 5. Anima eſt rerum viventium forma, à qua accipiunt ſuum eſſe ut conſtat, ergò non poteſt eſſe temperamentum, quia hoc eſt merum accidens, à quo vivens non poteſt habere ſuum eſſe, aut tanquam Ens verum ex forma & materia conſtans conſiſtere. 6. eadem eſt anima in ſano quæ in ægro, ſed non idem temperamentum.

DICES cum Gal. anima eſt id quo pereunte perit & moritur animal.; ſed pereunte temperamento perit & moritur animal. ergò. R. anima eſt id, quo pereunte tanquam formâ perit animal, conceditur, tanquam diſpoſitione negatur. Et ſi valeret hoc argumentum, valeret & hoc, ſtomachus aut Epar vel caput eſt id quo pereunte perit animal, ergò ſtomachus, Epar, caput, ſunt anima; pulchra certè conſequentia.

DICO 2. anima eſt ſubſtantia; De hac concluſione nemo Chriſtianorum dubitat, & prob. 1. quia anima ration. poteſt exiſtere extra materiam quod de nullo accidente verum eſt, ergò eſt ſubſtantia. 2. in materia rerum viventium vel requiritur forma ſubſtantialis vel non; ſi primum, neceſſariò erit anima; ſi ſecundum, ſequitur 1. materiam naturaliter exiſtere ſine omni forma ſubſt. quod eſt falſum; 2. aliquod compoſitum conſtitui ex materia & accidente, quod ſimiliter falſum eſt.

DIFFICULTAS XXIV.

An anima rational. ſit ſubſtantia ſpiritualis vel materialis.

ANimam rationalem eſſe ſubſtantiam ex dictis certum eſt, ſed incertum an ſubſtantia corporea vel incorporea, materialis vel immaterialis. Qui enim rudes ſunt omniaque ſenſibus metiuntur, hi nihil præter materiam & accidentia ut quæ oculis vident palpantque manibus, exiſtere dicent. Sed

DICO 1. anima rationalis non eſt corpus aut materia, vel quod idem eſt, nec corporea aut materialis. Prob. 1. anima eſt origo & principium omnium actionum vitalium; ſed hoc de materia dici non poteſt, ergò. 2. omnia corpora & compoſita naturalia ſublunaria habent communem eandemque materiam, ſed non eandem formam ut conſtat. 3. anima penetrat omnia membra corporis quod materia non facit. 4. In omni generatione materia eſt formâ prior, ergò. 5. Anima nec eſt corpus cæleſte, nec elementum nec aliquod miſtum, ergò non eſt corpus. De prioribus nimis manifeſtum eſt: De ultimo etiam conſtat ideò, quia omne miſtum movetur motu prædominantis elementi, quod de anima falſum eſt, quia hæc per appetitum & apprehenſionem ad varias locorum differentias movetur.

DICO 2. anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis & immaterialis. Ita communis eſt doctrina contrà veteres & Tertull. virum alioquin in multis de Eccleſia benè meritum, qui *Anima rat. eſt ſubſtant. ſpiritualis.* l. de anima c. 2. hanc corpoream facit rejicitque Ariſtotelem & alios Peripateticos, qui animam incorpoream eſſe dicebant: Et hoc idem ſcripſit Orig. l. 2. de principiis c. 8. tum alii, qui etiam Angelos materiales eſſe dicebant. Sed prob. concluſio 1. modus operandi ſequitur modum eſſendi; ſed ille in anima ration. ſpiritualis eſt & immaterialis, ergò & hic. Prob. minor de intellectu & voluntate, quia ratione prioris homo operatur planè cum elevatione ſuprà naturam & conditionem corporis & materiæ, dum v. g. percipit res abſtractas à materia & naturas omnes formatque conceptus rerum immaterialium ut Dei &c. cum è contrà illud quod eſt materiale, apprehendat ſingulare corporeum; ratione verò voluntatis reſiſtit idem homo voluntati vel appetitui ſenſitivo eique imperat, vult item & non vult liberè, colit amatque Deum, quæ omnia ſunt altioris potentiæ & ordinis, id eſt, ſpiritualis & immaterialis. Prob. 2. ex S. Patribus ut ex S. Dioniſio c. 4. de divinis nominibus, S. Damaſceno l. 2. fidei orthodoxæ c. 12. S. Aug. l. 6. de Trinit. c. 6. Gregorio M. l. 4. Dialog. c. 5. multisque aliis. Prob. 3. ex S. Scriptura; nam Eccleſiaſt. ultimo dicitur, & redeat ſpiritus ad Deum qui dedit eum. Luc. 23. habetur in manus tuas Domine &c. Tum ex conciliis ut Lateranenſi 1. ſub innocentio 3. ubi habetur, Deum ab initio utramque creaturam ſpiritualem & materialem ex nihilo creaſſe, & ex Conſtantinopol. 6. actu 11. ubi dicitur verbum divinum aſſumpſiſſe carnem animamque rationalem & incorpoream. Prob. ultimo ex Ariſt. qui l. 1. de anima c. 4. dicit animam eſſe quid diverſum à mixtione & impatibilem; & infrà, intellectum, id eſt, animam aliunde adventu, eſſe ſubſtantiam quandam quæ non corrumpatur; & rurſum l. 2. de gen. animal. c. 3. cum poſuiſſet, omnes animas reliquas educi de potentia materiæ, quod earum actio ſit corporea, mens inquit ſola forinſecus accedit eaque ſola divina eſt, quia nihil commune cum ejus actione habet corporis actio &c.

DICES 1. Lucæ 16. habetur, divitem rogaſſe ut Lazarus intingat digitum &c. R. in hac parabola proponi hominem quomodo torqueatur & quomodo dolor ex ſiti obortus leniri poſſet: tota autem hæc ſimilitudo eſt ad hominem viventem, cujus lingua arida reſtingui poteſt aqua.

DICES 2. Gen. 9. ſcriptum eſt, ſanguinē animarum veſtrarum requiram de manu veſtra, ergò ſi animæ ſanguinem habent, erunt corporeæ. Reſp. animam accipi pro corpore & partem pro toto.

DICES 3. Levitic. 17. anima omnis carnis eſt in ſanguine, & dicitur habere manus, linguam. Reſp. animam eſſe in ſanguine conſervativè, dici autem habere manus, pedes, &c. ad eum modum, quo Deo patri canos capillos, ſpiritui ſancto pennas & angelis alas appingimus ad exprimendum rudibus id, quod aliquo modo ſaltem cognoſci cupimus.

DICES 4. anima ferè ſemper ſequitur affectiones corporis, neque poteſt diſcedere quando vult, neque intelligit niſi per ſenſus corporis, ergò corporea eſt & materialis. R. animam non ſequi affectiones corporis ſed operari juxtà ejus temperamentum, organa & diſpoſitiones quibus omnibus tanquam inſtrumentis utitur quamdiu in corpore operatur, quæ etiam cauſa eſt cur ſemper per ſenſus corporis intelligat, quia ſcil. ſemper intellectus dependenter in hac vita operatur à phantaſmatis materialibus. Quod autem anima in ſuo corpore non ſemper poſſit diſcedere quando vult, cauſa eſt, quia eſt altera pars corporis cui intimè per diſpoſitiones unita eſt, & quia ex ſe nullam actionem corruptivam producere poteſt, quod tamen in hac diſſolutione opus eſt.

DICES 5. multos S. Patrum olim docuiſſe animam rationalem eſſe corpoream. Reſp. vel S. Patres voluiſſe animam comparatione Dei quodammodo mole corporea concretam eſſe, & ab hac infinitè diſtare divinæ mentis ſimplicitatem; vel eo collimaſſe, ut eorum amantiam reprehenderent, qui dicebant animam humanam eſſe particulam divinitatis; vel certè plus ſaluti animarum quam philoſophiæ aut earum eſſentiæ invigilaſſe, ut patet de Joanne Epiſcopo Theſſalonicenſi qui ex Concilio 2. Nicæno dicebat animas hominum eſſe corporeas.

DIFFICULTAS XXV.

Quid ſit anima rationalis.

Anima rat. quid.

DICO, anima rationalis (idem intellige de aliis brutorum animantium formis) eſt actus primus corporis naturalis organici potentiâ vitam habentis. Ita docet Ariſt. 2. de anima c. 1. quem ſequuntur omnes tam Medici quam Philoſophi, licet in explicatione mirum in modum diſſentiant: hinc Adverte, duplicem eſſe actum, unum ſubſtantialem ſeu primum, alterum accidentalem ſive ſecundū; prior eſt ipſa anima & forma ſubſtantialis, poſterior operatio ab anima ſeu forma: Eodem modo duplex vita conſtituitur, una ſubſtantialis quæ nihil eſt aliud niſi principium quod producit in ſe actionem ſive alterationem aliquam quando eſt in ſtatu ſuo naturali; altera accidentalis quæ eſt ipſa operatio vitalis & actus ſecundus elicitus à principio vitæ. Jam explicatur definitio. Dicitur per actus, quo comprehenditur uterque actus tam ſubſtantialis quam accidentalis, excluditur autem materia quæ eſt pura potentia, & ea omnia quæ non ſunt ſimpliciter actus ut compoſita naturalia & artificiata. Dicitur deinde actus primus, ut excludantur actus ſecundi & ipſæ operationes; Item formæ partiales quæ comparatæ cum anima non habent rationem actus ſed potius diſpoſitionis ſicut quantitas quæ ad genus cauſæ materialis pertinet; præterea non ſunt actus corporis organici, ſed actus materiam organiſantes dantes illi rationem mixti inanimati. Dicitur 3. corporis naturalis organici; per naturalis excluduntur omnia artificiata; per organicum corpora homogenea ut vinum, oleum &c. quæ anima informare non poteſt nec in iis vitaliter operari. Dicitur 4. potentia vitam habentis, quia corpus Embryonis ita organis inſtructum eſt, ut anima jam adveniens immediatè illi vitam tribuat & vitales in eo operationes exerceat.

DICES 1. quando Angelus aſſumit corpus ex aere formatum, & in eo vitaliter operatur, tunc convenit ei definitio animæ & tamen non eſt anima. Reſp. negando, quod huic Angelo conveniat definitio animæ, quia imprimis non eſt organicum hujuſmodi corpus, eſto appareat tale; Deinde Angelus non informat illud ſed aſſiſtit illi tantum, Denique quod advertendum eſt, nunquam Angelus ſive bonus ſive malus ita poteſt formare corpus ex aliqua materia, non enim advertatur fictitium, quod multis exemplis confirmatum eſſe ſcribit Cajet. in Commentar. 2. quæſt. 95. a. 3. unde etiam nunquam perfectè norunt formare vocem ſpiritus per hujuſmodi corpora.

Angelus non poteſt ex aere formare perfectum corpus.

DICES 2. anima eſt prior corpore organico, ergò malè dicitur eſſe ipſius actus. Antec. patet, quia corpus organicum fit tale per animam, ergò hæc eſt illo prior. Reſp. nomine corporis organici duo eſſe intelligenda; 1. compoſitionem certæ figuræ cum debita qualitatum tempetie. 2. potentiam quæ propria eſt forma organi. Si primo modo ſpectetur corpus, tunc antecedit animam prioritate naturæ in genere diſpoſitionis & cauſæ materialis, quia hoc modo eſt præparatio quædam neceſſaria ad introductionem animæ in materiam, ſi autem ſecundo modo conſideretur, tunc poteſt dici animam præcedere, quia corpus organicum conſtituitur ab ea in eſſe organi: hinc ſufficit corpus organicum prio-

priori ſenſu prius eſſe ipſa animâ, & hanc per illud tanquam aliquid prius definiri.

DICES 3. quando anima eſt ſeparata à corpore, non poteſt dici eſſe actus, ergò malè definitur. Reſp. neg. antec. quia anima etiam ſeparata eſt actus corporis & forma ex natura ſua, eſto jam illud non informet; Exercebit enim aliquando illum actum quam jam ſemper reſpicit & appetit. Cæterùm extat adhuc alia definitio quamvis animalis & deſcriptiva apud eund. Ariſt. 2. de anima c. 2. videlicet anima eſt principium quo primò vivimus, ſentimus, movemur & intelligimus, id eſt, anima eſt principium interuum, quo aut vegetantur viventia tantùm ut plantæ, aut vegetantur & ſentiunt ut bruta animantia, aut vegetautur, ſentiunt, moventur & intelligunt ut homo; Et eſt hæc definitio cauſalis quia deſumitur ab animæ operationibus.

DIFFICULTAS XXVI.

Quid per corpus organicum intelligitur.

DE hoc actum eſt diſput. 3. hujus libri ſtatim ad initium, ideoque pauca hic ob tantam Authorum in eo explicando varietatem repetenta ſunt; Nam omiſſis aliorum opinionibus docet Dand. l. 2. de anima ad tex. 7. per corpus organicum non intelligi ſolùm materiam primam formis partialibus informatam exclusâ animâ ſeu actu primò, quia hoc modo ait corpus tantum eſſet heterogeneum & pars oppoſita animæ; ſed intelligi corpus informatum formis ſubſtantialibus partialibus unà cum vita ſubſtantiali ſeu actu primo, quatenus proximè aptum eſt exercere actus ſecundos, ſicut illa verba, potentia vitam habentis, idem inſinuant, id eſt, vitam accidentalem.

NOTA, Corpus organicum non eſſe idem quod heterogeum, quia corpus mortuum eſt etiam heterogeneum & tamen non organicū ne quidem in potentia proxima, ſed valdè remota. Organicum autem dupliciter ſumitur, primò pro eo quod eſt actu animæ inſtrumentum, & hujusmodi actualis organiſatio ultimò eſt ab anima, 2. pro eo quod non eſt quidem actu ſed in potentia proxima ad exercitium ſine ulla prævia diſpoſitione, quod autem eget adhuc aliqua prævia diſpoſitione, non eſt in potentia proxima inſtrumentum ſed in remota; unde ovum non eſt formaliter corpus organicum, neque ſemen pomi, pyri &c. quia carent formis partialibus, quamvis in potentia remota dici poſſint organa, ſimiliter nec oculus mortui eſt organum niſi æquivocè, quia non eſt proximè aptum recipere animam & ſervire animæ operanti. Jam

DICO 1. per corpus organicum intelligitur materia informata formis partialibus, v. g. oſſis, carnis &c. diſtinctis ab anima & formis accidentalibus. Hanc concluſ. vide loco citato.

Corpus organ. quid.

DICO 2. Embryo ſeu fœtus ante adventum animæ ſive rationalis in homine ſive ſenſitivæ in bruto, eſt verè organicus, adeoque corpus Embryonis ſeu fœtus in utero matris eſt corpus illud organicum, quod potentia vitam habet, & cujus actus ultimus eſt ipſa anima. Non enim illud eſt tantum corpus organicum in quo actu exercentur actiones vitales, quale eſt corpus Petri, leonis, bovis &c. Sed etiam quod organorum varietate ita inſtructum eſt, ut proximè & animam & vitam poſſit recipere; Neque dicas hoc modo etiam cadaver eſſe corpus organicum, quod tamen falſum eſt; Quia Reſpond. neg. hoc aſſumptum, quia in illo ſunt diſpoſitiones & accidentia ad viventis generationem, in hoc autem ad cineres & corruptionem, unde etiam dicitur tantum corpus organicum, id eſt, quoad extrinſecam apparentiam, quia connaturales qualitates & diſpoſitiones corporeæ, inter quas ſunt humidum & calidum, expulſæ ſint & peregrinæ ad formam novam ſive ad interitum introductæ.

DICO 3. Corpus organicum eſt ſolis viventibus proprium. Eſt contrà Sennertum Hypomn. 4. c. 7. & 9. Ratio eſt, quia viventia cum habeant diverſas actiones exercendas, non poſſunt vitaliter operari, niſi per diverſa multisque modis diſcrepantia organa, cum è contra rerum inanimatarum actiones ita ſint conſtitutæ ut per ſimplicem qualitatum cum forma & materia commiſtionem, id eſt, per ſubſtantiam homogeneam quam utplurimùm habent, adminiſtrentur. Exempla quæ in contrarium proferuntur, v. g. lapides, gemmæ, avium plumæ, parum roboris habent ut videre eſt apud Hurt. d. 1. de eſſentia animæ ſ. 2. §. 9. Nam colores avium ſunt ex varia refractione lucidi cum opaco; ſimiliter venæ lapidum ſive metallorum ſunt ex impuritate materiæ aut ejus heterogeneitate, ex quibus non conſtituitur varietas organorum ad varias actiones exercendas.

DIFFICULTAS XXVII.

An conſideratio animæ ration. ſpectet ad Medicum & Philoſophum.

HOc ideò quæritur quia anima hæc ſpiritualis eſt & immaterialis, Medicus autem & phyſicus ſenſibus inhærent, & circà corpus quà ſanabile & mobile verſantur; Et hinc aliqui crediderunt non eſſe verum officium, ut in hujus tam nobilis & præſtantis ſubſtantiæ cognitionem ſeſe immiſceant.

Suppono 1. definitionem hujus animæ eſſe eſſentialem, quia conſtat genere quod eſt actus, & differentia quæ eſt habitudo ad corpus, & quia hucusque perfectior tradita non fuit. 2. definitionem illam omni animæ convenire, quia requirit corpus organicum quo carent quidem res inanimatæ, non tamen

vege-

vegetabilia, quia habent aliquam licet imperfectam organorum ſtructuram & ad ſuas actiones ſufficientem. 3. animam rationalem vel conſiderari quatenus eſt principium potentiarum immaterialium ut intellectus & voluntatis, cum quibus etiam ſeparata exiſtere poteſt; vel quatenus unita materiæ & corpori organico cujus eſt forma & pars eſſentialis, elicit omnis generis actiones vitales & nutritionem, motum, ſenſum &c.

DICO 1. ſi anima conſideretur pro principio intelligendi ac volendi; ſimiliter prout eſt ſeparata à corpore, ſpectare poteſt ad conſiderationem phyſicam, minus autem ad Medicum. Ratio prioris eſt, quia ut habet Hurt. in ſuo procœmio l. de anima, in ſuo conceptu eſt pars compoſiti naturalis retinetque totam naturæ definitionem, eſt eſſentialiter ens incompletum, eſt principium motus in potentia & aptitudine &c. Ratio poſterioris eſt, quia illa animæ attributa quæ communia ſunt cum Angelis, abſtrahunt à materia, & quia ejus modus eſſendi & operandi independens eſt à corpore, circà quod ut naturale occupatur phyſicus, ut ſanabile Medicus.

DICO 2. ſi anima ſumatur prout eſt principium motus, riſus, fletus, aliarumque operationum vitalium, omninò pertinet ad conſiderationem phyſicam & Medicam. Ratio, quia non ſolum phyſici ſed etiam Medici eſt conſiderare naturam hominis; illius in ordine ad proprietates & paſſiones, hujus verò ad ſanitatem, ergò etiam naturam animæ rationalis, cum impoſſibile ſit conſiderare eſſentiam & naturam compoſiti neglectâ potiſſimâ parte conſtitutivâ, formâ nimirùm. Deinde ejuſdem ſcientiæ eſt de materia agere ac de forma, & non tantum conſiderare totum ſed etiam partes; ſed & Phyſicus & Medicus agit de natura & conſiderat totum hominem, ergò etiam agit de forma & conſiderat partes.

DIFFICULTAS XXIIX.

Quæ fuerint opiniones veterum tam gentilium quam Chriſtianorum de productione animæ.

VT hic fabulam Pythagoræorum & Platonicorum de migratione animarum à corporibus in corpora omittam, quæ etiam olim inter Chriſtianos quoſdam diſputata fuit, hisque noſtris ſeculis quibusdam probabilis videtur.

Opinio 1. fuit Platonicorum, quod creatio animarum longè præcedat earum infuſionem in corpus, in pœnam verò peccati detrudantur in corpora tanquam in carceres. Hoc falſum eſſe hinc manifeſtum eſt, quia animæ rationali naturale eſt uniri corpori, cum ſit ejus forma, unde probabile non eſt, Deum prius eas creaſſe, quam in corpora quæ appetant & cum quibus amiciſſimè eſſe cupiant, commigrarent. Deinde otioſa fuiſſet anima rationalis ante corpus ſuum creata; ſi dicas eam ſibi ſcientias comparaſſe. Reſpondetur, hoc falſum ſimiliter eſſe, quia magno ſtudio & labore per multas rerum ſenſibilium ſpecies debemus nobis ſcientias comparare.

Opinio 2. fuit Gnoſticorum, Manichæorum & Priſcillianiſtorum hæreticorum, humanas animas eſſe particulas divinæ ſubſtantiæ, ut teſtatur S. Aug. 1. de hæreſibus c. 6. 46. & 70. Hæc opinio impia eſt, quia facit divinitatem diviſibilem & mutabilem, unde etiam damnata fuit in Concil. Braccarenſi c. 5. & Toletano 1. c. ultimo.

Opinio 3. fuit Origenis, Avie. & poſt eum Meſſalianorum hæreticorum, quod animæ omnes cum Angelis ſint ſimul creati, vel quod adhuc creentur ab Angelis ſive intelligentiis quibusdam, de quibus infrà.

Opinio 4. fuit Tertulliani, Apollinaris & multorum Orientalium ut refert S. Hieron. in Epiſt. ad Marcellinum & D. Aug. de hæreſibus c. 86. Item Luciferianorum hæreticorum & aliorum ut habet idem S. Aug. l. de Eccleſiaſt. dogmatibus: Et hoc turſum ſeculo quorundam Acatholicorum, quod anima rationalis per virtutem ſeminalem vel traducem ut poſteriores ajunt propagetur.

Opinio 5. fuit & eſt adhuc omnium Catholicorum & Eccleſiæ Orthodoxæ, quod ſingulæ animæ in ſingulorum hominum generatione à ſolo Deo ex nihilo creentur & in corpus organicum infundantur: Et hæ 5. opiniones fuerunt tempore Sanctorum Aug. & Hier. ut teſtatur ille Epiſt. 28. & hic dum ad Marcellinum ſcribit. Cæterùm omiſſis duabus primis, quæ jam dudum ut fumus evanuerunt, agetur impoſterum de tribus ultimis; unde etiam ſequitur

DIFFICVLTAS XXIX.

An anima rationalis poſſit produci ab Angelis.

DICO 1. non poteſt Angelus per actionem naturalem phyſicam producere animam. Eſt communis hæc doctrina, & prob. 1. non poteſt Angelus ex ſe quicquā producere niſi per applicationem activorum ad paſſiva, ergò nec poterit animam producere; quicquid enim ad extrà per hujusmodi applicationem producit, materiale eſt, 2. productio animæ rationalis longè ſuperat actionem vel effectum, quam Angeli ex applicatione activorum ad paſſiva producunt, ergò ejus productio iis attribui non poteſt, conceſſo etiam quod anima rationalis ſit materialis, quia ne muſcæ quidem productio eſt in poteſtate Angeli. 3. anima rationalis producitur per ſolam creationem, ergò ſuperat activitatem Angeli, unde *Angelus ex ſe nihil poteſt producere.*

DICO 2. multò minus poteſt Angelus pro-

Digitized by Google

producere animam rationalem per actionem creativam. Eſt de fide contrà veteres, & prob. 1. productio animæ rationalis eſt infinitæ actionis quia eſt creativa, ergò non eſt in poteſtate Angeli cujus virtus finita eſt & limitata. 2. ad producendum ens aliquod ex non ente requiritur vis infinita; ſed penes Deum ſolum eſt hæc infinita poteſtas, ergò non penes Angelum, 3. id quod producit animam, poteſt eam à ſe productam denuò deſtruere & demoliri; ſed non niſi ſolus Deus poteſt animam corrumpere & annihilare, ergò ille ſolus eſt ejus cauſa productiva: Confirm. ex illo Gen. 2. formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in os ejus ſpiraculum vitæ; Et ſic intelligendum eſt, animam eſſe divinam & divinæ particulam auræ, quia ſcil. dependet à Deo efficienter, aliàs falſum eſt & impium dicere animam eſſe aliquid Dei. 4. Omnis creatura quæ productiva eſt ſui ſimilis in ſpecie vel diſſimilis, hæc agere debet in materia ſeu ſuppoſito ſubjecto, ergò etiam intelligentiæ & quicquid infrà illas eſt, quicquid producunt & producere poſſunt, hoc ex præjacente materia vel ſubjecto producunt, quia creatæ ſunt & finitæ.

Producere animam rat. eſt infinitæ potentiæ.

DIFFICVLTAS XXX.

An anima ration. per aliam animam, id eſt, per traducem producatur.

HÆc olim opinio fuit Luciferianorum hæreticorum, eſtque noſtro hoc ſeculo & à paucis annis quorundam Acatholicorum. Quis autem eorum hanc larvatam beſtiam ab inferis revocaverit, non ſatis evidenter conſtat; pleriſque primum Authorem agnoſcunt Theodorum Thommium Wirtembergenſem & in Academia Tubingenſi Profeſſorem Theologicum, quia hic anno 1622. publicè ibidem in quadam diſputatione non ſolum traducem propugnare, ſed etiam animæ creationem prorſus expugnare conatus eſt: Ita enim pag. 15. concludit, quæcunque opinio contradicit ſcripturæ, nititur ut plurimùm phyſicis iiſque infirmis argumentis & rationibus, eſt blaſphema in Deum, multaſque inſuper parit incommoditates, hæc in Eccleſia nõ eſt toleranda; ſed opinio immediatam animæ rationalis creationem defendens talis eſt, ergò. hoc argumentum ſicut & plura alia inferius afferentur & ſolventur.

NOTA, per traducem fieri vel intelligitur quod anima rationalis fiat per deciſionem alicujus partis ex anima parentum, ſicut corpus fit per deciſionem materiæ ſementivæ; vel per inſtrumentalem efficaciam ſeminis, ita ut ab ipſo ſemine vel virtute ei impreſſâ anima immediatè quamvis inſtrumentaliter, à parentibus autem mediatè & remotè ſed principaliter producatur; vel denique quod anima prolis immediatè ab anima patris vel matris vel utriusque producatur, ita ut ſemen non attingat productionem animæ, ſed efficiat ſolas diſpoſitiones aut certè ſit vehiculum animæ, per quod illa ex anima parentum in ſobolem transferatur, de quo infra pluribus. Jam

Per Traducem fieri quid intelligatur.

DICO, anima rationalis non propagatur vi ſeminis: Sententia hæc tam certa eſt, ut contrariam D. Thom. 1. p. q. 110. a. 2. vocet hæreticam. Prob. 1. impoſſibile eſt, ut virtus materialis producat ſubſtantiam ſpiritualem, quia hic effectus infinitè diſtat à cauſa; ſed virtus ſeminalis eſt materialis, & anima rationalis eſt ſpiritualis, ergò, 2. omne quod ab Agente naturali producitur, fit ex materia; ſed anima rat. non fit ex materia, ergò non vi naturali ſeminis. Major certa eſt, quia ex nihilo nihil fit; minor prob. quia quicquid fit ex materia, pendet ab ea in eſſe; ſed anima rat. non pendet ab ea in eſſe, cum ſit immortalis & exiſtat extrà corpus, ergò. 3. Anima intellectiva excedit omne genus corporum cum ſit ſubſtantia ſpiritualis, ergò non poteſt produci ab Agente naturali quod non operatur ultrà ſuum genus: Nam nulla virtus corporea poteſt attingere effectionem alicujus entis ſpiritualis cum inter utramque ſit infinita diſtantia. 4. Agens naturale nihil producit niſi quod dependet à materia cum & ipſum à materia ſit dependens; ſed anima rat. non dependet à materia, ergò. Quod autem nec ab anima producatur, prob. 5. quia quicquid anima corpori adhuc conjuncta producit, id facit per diſpoſitiones corporeas & eſt corporeum, ut ſanguis, ſpiritus, lac &c. aut ſi ſit ſpirituale eſt accidens ut intellectio, volitio, quam utramque etiam extrà corpus producit. 6. nullus Angelus poteſt producere alium angelum, ergò multò minus anima animam. Antec. verum eſt apud Chriſtianos, falſum apud Turcas, qui Angelis ſocias in cælis ad conſervandam ſuam ſpeciem per generationem adjungunt. Prob. Conſeq. quia Angeli ſunt entia completa, anima autem incompleta, cum ſit altera pars compoſiti, ergò minus poterunt efficere quam Angeli. Neque dicas, animas eſſe corpori conjunctas, & Angelos abſtractos; quia anima nihil de corpore participat, ut ejus beneficio aliquod ſpirituale & immateriale producat; neque enim corporeum quicquam conferre poteſt ad producendũ incorporeum, vel certè ſi anima ideò poteſt operari quia habet corpus, ut exinde applicet activa paſſivis, ſequitur Angelum plus operari poſſe, cum ille quodcunque corpus applicare poſſit, illud deſtruere ruſumque aliud aſſumere, quod de anima dici non poteſt, ut quæ corpori alligata eſt.

Anima nõ producitur ab alia anima.

Angelus quare plus poſſit quam anima.

DICES 1. materia eſt potentia paſſiva & receptiva formæ, anima autem actus informativus materiæ; ſed potentiæ paſſivæ naturali ſemper reſpondet potentia activa naturalis, ergò datur Agens naturale quod producit animam rationalem. Reſp. conceſſo majo-

ri

Digitized by Google

ri diſtinguitur minor, videl. potentiæ paſſivæ reſpondet potentia activa productiva formæ, quæ ſit ejusdem ordinis conceditur, quæ excedat ordinem naturæ ſitque diverſa à priori, negatur.

DICES 2. cauſa quæ producit ultimam diſpoſitionem ad formam, habet etiam vim producendi formam, quia Agens quod poteſt conferre media ad finem, confert etiam finem; ſed cauſa ſecunda diſponit ultimò, ergò etiam ultimò producit, ſcil. formam. Reſp. ſi forma eſt ejusdem ordinis cum diſpoſitionibus ejus quod diſponit ad formam, vera eſt major, quod nimirùm etiam eandem producat; ſi diverſi ordinis, falſum. Nihilominus tamen cauſa ſecunda attingit finem ſuum, quia compoſitum humanum per productionem unionis generatur.

DICES 3. omnia bruta animantia generant ſibi ſimile, ergò & homo, qui non eſt deterioris conditionis: Et licet anima ſit immortalis, potentia autem generativa materialis; poteſt tamen hæc elevari ut aliquid ſe nobilius producat, ſicut id ſæpè in aliis rebus fieri videmus. Reſp. neg. conſeq. 1 Quod autem homo non producat etiam animam è potentia materiæ, id provenit tantum ex dignitate ipſius animæ, quæ ſpiritualis eſt & altioris ordinis. An autem ſolus Deus ita elevare poſſit in homine aliquam potentiam ut animam producat, non eſt hujus loci inquirere: quod ſi tamen aliqua potentia effectum ſe nobiliorem producat, id facit in virtute cauſæ nobilioris & ſuperioris.

DIFFICVLTAS XXXI.

An anima ration. producatur à ſolo Deo authoritate Scripturæ.

DICO, anima rationalis tantum dependet à Deo & accipit ſuum eſſe per creationem. Hæc doctrina eſt ſcriptura, cujus etiam veritati initur; Nam prob. 1. ex Pſalm 51. Cor mundum crea in me Deus. 2. ex c. 12. Zach. v. 1. dicitur dominus extendens cælum & fundens terram & fingens ſpiritum hominis in eo. 3. ex Eccleſiaſt. 12. v. 3. ubi habetur, antequam revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit eum. 4. ex S. Paulo ad Hebr. c. 19. v. 9. patres quidem carnis noſtræ Eruditores habuimus & reverebamur eos; num multò magis obtemperabimus patri ſpirituum, & vivemus?

DICES 1. Gen. 1. v. 8 & c. 9. v. 1. habetur, quod Deus homini ſoli benedictionem dederit, c. 8. autem v. 17. homini & animalibus ſimul, dum ait creſcite & multiplicamini; unde ſic concludunt Adverſarii, quem effectum habuit benedictio divina in animalibus brutis, eundem etiam habuit in homine; ſed illa vi illius benedictionis generant ſibi ſimile tam quoad corpus quam quoad animam, & utrumque per Traducem propagant, ergò & homines per illam benedictionem non tantum generant corpus ſed etiam animam. Reſp. ſi ſpectetur eſſentia generationis, quæ non conſiſtit in productione partium eſſentialium, ſed in unione ſive conjunctione illarum, conceditur benedictionem illam divinam obtinere vim æqualem in generatione brutorum & hominis; negatur autem ſi attendatur productio animarum, quia ſic plurimùm differunt generationes hominum & brutorum, cum & ipſæ animæ differant; unde apparet Deum non æqualiter dediſſe benedictionem & vim generandi, temetſi benedictio concernat omnes & homines & animantes. Et fatetur ipſe Thummius, bruta ſolis viribus naturalibus per generationem merè phyſicam creſcere & multiplicari, hominem autem per ſpecialem concurſum divinum & ſupernaturalem.

DICES 2. Gen. 2 v. 2. ceſſavit ab omni opere Deus, ergò animæ non creantur. Reſp. Deum ceſſaſſe à multiplicatione novarum ſpecierum, non autem individuorum ſive per eductionem ſive per creationem. Deinde quando Deus dicitur ceſſaſſe & quieviſſe, explicandum eſt quod die ſexto totum univerſum abſolverit, non quod nihil amplius ſit operaturus, ſicut patet ex illo Joannis 5. ubi pater meus uſque modo operatur &c. Ad hæc quamvis Deus ceſſet novas ſpecies & formas producere, non tamen deſinit ab aliis operibus quæ in conſervatione amore & gubernatione conſiſtunt: Sic enim conſervat totum univerſum, à quo ſi momento ſe ſubtraheret, periret illud; ſic amat genus humanum, punit peccatores, remuneratur bonos &c.

DICES 3. Gen. 5. v. 3. legitur, quod Adam genuerit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; ſed filius eſt imago patris ſecundum animam, ergò Adam genuit etiam animam filii. Reſpond. quamvis Adam genuerit filium ſecundum imaginem & benedictionem ſuam, tamen non ſequitur, quod etiam animam genuerit; conſiſtit enim ſimilitudo hæc non in anima nec in materia, quæ in omnibus ſublunaribus eſt ejusdem rationis, ſed in unione partium eſſentialium vel in toto compoſito & univerſa natura, quæ non ab anima tantum dependet. Et ut conſtat, dicitur homo generare hominem, quamvis non producat animam ſed tantum diſpoſitiones ad eam: Hinc quando Adam dicitur genuiſſe filios, intelligitur quod communicaverit illis naturam ſuæ ſimilem, id eſt, partes eſſentiales, non tamen producendo eas ſed uniendo, novumque ſic compoſitum conſtituendo.

DICES 4. Gen. 15. v. 5. dicitur, Abraham & Loth tuliſſe omnes animas quas fecerint in Haran, id eſt quas genuerint, ergò. Reſp. per animas hic intelligi vel partem pro toto, vel ſub anima diſpoſitiones, quibus poſitis Deus animam producit & complet compoſitum: Et huc pertinent plura loca S. Scripturæ, quæ omnia hunc ſenſum habent.

DIFFICVLTAS XXXII.

An anima rat. producatur à ſolo Deo authoritate SS. Patrum.

DICO, etiam ex ſententia omnium SS. Patrum creatur anima rarionalis à ſoſo Deo: Nemo enim ex omnibus eſt, qui traductionẽ animæ docendam & aſſerendam cenſuerit; legi poteſt D. Hier. Epiſt. 6. ad Pammachium adverſus errores Joannis Hieroſolimitani. S. Hilarius, qui ſub Conſtante imperatore circà annum Chriſt. 357. vixit, l. 10. de Trinitate. S. Ambroſius qui ſub Gratiano & Theodoſio Cæſaribus Eccleſiæ præfuit, l. de Paradiſo c. 11. S. Athanaſius ſub Conſtantino M. tract. de definitionibus r. de anima & mente. S. Cyrillus Alexandrinus ſucceſſor S. Athanaſii in ſede Epiſcopali Epiſt. 1. ubi probat Beatam Virginem eſſe veram Dei matrem. Lactantius l. de opificio Dei c. 19. Theodorenſis Epiſcopus Cyrenſis, qui cum S. Cyrillo vixit, l. 4. contrà infideles Græcos. Vener. Beda l. 4. de elementis Philoſophiæ. Æneas Gazæus ſub Zenone imperatore in dialogo de immortalitate animæ & corporum reſurrectione &c.

DICES, multos fuiſſe ex S. Patribus qui de origine animarum dubitaverinr; ut S. Auguſt. l. 1. & 2. de origine animæ, Epiſt 28. ad S. Hieronimum, l. 3. de peccatorum meritis c. 26. contrà Priſcillianiſtos aliiſque multis in locis. S. Greg. l. 7. Epiſt. 53. ubi de origine animarum loquitur. Rabanus Maurus l. 2. de inſtitutione clericorum c. 57. Marer Machabæorum 2. Mach. c. 7. v. 22. ubi neſcio inquit qualiter in utero meo apparuiſtis, Neque enim ego ſpiritum vobis animamque dedi & vitam &c. Reſp. Verum eſſe quod nonnulli dubitaverint, ſed nihil expreſsè inveniri, quæ animæ creationem oppugnent aut Traducem doceant, imò contrarium in gratiam & confirmationem Catholicorum: Nam S. Aug. putavit difficulter explicari poſſe propagationem peccati originalis, & hâc ſeclusâ ſententiâ amplexus eſt ſententiam Catholicorum, ut patet ex Epiſt. 28. ad S. Hieronimum; illa inquit ſententia de novarum animarum creatione, ſi hanc fidem fundatiſſimam non oppugnat (de propagatione ſcil. peccati originalis) ſit & mea; ſi oppugnat, non ſit & tua; Et infrà, licet nemo optando faciet ut verum ſit quod verum non eſt; Tamenſi fieri poſſet, optarem ut hæc ſententia vera eſſet, ſicut opto ut ſi vera eſt, à te liquidiſſimè & invictiſſimè defendatur. Quod autem alii ex SS. Patribus rem tantam admirati ſint, & præſertim fæmina illa ſive mater Macchabæorum, ut etiam dubitaverir, non confirmat Adverſarios, quia mirum non eſt, homines olim in re tam difficili, quando hæc quæſtio humanis ingeniis occultior erat, dubios hæſiſſe; Imò hoc ipſo quod hæreticorum ſententiam ſecuti non ſint, quam ipſi publicè de hac animarum traductione docebant, noſtra ſtabilitur. Cum autem S. Hier. Epiſt. 27. dicat, maximam partem occidentalium ita ſenſiſſe, intelligit quosdam ſcriptores Occidentales obſcuriores, qui ante ipſum vixerant, & quos Gennadius Presbyter, qui ſub Gelaſio Papa circà annum Chriſti 480. ſcripſit, lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus vocat præſumptores.

DIFFICVLTAS XXXIII.

An lumine naturali demonſtrari poſſit, animam rationalem à ſolo Deo creari.

DICO, lumine naturæ conſtat, animam intellectivam accipere ſuum eſſe per creationem à ſolo Deo. Ita docent omnes Philoſophi & Theologi Orthodoxi. Prob. 1. quicquid per ſe ſubſiſtit, creatur; ſed anima rat. per ſe ſubſiſtit, ergò major patet, quia ſubſiſtentia per ſe independens eſt ab omni cauſa materiali: minor prob. anima rat. eſt immortalis ut infrà parebit, ergò per ſe ſubſiſtit. *Anima rat. creatur à Deo & per ſe ſubſiſtit.* Quod ſi dicas animam rat. eſſe ſimul vegetativam & ſenſitivam, quæ utraque per ſe non ſubſiſtat. Reſp. ſi veget. & ſenſit. accipiantur pro gradibus quæ non includuntur in anima rationali, verum eſſe; ſi autem pro gradibus quæ ſint in anima rat. nec ab ea abſtrahantur, falſum. Ait quidem Thummius fol. 24 & ſequentibus, ſolos Angelos perfectè & completè ſubſiſtere per ſe, animam autem rationalem partialiter & imperfectè; ſed nullum eſt hoc effugium, quia ſive anima rat. ſit completa ſive incompleta, æquè dicit independentiam à ſubjecto vel à cauſa ſuſtentante atque Angelus, eſtque ratione ſuæ eſſentiæ & exiſtentiæ independens à materia, unde etiam naturaliter poſt mortem & ſine miraculo exiſtit, nec per alium concurſum Dei conſervatur extrà corpus quam in corpore. Prob. ſecundò, anima rat. nunquam educitur de potentia materiæ ſive ſubjecto, ergò creatur: Antec. habetur ex dictis, patet etiam ex immaterialitate & immortalitate ejus traditurque à Thummio fol. 29. & alibi. Conſeq. prob. inter actionem eductivam & creativam non datur media, ergò ſi anima ration. non educitur è potentia materiæ, neceſſariò creatur. Contrà hoc negat Thummins omne id creari quod ex ſuppoſita materia non generatur, quia ait etiam accidentia ſpiritualia, ut habitus animæ rationalis non creari ſed produci absque ulla materia præexiſtente; Et hinc negat eam propoſitionem eſſe univerſalem. Sed reſpondetur, quando dicitur creationem fieri ex nulla materia præſuppoſita, tum intelligi per materiam non quodvis tan-

Digitized by Google

Intellectus educitur è potētia animæ rat. tāquā materia & ſubjecto ſuo.

tum ſubjectum; ſed etiam quamcunque cauſam materialem ſuſtentantem; ſed quia accideotia ſpiritualia ut intellectus &c. habent veram cauſam materialem, ſc. ſubſtantiam animæ, è cujus porentia noo minus quam formæ ſubſtantiales materiales è porentia materiæ producuntnr, ideò nullo modo creari dicuntur, quia in fieri & in eſſe dependent ab anima tanquam à ſubjecto. Quod aurem qnodvis ſubjectnm ſuſtentans, ſive ſit materiale & corporeum ſive immateriale & incorporeum, dicatur cauſa materialis, probatur, quia eſercet aliquam cauſalitatem io formam à ſuſtentatione ſua in genore canſæ marerialis, dependeutem.

Probatur tertiò, homo eſt creatura media inter creaturas purè immateriales ſive Angelos & purè materiales ſive bruta & viventia: Illæ non generantur ſed creantur hæ tam quoad formam quam quoad corpus propagantur, ergò ſicur homo in eſſe animæ convenir cum Angelis & in eſſe corporis cum bturis; ita quoque in fieri ratione animæ crearut à ſolo Deo & in fieri corporis propagatur à pareoribus. Reſpooder Thummius fol, 96. ſe nnnquam dixiſſe hominem per naturam, id eſt, per generationem purè phyſicam produci, ſed ſe poriorem partem benedictioui divinæ aſſcribere; fol. verò 33. ait, generationem hominis præter concurſum cauſarum pure naturalium etiam in conſortium admittere ſpecialem coucurſum cauſæ primæ ad ſecundam, benedictionem ſcil. divinam toti humano generi conceſſam. Sed hæc planè paradoxa ſunt, quia iorer alia ſequeretur generationem hominis ſemper eſſe miraculoſam, quia hic concurſus cauſæ primæ cum ſecunda non eſſet generalis ſed ſpecialis; Deinde benedictio divina nihil aliud fuir quam communicatio potenriæ generativæ quæ data eſt homini & brutis animantibus. Præterea facir Thummius injuriam ſnis in fide concredentibns, qui docent, Deum humano generi his verbis, creſcite & multiplicamini, præcepiſſe matrimonium, ergò hæc verba non ſignificaot ſpecialem concurſum, & manet vis argumenti talis; ſubſtantia animæ rationalis eſt ſimilis ſubſtanriæ angelicæ; ſed hæc producitur per creationem, ergò & illa. Probatur quartò ſi anima hominis fit per Traducem, id fit per deciſionem alicujus partis ex anima parentum ſicut corpus fit per deciſionem corporis ſeminalis, vel per ioſtrumentalem efficaciam ſeminis, ita ut ab ipſo ſemine vel virtute ei impreſſa ànima immediatè quamvis inſtrumentaliter, à parentibus autem mediatè & remotè ſed principaliter prodncatur; vel denique producitur anima prolis ab anima patris vel matris vel utriusque, ita ut ſemen non attingat productionem animæ, ſed efficiat ſolas diſpoſitiones aut certè ſit vehiculum animæ, per quod illa ex anima parentum in ſobolem transferatur: Sed horum nihil dici poteſt, neqne aliud ſupereſt, ergò anima rationalis non propagatur per tradncem, ſed tantum de oovo creatur. Probatur primum primò anima humana eſt ſpiritualis & immaterialis, ergò nihil poteſt ab illa decidere. Secundò ſequeretur partes aliquas parentis qni generat filios reprobos, cruciandas eſſe æternis flammis, licet ipſe ad cælum perveniat quæ manifeſtè abſurda ſunt. Hunc modum nec ipſi Adverſarii admittunt ut apparer ex ipſo Thummio fol. 28. quia hic modus eſplicat traducem propriè dictam quæ reqnirit deciſionem & quæ nec ipſis brutis convenit, in quibus nulla pars auimæ pareotis tranſit in prolem, ſed ſolum propriè corpus, ipſa autem anima tota de novo educitur è potentia materiæ.

Tradux & traductio quid.

Et hinc patet quod Tradux ſit propago ſeu pars v. g. arboris io aliam traducta ſive implantata, tradnctio autem talis actio, qua anima ab ipſo ſemine ſecundum Adverſarios inſtrumentaliter produeatur. Prob. ſecundum, effectus immaterialis non poteſt produci ab Agente materiali; Sed effectus immaterialis eſt animæ rationalis productio, ergò. Nec juvat dicere, quod ſemen corporeum producat auimam in virtute animæ incorporeæ cujus ſit inſtrumentum, quia in inſtrumentis tequiritur qnoque proportio ad effectum qualis hic deficit; Sicut enim anima per potentiam naturalem non poteſt elicere actionem ſpiritualem, ita etiam oou poteſt per ſemen corporeum prodncere animam incorpoream ſibi ſimilem.

Hunc modum etiam reüeir Thummius fol. 109. propter rationem jam ante daram & propter Patronos quosdam illius traductionis, quam olim docuerunt Tertulliani & Luciferiani, videlic. animas è corporeis ſeminibus exoriri; Scribit enim quidam Werenbergius de anima theoremate 22. teſte Thum̃io, ſicut ſemē bruri generat virtute plaſtica animam ſenſitivã, ita etiam ſemē humanũ animam rationalem, quod & Sennertus Hypomn. 4. c. 14. docet; Ex qno ſequitnr animã rationalem eſſe materialē ut ſunt animæ brutorum, imò eſſe mortalem, quia tota materialitas & mortalitas brurorum & animarũ brutallum oritur ex eductione è potentia materiæ. Prob. tertiũ, ſi anima rationalis im̃ediatè producit aliam animã ſibi ſimilē, tunc eam creat; ſed hoc noo poteſt, ergò nec illud. Major ſupponitur ex cõſenſu totius Eccleſiæ Catholicæ, quæ docet creare eſſe ſolius Dei, proinde nec Angelos id poſſe; minor prob. anima non poteſt aliam educere è potentia mareriæ. quia hoc repngnat enti ſpirituali & per ſubſiſtenti, ergò ſi producit im̃ediatè, producit per creationem hoc eſt, indepēdenter à materia, quia inter creationem & eductionē non datur actio media. Quod ſi dicas, etiamſi una anima producat aliã nõ tamē eſſe creationē quia agit cũ cõſēſu Dei. Cõtrà eſt primò quia quicquid agitur, fit cum con-

conſenſu Dei, id eſt, Deo tanquam cauſa prima operante. Secundò, quia ille concurſus Dei cum creatura ad producendam animam non eſt generalis ſed ſpecialis ; ſi ergò fateris animam produci ab anima, concedit animæ perfectio ie n Deo propriam, quod eſt abſurdum. Thummius fol. 34. negar animam rationalem immediatè produci ab anima parentum, & fol. 119. tum alibi dicit, animam cum ſemine & in illo quaſi veliculo ex parentibus vi primævæ benedictionis in ſobolem transvehi & promoveri : Sed contrà eſt primò, quia ſive mediatè ſive immediatè anima produeat animam, neceſſariò ea productio eſt independens à materia, quia terminus illius eſt independens, adeoque non eſt actio eductiva ſed creativa. Secundò, quia ſequitur, animam nullam habere cauſam à qua producatur immediatè (ait enim mediatè produci tum à Deo tum à parentibus) cum tamen omne ens abſolutum quod non eſt modus, producatur per actionem immediatè ad ſe terminatam. Tertiò, vel ſemen producit animam vel non producit, ſed tantum comitatur ejus productionem : Si prius, ergò Thummius incidit in ſecundum modum traductionis quem tamen rejicit; ſi poſterius, ergò anima producit immediatè animam, quia nulla alia cauſa intercedit, & ſemen nihil agit in hac productione cum ſit corporeum & paſſivè ſe habeat ad animam tanquam ipſius ſubjectum, in quod anima ab anima parentis introducitur, ergò anima parentum immediatè producit animam prolis independenter à materia quod eſt creare. Thummius fol. 32. totâque diſputatione ſæpius fatetur traductionem animæ dici metaphoricè & nihil eſſe aliud quam transvectionem animæ quæ fit beneficio ſeminis ex parentibus in ſobolem. Sed boc æquè obſcurum eſt : quæritur enim qualis ſit hæc actio propriè aut qualis tranſuectio; vel enim dependet à materia & eſt eductio, vel non dependet & eſt creatio; Primam Thummius non admittit; de ſecunda ergò ambigitur ; qualiscunque autem actio aſſignetur, ea eſt ſine metaphoris, & eſt eductio aut creatio aut inter has media ; viderit Thummius qui novum affinxit delirium, dum fol. 116. Ventilatis aliorum opinionibus ſuam exponit, cujus hæc eſt ſumma. Anima humana primo ex vi primævæ benedictionis, ſecundò ex ſingulari Dei ordinatione, Tertiò ex matris & fæminæ coordinatione in ipſo conceptionis actu æqualiter propagatur ſeu tranſvehitur beneficio ſeminis ab utroque parente decidentis, tota à patre, tota à matre. Docet ergò duo, primò animam fætus ab anima utriusque parentis produci ; ſecundò hanc productionem fieri in ipſo conceptionis actu; de hoc ultimo quæritur à Thummio quid intelligat per conceptionis actum & quale tempus, an primam receptionem ſeminis in utero matris vel corporis organici perfectionem, ut videri poreſt Fern. l. 7. de procreat. hominis cap. 9. Andr. Laur. operum anatom. cap. 11. & alii. Certè neutrum dici poteſt, quia prima ſeminis receptio non eſt vera conceptio, aliàs toties conciperet mulier quoties reciperet ſemen intrà uterum, quod tamen eſt abſurdum ; Deinde ſi ejusmodi ſemen relabatur ex utero, quæritur an ſit baptizandum, quia ſecundum Thummium eſt eſſentialiter homo cum conſter corpore & anima rationali ; Deinde nec in ipſa conceptione poteſt produci anima ab utroque parente per fictitiam Thummii tranſuectionem, primò quia conceptio eſt ſolius matris & peculiaris actio uteri ſicut concoctio ventriculi ; ſecundò quia attractio ſeminis in uteri ſinum & diſpoſitio neceſſaria ad conceptionem fit ſucceſſivè, poſtquam ſcil. copula jam ceſſavit, & nunc citius nunc tardius pro varia ſeminis uterique perfectione abſolvitur ; quomodo ergò pater animam producat in actu conceptionis cum non ſit præſens quando actio illa in utero peragitur, viderit Thummius. Neque dicas, ſemen patris adeſſe & concurrere unà cum matre ad conceptionem ; Primò enim abeſt anima patris ; Deinde ſemen corporeum non poteſt eſſe inſtrumentum producendæ animæ incorporeæ ut fatetur Thummius. Demum ipſe pater mortuus poſſet generare, quod tamen abſurdum eſt, quia anima eſt actus corporis organici, & ſemen non eſt corpus organicum, ergò non poteſt ab anima informari. Hoc argumentum probat univerſim, fætum ante formationem omnium membrorum nullo modo eſſe animatum ; Adverſatur quoque ſacris litteris, quæ Exodi 21. v. 22. dicunt, ſi quis percuſſerit mulierem prægnantem & abortum quidem fecerit, ſed ipſa mulier vixerit, ſubjacebit damno (72. interpretes habent, & exierit infans ejus non formatus, mulcta mulctabitur) ; ſin autem mors fuerit ſubſecuta, ſecundum interpretes ſi formatus fuerit, dabit animam pro anima, ubi expreſsè habetur, in fætu adhuc non formato non eſſe animam rationalem, alioquin committeretur homicidium ; pugnat etiam ſententia Thummii cum utroque jure tam civili quam canonico ; tit. enim 12. de homicidio c. 20. dicitur, ſacerdotem non arceri ab adminiſtratione divinorum, ſi abortui fætus needum vivi cauſam dederit. Juris Conſulti, quando de pœna abortum facientis quæritur, diſtingvunt in fætum animatum & necdum animatum ut videre eſt apud Farinac. pag. 4. practicæ criminalis quæſt. 122. lib. 14. pag. 6. ubi 24. & plures Authores recenſet docentes pœnam mortis illi infligendam eſſe, qui abortum fætus animati cauſavit : Quamvis non pauci contrarium tueantur, pœnam ſcil. talem non eſſe inferendã illi, qui abortũ fætus

etiam animati fecerit ideò quod talis ante nativitatem non ſit homo, quod falſum eſt, quia conſtat talis fætus corpore & anima ſicut homo: De his omnibus vide etiam Senn. Medicum Hypomn. 4. c. 14. ſcribit enim inter cætera 1. quod omnia proveniant ex noſtra ignorantia quomodo ſcil. ſit omnis forma & anima ſui multiplicativa, & quomodo multiplicatio fiat in plantis & animalibus. 2. quod ſemen ſit verum vehiculum, per quod anima à parentibus ſoboli communicetur, quæ actio traductio ſit appellanda vocabulo à plantis deſumpto. 3. quod anima patris à quo ſemen deſumitur, non fiat minor ſicut nec arbor, à qua ſurculus unus atque alter ad plantationem avellitur. 4. quod fortè Juris Conſulti ſuas habuerint rationes de ferenda in hujusmodi abortum facientes lege, & fortè hanc, quod ante motum fætus non ita certò conſtet de ejus vita (cum tamen primo ſtatim conceptionis inſtanti ſecundum ipſum, Thummium, Hoffm. & alios animam habeat & vitam,) ut proinde non ſit æqualiter puniendus qui fætum imperfectum & qui omnibus numeris abſolutum occiderit, ſicut nec illum qui ſurculum & qui magnam arborem frugiferam deſtruit; ſed omiſſis his fabulis & nugis Prob.

Anima Chriſti eſt creata.

5. ſi animæ rationales propagantur per traducem, ergò etiam anima Chriſti ſic fuit propagata; ſed hoc eſt hæreticum, ergò & illud; ſequelam majoris probat & affirmat Thom. fol. 102. & 103. aliàs inquit Chriſtus non fuiſſet factus ſuis ſimilis ſecundum omnia. Sed contrà eſt, quia Adamus aliis hominibus perfectè fuit ſimilis ſecundum omnia, cujus tamen anima creata & non propagata fuit per Traducem, ergò creatio animæ Chriſti nihil impedivit quò minus ſuis fratribus ſecundum omnia ſimilis fuerit: Eſt autem articulus fidei apud Thummium omnesque Acatholicos, Chriſtum ſcil. eſſe conceptum absque originali culpa, quæ tamen à traductione evertitur quod ſic oſtendo; Omnis ille cujus anima generatur ſive verè propagatur ab alia anima peccato originali infecta, ille eodem peccato inficitur; ſed anima Chriſti fuit generata & propagata ab anima B. Virg. originali culpa contaminata, ergò. Major eſt Thummii ejusque in fide conſortium, qui ideò traductionem animarum defendunt, quia putant ſine illa non poſſe intelligi peccati originalis traductionem; Minorem concedit etiam Thummios & alii, quia ſcribunt animam Chriſti mediatè per Traducem ut animas noſtras fuiſſe productam, & rurſum animam Beat. Virg. fuiſſe peccato originali obnoxiam. Probr. 6. omnis ſubſtantia producitur vel generatur per ſe vel per accidens, vel certè creatur; Sed anima rationalis non generatur per ſe, quia non conſtat materia & forma; neque per accidens, quia cum ſit forma corporis, oriatur ex illius virtute ſeminali per generationem quod fieri non poteſt, quia eſt ſpiritualis, & vis activa corporis non poteſt agere ultrà ſuam activitatem. Confirmatur ex illo communi axiomate, materialis ad immateriale nulla eſt proportio, ergò hoc ab illo produci non poteſt.

DICES primò, peccatum originale propagatur, ergò & anima quæ eſt illius ſubjectum, quia non poteſt accidens absque ſuo ſubjecto propagari. Hæc quæſtio quamvis ad Theologos ſpectet & ad eum pſalmum in quo dicitur, & in peccatis concepit me mater mea; nihilominus tamen ex eorundum doctrina Reſpond. in peccato originali eſſe duo; primò actum inobedientiæ; Secundò privationem juſtitiæ originalis; Ille non propagatur re, ſed imputativè, ut qui in Adamo virtute tantum reſpectu generis humani continebatur; Fuit enim peccatum originale reipſa ſolius Adami, in cujus lumbis quia nos continebamur, omnes in illo peccavimus voluntate non propria ſed aliena. Privatio verò juſtitiæ originalis, in qua conſtituunt Theologi Catholici peccatum originale, verè in ſingulas hominum animas per carnalem generationem propagatur; Naſcimur enim omnes hac privatione quæ nos Deo exoſos & naturaliter filios iræ conſtituit. Hoc malum originale in ſemine carnalis propagationis non actu ſed virtute continetur tanquam in cauſa ſive inſtrumento, quo parentes unà cum natura peccatum in prolem derivant.

Peccatum originale quid.

Ut autem in Adamo ipſo actu hæc privatio peccatum inobedientiæ ſtatim conſequitur generationem ſingulorum hominum, & ex potentia in actum reducitur, cum anima à Deo creata corpori à parentibus propagato ab iisdem unitur, quia non prius exiſtit actu privatio quam ſubjectum. Itaque negatur conſequentia & ejus probatio, quia peccatum originale quod in ſemine continetur virtute, nullo eget ſubjecto cum quo propagetur, de quo tamen pluribus conſulendi ſunt Theologi.

DICES ſecundò cum Thummio fol. 34. ſuæ diſputationis; ſi Deus inquit usque in hunc diem immediatè creat animas easque creando corporibus infundit, tum creabit eas aut puras aut impuras & peccati labe infeſtas. Non hoc, quia Deus non eſt Autor peccati, quin potius omnis ejus creatura eſt excellenter bona; Neque illud, quia nec hac ratione Deus omninò eſſet immunis à culpa peccati, ſed iniquitatis reus, primò quod animam jungat corpori impuro; 2. quod animam puram damnet & in impurum corpus detrudat. 3. illæ tantum animæ facultates quæ organicæ ſunt,

ſunt, peccato originali inficerentur, quia in reliquas nullum jus eſt. 4. immortalis ſpiritus corrumperetur à mortali corpore, cum tamen nullus ſit contactus corporis & animæ niſi virtualis. *Reſp.* animam rationalem ex natura & ſubſtantia ſua perfectam eſſe & integram, neque contrahi peccatum originale ab illa per creationem ſed per unitionem cum corpore cauſatam à ſemine per Adamum propagato, quod ut eſt inſtrumentum generationis phyſicum, ita quoque eſt inſtrumentum morale originalis pollutionis. Nam ſemen nihil agit in animam, quia nihil introducit in illam vel expellit ab illa, ſed ſolum eſt cauſa moralis peccati orig. In quantum omnes qui per carnalem propagationem deſcendunt ab Adamo, juſtiſſimo Dei decreto naſcantur ſine juſtitia originali, ad quam peccando jus in primo parente amiſerunt. Sequitur itaque 1. peccatum orig. ante propagationem & in ipſa nondum actu exiſtere, ſed tum primum cum propagatio prolis poſt conceptionem in ipſa conjunctione animæ cum corpore terminatur. 2. etſi ſemen ſit inſtrumentum peccati orig. propagandi, nihil tamen agere in animã, quia privatio cum ſit non ens, non cauſatur per veram actionem ſed per expulſionem formæ oppoſitæ. 3. ex peccati orig. propagatione non inferri propagationem animarum. 4. Propagationem animæ phyſicam prorſus non juvare propagationem peccati originalis. 5. propagationem peccati orig. etiam ſecundũ Adverſarios poſſe explicari abſque propagatione animæ.

Quando contrahat anima peccatum originale.

DICES 3. ſi anima non propagatur à parentibus, ergò homo non generat hominem ſed tantum corpus, unde ſequitur primo, hominem non generare ſibi ſimile. 2. generationem hominis non eſſe univocam, quia ſolum generatur corpus à parentibus. 3. generationem brutorum eſſe nobiliorem hominis, quia eſt univoca & per eam tam corpus quam anima generatur. *Reſp.* neg. conſeq. quia ſufficit producere hominem diſpoſitiones ad animam eamque corpori unire, ex quo concidunt omnia ea quæ hinc abſurdè ſequi putantur.

DICES 4. ſequitur, mortuos poſſe generare, ſi ſcil. parens ante perfectam Embryonis formationem moriatur. *Reſpond.* hominem mortuum generare ſi non mediante ſuppoſito, ſaltem virtute, quia verè homo generat per virtutem ſeminalem, etiamſi ipſe immediatè poſt deciſionem ſemini moriatur; Deinde anima matris præſens eſt embryoni adeoque viventis productionem immediatè attingit, ut alibi ſufficienter patet. Plura quæ hic dici poſſent, ad Theologos ſpectant.

DIFFICULTAS XXXIV.

Quid Ariſt. de animæ rationalis creatione ſenſerit.

DICO, tametſi Ariſt. in quibuſdam locis ſatis perplexè & ambiguè de hujus animæ productione loquatur; videtur tamen in multis aliis ſtatuere, eam extrinſecus advenire à principio longè nobiliori, ſcil. infinito. Nam 1. l. 12. metaph. l. 16. univerſim ponit, nullam formam conjuncto priorem eſſe, ne intelligentem quidem animam ut paulò poſt declarat. 2. Intellectus ait l. 2. de anima l. 65. videtur innaſci & non corrumpi, id eſt, naſci in nobis de novo ſive produci. 3. mens inquit l. 2. de gen. animal. c. 3. ſola forinſecus accedit eaque ſola divina eſt, quia nihil ejus actio habet commune cum actione corporea, & hic actus non ſecundus ſed primus juxtà mentem omnium interpretum intelligitur. Itaque ex mente Ariſtotelis anima ration. non educitur è potentia materiæ ſed ſeparata etiam perfungitur ſuis operationibus, non corrumpitur, eſt ſpiritualis & immortalis, nec dependet in eſſe à materia, ergò debet habere cauſam efficientem omninò immaterialem. Et quia de anima intelligente (miſſis reliquis duabus) plurimùm dubitatur, quo tẽpore, quomodo & unde eã accipiat homo; Reſpondet ipſe hoc diſcurſu, animas omnes ineſſe prius potentia quam actu. Sed quomodo actu adveniunt, neceſſe eſt aut fœtui omnes innaſci cum non eſſent, aut omnes prius fuiſſe aut aliquas præfuiſſe, alias non præfuiſſe. Omnes prius non fuiſſe neceſſaria hac ratione concludit, quorũ actio corporea eſt, ea ſine corpore eſſe non poſſunt, cujus generis ſunt anima vegetativa & ſenſitiva; Itaque hæ præfuiſſe non poſſunt & forinſecus advenire; ſola ſupereſt mens ſive anima intelligens quæ forinſecus accedat, quæ ſola divina eſt, reliquæ omnes materiales. Nam actionem habet propriam cum qua nihil commune habet corporea. Et hæc eſt diſputatio Ariſtotelis de actu primo & ſubſtantia animæ; referri huc poſſunt omnia loca, quæ de animæ immortalitate & immaterialitate apud eundem Ariſtotelem reperiuntur; Et colligitur ex omnibus, quam validæ ſint rationes ad probandam animæ creationem ex ſolo lumine naturæ; Non enim ut Thummius aliique putant, parum roboris ad probandam hanc doctrinam habens quod phyſicæ ſint, ſed veræ ſunt quia phyſicæ ſunt; Nam quod in phyſicis verum eſt, hoc etiam in divinis verum eſt, adeoque naturalis veritas non tantum non repugnat divinis ſed eandem magis confirmat, unde etiam ob hujus utriuſque contemptum & Gentiles & Chriſtiani non pauci aliquando erunt inexcuſabiles.

DIFFICVLTAS XXXV.

An anima rationalis ſit immortalis ex fide & S. Scriptura.

DUpliciter eſt aliquid immortale & incorruptibile; 1. quod eſt tale per exiſtenriam ut per nullam potentiam aboleri poſſit ſicut eſt ſolus Deus. 2. quod ſua natura corrumpi non poteſt licet Dei virtute poſſit corrumpi ſi ipſe velit deſiſtere ab illius conſervatione; ſic eaplicatur 6. ſynodus generalis, ubi dicuntur Angeli & animæ eſſe immortales non ex ſe ſicut Deus ſed gratia Dei conſervantis. Sunt autem hæc, quæ credit Chriſtiana & orthodoxa Philoſophia de anima intellectiva; 1. hanc eſſe ſubſtantiam immaterialem à ſolo Deo ea nulla materia præexiſtente productã. 2. eſſe humani corporis formam informantem & eſſentialem pro corporum numero multiplicatam, ſingulas ſingulorum hominum proprias. 3. non fuiſſe aliquo tempore ante corpus ſed in corpore oportunè diſpoſito primũ creari. 4. non cum corpore interire, ſed immortalem ſeparari atque ſuperſtitem in omne ævum ſubſiſtere. 5. libertate frui in agendo, atque à corpore ſolutam pro meritò præmia vel ſupplicia reportare. 6. ſeparatam à corpore alium habere modum operandi, poſt tamen Deo jubente rurſum eidem corpori uniendam eſſe nec unquam amplius ab eo diſſolvendam. 7. quæ neceſſaria ſunt ad ultimum finem & felicitatem ſuam conſequendam, hæc eam non niſi manete Dei ſingulari cognoſcere aut exequi &c.

DICO, animam humanam eſſe immortalem eſt de fide. Hoc enim eſt primum quoddam principium in religione quo ſublato neq; reſurrectio mortuorum neque æterna vita neque ſupplicia improborum eſſe poſſunt. Et conſtat concluſio ex ſacris litteris, ea quibus manifeſte habetur improbos poſt mortem puniri & juſtos reguare cum Chriſto; Nam ut ex multis pauca eligantur, Matth. 22. acriter Chriſtus pro immortalitate animæ diſputat contrà Saducæos, qui reſurrectionem mortuorum animæque immortalitatem negabant. Eccleſiaſt. c. 12. Spiritus redeat ad patrem qui dedit eum Luc. 25. in manus tuas commendo ſpiritum meum. Apoc. c. 6. Vidi ſub altare Dei animas interfectorum. Matth. 10. nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem occidere non poſſunt. Luc. 23. hodiè mecum eris in paradiſo. 2. probatio deſumitur ex SS. Patribus & quidem ex iiſdem qui creationem animæ hujus crediderunt, tum ex conciliis eorumque decretis, ut Aquileienſis, Synodi ſeatæ generalis Conſtantinopol. Lateranenſis tertii ſub Leone 10. ſeſſ. 8. &c. 3. Probatio habetur 1. ex obligatione Chriſtiani hominis ad officia virtutum, quia naturale eſt homini ex virtute vitam agere, præſertim ſi ſciat animam non perire cum corpore. 2. ex bonitate Dei quæ non patitur ut anima pereat cum corpore: Nam optimi quique ſemper fuerunt paratiſſimi ad mortem ſuſtinendam, & hoc propter ſpem conſequendæ immortalitatis, ut patet in S. Martyribus. qui omnes decepti eſſent, ſi anima foret mortalis. 3. ea juſtitia Dei ad quam pertinet rectè factis tribuere præmia & ſceleribus pœnam; Et ſæpiſſimè contingit ut improbi hic feliciſſimè, probi antem miſerrimè vivant, ergò neceſſe eſt poſt hanc vitam ſupereſſe aliam, ubi quisq; accipiat mercedem ſuam.

DIFFICVLTAS XXXVI.

An lumine naturali conſtet animam rational. eſſe immortalem.

ETiamſi ex decretis Conciliorum conſtet ſecundũ veram Philoſophiam animam rationalẽ eſſe imortalẽ; Non tamen adhuc conſtat, an id lumine naturali poſſit demonſtrari, id eſt, an habeamus rationes quibus oſtendamus poſſe demonſtrari etiamſi necdum ſit demonſtratum, vel an hactenus aliqua talis demonſtratio data ſit.

Lumine naturæ conſtat anim. rat. eſſe immort.

DICO 1. poteſt evidenter oſtendi & demonſtrari immortalitas animæ. prob. 1. ex conſenſu omnium propè ſapientum & gentium. Nulla enim natio eſt tam barbara quæ non ſuſcipiat aliquam curam vitæ futuræ, etiam inter Philoſophos omnes exceptis pauciſſimis, quales inter gentiles fuernnt Epicuræi, inter Judæos Saducæi, inter Chriſtianos abjectiſſimi quidam hæretici de quibus S. Aug. l. de hæreſ. c. 33. Prob. 2. ex iis quæ docet Eccleſia, videl. ſecundum fidem & ſecundum veram Philoſophiam animam eſſe immortalem; At quod verum, cauſas aliquas habere debet aut certè effectus per quos demonſtrari poſſit. Prob. 3. Deus non deeſt in neceſſariis; atqui maximè neceſſarium erat humano generi immortalitatem animæ eſſe evidentem, ergò nõ eſt veriſimile, quod Deus intellectum humanum in re tam neceſſaria deſeruerit. Major eſt axioma receptum, minor prob. 1. quia generi humano neceſſaria eſt religio & agnitio Dei; atqui ignotâ immortalitate animæ neq; religio neque notitia Dei conſervari poteſt, quia videmus improbos in hac vita proſperis & probos adverſis uri rebus; ſi ergò non conſtaret ſupereſſe aliam vitam, in qua pænæ & præmia expectanda eſſent, non poſſet ullo modo cognoſci Dei juſtitia, imò contrarium; ſi autem non cognoſcatur juſtitia Dei, neque etiam agnitio habebitur. 2. generi humano, ut vitam rectæ rationi convenientem agat, neceſſarius eſt amor virtutum & odium vitiorum, quæ ſublatâ immortalitate animæ tolluntur; unde illud, edamus, bibamus, quia cras moriemur &c. 3. ad conſervandam hominum inter ſe ſocietatem neceſſaria eſt cognitio immortalitatis animæ, quâ ſublatâ videmus naturæ jura maximè violari. Prob. 4. ex

Ex conſenſu omnium gentium.

Ex fide & vera Philoſophia.

Ex religione & cognitione Dei.

Ex cognitione animæ.

Ex appetitu animæ [illegible]

ex appetitu animæ rationalis; ſi enim anima non eſt immortalis, vanus eſt ejus appetitus naturalis; conſeq. eſt abſurdum, ergò & antecedens. Nam omnes deſideramus felicitatem, appetimus omnes naturaliter Authorem naturæ Deum perfectè cognoſcere & illo frui, nominis gloriam, celebritatem poſt mortem.

Ex dignitate animæ quæ tendit in omnes.

Prob. denique ex dignitate & præſtantia naturæ vel animæ ejusque potentiarum, quia nulla forma corruptibilis tendit per amorem in rē ſibi contrariam à qua poſſet deſtrui; ſed anima per intellectum & voluntatem tendit in res omnes, ergò nulla eſt ei contraria à qua poſſet deſtrui.

DICO 2. poteſt demonſtrari rationibus ex naturali philoſophia petitis, animam rationalem eſſe immortalem. Prob. per hunc diſcurſum, omnis ſubſtantia immaterialis eſt immortalis; ſed anima eſt ſubſtantia immaterialis, ergò. major prob. quod poteſt interire, vel

Immortalitas animæ rationalis ex lumine naturali.

poteſt deſtrui à principio intrinſeco vel extrinſeco; ſubſtantia immaterialis neutro modo poteſt deſtrui, ergò eſt immortalis; loquor autem de externo ente create, quia certum eſt nihil ita eſſe immortale quod à Deo non poſſit deſtrui. Non poteſt imprimis ſubſtantia immaterialis deſtrui à principio intrinſeco, quia tale principium corruptionis eſt materia, qua caret anima rationalis ſed nec dependet ab ea. Nec poteſt corrumpi à principio extrinſeco, quia nullum Agens externum poteſt aliquid corrumpere quod non habet principium intrinſecum corruptionis paſſivum juxtà illud omni potentiæ activæ reſpondet aliqua potentia paſſiva: Reſtat ergò ut probetur minor, quod videl. anima ſit ſubſtantia immaterialis: Illa ſubſtantia eſt imaterialis, quæ habet actionē independentem à materia, ſed anima rationalis habet talem actionem, ergò. major prob. quia ut habet communeaxioma, modus operandi ſequitur modum eſſendi; at ſi operatio eſſet immaterialis, ſubſtantia verò materialis modus operandi longè ſuperaret modum eſſendi. Prob. etiam minor, quod ſcil. anima habeat operationem independentem à materia, quia intellectus poteſt quidditativè cognoſcere ens univerſale; ſed talis operatio eſt independens à materia, ergò. Major conſtat experientia, quia non cognoſcimus tantum Ens per quandam analogiam ad alia entia ſicut cognoſcimus Deum, ſed etiam ita ut veram ejus rationem explicare poſſimus quod eſt quidditativè cognoſcere &c. Prob. minor ex eodem principio; quandocunque objectū alicujus operationis in ſuo modo eſſendi excedit modum eſſendi potentiæ, tunc etiam modus operandi circà tale objectum excedit modum eſſendi potentiæ; ſed modus operandi non poteſt excedere modum eſſendi, ergò non poteſt potentia materialis tale objectum quidditativè cognoſcere. Quod autem ens univerſale tanquam objectum in ſuo modo eſſendi excedat modum eſſendi potentiæ materialis, prob. quia hæc eſt corruptibilis & aſtricta conditionibus individuantibus materialibus; Ens autem univerſale, quatenus objectum eſt, debet eſſe incorruptibile & præciſum à conditionibus individuantibus materialibus, ergò ratione objecti habet modum excedentem modum eſſendi potentiæ.

Quare quisque mortem timeat.

Si quæras, quare ergò, ſi anima eſt immaterialis, quisque mortem horreat. Reſp. id fieri vel ex appetitu rationali, quo anima propter malam vitam præteritam timet pænam futuram, vel quia anima cupit naturaliter manere unita corpori, proindeque alium ſtatum ſibi incognitum habet, vel quia appetitus ſenſitivus dolorem ex hac ſeparatione reformidat &c.

Colligitur, omnia argumenta immortalitatis animæ, quorum etiam 22. reperies apud Leſſium in hac materia, deſumi 1. ex dignitate & præſtantia animæ ejusque potentiarum. 2. ex appetitu animæ rationalis. 3. ex operationibus. 4. ex modo operandi. 5. ex obligatione ad officia virtutum. 6. ex bonitate Dei, quæ non patitur ut animus cum corpore pereat. 7. ex juſtitia Dei ad quem pertinet rectefactis tribuere præmia & ſceleribus pœnam,

DIFFICULTAS XXXVII.

Quid Ariſt. de animæ rationalis immortalite ſenſerit.

MUltis in locis videtur Ariſtoteles fuiſſe dubius & perplexus, magis tamen in partem affirmativam immortalitatis inclinaſſe. Putatur autem ob difficultates ambiguus fuiſſe & obſcuritatem affectaſſe ut ſcribunt Conn, 1. diſp. de anima ſeparata a. 2. & alii. Neque enim vidit 1. quomodo infinitam animatum multitudinem evitaret poſitâ mundi æternitate quam ipſe conceſſit. 2. non vidit quomodo anima infinito tempore exiſtat extrà corpus & tam brevi in ipſo corpore, cujus eſt actus & perfectio naturalis. 3. quia nunquam benè hanc quæſtionem diſſolvit, cum tamen ſæpius in eam inciderit, illudque facere t. de anima promiſerit. Quod autem animā mortalem eſſe judicaverit, imputant ipſi Alex. Aphrod. auditor ipſius l. 3. de anima, Plut. l. de piac. philoſ. & nulli alii. Nam inter multa alia habentur hæc ab ipſo, omnem ſubſtantiam phyſicam aut eſſe corpus aut cum corpore genetari 3. cæl. c. 1. Item ex nihilo nihil fieri 1. Phyſ. c. 4. aliisque in locis, ergò anima fiet ex re aliqua, quæ tandem reſolvetur in idem principium, ſcil. animam. Rurſum t. cæl. l. 26. ait, nihil poſſe eſſe incorruptibile quod aliquando inceperit eſſe, & l. 2. c. 1. formam naturalem non niſi ratione à materia ſeparabilem eſſe, & rursū c. 3. ejusd. lib. nihil quod præter naturā eſt & violentū, eſſe perpetuum, ergò neque anima, quæ violenter eſt à corpore ſeparata. Plura vide apud Dand. l. 3. de anima & ejus immortal. ubi ad ſingula hæc reſpondet.

DICO, multò probabilius eſt apud pleroaque Authores, Ariſtotelem agnoviſſe immortalitatem animæ intellectivæ. Hoc probari poteſt ex duplici argumento: Primum deſumitur ex locis quibus occaſione quadam in hujus rei memoriam incidit; alterum ea iis in quibus ex profeſſo hanc rem tractavit & diſputavit. Ex prioribus quamvis non ducatur firmum argumentum, tamen videtur magis in immortalitatem propendiſſe; Nam cum toties in ejus mentionem incideril, ſemper oſtendit ſibi magis placere opinionem Platonis qui ſtatuebat animam immortalem, cum tamen ubi diſſentit à Platone, libenter ejus carpendi occaſionem accipiat; Ejusmodi ſunt, quæ habet 1. de Part. c. 1. ubi oſtendit Phyſici non eſſe agere de anima rationali. Item 1. de anima c. 4. ubi ait intellectum eſſe quid divinum, &c. Ex profeſſo verò hanc rem diſputavit 1. de anima, ubi cum c. 4. dixiſſet, corrupto corpore non poſſe manere operationes animæ ſenſitivæ eò quod ſenſus ſit materialis & corruptibilis, ſubjungit, fortaſſis intellectum eſſe quid divinius ac proinde impaſſibilem ejusque operationem corrupto corpore permanere. Addit fortaſſè, quia non erat locus diſputandi; Hinc tamen licet ita argumentari, anima quæ eſt impaſſibilis, corrupto corpore poteſt operari, ergò exiſtere, ergò ſi Ariſtoteles alicubi ex propria ſententia voluit animam rationalem eſſe ex ſe impaſſibilem, conſtabit etiã ejus ſentẽtiã, eam & poſſe eſſe & ſeparari extrà corpus: Sed l. 3. de anima c. 4. in quo profitetur ſe ex propria ſententia agere de anima rationali non ſolum aſſerit, ſed etiam optimis rationibus probat animam rationalẽ eſſe impaſſibilem & immaterialem: primò enim cum dixiſſet, intelligere eſſe quoddam pati ſive ſentire, ne quis ex eo inferret intellectum eſſe corruptibilem ſicut eſt ſenſus, probat eam eſſe impaſſibilem, nec ſicut dixerat Anaxagoras permiſtam cum corpore, nec quicquam habere commune cum rebus corporeis, eſſe immaterialem, &c. Deinde argumentatur eodem capite, anima rationalis cognoſcit omnia, ergò eſt in potentia ad omnia, ergò eſt immaterialis & impaſſibilis. Adhæc ſenſus læditur à vehementi ſenſili, quod de intellectu dici non poteſt, quia hic potius corroboratur ſicut videmus cum per fortes ſpeculationes in cognitionem rerum devenimus. Quod autem aliquando forti cogitatione multoque ſtudio lædatur valetudo, hoc fit per accidens, quia læditur phantaſia & producitur aliqua peregrina qualitas in cerebro; Et infrà ait, intellectus eſt à corpore ſeparabilis, ergò immaterialis & immortalis. Plura vide apud Dand: cit. qui multis adhuc argumentis & locis ex Ariſtot. deſumptis animæ immortalitatem probat; Et certè demonſtrationes quibus animæ immortalitatem probamus lumine naturali, vel ſunt à priori vel à poſteriori; A priori ſunt, intellectus eſt ſubſtantia ſimplex, ergò immortalis; Intellectus eſt intelligens ſubſtantia, ergò immortalis; Intellectus eſt immaterialis, ergò immortalis; Intellectus non eſt permiſtus cum corpore neque actus à corpore pendens, ergò immortalis. A poſteriori, intellectus habet propriam operationem, in qua utitur organo incorporeo, ergò cum anima poteſt ſeparari à corpore & operari; Intellectus intelligit omnia, ergò ſubſtantiam habet immaterialem & liberam. Intellectus ſeipſum intelligit, ergò immaterialis eſt. Intellectus non alteratur corporeis actionibus aut qualitatibus, ergò. Intellectus non fatigatur, non corrumpitur, non læditur à vehementioribus objectis, &c. Ergò ex natura ſua eſt incorporeus & immaterialis.

A priori prob. animæ immortalitas.

A poſteriori.

DIFFICVLTAS XXXVIII.

An omnes animæ rationales ſint æquales in perfectione, an verò differant ſubſtantialiter.

DUplex eſt differentia, eſſentialis ſeu ſpecifica & individualis, & conſequenter etiam duplex perfectio. De priori nemo dubitat; de poſteriori difficultas eſt, an v. g. anima Petri ratione ſuæ differentiæ individualis melior ſit & perfectior quam anima Pauli, an verò illa ingeniorum & operationum diverſitas quam cernimus potius aſcribi debeat accidentibus & temperamento corporis; Priori modo dicetur una anima ab altera differre, non quidem eſſentialiter nec accidentaliter, ſed ſubſtantialiter eo ferè modo quo Philoſophi de partibus heterogeneis earumq; informatione diſputare ſolent.

Opinio 1. eſt omnes animas rationales eſſe naturæ dignitate pares; Et hanc defendunt non tam antiquiores quam ex recentioribus Soncinas, Durandus, Zimera, Toletus, Fonſeca, Hurtadus, Conimbricenſes 2. de anima c. 1. q. 5. a. 1. qui licet utramque ſententiam judicent eſſe probabilem, hanc tamen præferunt, quod omnes animæ in individuis ſint ejusdẽ perfectionis in eſſe naturæ & eſſentiæ; Et ſi qui effectus ſive operationes in uno homine perfectius exerceantur quam in alio, id oriri ex perfectioribus organis, v.g. melior viſus ex organo benè conſtituto. Hæc opinio Prob. 1. ſi animæ hominum in ſuis individuis habent inæqualem perfectionem, ſequitur idem dicendum eſſe de aliis individuis quæ ſunt ejusdem ſpeciei infimæ; ſed hoc eſt abſurdum, ergò & illud, minor Prob. quod ſcilicet leones, canes, &c. In ſua ſpecie non ſint inæqualiter perfecti, quia aliàs effectus ſemper degenerarent à cauſis, cum tamen ſemper cauſa univoca producat effectum ſibi omninò ſimilem. Prob. 2. Ratio præcipua hujus inæqualitatis eſt diſſimilis operatio; Sed hoc non valet, ergò quia hoc totum aſcribendum eſt diſpoſitioni organorum. 3. Idem homo in operando jam promptior eſt jam ſegnior ut conſtat; Sed hoc totum non provenit à natura animæ ſed à varia organorum diſpoſitione, er-

ne, ergò; Nam aliàs accederet vel decederet aliquid perfectionis animæ, quoties fieret aliqua talis mutatio in operando. Accedit 4. Authoritas Ariſt. 1. de anima c. 4. 2. de anima c. 9. 3. met. c. 3. ſect. 31. Probl. q. 14. aliisque in locis.

Opinio 2. eſt Capreoli, Ægidii, Ferratienſis, Javelli, Abulenſis, Cajetani, Rubii tr. de plurat. animatum q. 3. pluriumque recentiorum, videl. animas rat. inter ſe quoad perfectionem & imperfectionem differre ſubſtantialiter: Prob. hæc opinio 1. Authoritate Magiſtri ſentent. D. Thomæ & Academiæ Pariſienſis Mag. ſent. in 2. Diſt. 17. ubi ait, probabile videri multis, quod animæ aliquæ ex ipſa creatione præſtent aliis in materialibus donis, & in eſſentia ſit aliis alia ſublimior. D. Thomam vide apud Conn. citatos a. 2. ad initium. Doctores Pariſienſes damnant erroris eos qui aſſeruntanimas omnes (poſſunt enim multæ eſſe æquales absque ulla contradictione) ab origine eſſe æquales, quia aliàs ajunt anima Chriſti non eſſet perfectior quam anima Judæ. Prob. 2. ratione, diſpoſitio & organiſatio corporis per ſe & ex propria principalique intentione agentis naturalis inducitur propter animam infundendam, ergò melior & perfectior diſpoſitio propter perfectiorem animam. Prob. conſequentia, meliorem informationem ſequitur effectus formalis ſive compoſitum perfectius; Sed meliorem informationem cauſat melior diſpoſitio, ergò ubi ſunt perfectiores diſpoſitiones, etiam perfectior erit anima. Neque dicas ſequi animam perfectiorem accidentaliter; Quia effectus formalis per ſe 1. commenſuratur cum perfectione formæ, non cum accidentibus, & ex diſpoſitionibus colligimus perfectiorem effectum formalem & conſequenter perfectiorem formam. Prob. 3. Intellectus naturaliter ſequitur & emanat ab eſſentia animæ; Sed unus homo habet perfectiorem intellectum quam alius, ergò perfectiorem etiam animam. Prob. minor, ex perfectiori operatione colligitur perfectior potentia; ſed unus habet alio perfectiores operationes, ut in tanta diverſitate & tam magno exceſſu incredibile ſit, ex ſola corporis diſpoſitione eam provenire, quamvis hæc ad ingenii bonitatem multum conferat. Confirmatur, Sap. 8. Salomon de ſe ipſo teſtatur, puer eram ingenioſus & ſortitus animam bonam, quod multi de ſubſtantiali perfectione interpretantur. Cur autem in omnibus aliis rebus naturalibus non facilè accidat hæc inæqualitas, ratio eſt, quia non invenitur in illis ea tanta diverſitas in modo operandi; Ignis enim aliaque elementa habent determinatum modum in quo talis exceſſus non reperitur ut in ingeniis hominum. Cæterùm quomodo anima uniatur partibus heterogeneis, Philoſophorum eſt proprium diſcutere, hic autem quam quisque volet, opinionem eligat & ſequatur.

DIFFICVLTAS XXXIX.

Quot ſint genera materiarum.

ADverte, nomen generis non accipi hic Metaphyſicè ſeu propriè, quaſi quælibet anima (idem de genere ad animata & potentias intellige) ſic unum genus, cum conſtet animam rationalem eſſe ſpeciem infimam, ſed pro ordine aliquo & ratione communi ut ſenſus ſit, an omnes animæ ad 3. Claſſes revocari poſſint.

Genus accipitur pro aliquo ordine vel ratione communi.

DICO, tria ſunt genera animarum, videl. vegetativum, ſenſitivum & rationale. Ita communiter omnes docent & prob. 1. quia ſunt tot ordines animarum, quot ſunt modi elevationis animæ ſuprà formas inanimatas; ſed tales ſunt tres, ergò. Prob. minor, quia primus modus eſt, quod anima ſit principium intrinſecum vitaliter operandi ſine ulla cognitione, & hic eſt proprius animæ vegetativæ, diſtinctus à modo quo inanimata operantur. 2. Eſt, quod anima ſit principium vitaliter operandi cum cognitione imperfecta dependenter ab organis corporeis, qui modus eſt proprius animæ ſenſitivæ. Tertius, cum cognitione perfecta independenter ab organis ſubjectivè, licet non neceſſariò objectivè; Et hic eſt animæ rationalis. Prob. 2. tot ſunt animæ quot ſunt operationes genere diſtinctæ; Sed hæ tres ſunt, ergò. Prob. minor; quædam enim viventia tantum nutriuntur, augentur & ſimile ſibi generant; Quædam inſuper ſentiunt; Et præter hæc alia etiam ratiocinantur.

DICES 1 plantæ inutiles ſuccos rejiciunt, utiles attrahunt; vitis enim braſſicę & lauri vicinitatē refugit, ergò ſenſum habent eruntq; duo tantum animarum genera; Reſp. hoc non provenire ex aliquo ſenſu, ſed ex ſympathia & antipathia, de qua l. 2. Diſp. 15 agetur; Eſt autem hic appetitus plantarum nihil aliud quam inclinatio in proprium objectum, qualis eſt in materia reſpectu formarum.

Appetitus plantarum.

DICES 2. operationes animæ vegetativæ non exercentur aliter quam corporum non viventium per primas qualitates, ergò in modo non differunt. Reſp. etiamſi actiones in rebus tam vegetativis quam inanimatis calore adminiſtrentur, modus tamen in utrisque diverſus eſt, quia in iis calor tantum eſt inſtrumentum, in his autem rerum Dominus, unde etiam hujusmodi actiones etiamſi non differant quoad ſpeciem, differunt tamen quoad modos & ut ſunt tales.

DICES 3. plantæ non nutriuntur ab intrinſeco, ſed à calore ſolis, ergò non vivunt & conſequenter forma ipſorum non erit anima; Antec. patet, quia acceſſu & receſſu ſolis moriuntur & reviviſcunt. Reſp. calorem innatum plantis non eſſe magnum, ideoque ſolum non ſufficere ad operationem niſi extrinſecus adjuvetur à calore ſolis, cujus loco animalia habent ſpiritus à corde promanantes, qui eorum actiones juvent.

DI-

Digitized by Google

Operationum interdum ad objecta ſunt 5. genera.

DICES 4. 5. ſunt genera operationum vitalium, ergò etiam animarum. R. ſi operationes ſpectentur in ordine ad ſua principia, falſum eſſe, ſi in ordine ad objecta, verum, quia hoc modo nūerari poſſunt quinq; neg. ergò conſ.

DICES 5. 4. ſunt genera animatorum, ergò etiam totidem animatum, quia Zoophita verè ſentiunt, etiamſi non moveantur loco. R. ſenſitiva & loco motiva non eſſa diſtincta genera, quia non habent diverſos gradus eſſentiales, accidere autem illud ex diſpoſitione ſubjecti, ut loco motivum non reperiatur in omnibus ſenſitivis.

DICES 6. etiamſi anima vegetativa non ſit ſenſitiva, tamen contrà ſenſitiva eſt vegetativa, & rationalis eſt ſenſitiva & vegetativa, ergò primum membrum continetur ſub ſecundo & utrumque ſub tertio. Reſp. dupliciter ſumi poſſe animam vegetativam & ſenſitivam; 1. Pro gradu communi pluribus animabus; ſecundò pro ultima differentia vegetativi vel ſenſitivi, v.g. ultima differentia eſt plantæ qua conſtituitur in eſſe plantæ, & animal in eſſe animalis; Quando igitur dividitur anima in vegetativam, ſenſitivam & rationalem, accipienda ſunt hæc poſteriori modo, ut ſenſus ſit, aliam eſſe animam, cujus ultima differentia ſit conſtituere in gradu ſenſitivo & aliam quæ in rationali. Cæterùm in anima ſenſitiva hoc modo ſumpta non continetur vegetativa, nec in rationali ſenſitiva.

DIFFICVLTAS LX.

Quot ſint genera animatorum.

ADvette, animata duobus modis ſumi: 1. ſecundum rationem eſſentialem animæ & gradus ſeu vitæ principia ab invicem ſeparata. 2. Per ordinem ad ſubjecta animata in quibus diverſum genus potentiæ vitalis ſine aliis reperitur, vel etiam realiter omninò ab aliis ſeparatur.

DICO 1. Si animata primo modo ſpectentur, tria tantum ſunt genera animatorum. Ratio eſt quia tria tantum ſunt genera animarum ſecundum ſuos gradus eſſentiales ab invicem ſeparata & diſtincta.

DICO 2. Si ſpectentur animata ſecundo modo, dantur eorum 4. genera. Prob. tot ſunt genera animatorum quot ſunt genera potentiarum vitalium ſeparata; Atqui ſunt tantum 4. ergò. Prob. minor 1. nam reperitur vegetativum in iis quibus ineſt potentia vegetativa ut nutriens, &c. Sine ſenſitiva, loco motiva & rationali, videl. in planta. 2. Senſitivum imperfectum ſine loco motiva & rationali, ut in oſtreis, ſpongiis. 3. Senſitivum perfectum & loco motivum ſine rationali, ut in brutis animantibus. 4. Denique rationale; Nec obſtat quod genera poſteriora, videl: ſenſitivum & rationale non ſint aut reperiantur in prioribus; quæ enim in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus & perfectis ſunt collecta: ſunt tamen nonnulli apud quos parum intereſtan diviſio ſecundum ultimum modum in plura vel pauciora genera fiat; Nam inquiunt ex ſenſitivis quædam carent potentia generativa, quædam repunt, alia dilatando & ſtringendo ſe moventur, &c. Ex quibus apparet, omnibus vegetabilibus ineſſe motum quamvis aliquando ſatis imperfectum, proindeque plura conſtitui poſſe genera vel pauciora; Et ſit hæc vulgata diviſio in 4. genera attendendo ad ea quæ nobis notiora ſunt; Motus enim ille Zophitorum valdè exiguus eſt, & incertum an careant potentia aliqua generante & quænam ille ſit, quia hactenus non ſatis hoc exploratum habetur: De mineralibus conſtat non eſſe animata, nec in iis exerceri ullam operationem vitalem.

DIFFICVLTAS XLI.

An anima rationalis ſit diviſibilis.

DE diviſibilitate formarum ſubſtant: in communi quæſitum fuit ſuperius Diffic. 14. hic quæritur de anima rationali tantum, de qua

Adverte 1. diviſibilitatem vel fieri poſſe in partes eſſentiales Metaphyſicas ut genus & differentiam, vel in eſſentiales phyſicas ut formam & materiam, vel in materiales ſive integrantes, vel denique in poteſtativas. De ſolis integrantibus hic dubium eſt hoc ſenſu, an anima rationalis habeat partes entitativas diſtinctas ſicut materia prima, ratione quarum ita extendatur in ſubjecto per quantitatem ut una pars uni alteta alteri parti ſubjecti quanti commenſuretur, atque ita extenſa ſit in ordine ad locum non per ſe, quia id ſoli quantitati competit, ſed per accidens ratione quantitatis. 2. Si qua forma natura ſua ſit indiviſibilis & careat partibus, tota poteſt exiſtere in toto & tota in ſingulis ejus partibus: ſin minus, non poterit; hæc enim duo conſeqvuntur ſe & unum ex altero infertur.

DICO breviter, anima rationalis eſt indiviſibilis. Hoc ita certum eſt, ut contrarium ſit temerarium & periculoſum in fide. Prob. 1. ſi anima rational. foret diviſibilis, non eſſet immortalis; ſed hoc eſt contra fidem, ergò. Prob. ſequela, ſi eſt diviſibilis, habet partes entitativas quæ commenſurentur partibus ſubjecti quanti, ergò una pars illius erit in pedes altera in manu, &c. Ergò ſi abſcindatur manus, ſimul ſeparabitur ea pars animæ & ſi corrumpatur manus, neceſſariò etiam corrumpetur ea pars animæ. Prob. 2. anima rationàl. eſt ſubſtantia purè ſpiritualis & ſimplex nihil habens admixtum entitatis corporeæ, ergò eſt indiviſibilis.

DICES 1. ſi anima eſt indiviſibilis, non poterit extendere ſe in adgeneratione, cum nova pats homini accedit. Reſp. unionem habere partes integrantes, ac proinde cum novum alimentum ſufficienter diſpoſitum eſt ad generationem, anima tota per novam partem unionis de novo productam unitur & informat

eam

eam partem carnis v. g. quæ accedit & ſic dicitur extendere ſe: A quo autem producatur hæc particula nova unionis, an ab Agente corporeo, id eſt, à potentia generativa vel nutritiva, an à Deo, vide infrà Diſp. 11. Difficult. 4.

DICES 2. Si conſequentia ſecundæ probationis in concluſione valeret, conſequenter omnis res ſpiritualis eſſet indiviſibilis, & tamen contrarium reperitur in actibus & ſpiritualibus habitibus, qui recipiunt gradus remiſſionis & intenſionis. 2. In motu Angelorum. 3. In unione animæ rationalis, de quo vide Hurt. Diſp. 2. de anima ſ. 3. hæc objectio ut melius intelligatur, ſit

DIFFICULTAS XLII.

An anima rationalis ideò ſit indiviſibilis, quia eſt ſpiritualis.

VT hæc quæſtio benè intelligatur, neceſſariò inveſtigandum eſt, quis ſit formalis conceptus ſpiritus ut contradiſtinctià corpore: Hac in re duplex eſt ſententia inter duos magnos hoc noſtro ſeculo noſtriſque annis Philoſophos, nimirùm Hurtadum inter & Arriagam, qui rem hanc ex profeſſo tractarunt.

Opinio itaque prima Hurtadi eſt Diſp. 2. de anima ſect. 2. ſubſect. 4. §. 50. nomine corporis ab omnibus bonæ notæ Philoſophis intelligi ſubſtantiam abſolutam, id eſt, non modalem, ſed compoſitam ex partibus integrantibus; proinde omne illud eſſe corporeum prout opponitur ſpiritui, quod ejuſmodi partibus integrantibus conſtat, vel quod ſaltem intrinſecè ad ejuſmodi compoſitionem ſpectat. E contrario verò ait ſpiritum eſſe ſubſtantiam perfectè ſubſiſtentem carentem partibus integrantibus, & conſequenter rem ſpiritualem eſſe quæ careat omni compoſitione integrante. Sic propoſitam ſententiam probat §. 56. & 63. ex quibus eliciur hoc argumentum; Ex corporibus quæ de facto exiſtunt, benè inveſtigatur ratio corporis ut ſic, & ex ſpiritibus de facto exiſtentibus ratio ſpiritus ut ſic; Sed omnia corpora de facto conſtant partibus integrantibus, & omnis ſpiritus quem de facto cognoſcimus, caret ejuſmodi compoſitione integrante, ergò corpus ut ſic eſt quod conſtat partibus integrantibus, & ſpiritus ut ſic qui iiſdem caret. Major prob. à pari, quia ideò hominem ut ſic dicimus eſſe rationalem, quia omnes homines quos de facto cognoſcimus, ſunt rationales, ergò etiam idem dicendum eſt, corpus ut ſic eſſe id quod conſtat, ſpiritum verò quod caret partibus integrantibus, quia omne corpus de facto iis conſtat, & omnis ſpritus iis caret.

Opinio 2. eſt Arriagæ d. 1. de anima ſ. 4. ſubſ. 2. non 100. ubi ait corpus eſſe ſubſtantiã per ſe impenetrabilem cum alia ejuſdem ſpeciei, ubi non requirit, ut corpus habeat partes, ſed ſolum ut ſit impenetrabile cum alio individuo ejuſdem ſpeciei; rem verò corpoream ait eſſe quas vel per ſe eſt impenetrabilis cum altera ejuſdem ſpeciei vel eum re hoc modo impenetrabili commenſuratur, hoc eſt ut ipſe loco cit: explicat, pendet naturaliter ab illa ut à ſubjecto vel ut à forma, per quam dependentiam fit ut id quod dependet, pertineat ad genus ſui ſubjecti ut formæ à qua pendet: Et contrario nomine ſpiritus intelligi docet ſubſtantiam per ſe penetrabilem cum alia ejuſdem ſpeciei; Et nomine rei ſpiritualis illud Ens quod vel per ſe eſt penetrabile cum altero ejuſdem ſpeciei, vel commenſuratur cum re hoc modo penetrabili. In hoc ſententiarum diſſidio incertum penè eſt quid fieri oporteat, niſi quis media calle incedere cogitet ita ut aliquid ab Hurtado & ruſum aliquid ab Arriaga ſumat, & ſic utramque ſententiam conciliare ſtudeat. Itaque

DICO 1. Corpus eſt ſubſtantia abſoluta, non exiſtens in alio, conſtans partibus integrantibus exigentibus quantitatem vel mediatè vel immediatè. Spiritus verò eſt ſubſtantia abſoluta per ſe ſubſiſtens, independens à priori ab omni alia cauſa præterquam ab efficiente, carens partibus integrantibus exigentibus quantitatem, quamvis alias integrantes non exigentes quantitatem habere poſſit. Prob. hæc concluſio, quia quicquid in ſententiarum litigio occurrere poteſt difficultis, facilè enodatur adeoque ſententia utraque conciliatur; Mens etiam SS. Patrum ac Theologorum facilè explicatur, & inter ſpiritum ac corpus, ſimul etiam inter rem ſpiritualem ac corpoream facilè aſſignatur diſcrimen. Hac ergò in re cum Hurtado ſentio, quod corpus ſit ſubſtantia abſoluta conſtans partibus integrantibus. Cum Arriaga, quod partes illæ corporis integrantes exigant quantitatem ſive impenetrabilitatem cum alio individuo ejuſdem ſpeciei. Item cum Hurtado ſentio, quod ſpiritus careat partibus integrantibus exigentibus quantitatem; Cum Arriaga verò quod alias partes integrantes non exigentes quantitatem habere poſſit. Hoc poſtremum facilè probatur, quia de facto ens ſpirituale habet partes intenſionis, ergò non repugnat ſaltem de poſſibili habere partes extenſionis, quia non poteſt reddi ratio cur magis officiat rei ſpirituali habere partes extenſionis quam intenſionis. Antec. patet in habitibus & actibus ſpiritualibus ſupernaturalibus & naturalibus qui poſſunt eſſe vel magis vel minus intenſi. Et hinc quod colligitur *Habitus & actus ſpirituales ſunt diviſibiles.*

DICO 2. Anima rationalis non eſt præcisè ideò indiviſibilis quia eſt ſpiritualis, ſed ideò quia eſt ſubſtantia ſpiritualis. Ratio, quia ut probatum eſt, non implicat ens ſpirituale eſſe diviſibile, ut patet in habitibus & actibus ſupernaturalibus & ſpiritualibus, ergò anima ex eo quod ſit ſpiritualis, non probatur eſſe indiviſibilis. Et hinc in probatione ſecunda concluſionis ſuperioris difficultatis ſtudio ſpirituale ad ſubſtantiam reſtricta eſt, quia non eſt par ratio ſubſtantiæ ſpiritualis & accidentium *Anima Rat. eſt indiv. quia eſt ſubſt. ſpiritualis.*

ſeu

ſeu modorum ſpiritualium, quia ſubſtantiæ longè perfectiores ſunt, & ex natura ſua & modo ſubſiſtendi minus habent affinitatis cum rebus materialibus; At verò accidentia, præſertim modi, v. g. unio & præſentia localis, entia ſunt valdè imperfecta, & participant hoc ipſo conditiones quaſdam materiæ, quod fieri & eſſe non poſſint niſi dependenter à ſubjecto, ſpatio vel materia.

Anima rat. ideò eſt indiv. quia eſt immortalis.

DICO 3. Anima rationalis ideò eſt indiviſibilis quia eſt immortalis. Prob. 1. quod eſt diviſibile, non eſt immortale, ergò ſi anima eſt immortalis ut habetur ex dictis, non poteſt eſſe diviſibilis. Prob antec. ſi anima eſſet diviſibilis, poſſet ei pars aliqua abſcindi, ergò hæc pars abſciſſa corrūpi quia deſineret operari, ergò conſequenter poſſit ei pars altera demi & dempta corrumpi & ſic conſequenter tota anima. Prob. 2. ratione morali ex eo quod ſit immortalis; Nam poſſet homini nondum baptizato aut exiſtenti ſolùm in peccato originali abſcindi pes, baptizato & exiſtenti in peccato veniali manus, exiſtenti verò in peccato mortali altera manus, ac demum poſſet ille idem mori in ſtatu gratiæ, ergò pars ejusdem animæ utpore immortalis eſſet in limbo, pars in purgatorio, pars in inferno, pars denique in cælo, quod eſt ridiculum.

DIFFICULTAS XLIII.

Quid de anima mundi cenſendum ſit.

Anima mundi quid apud veteres.

DE hac variæ fuerunt olim, ſuntque ad huc noſtro ſeculo inter quosdam & maximè inter ſectarios fratres Paracelſi roſeæque crucis opiniones; Ita autem inter ſe conveniant adeoque miſellam hanc animam defœdant, de formantque ſpurcis ſuis coloribus, ut nemini ſatis conſter ſitne illa accidens vel ſubſtantia, vivens an res inanimis, intelligentia vel forma cælis aſſiſtens, ſpiritus per totum univerſum diffuſus an alicubi ſolùm hærens. Plato in Timæo docet hanc animam eſſe ſpiritum viventem & ſpirantem, ſubſtantiale principiū omnium actionum totius univerſi; Et rurſum in Phædone ait, animam in medio mundi collocavit perque totum retendit atque eâ corpus ipſum extrinſecus etiam circumtexit, &c. Ex quibus Fonſ. l. 5, met. c. 5. q. 4. ſ. 4. Colligit Platonem intellexiſſe animam mundi eſſe formam aſſiſtentem. Quod ſi tamen, ait, voluerit, eſſe reverà formam informantem, rem miram non æſtimari ut qui plura ejusmodi fabuloſa v. g. migrationem animarum in alia corpora cum pythagoræis docuerit. Proclus ait unam eſſe mundi animam à Deo diverſam, & à qua cuncta corpora regantur, unde & ſtatuendam mundi æternitatem uſus eſt hoc argumento ut videre eſt apud Pierium l. 15. de æternitate motus & mundi; Anima univerſi caret ortu & interitu, ergò etiam mundus quem informat quod idem voluit Plato. Avicenna vocat hanc cholcodam, quæ in ſublunaribus ſit omnium rerum effectrix. Nonnulli ex modernis, qui injurioſè ſe vocant Philoſophos, ut ab antiquis gentib⁹ in re tam vili non videantur diſſentire, putant hanc animam mundi eſſe virtutem quandam Univerſalem diffuſam per omnes res ſublunares, & per quam omnia terrena inter ſe cohæreant, diſſentiant agantq; tam amicitias quam inimicitias per aſtra influentes; Itaque hanc animam ſeu ſpiritum in rebus ſympathicis & antipathicis ſolùm ineſſe efficaciter æſtimant; Nam Goclenius Morosophia ſua inter cætera fol. 84. Hic ſpiritus mundi ait, non eſt determinatus ex ſe ad certum aliquod genus, ſed habet ſe indifferenter ad genus ſubſtantiæ & accidentis, & ſortitur ejus naturam cui conjungitur; Itaque in accidentibus eſt accidens, in ſubſtantiis ſubſtantia, quia eſt quaſi medium quoddam Utriusq; naturæ duorum extremorum particeps; Et ea eſt tranſcendentium natura, ut aſſumant induantque naturam ſui particularis, quod patet in omnibus rebus creatis; Hoc ſpiritu conſervatur connexio & ſubordinatio partium univerſi; Hic ſpiritus eſt cauſa ordinis & connexionis illius, unde nulla dari poteſt cauſa neceſſitatis effectuum præter connexionē omnium rerum. Et fol. 191, Earundem quoque ait Concordantias non ab elementis ſed cælitus per ſtellarum radios in materiam inſeri imprimique mediante ſpiritu ſeu anima mundi generica, communiſſima, myſtica, ſecretiſſima, &c. Unde omne individuum cum incipit eſſe ſub determinata conſtellatione, accipit mirabilem quandam virtutē operandi & patiendi præter eam quam habet à ſpecie. Hæc Goclenius, qui alibi hanc animam vocat incolam naturæ inviſibilis, animæ mundanæ ſcintillulam, magneticam, agentem efficaciſſimè, cæli imaginationem & ejus animam, ſolem microcoſmicum. Hæc intelligit nemo niſi qui res divinas, ſecretas, myſticas, aſtrales ſyderales, &c. Id eſt fabulas intelligit. His poſitis

Anima mundi nō datur.

DICO, nulla datur ejusmodi monſtroſa forma, quæ anima ſeu ſpiritus mundi vocetur. Eſt omnium eorum qui veri ſunt Philoſophi & prob. 1. Non conſtat apud ipſos Authores, quid propriè ſit hæc beſtia, an ſubſtantia an accidens, an cornuta vel caudata. 2. Non poteſt ens unum eſſe perfectum & abſolutum cum ſead res tam diverſas quæ ſunt in ſublunarib⁹ diffundat, imò per totum univerſum tanquam confuſa atomorū multitudo diffluat. 3. Quicquid Goclenius ejusque fratres animæ huic tranſcribunt, id apud Ariſtotelicos ad cauſas naturales veteque phyſicas reducitur, unde prorſus ſupervacua eſt, incognita, fictitia & chymærā ratior. 4. Illa anima aut venit in compoſitionem rerum naturalium aut non; ſi primum, jam nullum erit ens naturale unum per ſe, utpote ex multis conflatum formis; ſi alterum, ergò hæc anima non agit vitaliter, quia actiones vitales veniunt à principio interno. 5. Eadem forma non poteſt conſtituere cōpoſita numero diverſa & non cōtinuata ut ſunt

ſunt quæ non eâdem materia ſingulari conſtant; Nam cum unitas ſicut & eſſe rei compoſitæ potiſſimum ſumatur à forma, ſi eadem forma eſſet in pluribus compoſitis, tunc ea quæ non differunt, unum potius Ens quam plura dicenda forent, quod abſurdum eſt dicere. 6. Eſt contrà communem rationem optimamque Philoſophiam, cujus parens eſt & Author Ariſtoteles vir tantus tantique ingenii & æſtimationis, ut Averrhoes in proœmio physicæ, 3. met. non longè à fine. 3. De anima Comment. 14. aliisque in locis præſtantiam operum ariſtotelicorum admiratus hoc ipſi laudi attribuerit, unum ſcilicet eſſe Ariſtotelem, qui credi debeat Regula & Exemplar à natura exhibitum, in quo ſumma perfectio quæ homini mortali contingere poſſit, eluceat; Tantam ingenii vim miraculum quoddam eſſe, eumque qui hæc mentis felicitate præditus fuit, divinum magis quam humanum dicendum eſſe, &c. Et tamen hic idem Ariſt. qui res omnes naturales, imò animam omnium Authorem ensque Entium ſolo lumine naturæ tam accuratè tamque abſolutè cognovit, ſcripſit, docuit & explicavit, ut omnium virorum doctorum judicio nihil planè deſiderari poſſit, hujus unius monſtri nullibi mentionem vel ſaltem mentionis umbram fecit, ut proinde mirum ſit, jam novos pullulare magiſtellos ſive ſectarios, qui per hanc deformem & plus quàm centum coloribus defædatam animam mirabiles gryphos & ſecreta aliàs per cauſas manifeſtas ſeu phyſicas clarius explicanda producant. Ut autem adhuc apertius conſtet, quis ſit hic ſpiritus & qui ejus ſectarii, placuit Marinum Merſennem in Gen. cap. 4. V. 10. a. 5. Hic addere; Inter omnes enim hic optimè utroſque depingit his verbis; Goclenius inquit per ſuam magicam & nobiliorem cauſam, nempè per ſpirituale vehiculum & vinculum illam vulnerali abſentis ſanationem explicat, & lucidum mundi ſpiritum, calorum rectorem ſeu vaporem mediæ inter corporeas & incorporeas ſubſtantias, naturæ Opificem, ſculptorem & formatorem introducit, ut magnetica curatio formis quibusdam inter vulnus & unguentum mediâ intercapedine mutuo occurſu unitis contingat: Verum cum hæc mundi anima nulla ſit, ab ea diligentius cavendum, quò prius audiunt illi tenebriones qui eam poſt Platonem, Jamblichum, Macrobium, Apulejum, Thaletem & Agrippã revocare ſatagunt, ex ea ſiquidem illa portenta concluderentur, 1. cæleſtem illam animam eſſe fontem omnium animatum, quæ fabricatori Deo ſubſerviat apud Apul. de dogmate Platonis. 2. Mentem Vniverſalem eſſe quam ſinguli intelligant, ut impii Arabes crediderunt. 3. Non ſolum magi ſed etiam Athei hac anima & hoc vehiculo ſpirituali ſuas impietates tuerentur. Hæc Merſennes.

Quis Ariſt. apud Averh.

DICES 1. Partes univerſi, ut ſtirpes, herbæ, bruta, &c. Vivunt, ergò etiam totum vivit, ne ſit deterioris Conditionis quam ſuæ partes. ergò datur anima mundi. 2. Multi ſunt effectus tam admirabiles, ut neceſſariò videatur admittenda eſſe forma hujusmodi univerſalis, quæ munia hæc exequatur, v. g. conformatio fætus, delineatio membrorum, diſtributio caloris nativi, diſpenſatio alimenti pro cujusque partis conditione; brutorum animalium operationes, conſenſus & diſſenſus mutuus rerum naturalium & id genus alia quæ videntur non niſi ad cauſam aliquam ſapientem, ſcilicet ad animam mundi referri poſſe. 3. Generantur multa animalia ex putri, quorum materiæ ſementivæ nulla vis ſingularis inſita eſt, nec etiam ſolus calor ſufficit ad ea procreanda, ergò ponenda eſt anima quæ mundo univerſo præſit, & quæ tanquam fons totius animationis vitam à ſe fundat & communicat. 4. Boëtius lib. 3. de conſol. Phil. meteor. 9. ait, Deum per animam mundi motus cæleſtium corporum adminiſtrare his verbis, tu triplicis medium naturæ cuncta moventem connectens animam per conſona membra reſolvis, &c. Reſp. ad primum, neg. antec. quia licet quædam partes mundi vivant, non tamen propterea totus mundus vivit, quia hic tanquam totum non conſtat ex partibus ſimilibus & continuantibus, ſed tantum ex aggregativis & diſſimilibus ſeu diverſarum ſpecierum. Ad ſecundum Reſp. ſatis eſſe quod quævis res naturalis ſuam habeat formam variumque apparatum proprietatum, virium latentium & accidentium, quæ in operando mutuam ſibi opem & operam exhibent, præſertim cum anima operetur directione cauſæ primæ, ut patet apud Phyſicos. Reſp. ad tertium, ortum animalium ex putri referendum eſſe ad cauſas ſuperiores cæleſtes & univerſales, quia hæ influunt in hæc inferiora. Ad quartum Reſpond. Boëtium non ex ſuo ſed ex Platonis ſenſu & opinione locutum fuiſſe.

DISPUTATIO DECIMA,

De vita Hominis Orientis.

Poſt animam ſequitur vita ut individualis Comes: Sicut autem homini nihil accidit deteſtabilius quam inter vivos deſinere, & in ea redire principia, ex quibus olim compactus fuerat, ita in contrarium nihil eſt eidem amabilius quam inter ſublunaria poſt acceptam animam vivere & inter mortales hoc agere ut nutriri, moveri & ſentire ſe ſciat. Hoc nimirum eſt primum & maximum in animalibus cunctisque vegetabilibus donum, quo cæteris rebus & compoſitis inanimatis ne cælis quidem exceptis præſtant; Illud autem ultimum & triſtiſſimum calamitatis ſignum, quo in alienum planè ſtatum abeunt & in funerales reſolvuntur cineres. Amica certè & beata hominis conditio vita eſt, etiam inter omnes ſui ſtatus amaritudines, miſerias & paſſiones; Et hanc tueri nihil laboris, nihil ſudoris & difficultatis intermittit; Hanc contrà quasvis injurias imminentesque tempeſtates protegere conatur, ut ſeſe juxtà ſolius naturæ ſuggeſtum in Individuo conſervet, id quod minimis etiam ex putri natis animalculis datum eſt, in quibus ad tutelam vittus conſervatrix, quæ feſtiviſſima naturæ filiola eſt, dominatur. Et verò vivit homo, non tamen æternum, ne inevitabili divinę Majeſtatis decreto exemptus & quaſi ex incorruptibilibus efformatus videatur: Materiam enim habet omnium formarum viciſſitudini ſubjectam, ſanguinem vi caloris in mẽbrorum alitionem conſumendum, organa variarum actionum pugnâ quotidiè immutanda, qualitates denique omnes ad interitum & fatale buſtum ſuâ contrarietate diſponentes. Et quid ſupereſt? Poſt ortum interitus, poſt generationem corruptio, poſt florentem adoleſcentiam & ſpirituoſam juventutem extrema ſenectus, tabes, conſumptio, & ut verbo dicam, tota vitæ noſtræ oblivio, nullaque carnis aut oſſium noſtrorum memoria. Ut ergò pauca quædam de hominis vita quæ prima ejusdem Orientis affectio eſt, dicantur, ſit

DIFFICULTAS I.

Quid ſit Vita.

Nota, vitam tripliciter accipi poſſe: 1. Pro ipſa anima, quæ eſt principium operationum vitalium. 2. Pro exiſtentia ejus in corpore. 3. Pro operatione vitali, quæ conſequitur animam tanquam omnium actionum vitalium principium ex 2. de anima cap. 1. Juxtà has acceptiones variæ ſolent ab Authoribus ex mente Ariſtotelis l. 2. de anima c. 1. 2. 4. & ſequentibus adferri definitiones, ut quod ſit conſervatio corporis animati per nutritionem, quod ſit unio animæ & corporis, quod ſit permanſio animæ in corpore, quod ſit conſervatio ejus caloris, qui eſt in corde, quod ſit conſervatio facultatum corporis animati, &c. His poſitis

DICO, vita eſt permanſio animæ vegetatricis cum calore. Ita Ariſt. l. de reſpiratione. *Vita quid.* Definitur hic vita quam habent corpora & compoſita Phyſica, ut vegetabilia, ſenſitiva & homo, non quam habent Angeli & ſubſtantiæ abſtractæ, quia de horum vita non eſt hic ſermo ut patet ſequentibus verbis definitionis. Dicitur autem permanſio animæ vegetatricis, quia non definitur vita, quatenus omnibus viventium gradibus ut ſentiendi, movendi, intelligendi competit, ſed tantum quatenus vegetanti, quia nullum eſt vivens quod hoc gradu careat, unde etiam definitio communem omnium viventium vitam complectitur. Dicitur tandem cum calore, quia hoc commune eſt inſtrumentum, quo anima in corpore conſervatur, quo animal vivit, quo actiones vitales laudabiliter adminiſtrantur, ut multis in locis videre eſt apud Ariſtotelem. Cæterùm data definitio non cadit in primam acceptionẽ ut per ſe conſtar, quia alioquin ſenſus foret, animam eſſe permanſionem ſui ipſius in corpore, quod ridiculum eſt & abſurdum; Definit autem Ariſt. l. de motu cordis vitam eſſentialiter ſumptam, id eſt, eſſentiam rei viventis conſtituentem, quod videl. ſit principium actus animæ. In ſecunda acceptione definitio eſt formalis contrà Turiſanum in Comment. 12. ad 2. l. a. parvæ Gal. ubi cum aliis putat, vitam formaliter in actu ſecundo & operatione conſiſtere ac præſertim in nutritione, quæ nunquã niſi per mortem ceſſet. Nam etſi anima ſemper aliquid operetur in corpore; Nihilominus tamen, ſi omninò ab operatione ceſſaret, viveret revera illud corpus, in quo ipſa eſſet. Et Ariſt. l. 2. de anima c. 4 apertè dicit, vitam eſſe actum primum & eſſentialem cum dixit, vivere eſſe viventium eſſentiam: & hoc idem alii ſentiunt, qui dicunt, vitam non in operatione ſed in conjunctione animæ cum corpore conſiſtere. *Vita non conſiſtit formaliter & primariò in operatione.* Quod ſi tamen Ariſt. l. cit. c. 1. dicat, vitam eſſe actum ſecundum, ſimul etiam dicit eſſe actum primum, ex quo vitalis operatio proficiſcatur. In tertia demum acceptione definitio eſt cauſalis, quia ſenſus eſt quod vita ſive vitalis operatio ſit permanſio, id eſt, proficiſcatur ex permanſione animæ vegetativæ in corpore, quod ab ea informatur.

Colligitur vitam deberi animæ tanquam principio, per quod fiunt operationes, corporiantem ejusque ſingulis membris, in quibus exercentur hujusmodi operationes.

DIF-

DIFFICULTAS II.

Quæ ſint cauſæ & principia vitæ.

SI vita ſumatur pro effectu formali animæ, conſtat ipſam animam eſſe principium vivendi ſicut docet Ariſtot.cit.c.2. ubi dicuntur omnia viventia propter hoc principium vivere: Sed quia illud retineri aut permanere non poteſt in corpore organico, niſi adſit quædam diſpoſitio, propter quam ipſa operetur; ideò quæritur, quænam ſit illa & unde producatur; quod autem non videatur eſſe ipſa qualitatum primarum contemperatio, convincit communiſſimum illud tam Philoſophorum quam Medicorum dictum, quod vita conſiſtat in humido & calido, excluſo nimirùm frigore & ſiccitate, quæ tamen ipſæ in temperatione continentur.

DICO 1. Cauſa formalis & præcipua vitæ eſt anima. Probatur primò, anima dat eſſe & operari animali & cuivis vegetabili, ergò eſt cauſa præcipua & formalis. 2. Præſente anima vivit homo, eâq; decedente moritur, non quidem ut diſpoſitione ſed ut formâ & principio, ergò illi principaliter vita debetur. Neque dicas in truncato animali ſemper abeſſe animam, & nihilominus frequentiſſimè adhuc aliquamdiu vivere; Quia reſpondetur mutum illum & quaſdam alias operationes, quæ vitales apparent, eſſe tantum à calore & ſpiritibus, qui in ſanguine aliisque partibus aliquamdiu adhuc ſuperſunt.

Anima eſt cauſa principalis vitæ.

DICO 2. Cauſa minus principalis & Inſtrumentaria eſt calor naturalis. Ita Ariſtot. de long. & brev. vitæ; Sect. 14. Probl. 10. aliisq; in locis. Ratio eſt, quia tamdiu informat anima corpus quamdiu poteſt in eo vitæ munia obire; Sed abſente calore naturali tanquam ſuo debito Inſtrumento nequit amplius operari, eoq; præſente poteſt, modo reliqua non obſint, ergò hic calor erit vitæ cauſa Inſtrumentaria. Quod ſi dicas vitam conſiſtere in humido & calido, ergò calor non ſufficiet, R. quando dicitur calorem naturalem eſſe cauſam Inſtrumentalem vitæ, vel non excluditur humidum, vel intelligitur calorem eſſe cauſam efficientem & activam, humidum verò paſſivum potius & ſubjectum, in quo calor naturalis fundetur. Nam quia humiditas eſt quaſi pabulum & ſubjectum caloris naturalis, ideò dicitur vita in humido & calido, id eſt, in calore agente & humore ſe paſſivè habente conſiſtere. Adverte tamen, hoc de calore innato & interno, non adſcititio intelligendum eſſe, quia hic deſtruit, ille fovet; hic ad interitum ducit, ille incolumitatem ſervat; hic debilitat & languidum facit animal, ille autem confortat & erigit, ſi modo habeat humidum totis partibus & membris diffuſum quo ſuſtẽtetur; non autem humidũ aqueum ſed aëreũ & pingue, quia in illo tanquam fluido & aqueã naturam habente ſtatim diſſolvitur, in hoc autem non ſecus ac Ignis aut flam̃a in oleo nutritur & fovetur, ut videre eſt apud Ariſt. loco cit.

Calor Inſtrumentalis.

DICES, etiam calor adſcititius naturalis eſt, quia ex alimento confectus influit & reparat innatum, ergò non deſtruit nec debilitat, ſed ad vitam ſimpliciter neceſſarius eſt. Reſp. 1. quando dicitur vitam conſiſtere in calido, id de calido innato formaliter intelligendum eſſe, de influente verò materialiter, cum ex hoc ille conſervetur. 2. Quando dicitur calorem adſcititium deſtruere, vel intelligi præternaturalem, vel ſolam illam ejus functionem, quâ conſumit & depaſcit humidum, non qua animæ ad eliciendos actus vitales inſervit, quamvis etiam illud de calore innato dici poſſit, quia continuò depaſcit ſuum humidum.

DICO 3. Cauſæ efficientes vitæ ſunt ipſum generans, aer, cibus & potus, aliaq; externa, à quibus ſanitas & vita defenditur & conſervatur. Quod ipſum generans ſit cauſa efficiens vitæ, probatur, quia hoc in vegetabilibus & animantibus brutis producit ut cauſa univoca animam, in homine autem diſpoſitiones ad animam pertinentes, ergò dum animam producit, producit etiam vitam. De aere, cibo & potu aliisq; rebus & cauſis extrinſecis res manifeſta eſt, quia licet ex ſe vitam non producant, cum ſint Agentia improportionata, ſunt tamen cauſæ, quæ in genere efficientis ad animæ & vitæ productionem concurrunt, & ſunt inſuper media, quibus eadem in vivente conſervantur.

DICO 4. Cauſa materialis remota vitæ eſt corpus, proxima humidum innatum & radicatum: finalis denique eſt ipſa operatio. De corpore probatur, quia ut vita ſit, requiritur corpus organicum, id eſt, certis & convenientibus organis ſive perfectis ut in homine & brutis, ſive imperfectis ut in plantis inſtructum. Quod autem humidum radicale ſit cauſa proxima materialis, hinc patet, quia in hoc tanquam ſubjecto proprio ita ſuſtentatur, ut eo conſumpto aut corrupto confeſtim ipſa deſinat. Quod deniq; operatio ſit cauſa finalis vitæ, probatur, quia vita ideò data eſt animali ut operetur, & impoſſibile eſt naturaliter vitam eſſe in aliquo ſubjecto abſq; operatione vitali, quia ex hac vitam colligimus. Quod ſi dicas, vitam conſiſtere in conjunctione animæ cum corpore, Reſpondetur, id formaliter quidem verum eſſe; nihilominus tamen ex hac conjunctione non poſſe compoſitum non vitaliter operari, id quod alibi pluribus contrà Sennertum Medicum probabitur, quia hic docet multa vivere abſque ulla operatione vitali, ut arbores in hyeme, ſemina, &c. Nam calor qui cum vita conjungitur, non poteſt non agere in humidum, nec ab ullo Agente naturali impeditur, cum agat libertimè; Sed hæc actio caloris in humidum in vivente eſt vitalis, quia conjungitur vel cum nutritione, vel cum accretione vel cum aliis actionibus vegetabilibus, ergò ubicunq; vita eſt, ibi etiam actio vitalis eſt.

DIFFICVLTAS III.

An ad vitam omnes operationes vitales requirantur.

SEnſus difficultatis eſt, an ut ens aliquod phyſicũ dicatur vivere, neceſſarium ſit eli-

cere omnes operationes vitales, v.g. nutritionem, accretionem, motum, ſenſum, intellectum, &c. Nam

Adverte, quatuor eſſe vitalium operationum genera, videl: nutritionem, ſenſionem, motum progreſſivum & intellectionem: Ad nutritionem ſpectant omnes actiones, quæ fiunt ab anima vegetante, ut accretio, generatio, concoctio, expulſio &c. Ad ſenſionem operationes tam ſenſus externi quam interni, ut viſio, auditio, guſtatio, apprehenſio, imaginatio, &c. Ad motum progreſſivum, riſus, fletus, reſpiratio, &c. Ad intellectionem ipſa & volitio. Et juxtà hæc 4. genera quatruplicem vitæ gradum colligere poſſumus ex Ariſtotele 2. de gen. c. 2. Primus gradus eſt eorum viventium quæ vegetantur, id eſt, quæ nutriuntur, augentur & creſcunt ut ſunt plantæ. 2. Eorum, quæ non ſolum vegetantur ſed etiam ſenſu aliquo pollent, ut ſunt conchylia, quæ ſunt ſine motu & adhæreſcunt ſaxis. Tertius eorum quæ vegetantur; ſenſu prædita ſunt & feruntur motu progreſſivo ut beſtiæ & animalia bruta perfecta. Quartus deniq; eorum, quibus præter tres illos gradus etiam intellectus omnium nobiliſſimus competit, ut eſt homo. Jam

DICO 1. ut aliquid dicatur vivere, non opus eſt ut intelligat. Patet hoc in cunctis vegetabilibus & brutis animalibus, quæ vivunt absque intellectu, imò in ipſo homine, qui tam intrà quam extrà matris uterum vivit, & tamen nullam intellectus operationem primis temporibus elicit.

DICO 2. Nec motus progreſſivus ad vitam neceſſarius eſt: Ratio quia omnia animalia perfecta ſicut & plantæ verè & propriè vivunt, quãvis ſint ſine motu progreſſivo, cum hic illis non competat: Et hoc idem de fætu primorum menſium intellige, quia hic vivit absq; motu. Neque dicas omnia viventia creſcere & augeri ideoq; moveri; quia motus hic non eſt progreſſivus, qualis oritur ab electione & beneficio muſculorũ, ſed eſt motus ad quãtitatẽ, qui debetur viventib⁹ dum nutriuntur.

DICO 3. Nec ſenſus ad vitam requiritur; ratio eſt, quia plantæ vivunt absq; ullo ſenſu: deinde dormientes verè vivunt, & tamen nullam ſenſionem nec externam nec internam exercent, niſi quæ circa phantaſiã ſubinde occurrunt. Quod ſi dicas, arboribus ineſſe appetitum, ergò & ſenſum; nam appetunt alimentum, ſecernunt bonum à malo, ſegregant excrementa, quæ omnia non poſſunt fieri absq; ſenſu & appetitu. Reſp. alium appetitum eſſe naturalem, alium ſenſitivum, alium rationalẽ. Primus debetur vegetabilibus ut arboribus & plantis, tum gradui vegetanti in brutis & homine; nam ad hunc modũ ventriculus famelicus appetit cibum, epar chylum, oſſa, nervi & univerſum corpus ſangvinẽ ut alimentũ ſuum ultimũ: & hic appetitus non eſt à ſenſu, ſed ab inſtinctu naturæ, proinde negatur cõſequẽtia.

DICO 4. Solæ itaq; operationes vegetantes ut nutritio, accretio &c. In hoc ſtatu ad vitam [illegible] neceſſariæ ſunt. Dico in hoc ſtatu, quia in ſtatu glorioſo vivet homo vitam optimam beatiſſimam & perfectiſſimam absque nutritione & accretione, quia qualitates primæ ex Dei beneficio non agent in ſe invicem, ideoq; nec egebunt corpora nutritione nec reſtauratione. Quod autem in hoc ſtatu ad vitam requirantur, probatur, quia ex his ipſis cognoſcimus vitam ineſſe plantis & animalibus, ſicut ècontrà lapidem ideò inanimatum dicimus, id eſt, ſine vita & anima, quia caret omnibus operationibus, quæ ab anima proficiſcuntur, ut motu, ſenſu, nutritione, accretione, &c. An autem hoc idem de arboribus in hyeme dici poſſit, quæ tamen nihilominus vivunt, alibi dicetur, quia reverà agunt in ſe tempore etiam frigidiſſimo primæ qualitates, fitq; nutritio, accretio, deperditio, eſto exigua valde & à nobis non perceptibilis, quia calor exiguus eſt & non ſovetur ab extrinſeco. Confirmatur concluſio, vita conſiſtit in humido & calido, ergò etiam in operationibus vitalibus: Probatur hæc conſequentia, quia calor non poteſt non agere in humidum, & ex hujusmodi actione non poteſt non fieri deperditio ac reſtauratio, ergò ubi vita eſt, ſunt neceſſariò operationes vitales.

DIFFICVLTAS IV.

An ad omnem vitam requiratur calor.

VIta vel eſt rerum vegetabilium ut ſunt plantæ & arbores; Vel animantium brutorum ut ſunt canis, bos, leo; vel deniq; hominis. Jam quæritur an in his omnibus ad vitam ſuſtentandam requiratur calor juxtà illud, vita in calido & humido conſiſtit. Nam ratio dubitandi eſt primò, quia non tantum in ſenſitivis ſed etiam in vegetabilibus multæ reperiuntur ſpecies, quæ præter eum calorem, qui mixto debetur, omni prorſus calore deſtitutæ ſunt, ut patet de Salamandris, quæ in igne vivunt, & de piſcibus, in quibus universè quaſi nullus deprehenditur calor; & hoc idẽ de cunctis vegetabilibus intellige, quorum natura non tantũ in frigore conſiſtit, ſed quorum etiam alimentum perpetuum eſt aqua & terra, quæ inter ſe commixta frigida ſunt & nequaquam calida. Ad hæc in partibus animaliũ aut hominis ſæpè totus calor evaneſcit aut recedit à partibus exterioribus ad interiora, iis nihilominus viventib⁹.

DICO, ad omnem vitam requiritur calor, adeoq; nullum eſt vivens, quod non præditum ſit aliquo calore, aliquando majori aliquando minori pro cujusque natura & conditione. Prob. 1. omnia viventia ſunt mixta; ſed in his eſt calor, ergò etiam in iis, & hic quidem in quamplurimis ſufficit ad vitam & vitales operationes ſuſtentandas, ſi præſertim ab externo ſolis juvetur. Prob. 2. ubi vita eſt, ibi quoq; anima eſt; ſed hæc nunquã eſt ſine calore, ergò nec illa; Major vera eſt, minor probatur ex Ariſt. q multis in locis calorẽ vocat perpetuũ inſtrũentũ animæ, ita ut hoc recedente [illegible] & eva-

& evaneſcente vita & anima quoque in auras avolet: Nam docet hic l. de ſpiritu naturam uti calore tanquam inſtrumento, & addit hoc eodem ſalutem & vitam unà cuſtodiri. Deinde l. de ſenſu & ſenſili c. 4. aſſerit animalia & ſtirpes inſitũ habere calorẽ; ad hæc l. de Juv. & ſen. c. 2. ſtatim ad initium ait calorẽ naturalẽ in animalibus incipere cum vita, & infrà, quodvis animal vivere beneficio caloris naturalis, ſtirpesque ſuum tueri calorem per attractum ſuccum & beneficium aëris. Quod autem hic calor vitalis in uno animalium ſit major, quam in altero, docet experientia cum ratio. Nam videmus in aquatilibus non eſſe tantum calorem quantus ſit in terreſtribus & aereis, & in homine reperiri maximum, quod confirmat idem Ariſtoteles, qui multis in locis ait eum inter animalia abundare ſangvine & calore: Et ratio eſt, quia quo perfectiores ſunt actiones in viventibus, eò etiam major & perfectior requiritur calor, adeoque maximus & perfectiſſimus in homine. Probatur 3. omnia viventia exercent actiones vitales, ergò calorem deſiderant: Hæc conſequentia probatur, quia ut anima vitaliter operetur, opus habet non tantum organorum apparatu, ſed etiam diſpoſitionibus, quæ ad ejusmodi operationes deſiderantur, inter quas primas habent calor & humor.

Calor quare in homine requiratur maximus.

Ad rationem primam dubitandi reſpondetur, omnia vegetabilia habere calorem, non tantum quatenus in eſſe mixti ſed & quatenus in eſſe viventia conſtituuntur, eſſe id ſenſu nõ conſtet, quia etiam in herbis aridis, pipere, vino, cinamomo nullum deprehendimus tactu calorem & tamen habent ut experientia conſtat. Deinde non poſſent viventia concoquere alimentum aut quicquam vitaliter operari, niſi haberent aliquem calorem ſuæ naturæ & ſuis operationibus convenientem: Et ſic Salamandra cum animal ſit, calorem habet licet ita paucum, ut aliquamdiu in igne poſſit exiſtere; ſic piſces cæteraque omnia vegetabilia ſuum etiam habent calorem, quo alimentum attrahunt eoque nutriuntur, licet plurimum calore ſolis adjuventur ut videre eſt in cunctis vegetabilibus, quæ non in hyeme propter frigus nec in æſtate propter ſiccitatem, ſed in vere ubi calor moderatus eſt & humor abundat, maximè nutriuntur, ſuccoque attracto creſcunt. Ad ſecundam rationem reſpondetur, falſum eſſe in homine aliquando totum calorem à partibus externis recedere, quia non tantum in paroxysmis febrium, ſed etiam in maximis deliquiis, ubi omnia videntur ad interiora recedere, manet nihilominus vita, calor & anima in partibus externis licet id ſenſum noſtrum lateat: Vbi autem totus ſemel calor abiit, jam pars emortua eſt, nec unquam vita redit, prout fieri ſolet cum ſphacelus membrum occupavit, aut alicui manus, digitus aut brachium amputatur, quia ſi calor adhuc ſuperſtes ſit, adglutinari denuò poſſunt, ſicut etiam in inteſtinis fit, quæ prolapſa facilè reſtituuntur niſi quâ parte frigore obriguerunt.

Omnia vegetabilia calorem habent.

DIFFICULTAS V.

An quivis calor ad vitam ſpectet eamque tueri poſſit.

VArios in rebus ſublunaribus exiſtere calores multorum eſt opinio: Sic alius eſt igneus ſive elementaris quia omnia fermè conſumit & deſtruit; Alius vitalis qui eſt inſtrumentum animæ ad operandum vitaliter; alius innatus qui in prima animalis formatione & generatione datus eſt ſingulis partibus pro vitæ cuſtode; Alius influens qui ex alimento novo productus innato ſubſtituitur; alius denique divinus juxtà Picum Mirand. Scalig. Fernel. Schegkium, Sennertum, imò ut multis placet juxtà ſententiam Ariſtotelis, qui l. 2. de gen. animal. c. 3. ab hujus nobilitate ſemina fecunda celebrat. Jam quæſtio eſt, quisnam ex his caloribus pertineat ad vitam tuendam.

Suppono, hos omnes calores eſſe ejusdem omninò ſpeciei, nec unum ſuperare naturam alterius.

DICO 1. Ad conſervandam vitam non conducit calor igneus. Probatur primò, ad vitæ conſervationem non conducit calor in ſummo, ſed talis eſt igneus, ergò, probatur major, quia calor in ſumo omnia corrumpit & comburit ut teſtatur experientia & Ariſtoteles citatus, ubi ait in ſemine non eſſe ignem aut talem facultatem ſcil: igneam, eò quod ad vitam ejusque diſpoſitiones non conducat, ergò. 2. Calor igneus non poteſt ineſſe viventi nec ejus vita conducere, quia eſt corporis ſimplicis & ſtatim à partibus frigidis & humidis viventis infringeretur, proindeque nõ maneret igneus. 3. Calor febrilis non conducit vitæ hominis protrahendæ, ergò multò minus igneus, qui longè activior eſt. Antecedens patet ex febrientibus, qui vel paucis diebus vitâ vel ſaltem viribus exhauriuntur. An Salamandra in igne & beneficio ignis vivat, aliunde patet.

DICO 2. Nec calor qui individuis unius ſpeciei proprius eſt, alteri ſpeciei convenit, imò nec ſemper individuis ejusdem ſpeciei. Probatur primum 1. ab experientia, quia videmus alium & majorem calorem in animalibus ſanguineis quam in exanguibus aut vegetabilibus, etiam in leonibus majorem quam in cervis, damis, aut in timidis animalibus; & denique in homine maximum ut ait Ariſt. variis in locis. Probatur 2. ratione, quia quò actiones in viventibus ſunt perfectiores, eò major quoque & perfectior requiritur calor; Sed imperfectiſſimæ ſunt in vegetabilibus, tum paulò perfectiores in ſenſitivis imperfectis & exanguibus, perfectiores adhuc in animalibus perfectiſſimæ autem in homine, ergò. Probatur 2. quia magna eſt varietas temperamentorũ & complexionũ in hominibus, ergò & caloris, ac proinde qui grad⁹ caloris cõvenit uni hominũ, non convenit alteri propter reliquas diſpoſitiones, quibus anima corpus informat.

DICES ex ſuppoſitione calor igneus non diſtinguitur à vitali, nec innatus ab influente,

ergò ſi hic poteſt conducere conſervationi vitæ, poterit & ille. Reſpondeo &

DICO 3. Ad tutandam vitam ſufficiens eſt omnis calor, quoad eſſentiam, ſed non quoad gradum & admixtam ſiccitatem. Tria hic dicuntur; Primò quod omnis calor abſolutè in ſe ſpectatus ad vitam tuendam ſufficiat. 2. Quod moderatus & refractus pro cujusque individui natura & conditione eſſe debeat. 3. Quod ſiccitate carere debeat. Jam probatur primum, quia vita conſiſtit in calido; ſed hoc calidum intelligitur de cæleſti, igneo, aëreo & vitali quoad eſſentiam, ergò ut conſervetur vita, inſervire poteſt quodcunque calidum per ſe & ſecundum ſuam eſſentiam ſumptũ. Probatur ſecundum, quia ſicut ſanitas ita & vita conſiſtit in certa quædam menſura, harmonia & contemperatione primarum qualitatum & maximè caloris, à qua ſi notabiliter excedat, jam ſanitati officit & vitæ, ergò ad tutandam vitam non omnis calor ſufficit quoad gradum, ſed ille ſolùm, qui cum naturali temperie & moderamine ſubſiſtit. Probatur tertium, quia vita conſiſtit non tantum in calido ſed & in humido, quod caloris efficaciſſimum eſt ſubjectum & pabulum, & quo ſubtracto tam calor quam vita deficit, ergò ad vitam conſervandam ſiccitas per ſe non requiritur, quia eſt qualitas mortis ſicut & frigus.

DIFFICVLTAS VI.

An & quomodo frigus ad vitam ejusque actiones concurrat.

RAtio dubitandi eſt, quia officit vitæ frigus, & tamen conſtat omnibus in eſſe rebus viventibus; quæritur itaque quomodo ad vitam & actiones vitales concurrat.

Frigus quomodo ad vitam requiratur.

DICO 1. Frigus non concurrit ad vitam & actiones vitales per ſe. Ita docet Gal. 3. de cauſ. ſympt. c. 3. Thom. à Vega ad c. 62. artis Medicæ. Probatur primò, vita ex ſe ita conſiſtit in calido, ut immediatè ſibi habeat contrarium frigus, ergò hoc non pertinet ad vitam. 2. Frigus ex natura ſua adverſatur omnibus actionibus vitalibus, ergò per ſe non pertinet ad vitam. 3. Conſtat experientia, quod frigus membra ſtupefaciat, paralyſin inducat, ſenſum omnem motumque tollat, adeòque ſit medium, quo unio inter formam & materiam diſſolvatur, ergò non poteſt per ſe ad actiones vitales concurrere. Nam per calorem fit rarefactio ſangvinis & humorum, excitantur ſpiritus, foventur membra, habetque anima aptitudinem per ſuas potentias operari; frigore verò congelantur omnia fiuntque immobilia ad recipiendas in ſe actiones vitales.

DICES, multa ſunt animalia quæ unà cum vegetabilibus ex natura ſua ſunt frigida, ut piſces, ſerpentes, &c. Ergò frigus eorum per ſe debetur vitæ. Reſp. 1. quæſtionem eſſe de animalibus ſanguineis & perfectis, non autem de iis quæ in aquis degunt aut è numero vegetabilium ſunt. 2. Negando conſequentiam; nam eſto frigus ita dominetur in multis viventibus, ut vix calor aliquis ſenſu percipiatur; nihilominus tamen frigus hoc ad vitam & actiones per ſe non ſpectat, quod ex eo manifeſtum eſt, quia in his omnibus actiones longè ſunt imperfectiores quam in iis ubi ſanguis & calor excedunt.

DICO 2. Frigus per accidens ad vitam pertinet. Probatur primò, frigus ideò ad viventia eorumque vitam pertinet, quia mixta ſunt & niſi mixta eſſent, non eſſent viventia, ergò quod viventia in ordine ad vitam frigore conſtent, per accidens eſt. 2. Frigus ideò neceſſarium viventibus eſt, ut calor contemperetur, qui alioquin intenſus omnia corrumperet, ut patet in plantis, quæ calore nimio exareſcunt, in piſcibus aliisque frigidioribus animalibus, quæ in loco calido deficiunt & extinguuntur.

DICES 1. Ad actiones vitæ per ſe ſpectat contemperatio qualitatum, ergò etiam frigus, quod eſt pars hujus contemperationis. Reſp. negando antecedens, quia non requiritur præciſè tota qualitatum ſeries ad vitam per ſe, ſed in eum finem, ut calor nonnihil obtundatur, quod eſt per accidens.

DICES 2. Viventia ſunt mixta per ſe; Sed mixta habent frigus per ſe, ergò & viventia. R. concedendo totum, quia frigus pertinet quidem ad viventia ut ſunt compoſita phyſica, ſed non in ordine ad actiones eorum vitales, niſi ut calorem contemperet, qui aliàs deſtrueret.

DICES 3. Sicut frigori intenſo per ſe convenit corrumpere actiones vitæ, ita etiam calori intenſo, ergò per ſe pertinet frigus ad contemperationem. Reſp. concedendo totum, ergò pertinere etiam ad actiones vitales per ſe, negatur conſequentia, quia aliud eſt pertinere ad contemperationem per ſe in rebus mixtis, & aliud ad eliciendas actiones vitales, quia ad has pertinet calor, ad illam autem frigus.

DICES 4. appetimus ſæpiſſimè frigida imò ordinariè, quorum defectu etiam corpus languet, concoctio minuitur & vita periclitatur, ut experientia in ſiticuloſis docet. Reſp. quod frigida appetamus, id fieri merè per accidens ad comparandum ſcil. calorem qui eſt in ventriculo ad extinguendam ſiccitatem, quæ illum conſequitur.

DICES 5. Atra bilis excitat famem & ſitim, dum hæret in ſuperiori orificio ſtomachi; ſed hæc frigida eſt & ſicca, ergò. Reſp. famem non induci per ſe à frigore atræ bilis, ſed quatenus vi frigoris corrugantur & ſtringuntur partes ſtomachi, unde poſteà ſequitur appetitio cibi, ad quam ceſſat illa corrugatio & ſtrictio.

DICES 6. Ariſtoteles 2. de gen. animal. c. 4. docet, ortum partium ſimilarium eſſe à frigore & à calore; alia item membra frigido, alia calido coagmentari & concreſcere, ergò frigus per ſe pertinet ad vitam. Reſp. ex allegatis locis docere quidem Ariſtotelem, quod ad ortum partium ſimilarium, ad generationem carnis, & ſi quæ ſunt ſimilis, requiratur frigus;

Digitized by Google

gus; non tamen inde ſequi quod per ſe requiratur.

DICES 7. non tantum vegetabilia ut arbores & plantæ, ſed etiam animalia ut ſerpentes & piſces vivunt ſine omni calore, ergò falſum eſt quod frigus non pertineat ad vitam per ſe. Reſp. quæcunque vivunt, habere aliquem calorem non tantum quatenus ſunt mixta, ſed etiam quatenus ſunt viventia; Et licet hic paucus ſit, ut etiam ad ſenſum non appareat, eſt tamen usque adeò diſpoſitus, ut viventi ejusque actionibus ſufficiat.

DIFFICULTAS VII.

Quæ ſint cauſæ longioris aut brevioris vitæ.

NOn eſt hæc eadem difficultas quæ alibi de temperamentis, quia non quæritur hic, à quonam temperamento petenda ſit intalongior, ſed quæ ſint cauſæ omnes vitæ longioris aut brevioris non tantum in animalibus, ſed etiam in vegetabilibus cunctisque animatis: Quod autem nec brevitas nec longitudo vitæ petenda ſit ab animæ bonitate aut ingenii, videmus in iis qui ingenio cæterisque virtutibus excellunt & plerumque citius moriuntur: Quod etiam non abſolutè pendeant à corpore, demonſtrant hoc magna, quia plerumque minus ſunt vivacia. Quod nec ab humido radicali & calido innato, manifeſtum eſt inde, quod multi homines à primis annis ſint valetudinarii non propter defectum aut bonitatis aut copiæ humidi, ſed propter vitium aliquod conformationis, de quo, cum intrinſecum ſit & latens, plerumque parum ſcimus, tantum verò ſuſpicamur. Quod etiam nec ab humido pingui & aereo deſumi poſſit longitudo vitæ, patet in piſcibus, qui longitudine annorum ſæpè terreſtria animantia exuperant. Sic Lucius Heilbrunnæ, quæ civitas eſt imperii, in fronte portæ ad Neccarum exſculptus eſt, quem ut hiſtoriæ referunt, Fridericus ſecundus Imperator in lacum illum lunarem vix duobus ab urbe miliaribus diſtantem unà cum æreo monili capiti & collo inſerto injecit, Fridericus autem Tertius poſt trecentos & amplius annos in eodem loco 13. pedes longum denuò cepit, unaque cum eodem monili caput & collum premente extraxit. Plura vide hujusmodi apud Authores. Jam

DICO primò, cauſa longitudinis vitæ eſt calidi & humidi in corpore bene diſpoſito & formato commoda temperies. Eſt Ariſt. de long. & brev. vitæ: Nam ſi vita in humido & calido conſiſtit, meritò ejus diuturnitas debetur humori & calori benè per viſcera corporis diffuſis. Adverte tamen, hanc temperiem cenſeri laudabilem & commodam, cum neque humidum aereum tenax ita prævalet, ut calorem extinguat, nec viciſſim hic ita ſuperat, ut ſubjecto totum humidum abſumat: Similiter opus eſt, ut humidum non multis excrementis & admixtione peregrinæ qualitatis refertum ſit, quia calor purus non cupit fomentari humido turbido & excrementitio, niſi in corporibus impuris, morbidis parumq; diuturnis. Corpus benè diſpoſitum & formatum cenſetur, cum omnia membra ſuo quæque loco & ordine poſita ſunt, cum nec numero excedunt, nec deficiunt, nec ullum in conformatione vitium habent, quò minus actiones humido aliàs & calido ſufficientiſſimo & optimo impediantur.

Cauſa longæ vitæ.

DICO 2. etiam influxus corporum cæleſtium ſyderumque aſpectus & irradiatio non parum conferunt ad vitæ brevitatem & diuturnitatem. Probatur, mundus hic inferior obnoxius eſt ſuperiorum corporum lationibus & mutationibus ut habet Ariſt. 1. meteor. c. 2. plurimumque ab iis regitur, ut alibi de influentiis corporum cæleſtium in hæc inferiora l. 2. diſp. de qualitatibus occultis dicetur, ergò negandum non eſt, quin viventia pro ratione aſpectuum aliquando beneficam aliquando malignam noxiamque à ſyderibus qualitatem accipiant.

DICO 3. ad vitæ diuturnitatem vel brevitatem multum quoque facit bonitas regionis aut terræ inclementia. Teſtatur hoc Ariſt. 4. de gen. animal. c. ult. Et ratio eſt, quia ab his duabus cauſis plurimùm alterantur & immutantur viventia, eorumque ſubſtantiæ vel nimio calore diſſipantur, vel nimio frigore conſtringuntur: Et confirmatur hoc quotidiana experientia, variisque Authorum relationibus; Nam præterquam quod in regionibus calidis aut frigidis, & ubi tam elementa quam vegetabilia variis inquinata ſunt impuritatibus, rarò videmus homines longævos, ſicut iis in locis ubi temperata ſunt omnia, eorumque ſumma eſt bonitas & perfectio, quæ ad vitam tuendam ſpectant, etiam conſtat ex hiſtoriis, in variis mundi plagis homines diutiſſimè vivere, ut inter alios Plinius l. 7. c. 2. de quadam Indiæ gente ſcribit, quod videl. hæc non expuat, nan capitis, dentium aut oculorum, rarò etiam aliarum corporis partium dolore afficiatur, vitam autem in plurimos annos ſuprà aliorum hominum felicitatem protrahat.

DICO 4. ratio victus eſt una quoque ex præcipuis cauſis, quæ ad longitudinem & brevitatem vitæ faciunt. Ratio eſt, quia alimentum, quod in ſanguinem convertitur, & ſubſtantiam deperditam corporis reſarcit, ita afficit corpus, prout ipſum in ſe affectum eſt, iisdemque imbuit qualitatibus, quibus excedit. Et docet hoc quotidiana experientia, quia cibi calidi calidum generant ſanguinem aut certè calidiorem quam qui ſunt frigidi; ſimiliter vinum immodicè ſumptum incendit ſpiritus ſanguinisque calorem intendit, quem aqua aut potus frigidus temperat & ſupprimit. Sub victu autem & bona ejus ratione intellige non tantum qualitatem ſed & quantitatem

& congruam alimenti ſumptionem; Aerem item, motum & quietem, ſomnum & vigiliam, animi motus, labores, voluptates, & quicquid ad ſanitatem conſervandam vel morbum inferendnm conducit, ut videri poſſunt Medici, cum de cauſis & præſervationibus morborum fusè tractant.

Colligitur primò, ſicut vita conſervatur in debita temperatione & formatione corporis, ita etiam totam ejus durationem ex eadem cauſa petendam eſſe; Nam quo magis vel minus apta eſt conſtitutio corporis ad exercendas operationes vitales, eò etiam breviori vel diuturniori tempore in eo permanebit anima. 2. vitam cujusque viventis determinatam habere periodum ſuæ durationis & hanc dependere à cauſis citatis ut habet Ariſtoteles l. 2. de gen. c. 10. & Gal. l. de marcore c. 2. l. 1. de ſanitate tuenda c. 12. aliisque in locis.

DIFFICVLTAS VIII.

Quæ viventia habeant longiorem vitam.

COmmunis opinio eſt, exceptis plantis nonnullis diutiſſimè vivere animalia ſuaviora, ſanguine prædita & terreſtria, quæque maſcula ſunt & in regionibus calidioribus degunt, de quibus Ariſtot. l. de long. & brev. vitæ alibique ſæpius. Bodinus in theatro natural. l. 3. pag. 399. &c. Hæc an vera ſint, paucis videndum eſt, quia aliquando grandiora animalia, aliquando minora, aliquando ſanguinea, ſæpè exanguia, terreſtria, aquatilia magis minusque vivunt, ut teſtatur experientia. Plantæ etiam diutiſſimè nonnunquam vivunt ut palma & cupreſſus ad 500. & amplius annos. Hinc

DICO primò, verum eſt universè, quod plantæ terrenæ magis ſint durabiles quam aquatiles. Ratio prima eſt, quia duriori ſinceriorique conſtant humore. 2. quia minus refrigerantur, frigus enim in omnibus viventibus exitiale eſt. 3. quia aereo pingui & viſcoſo abundant humore ut pineæ. 4. quia duro ſpiſſoque corticè conſtant, diutiſſimeque ſuum humorem ab extrinſecis injuriis defendunt, quæ etiam cauſa eſt, quod ſylveſtres domeſticis utplurimùm ſint longioris durationis: Sunt enim inſuper minus fæcundæ, fructus habent acidos &c. Unde colligitur primò, plantas quæ temperamenti ſunt ſiccioris & in ſicciori ſolo naſcuntur, eſſe longæviores, quam quæ ſunt humidioris naturæ & juxtà aquas, inque locis humidis creſcunt, ut ſalix, populus, ſambucus &c. 2. denſiores & compactiores eſſe diuturniores ut ſunt ſylveſtres, quia calidum & humidum conſervant melius, & extrinſecas injurias facilius ferunt; molles contrà & raros, cum frigus ferre non poſſint, quæque non creſcunt in locis frigidis aut fructus ad maturaritatem non geſtant ut ficus, vites, aurantia. 3. diuturnitatem etiam ex radicum inſertione petendam eſſe: quæ enim plantæ tales habent altius infixas, craſſas, plures, longeque diffuſas, plus habent humidi & calidi, minusque obnoxiæ ſunt externis injuriis. 4. Plantas fæcundas eſſe minus diuturnas, quia potiſſimum alimentum & *Plantæ fœcundæ cur minus durabiles.* tota fermè ſubſtantia abit in ſemina & fructus: Et hoc idem de animalibus dici poteſt. 5. plantas majores minoribus eſſe diuturniores propter copiam humidi.

DICO 2. ſi plantæ cum hominibus conferantur, conſtat primò reperiri arbores, quæ ætates hominum longè ſuperent. 2. plura genera & ſpecies animalium eſſe quam plantarum, quibus vita ſit diuturnior. Primum *Quæ arborum ſpecies durabiles.* patet in abiete, quercu, platano, palmo, cupreſſo & aliis quæ aliquot ſeculis perdurare poſſunt. 2. ex enumeratione plurimorum animalium, quæ centum & ducentos annos vivunt, cum ècontrà multæ arbores intrà paucos annos rurſum pereant, ut ſunt ſalices, ficus, perſicum &c. ut refert Theophr. hiſtor. l. 4. Et horum omnium cauſæ ſatis patent ex ſuperiori concluſione, ad quas hæc addi poteſt, quod ſcil. arbores & frutices ſucceſſione quadam partium novarum ut frondium & ramorum de novo repullulantium quodammodo perpetuari poſſint, quod in animalibus fieri non poteſt, eſto creſcant quædam partes animalibus imperfectioribus ut patet in cancris. Et hinc quæres primò, quæ hujus ſit cauſa, & ſecundò, an arbor repullulans & per ſe hujusmodi novas partium additiones perpetuans poſſit dici eadem numero, quæ prior vel ſaltem ſpecie. Ad primum reſpondetur, quod arborum frondes & rami tam facilè repullulent, non autem animantiū cauſam eſſe magnam in his organorum perfectionem & difficilem ſtructuram, tum defectum ejus materiæ, ex qua gignendæ ſunt denuò. Nam in animalibus eſt ſemen, ex quo formantur omnes partes ſpermaticæ, ut os, nervus, vena, manus, brachium, oculus &c. In arboribus autem humor quidam aqueus aut pinguis, qui ſemper eſt in promptu, ſecus in animalibus. Ad ſecundum reſpondetur, quod ſi tota planta corrumpatur excepto fortè ramuſculo aut parte radicis, unde demum nova repullulet arbor, hanc non eſſe eandem numero cum priori; ſi autem truncus & partes præcipuæ remaneant reliquis ſucceſſivè pereuntibus & ſuccreſcentibus, ſemper tunc fore eandem numero & ſpecie non ſecus ac in eodem animali fieri ſolet, quod ſemper toto vitæ tempore idem manet, licet omnes quaſi partes ſucceſſivè perierint & aliæ per novam adgenerationem recreverint.

DICO 3. Animalia minora utplurimùm minus durant majoribus, id quod in plantis etiam verum eſt; ratio hujus, quia in vaſtis corporibus major adeſt copia humidi, temperamentum ſiccius, partes magis ſolidæ & compactæ, tardusque demum ad ſtatum perfe-

fectionis profectus. Ita Ariſtoteles cit. Nam quæ citò fiunt, citò quoque pereunt & contra, ne naturæ, quæ plus laboris & temporis in generationem & perfectionem alicujus rei impendit, fiat injuria, cum hæc æquè facilè & citò deperdatur, quam quæ opera unius diei facta fuit; Et confirmat hoc non tantum ratio ſed etiam quotidiana experientia in operibus & artis & naturæ; ſic enim quod non facilè creſcit aut producitur, durabile eſt, quod idem de lapidibus aliiſque metallis intellige; ſic ex putri genita citò pereunt & facilè, quia citò generantur; ſic arbores quædam longo tempore producuntur & adoleſcunt, ſeroque fructus proferunt aliæ autem contrà; ſic præcocia ingenia & fructus præcoces non durant, ut pruna, ficus, ceraſa &c. Dixi initio utplurimùm, quia homo qui minor eſt equo, camelo, bove &c. diutius vivit, quod idem de multis aliis intellige: Ratio tota hujus eſt, quia præter copiam humidi oportet totam qualitatum temperaturam attendere, an ea deficiat, excedat aut temperata ſit; hinc arbores magnæ non ſunt præciſè vitæ longæviores minoribus propter copiam humidi, quia ſæpè planta aut frutex minor reſpectivè æquè multum & ſortè plus habet humidi quam major, ſed propter temperaturam primarum qualitatum, quâ majores pollent, quia minores nimio abundant humido, majores autem ſicco terreſtri, cui optimè commiſtum eſt humidũ quod proinde melius & diutius conſervatur: Sic propter eandem hanc rationem canis eſt temperatior bove licet minor; Temperatiſſimus autem homo inter animalia. Adverte tamen, concluſionem eſſe intelligendam de viventibus in eodem genere vel ſpecie, conferendo ſcil. inter ſe volatilia, terreſtria, aquatilia. Nam

Homo vivit diutius quam multa animalia longæva.

Quare aliquando majora, aliquando minora diutius durant.

Homo temperatiſſimus.

DICO 4. animalia ſanguinea ſunt longioris vitæ quam exanguia, & terreſtria quam aquatilia, quorum omnes ſpecies vide apud Ariſtotelem & eos, qui de his ſcripſerunt. Ratio prioris eſt, quia ſanguis calidus & humidus eſt aptiſſimus ad vitam conſervandam; quod ſi ſecus aliquando fiat aut accidit propter magnitudinem exanguium & parvitatem ſanguineorum, aut propter bonum humidum dulcemque cibum, quo veſcuntur ut apes, aut propter durum pellem, qua illorum humor & calor optimè defenditur. Ratio poſterioris eſt, quia terreſtria habent humidum magis aereum, purum & pingue, aquatilia verò aqueum dilutum & impurum, niſi tamen corporis magnitudo id fortaſſis compenſet. Adverte, poſſe comparationem inſtitui inter totum genus aquatilium cum toto genere eorum, quæ extra aquas vivunt, vel inter aliquas tantum ſpecies. Concluſio tantum convenit primæ acceptioni propter rationem datam, non autem ſecundæ, quia ſi ſpecies ſpeciebus conferas, reperies quædam aquatilia longæviora pedeſtribus, ut patet de Delphino & aliis grandioribus belluis marinis, quæ equo, bove, &c. diutius vivunt. Quando tamen dicitur humidum aquatilium eſſe aquoſum, intelligi debet non quod aeris omninò expers ſit, quia aliàs calorem non poſſet ſovere propter contrarietatem aquæ & ignis, ſed quod ſit aquoſius, id eſt, craſſius & frigidius comparatione terreſtrium. Similiter tota ſanguinea totis exanguibus comparanda ſunt, ut juxtà datam rationem concluſio ſit vera; ſunt enim in ſpecie quædam exanguia, ut apes, veſpæ, crabrones, fuci, quæ licet aliquid ſanguinis habeant, aut aliquid ſanguini analogum, numerantur tamen inter exanguia, quæ 6. & 7. annos, proindeque diutius quam quædam ſanguinea propter bonitatem & dulcedinem humidi dicuntur vivere, Itaque poſt Elephantem vivit homo diutiſſimè ut habet Ariſt. citatus inter terreſtria, quia eſt natura ſua omnium calidiſſimus & humidiſſimus & quidem humore optimo: Elephas autem proximè bonitate naturæ & temperamenti accedit, totumque compenſat vaſtitate corporis & copia humidi. Quæ de cornicibus, corvis & ſimilibus referuntur, ſuſpecta ſunt; De corvis quæ à Plinio l. 7. & aliis ſcribuntur, nemo eſt qui neſciat, ſicut etiam quæ ab Ariſtotele 5. hiſt. animal. c. 14. aliiſque paſſim affirmantur. Mulus ad annos 80. vivere putatur, Camelus ad 50. reliqua omnia minus, imò equus ad 65. ut habet Ariſtoteles loco citato ex relatione aliorum.

Terreſtria ſunt longævis vitæ quam aquatilia.

DICO 5. quicquid ſit de vegetabilium ſexu, mares utplurimùm in ſua ſpecie vivaciores ſunt fœminis. Ita Ariſtot. de long. & brevit. vitæ, ubi cauſam addit, quia nempè calidiores ſunt & ſicciores; fœminæ autem frigidiores & humidiores, humore ſcil. aquoſiore, unde etiam mares ſunt majores, vivaciores, robuſtiores & agiliores, quæ omnia ſunt argumenta caloris & ſiccitatis humidique aerei, contraria verò in fœminis: Sunt & plures aliæ cauſæ, quare fœminæ maribus minus longævæ ſint, quæ tamen ex calore emergunt, ut thorax amplior, membra compactiora & denſiora aliaque plura in maribus: In fœminis autem corpora morboſa, multis paſſionibus, humorum ſuperfluitatibus, laboribus & geſtationibus aut parturitionibus ſubjecta, &c. quod ſi tamen aliquando fiat, quod fœminæ ſint maribus longæviores, id fieri ſolet ob crapulam, venerem aliosque exceſſus aut errores in ſexu rebus non naturalibus commiſſos, ut videre eſt apud Ariſtotelem citatum.

DICO 6. etiam individua ejusdem ſpeciei utplurimùm in diuturnitate & brevitate vitæ variant propter cauſas de quibus præcedente difficultate: Maximè autem conducunt diverſæ regiones eorumque temperamenta & cælorum influxus: Sic Æthiopes anno 30. incipiunt ſeneſcere. Brittanni autem ad 120. annum dicuntur pervenire: Sic editiora loco ſunt ſalubriora depreſſis, & montes convallibus etiam in eâdem regione; ſic loca paludoſa ſunt inſalubria propter crebras & putridas evaporationes, quibus aer & corpora viventium inficiuntur; De his tamen pluribus con-

ſu-

Digitized by Google

ſulendi ſunt optimi quique Medici: univerſim autem populi Septentrionales vitæ ſunt longioris quam Meridionales, licet hi calidiores ſint; Ratio eſt, quia habent corpora compactiora & humidi cum calido firmiorem commiſtionem ejusdemque conſervationem ab ambiente, quod nimius calor reſolvens eſt apud meridionales, apud ſeptentrionales frigus cum calore temperatum. Quare autem Ariſtoteles ſect. 14. probl. 9. & 10. tum lib. de long. & brev. vitæ c. 3. dicat, eos homines diutius vivere, qui loca calida inhabitant, quod diutius calorem & humorem conſervent, quorum ſiccatio & refrigeratio mors eſt: Reſpondetur. Ariſtotelem aut comparaſſe duas regiones temperatas, quarum tamen una ſit calidior altera, aut temperatam cum frigida, cujus ratione altera calida dicitur, quam etiam Ariſtoteles loc. cit. intellexit. Quare autem regiones calidiſſimæ & frigidiſſimæ non valeant & quare item temperatæ bonæ ſint, habetur in variis locis apud Ariſtotelem tum in ejus problematis.

DICO 7. Inanimata diutius durant cunctis animatis: Ratio prima eſt ſoliditas & durities lapidum & metallorum, quæ ab ambiente non facilè patiuntur, multò minus ab intrinſeco diſſolvuntur. Nam quæ etiam ratio ſecunda eſt, metalla, lapides & alia inanimata non habent calorem adeò effectivum & validum, qui ita continuò ſubjectum proprium reſolvat, ejusque vires diſſipat, cum nec nutrimento, nec acte, nec aqua indigeant, proindeque nec fuliginū expurgatione nec caloris reſtauratione: In aliis tamen major in aliis minor eſt reſolutio, prout corpora aut magis aut minus rara, denſa, mollia aut dura fuerint: Nec tamen perennia ſunt corpore inanimata ſed corruptibilia & ſolubilia quamvis ſolida, quia intrinſecam habent cauſam corruptionis patiunturque ſemper aliquid ab extrinſecis.

DIFFICULTAS IX.

An vita in viventibus jam brevior ſit quam olim.

SI hæc quæſtio ſolum hominem inter viventia concerneret fortè non fruſtrà videret, qui eam lippis & tonſoribus notam eſſe diceret; ſed cum cætera viventia ut bruta & plantæ ſub ea quoque comprehendantur & non facilè conſtet, quæ horum ſingulorum ætates non noſtris ſint temporibus ſed & antiquitus fuerint, incertum eſt quid ad omnia dici poſſit. Quicquid tamen ſit.

DICO primò, longè brevior eſt jam vita hominis quam olim fuerit. Hæc concluſio non aliunde melius petenda eſt quam ex ſacra ſcriptura, quæ antiquis Patribus ante diluvium 600. 900. & amplius, poſt diluvium verò 300. 400. & plures vix annos adnumerat. Nec eſt quod quiſpiam breviores tunc annos quam nunc fuiſſe dicat, quia eosdem annos ſolares, quibus adhuc noſtram ætatem metimur, & non alios fuiſſe docent illi, qui præter S. Patres in annales Eccleſiaſticos primorum parentum ſcripſerunt. Et quæ jam noſtra vita eſt?

DICO 2. etiam probabile eſt bruta animantia olim diutius vixiſſe quam noſtris hiſce temporibus. Probatur, quæ ratio militat pro homine quoad longitudinem vitæ olim, etiam eadem militat pro bruto animante; ſed rationis eſt infrà dicendæ, olim longius vixiſſe hominem, ergò & brutum. Et certè conveniebat omnium ſpecierum individuis multiplicandis & propagandis vitam eſſe primitus longiſſimam ne hac brevius quam nunc exiſtente aut deficerent, aut non ita multiplicarentur juxtà promiſſionem divinam. Quæ autem fuerit longitudo vitæ in brutis olim, ex ſacris litteris nihil conſtat, quia videlicet non erat divinæ Majeſtatis & Authoritatis hujusmodi res viles & humanæ ſalutis nihil conducentes immiſcere ſacris; proinde requirendum eſt ab authoribus prophanis, quæ de brutis animantibus ex profeſſo ſcripſerunt: habet enim inter cæteros Ariſtoteles, qui ante bis mille annos vixit, equum marem magna ex parte ſuo tempore vixiſſe annos 35. circiter, & fœminam plus quam 40. imò 65. vide de quæ habeat lib. 5. de hiſtor. animal cap. 14.

DICO 3. incertum eſt, an vegetabilia noſtris temporibus non æquè perdurent, eſto citius ſeneſcant, & ſecundum partes viribus deficiant. Hoc patet ex iis cauſis, quas communes habent cum aliis rebus mixtis quæ noſtris ſeculis non ſunt in eo ſtatu & perfectione in qua olim fuerunt. Quod incertum ſit quamdiu plantæ & arbores quædam durant, patet ex Ariſtotele de long. & brev. vitæ circà finem, ubi ait arbores ideò fieri annoſas quod ramis quibusdam deflaceſcentibus & ſeneſcentibus novi prorumpant & regenerentur; & ſimilem quoque modum eſſe cum radicibus; Nam licet caudices & ſurculi pereant, radices etiam vetuſteſcant, nihilominus tamen alias quaſi per agnationem denuò ſuboriri, ramosque novos è multitudine radicum redivivo germine erumpere, atque ita per viciſſitudinem obitus & pullulatus firmâ vegetaque diuturnitate conſervari. Hæc Ariſtoteles. Quod etiam apud majores noſtros arbores vetuſtiſſimæ fuerint, conſtat imprimis es Joſepho Hebræo Hiſtorico, qui res Judaicas à primordio primi parentis ad Chriſtum usque & devaſtationem urbis Hieroſolimitanæ conſcripſit: Hic enim ait ſuo tempore adhuc ſtetiſſe & floruiſſe quercum, quam Abrahamus Patriarcha manu ſua plantaverit. Deinde majorum traditione habetur arborem illam, in qua Judas laqueo ſe ſuſpenderat, & quam ficum fuiſſe Juveneus Poëta teſtatur, dum ait (eſorſusque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas informem rapuit ficus de vertice mortem)

Vita jam brevior quam olim.

Arbores vetuſtæ.

tem) Bedæ temporibus adhuc ſtetiſſe, id quod ipſe vir venerandus l. de locis ſanctis c. 4. teſtatur, dum ait, portam David egredientibus fons occurrit in Auſtrum per vallem directus, ad cujus medietatem ab occaſu Judas ſe ſuſpendiſſe narratur: Nam & ficus ibi magna ſtat & vetuſtiſſima. Tertiò narrat Tacitus annal. l. 13. in fioe de ficu Romulea; eodem inquit anno Ruminalem arbotem io Comitio, quæ per octingentos & quadraginta ante aooos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & areſcente truoco diminutam prodigii loco habitum eſt, donec in novos fætus reviviſceret.

DIFFICULTAS X.

Cur vita nunc brevior præſertim hominibus quam olim.

QUousque ſe vita bumana noſtris ſeculis, temporibus & annis extendat, oemo facilè eſt, qui id oeſciat: Cum verò conſtet olim viſiſſe homines aliquot centenos aunos, & jam vix 70. aut 80. attingant, ſi tamen inter millenos tanta ſenectus in uno reperiatur, non fruſtrà ſolet iodagari, quæ cauſa ſit tanti defectus, vitæque tantoperè abbreviatæ.

DICO, multæ ſolent cauſæ tam à Philoſopbis quam à Medicis adferri, quare ounc homines habeant breviorem vitam quam olim habuerint, & inter præcipuas reliquis omiſſis poteſt eſſe prima, quia vita ſingulis tēporibus magis recedit à primo principio & à prima cujusque naturæ origine: Hæc ratio li-
Cauſa brevium nūc vitæ. cet per ſe noo ſit ſatis efficax, eſt tamen per concomitantiam aliarum cauſarum à quibus vita pendet, & quæ noſtris temporibus ſuot debiliores: Nam poteſt boc ſeculo produci & generari homo tam firma membrotum compage, tam laudabili rempetameoto &c. quam olim ante & poſt diluvium, ac proinde capax eſſe vitam ſuam ex propria natura in anoos cētenos extendere; quia tameu cauſæ reliquæ jam ordine ſubſequeores id impediunt, & terminum longævitatis præſcinduut, mirum oō eſt, illam vitæ longioris felicitatem nulli amplius contingere, quamvis nec principia noſtræ generationis ut ſanguis & ſemen, ſint io eadem adhuc bonitate io qua olim fuêre. Secunda cauſa eſt, quia per diluvium & crebras inundationes aer plurimum fuit corruptus; factum enim fuit tunc quod hodiè adhuc fieri ſolet, cum aqua io lacubus immota ſubſiſtit, nullumque effluvii locum babet, quia putreſcit, aeremque peregriois & malignis exhalationibus complet, id quod etiam bellorum tumultibus, civitatumque oppugnationibus diuturnis accidere ſolet, ubi omnia putrefactionibus plena ſunt, terramque & aerem undique complent: Et credibile eſt, aquam poſt diluvium non totam intrà terræ viſcera fuiſſe abſorptam aut evaporâſſe in aerem, aut in immenſa marium ſpatia conſediſſe, ſed ubiq; in locis declivioribus ſubſtitiſſe & paulatim computruiſſe. Tertia, quia minor eſt terræ fertilitas in proferendis alimeotis, quæ quotidiè in virturibus deficiunt propter paulatim virtutem terræ exhauſtam vel corruptam; Nam humor aqueus & terreus, quo omois generis fructus nutriuntur & creſcunt, noo habet amplius eam bonitatem & puritatem, quam olim habuit. Quarta, defectus ſcientiæ herbarum & plantarum, quæ ad vitam ſuſtentandam in primis parentibus infuſa extitit & in poſteris ejus periit: Sed oec hæc multū his noſtris præſtaret annis, in quibus deficit ipſa herbarum virtus. Quinta, quia intemperanter vivunt mortales his noſtris ſeculis, otunturque malâ victus ratione, quæ vehemeoter ſanitatem & annos infringit: Quantus enim luxus ſit biſce temporibus, quantæque voluptates in iis quæ ad vitam ſpectant, docet experientia; quanta autem olim fuerit librorum ſimplicitas, quam modeſtus eorum uſus, quam parca vivendi ratio, & quam moderatus ordo naturæ taotum inſervieodi, teſtantur tam ſacræ quam profaoæ litteræ: Et ſpectat huc, quod Hippocratis temporibus Eunuchi non laboraverint podagra ex l. 6. aphor. 28. ſed & pauci alii podagrici tum inveoti fuerint nuoc autem copioſiſſimi, aucto ſcil. otio, vitæ intemperantiâ, luxu, delitiis, voluptatibus, quibus omnibus franguotur vires & enervaotur corpora. Sexta, præmatura generatio & propagatio naturæ, quâ exhauriuotur membra, eaque conſumuntur, quæ vitam tueri & conſervare debebant. Septima denique peccata noſtra quæ faciunt ut Deus vitam noſtram abbreviat &c.

DIFFICVLTAS XI.

An vita bumana per artem aliquam humanam ſive naturalem poſſit prolongari in perpetuum.

CErtum eſt poſito immutabili decreto Dei, quo propter peccatum primi parentis ſtatutum eſt omnibus mori, non poſſe arte Medica viram propagari in perpetuum: ergò agitur de arte Medica oon ut eſt io boc vel in illo ſubjecto, ſed tantum ſecundum ſe (nam noo omne id quod finem ſuum nou ſemper aſſequi poteſt, eſt extrà latitudinem artis) qualis coucipi poteſt in bomine ingenioſiſſimo, rerumque Medicarum expertiſſimo, qui novit noxia præcavere & tantum humidi radicalis reparare quantom deperditum fuit.

Opinio affirmativa eſt noonullorum, qui ſepoſito decreto Dei & igoorantiâ rerum cavendarum probabiliter putant, vitam poſſe ptorogari arte medicâ: horum argumenta afferentur & ſolventur in fine ſeq. difficultaris.

DICO, nulla arte bumana poteſt vita homi-

ni

Ars humana non poteſt perpetuare vitam.

ni in aliquot centenos annos, taceo in æternũ propagari: Ita docent Conn. 2. de gen. c. 10. q. 1. a. 3. & cum iis Medici omnes & Philoſophi. Probatur primò, ad conſervandam vitã requiritur humidum & calidum, ſine quo utroque ſubſiſtere non poteſt; ſed nec humidũ nec calidum perpetuari poteſt, ergò. Major certa eſt; Probatur minor, corpus humanum non eſt ſemper receptibile humidi quod ad vitam conſervandam ſufficiat, ergò nec poterit illud perpetuò in corpore durare: Neque enim poteſt quiſpiam per ullam artem cohibere, quò minus per calorem naturalem corpus animalis ſucceſſivè magis & magis exiccatur, & membra omnia ita indurentur, ut fiant incapacia non tantum concoctionis humidi ſed etiam receptionis ejusdem: quod ſimiliter nec calor vitalis ſit durabilis, ex eodem patet principio, quia cum hic fundetur in humido, neceſſum eſt ut hoc deficiente & ipſe quoque deficiat: Et ex hoc argumento manifeſtè colligitur, quamvis de novo poſſet generari humidum aliquod radicale, illud tamen non eſſe ſufficiens reparandi alterum quod deperditum fuit, quia imprimis non poteſt generari in magna copia propter defectum caloris & jacturam univerſæ complexionis, quæ poſitâ contrarietate qualitatum primarum earumque continuâ actione & reactione conſervari non poteſt; deinde non poſſet reſtaurare deperditum, quia propter denſitatem partium exiccatarum non ſubingrederetur poros, ſed tantum extrinſecus irrocaret, quod ad vitam prorogandam non ſufficit. Probatur ſecundò, nemo hactenus remanſit à morte immunis, aut in quo aliquid hujus artis confirmatum fuiſſet: Probabile enim eſt, ſi dari poſſet in ullo hominum, fortè fuiſſe inventum aliquem, qui eam aut ab Angelo aut à Deo exoraſſet.

DICES, viribus auri ex quo Chymici efficaciſſimum conficiunt medicamentum, illud que pro omnibus affectibus, imprimis autem pro reparatione virium & ſpirituum cordialium adhibent, poſſe vitam homini aliquanto tempore conſervari, & de facto ſæpius vires omninò deperditas fuiſſe reſtitutas, ergò probabile eſt dari virtus in rebus ſublunaribus quæ vitam prorogare poſſint. Reſpond. figmenta eſſe quæcunque de hoc auro potabili ab Ægyptis & indoctis Medicis dicuntur, nec eſſe hactenus inventum unicum, qui miraculum cum vita protrahenda vel unius diei feciſſet: Nam imprimis nemini adhuc conſtat, quas virtutes medicamentales habeat aurum, eſto ſummè deprædicentur; deinde res ſolidiſſima eſt, quæ nullo hominis calore digeri poteſt aut in ejus ſubſtantiam tranſmutari, aut in unicum ſpiritum vitalem converti. Quod

Auri potabile an vires reſtauret.

ſi tamen viribus aliorum mineralium aut additione validiſſimorum Agentium liqueſcat, mirum non eſt, quia contingit id pluribus aliis, quæ ſummis viribus diſſolvuntur, & in ſubſtantiam potabilem tranſeunt; quando tamen intra ventriculum aſſumuntur, mox caloris vitalis digeſtione fiunt præcipitationes & ſeparationes auri aliorumque metallorum à ſuis reſolventibus, redeuntque in antiqua ſua principia, id eſt, in materiam terream, aqueam, ſolidam, duram nulloque calore vitali evincibilem, id quod etiam extrà hominem ejusque calorem fieri videmus, cum adjectâ unâ alterâve guttâ ſpiritus tartari ſubitò præcipitantur, & à ſuo reſolvente ſeparata in fundo ſubſidunt. Et hinc manifeſtum evadit, cur, cum ſubinde ægro in extremis aliquid auri potabilis porrigitur, hic aliquot horis ad ſe redire & quaſi reviviſcere credatur; quia videl. vis auri reſolubilis naturæ vim infert, cogitque ſpiritum omnem vitalem, ut pro corporis ſui ſolatio & formæ vinculo fortiter pugnâſſe videatur. Et quid mirum id ita fieri, cum etiam ſubinde hauſtus aquæ frigidæ hominem ab inferis revocet, aut aliquot ejus guttulæ in faciem reſperſæ; taceo centena ejusmodi rerum viliſſima remedia, quæ hominẽ animâ linquentem frequentiſſimè ad miraculum reſtituunt.

DIFFICVLTAS XII.

An virtute & ſcientia Angelica poſſit vita prorogari in perpetuum.

SI non poſſit vita humana per artem prout eſt in homine prorogari in perpetuum, quæritur an ſaltem id fieri poſſit per angelicã. Opinio affirmativa eſt ex argumentis infrà adferendis, quæ & pro homine & pro Angelo, imò magis pro hoc propter naturam excellentiorem & ſuperiorem militant.

DICO 1. non poteſt homini juventus reddi à ſpiritu. Ratio à priori eſt, quia ut notat Vega l. 1. de arte medendi c. 4. cum vita hominis conſiſtat in humido radicali & nativo calore, triplex autem ſit humidum in partibus viventium, primum quod in venis continetur, ſecundum quod inſtar roris carni & aliis membris affunditur, à quo irrorata humiditas nativa non tam citò poteſt abſumi. Tertium quod in ipſis partibus ſolidis ac carnoſis reperitur; duo priores humores augeri poſſunt aut reparari vel ab arte Medica & humana vel ope Dæmonis, quo modo ſæpè curantur Hectici. Tertium autem humidum radicale in cujus vigore maximè juventus conſiſtit, ita conſtitutum eſt ut cum iminuitur, non ſemper poſſit reparari, non quidem ex ſe ſed ex accidente, propter alias ſcil. diſpoſitiones corporis, quæ non permittunt ejus augmentationem; Sic enim in partibus humidioribus poteſt humidum radicale copioſè gigni & recipi, in ſolidioribus & ſicciorìbus non poteſt, & hinc

DICO 2. non poteſt virtute angelica vita in perpetuum prolongari. Probatur 1. Angelus non poteſt plus facere, quam quod na-

Angelus quid poſſit in vita prolongãda

tu-

tura per applicationem activorum ad paſſiva fieri poteſt: ſed hujuſmodi applicatione non poteſt vita perpetuari, ergò nec angelica ſcientia id præſtabit: Major eſt certa, quia Angelus eſt limitatæ potentiæ, id eſt, clauditur terminis naturæ. Minor probatur, perpetuatio vitæ humanæ eſt infinitæ virtutis, ergò per nullam applicationem activorum ad paſſiva fieri poteſt. Antecedens manifeſtiſſimum eſt, quia facere ſubjectum, quod intrinſecam habet naturam corruptibilitatis, incorruptibile & immortale, id certè debet eſſe infinitæ virtutis, ergò etiam Angelus debet vim habere infinitam. Probatur 2. ſi vita hominis ſcientia angelica in perpetuum conſervaretur, deberet ſubjectum vel manere ſemper in eadem contemperatione qualitatum, vel certè non multum excedere; ſed hoc per ſcientiam angelicam fieri non poteſt, ergò nec illud: Major patet, quia vita conſiſtit in calido & humido inter ſe benè contemperatis, & tam diu trahimus vitam, quamdiu noſtrum temperamentum naturale notabiliter non invertitur. Minor probatur, Angelus non poteſt calori effectum ſuum naturalem auferre vel impedire, ergò nec poteſt homo ſemper in eadem qualitatum contemperatione permanere. Nam ſicut non poteſt Angelus calorem conſervare abſque ſubjecto, ita nec poteſt impedire quo minus in rem externam operetur, quia hoc modo calotem conſervare eſt ſupra naturam angelicam, ergò per hanc non poreſt ſubjectum ſemper manere in eadem qualitatum contemperatione. Neque dicas multum & copioſum humidum poſſe regenerari; quia & hoc falſum eſt in corpore quod indies à calore interno magis deſiccatur & induratur, ac proinde nullius humidi eſt receptibile, ſicut nec lapis nec metallum, quod à re liquida intrinſecus humectari non poteſt.

DICES primò animal vel corrumpitur ab intrinſeco vel ab extrinſeco: Si ab hoc, poteſt arte medica ſubjectum defendi à contrario externo: Si ab illo quod potiores ſentiunt, poteſt tantum de humido radicali reparari, quantum deperditum fuit, quia nulla reperitur implicantia. Quod autem ignoretur quantum ſit deperditum, eſt per accidens, cum quæſtio ſit de arte ſecundum ſe. Reſpond. ſi animal tantum ab extrinſeco corrumperetur, verum eſſe, quod ab Angelo id poſſit impediri; ſed quia mutatur ab intrinſeco, ideò falſum eſt: Eſto autem, impediat Angelus quo minus calor naturalis in animali non agat aliquamdiu in corpus & humidum ſubjectum, non durabit tamen violenta hæc naturalis effectus retractio, vel fiet cum inverſione naturæ & detrimento corporis, cum Angelus interea calori aliud ſubjectū vel pabulum ſubminiſtrare cogatur.

DICES 2. Geneſ. 3. dicitur, ne fortè ſumat de ligno &c, Vnde ſic argumentari licet: Si homo non peccâſſet, per eſum ligni vitæ vixiſſet in æternum, ergò aliquid naturale datur, quo vita perpetuari poſſit. Antecedens eſt S. Auguſt. 13. de civit. Dei c. 20. & 23. S. Chryſoſt. homil. 18. in Gen. Ruberti 3. de Trinit. Hugonis apud Conn. de ſeneſt. & juvent. c. 3. D. Thomæ, Pererii. & aliorum, qui omnes volunt hanc vim in ligno fuiſſe naturalem. Reſpond. conſulendos eſſe Theologos, quouſque arbor vitæ vitam dediſſet, & an hæc virtus naturalis fuerit, vel etiam an ejuſmodi aliqua virtus de facto ſit in creatura, qualis in illa arbore fuit, dato quod limites naturæ tam in operando quam in eſſendo non exceſſerit.

DICES 3. ſæpius reſtituitur ægroto priſtina ſanitas & temperies humorum Medicinis, ſubinde etiam melior quam unquam fuerit, ergò iteratò & iteratò & in æternum reſtitui poteſt, quia non eſt ratio cur ſemel & non ſæpius id fieri poſſit. Reſpond. ægrotis ſæpius reſtitui ſanitatem, & humidum radicale quod à cauſis morboſis fuerat abſumptum, reſtaurari; ſed non ſemper in eadem bonitate aut copia mutatis interim partium qualitatibus: Hinc negatur conſequentia quod ſcil. ſi ſemel poſſit humidum reſtitui, id ſemper atque ita in perpetuum fiat, quia impedit hoc diſpoſitio corporis quæ ſingulis menſibus & annis ob continuam caloris actionem nonnihil immutatur.

DICES 4. hoc experientiam docere; Nam meminit Delrio tom. 1. Diſquiſit. magic. l. 2. q. 23. cujuſdam ſenis, qui anno 1531. Tarenti. jam centenarius cute, pilis, & unguibus mutatis ad juventutem redierit & annos 50. adhuc ſupervixerit. Sic refert Maphæus l. 11. hiſtor. indic. nobilem quendam Indum intrà 340. annos quibus vixit, ter ex ſenio ad juventutem rediiſſe, & hunc adhuc ante paucos annos vixiſſe nuperas litteras ex India à Patribus Societatis teſtari. Reſpond. exempla illa nihil aliud probare, ſi tamen vera ſunt, quam ejuſmodi homines ſuas exuvias ut ſerpentes depoſuiſſe, quia omnes tandem licet juvenes viſi, ex pugnantia qualitatum conſenuerunt, & ex defectu humidi quod nec generari potuit nec indurata mēbra emollire; vitam finierunt; Vel certè dicendum, hæc peculiaria eſſe opera Dei vel tutelas Dæmonis, nihilq; ideò naturæ præſcribi. Hinc meritò Gal. l. de tuen. ſanit. c 3. audaciam cujuſdam exploſit, qui vitam immortalē hominibus pollicebatur, id quod noſtro ſeculo etiā fecit Alexi' Pedemontanus in volumine ſuorū arcanorū. Certè cujuſq; vivētis vita determinatā habet durationis periodū, tandēq; comuni interitus termino clauditur, quia videl. omnia in univerſum corpora deſiccātur humorq; & calor quibus vita innititur, horis omnibus exhauriuntur, quod etiam Ariſt. 2. de gen. c. 10. docuit: cum enim vitæ ratio in conjunctione animæ cum corpore conſiſtat, conjunctio autem hæc in debita corporis temperatione conſervetur, tota ratio durationis vitæ ex eadem corporis temperie ac diſpoſitione petenda eſt: Vt ergò anima juxtà generalem omnium formarum conditionem

in materia ſuſcipi non poteſt, niſi neceſſariis diſpoſitionibus oportuoâque temperatione antecedētibus; ſic diſpoſitione ac tēperatione abolitâ ſubſiſtere in corpore diutius neqoit, præſertim ſi nativi caloris cum humido primogenio copulatio tollatur, qoemadmodum demonſtrat Dand. l. 1. corporis animati c. 33. & 34. tollitur autem & qnidem ita, ut homidum innatū beneficio humidi nutrimentitii non poſſit ex æquo reſarciri; undeetiam meritò ridentur Alchimiſtæ, quod per aurum liquatum & ad potandum habile ac per quintam quandam ſubſtaotiam promittant ſenectutem poſſe arceri; licet enim vita aliquamdiu medicinis poſſit ſervari, nequit tamen in multa ſecula protogari, qood vel ipſi Alchimiſtæ ſuo exemplo docent, qui utique ſe ipſos curareut ſi id poſſent.

Colligitur, eſſe extrà latitudinem virtutis ſive humanæ ſive angelicæ, corpus humanum conſervare in coonaturali complexione aut ſi defluxerit, ad eam reducere: Nam non eſt in poteſtate hujusmodi creatutarum impedire vel omninò rollere, mutuas primarum qualitatum actiones citrà notabile corporis detrimentum, aut facere quo minus totum corpus ſubjiciatur corruprioni.

DIFFICVLTAS XIII.

An homo per lapſum primorum parentum ſit factus primum corruptibilis.

ETiam Atheus novit hominem eſſe corruptibilem, ſed quæritnt, quando hæc corruptibilitas inceperit, an eum ipſa primorum patentum productione, ita ut etiam in ſtatu innocentiæ mutationi fuerint ſubjecti, an verò poſtquam in peccatum lapſi mottalitatem In genus humanum omnemq; poſteritatem invexerunt.

Adverte hic, ſi Adamus ejusque poſteri non peccâſſent, & in ſtatu innocentiæ manſiſſent, tunc factum fuiſſe, ut poſt certum tempus quod paradiſum inhabitaſſent, absque ulla corruptione deſtructiva, tantum facta corporum glorificatione ad cælos & ad beatitudinem æternam tranſſumpti fuiſſent, ut videre eſt apud Salianum, Molinam, Cornelium à Lapide &c.

Homo fuit etiam corrupt. in ſtatu innocentia.

DICO, homo in ſtatu innocentiæ corruptibilis quidem fuit, ſed non niſi ad alterationem, non autem ad neceſſariam mortis & interitus conſecutionem. Quod etiam homo in ſtatu fuiſſet paſſus alterationes, probatur, quia in ſtatu innocentiæ mixtum erat, & conſtabat ex contrariis, quæ in ſe mutuò egiſſent, v. g. calor ſtomachi in alimentum aſſumptū &c. Nec Deus hanc contrariorum activitatem or in glorioſis corporibus faciet, ſuſtuliſſet, ergò per hanc contrariorum pugnam factum fuiſſet, ut homo ſenectutem coortraxiſſet. Quod autem homo multis centenis annis vegetus & quaſi in ſtatu juventutis manſiſſet in Paradiſo, donec illinc à Deo ad cælos translatus fuiſſet, hoc feciſſet vel eſos arboris vitæ, quæ immortalitatem conſervaſſet, vel puriſſimum corpus & temperamentum, quo utroque excelluiſſet in paradiſo, tum bonitas alimentorum aliæque cauſæ quæ ad vitam protrahendam faciunt. Quod non fuiſſet ſubſecurus interitus, conſtat inde, quia hic à Deo propter peccatum homini contigit, ergò ſi non peccaſſet, nec morti ſubjectus fuiſſet. Et tametſi mors ſit homini ſecundum ſe ſpectato naturalis, ut docent Scholaſtici Theologi, ideò quod ſit mixtum animatum & mutationi ſeo corruptioni ſubjectum; primi tamen parentes fuerunt à Deo conditi cum dono immortalitatis ſuprà ipſorum naturam, quod etiam retinerent quamdiu non peccarent, amitterent autem quando peccarent; proinde corpora eorum erant corruptibilia, quatenus eis liberum erat per peccati labem mortis neceſſitatem incurrere, immortalia verò ſi innocentiam ſervarent: hæc Conimbr. & hinc ſequitur

DIFFICVLTAS XIV.

An & quamdiu conſervaſſet arbor vitæ incorruptibilitatem.

SUppono hic ex ſententia multorum Theologorum homini poſt commiſſum peccatum contigiſſe mortem ex mera Dei miſericordia, ne ſcil. is æternum hic in terris miſer eſſet. Jam

Arbor vitæ quam vim habuerit.

DICO 1. pomum arboris vitæ non habuit vim tribuendi incorruptibilitatem, de qua propriè ſermo eſt, ſed tantum compenſandi jacturam humidi primogenei optimo humido ita ut ſæpius repertum arceret ſenectutem eamque mortem, quæ per defectum humidi obvenit. Hæc concluſio non probatur aliter quam ex communi conſenſu SS. Patrum & Theologorum, quia incorruptibilitas erat ſingulare donum immortalitatis datum homini immediatè à Deo & non per arborem ejusque fructum, ergò hic motum ſuggeſſiſſet humidum ut ſemper & ſemper conſervaretur vita. Itaque adhuc homo manebat ſimpliciter corruptibilis, quem tamen extrinſecus advenientia non poterant lædere, quia aliunde ſatis illi providebatur: Adhæc ei conſultum fuit contrà mortis impetum tam per propriam vigilantiam quam per peculiarem providentiam, aſſiſtentiam divinam & ſubtractionem omnium earum rerum quæ ipſi ab extrinſecus nocere poterant. Vel certè data fuit ei qualitas quædam à Conditore ultrà omnia priora, quæ corpus à corruptione ſervaret, quæ qualitas an corpori an verò animæ ut quidam volunt, inhæſerit, parū refert: pleriq; tamen probabiliſſimum putant, fuiſſe ordinis altioris, id eſt, ſupernaturalis. Et rectè fit argumentatio hunc in modum, effectus virtutem cauſæ ſuæ excedere non poteſt; immortalitas autem excedebat vim illius cibi, qui natura ſua erat corruptibilis, alioquin

nu-

nutrire non potuiſſet, & in ſubſtantiam nutriti commutari. Et hoc ſignificat D. Auguſt, l. 13. de civit. Dei c. 23, cum ait, Adamum non immortalitate illa abſolute donatum ſed ligno vitæ à mortis neceſſitate exemptum fuiſſe; Porrò de hujus aut alterius cujuſcunque cibi inefficacia ad perpetuam vitam vide Valeſ. ſuæ Philoſophiæ c. 6.

Quamdiu vixiſſet homo in ſtatu innocentiæ.

DICO 2. incertum eſt, quamdiu homo in innocentia incoluiſſet paradiſum: Ratio quia id ex nutu divinæ voluntatis non ex arboris efficacia aut vigore humanæ naturæ pendebat: Putant tamen Theologi probabile eſſe quod Deus Adamum in paradiſo vix annis duplicatis aut longè ulterius quibus alioquin ad mortem uſque vixit, in ſtatu innocentiæ retinuiſſet, ideò ne ſuo conſpectu ipſum privaret, quo etiam ipſe homo maluiſſet frui, quam in ſtatu innocentiæ ſic diutius exiſtere: Vnde patet immortalitatem hanc non fuiſſe impotentiam moriendi qualis eſt in anima rationali, Angelis & Deo, ſed potentiam non moriendi, qualis modo in hominibus nulla reperitur. Vide D. Auguſt, 6. l. de gentibus ubi agit de corpore Adami, ſcil. hanc immortalitatem fuiſſe non ex conditione corporis animati, quia eatenus Adamus fuit mortalis, ſed ex beneficio Conditoris.

Immortalitas hominis in paradiſo erat impotentia ſuſpenſiva non moriendi.

DIFFICULTAS XV.

Vbi ſit fons caloris vitalis in ſanguineis animalibus.

NOTA, ſicut vita & anima, ita & calor nativus ineſt toti corpori & ſingulis ejus partibus; Non tamen ineſt ita ſingulis quin paulatim expiret & in auras avolet quotidiè, ut proinde neceſſum ſit aliunde ſemper eum ſuſtentari & ſuppleri: Plantæ quidem foventur calore partim terræ partim ſolis, animalia verò & homo ſuo proprio quem intrinſecus habent & alunt, & quo id compenſant, quod jam prius evanuerat. Neque tamen calor ſolus & nudus ſed humido pingui & aereo ſtipatus, in quo diutius ſuſtentetur, & in quo actiones ſuas toti corpori proficuas exerceat. Porrò cum hujuſmodi focus à quo calor in totum corpus emanat, in medio quaſi corpore neceſſarius ſit, non immeritò quæritur, cui membro hoc beneficium aſſcribi poſſit.

DICO, fons & origo caloris in ſanguineis animalibus eſt cor: Ita omnes Medici & Philoſophi, & probatur 1. in qua parte maximus eſt calor naturalis, ibi conſtituendus eſt fons & principium ejus: Sed talis eſt in corde, ergò. Dixi naturalis, quia fieri poteſt ut ſubinde in parte inflammata ſuboriatur calor aliquis præternaturalis major eo qui eſt in corde. Minorem probant Anatomici, qui ajunt experimento conſtare, in diſſecto animali ſempermaximum eſſe cordis calorem. Prob. 2. refrigerato corde ſubitò concidit & perit animal, quod de nullo alio membro verum eſt, ergò ſignum eſt, omnia reliqua membra & vitam & calorem ab eo haurire. 3. Probatur, reſpiratio propter nullum alium finem data eſt animali, quam ut per inſpiratum aerem cōtemperetur nimius calor cordis, & ſuffocari propterea tantum pereunt, quia ſcil. calor cordis non habet eventationem, ſed in ſe ipſo multiplicatus cor primum adurit, deinde ſuffocatur & concidit non ſecus ac flam̃a alicubi concluſa. Probatur 4. in morientibus ſemper ultimus calor in corde etiam extrinſecus deprehenditur, & qui febriunt, ſemper de calore cordis conqueruntur, unde rectè colligitur, cor eſſe fontem caloris in quo vita conſiſtat, quique animæ & corporis tanquam vinculum & proximum animæ inſtrumentum ſit, id quod Ariſtoteles benè advertit, quando vitam conſervatione caloris qui eſt in corde, mortem verò ejuſdem corruptione definit. Quod autem idem Ariſtoteles doceat, caloris principium eſſe cor, patet ex libro de ſom. & vigil. l. de juvent. & ſenect. 2. de part. animal. c. 1. 3. ejuſdem operis c. 4. l. de ſpiritu aliiſque in locis. Et ſpectant huc omnia argumenta, quæ alibi cor principium vitæ probant.

DIFFICULTAS XVI.

Quomodo calor animalis conſervetur, an eodem modo quo ignis.

NOTA, tria ad generationem & conſervationem ignis requiri. 1. aerem ambientem, 2. fomitem ſive pabulum, 3. moderatam ventilationem. 4. aliqui focum addunt, ſcil. ideo quod locus in quo ignis accenditur aut produci debet, multum quoque ad rem faciat: Nam licet ubique ignis accendi poſſit, non tamen ubique æquè benè & diu conſervari poteſt, ut patet in carbonibus, qui in aere libero ſtatim expirant, in fornace autem concluſo aut ſub cineribus diu conſervantur. Quod autem imprimis aer ad generationem ignis requiratur, nemo eſt qui ignoret, quia aliàs ſtatim ſuffocatur aut extinguitur ignis, cujus rei cauſas alii alias ſuggerunt; inter omnes autem hæc ſufficit, quod ignis materiam accenſam rarefaciat, reſolvat, multaſque fumoſas exhalationes generet, quæ niſi in ambientem aerem locumque ſpatioſum ſe explicent, in ſe ipſas redeunt & interclusæ ignem ſuffocant: 2. appetit ignis pabulum ſive alimentum quo ſe conſervet & quidem ſibi proportionatum, aereum ſcil. & terreum, id eſt, calidum & ſiccum in primis qualitatibus, in ſecundis moderatè ratum & debito modo denſum, non autem aqueum, id eſt, frigidum & humidum, aut nimis ſolidum denſum & durum, ut ſunt aquæ, lapides & quæ planè terrea ſunt. 3. requiritur moderata ventilatio & agitatio, ſive hæc fiat à vento, ſive à noſtro ſpiritu, per folles, concuſſione corpo-

Ad conſervationem ignis quæ faciant.

Quare ignis aerem requirat.

corporis ardentis &c. Eſt autem ideò ventilatio neceſſaria, ne cineres aut materia jam combuſta carbonem flammamque obruant, & ab aere, quo aliàs peculiariter foveotur, excludant, unde facta ventilatione fuliginoſa recrementa depelluntur, aer circumfuſus in ignem impellitur, & bicio penitiores partes ſubjecti combuſtibilis. His de igne poſitis conditionibus, quia proximam cum calore animalis producendo cognationem & affinitatem habet.

DICO, ad conſervationem & productionem caloris animalis requiritur 1. focus, qui in ſanguineis animalibus eſt cor, in exanguibus aliquid cordi analogum. 2. materia quæ in ſanguineis eſt ſanguis, in aliis humor ſanguini proportioni reſpondens. 3. aer in iis quæ reſpirant, in piſcibus autem aqua. 4. motus & ventilatio. Explicantur ſingula. Focus itaque in ſanguineis animalibus eſt cor cujus motu continuò gigoitur & conſervatur calor cum ſpiritu, qui proximum & immediatū ſubjectum eſt caloris: Quod autem cor ſit fons & ſcaturigo caloris, quod hic anima vitalem facultatem, id eſt, potentiam generativam ſpirituum poſuerit, quod ejuſdem motu, fervore & ebullitione ſanguinis hi perficiaotur, alibi paſſim habetur. 2, materia ex qua ſpiritus animantium gignitur & qua mediante conſervatur calor, eſt ſanguis ex alimento concoctus. Nam omne alimentum homini proportionatum convertitur in ſanguinem, & ex hoc ſolo producitur ſpiritus vitalis in corde per calorem hic maximè abundantem. 3. neceſſarius eſt aer io iis animantibus quæ reſpirant, in piſcibus autem aqua; de utriusque tamen neceſſitate dicetur alibi de motu cordis & reſpiratione. 4. & poſtremò requiritur moderata veotilatio, motus & exercitium quo calor excitetur & in totum corpus æqualiter diffuſus meatus aperiat, craſſos humores attenuet, omni genere excrementorum corpus repurget &c. Nam ſicut videmus moderatis laboribus appetitum excitari, concoctionem melius perfici, varia corporis recrementa diſcuti & è corpore expelli, totumq; animal ad quascuoque operationes fieri promptius & habilius; ita quoque continuá ſeſſione nullaque membrorum commotione cibi faſtidium ſentimus, torpemus, languemus, neque vel alimenti concoctionem vel ſupervacuorum humorum expurgationem ſatis adminiſtramus, quia calor copioſis fuliginibus & ſeroſitatibus obruitur, quæ alias per motum & exercitium non ſecus ac ab igne ſua quoque recrementa diſpelli ſolent.

DIFFICVLTAS XVII.

An & quomodo viventia egeant temperatione caloris ad vitæ conſervationem.

NOo ſatis eſt ad vitam animalis habere ſufficiens humidum radicale & calidum innatum, niſi etiam hoc utrumq; partim reſtauretur partim contiouatâ ſucceſſione novâque productione reficiatur: Et conſtat quidem caloris & ſpirituum ex ſanguine perpetuatio; ſed quia calor io corde facilè obruitur, ſuffocatur nimiumque intenſus & ſe & animal jugulat; itaque difficultas eſt, an egeat aliquo refrigerio vel temperatione ex aere facta.

NOTA 1. ad hujusmodi temperationem requiri pulſationem quæ eſt actio cordis & arteriarum, tum reſpirationem quæ beneficio diaphragmatis & muſculorum pectoris perficitur. De hac autem utraque Diſput. 24. hujus libri. Nota 2. oon tantum animalia ſanguinea ſed etiam exanguia & plantas calorem interoum habere, & hunc conſervari tam à ſole quam à terra, quæ cum humido etiam calorem ſuppeditat; Nam niſi hoc eſſet, non poſſent ſemina in terram injecta exuſcitari aut ſeipſis vivens aliquod producere, cum calor ipſorum oon ſufficiat, niſi à terra ejusque calore tanquam ab uteri fomento diſponatur.

DICO 1. plantæ non egent refrigeratione ſive temperatione caloris. Probatur primò, plantæ oon habeot eos meatus ſicut animalia ſanguioea, per quos refrigerari poſſint, ergò etiam non opus habent eo refrigerio, quia aliàs natura defeciſſet in neceſſariis. Habent quidem plantæ & arbores ſuos meatus, non tamen propter caloris temperationem, ſed ideò ut humidum attrahant, & aqua cum aere per ſubingreſſum facultatem vegetantem nonnihil excitent blandoque calore foveant; omnia enim viventia inquit Scaliger perſpirant, & calor in omnibus eget reſtauratione, in multis autem refrigerio. Prob. 2. plantæ calore conſervaotur, frigore verò extingvuntur & pereunt, ergò non opus habeot refrigeratione. Antecedens probatur, omnes plantæ in æſtate florent, vigent, rident &c. hyeme autem triſtantur, & ſunt ſine floribus, fructibus, ſeminibus quaſi emortuæ, cujus ratio eſt, quia in plantis calor intrinſecus non ſufficit, ſed aliunde cupit ſublevari & augeri; Quod autem in maximis caloribus deficiant plantæ, id non fit præcisè propter calorem, ſed propter defectum humidi, quo etiam ob exiccatam totius ſubſtantiam, ſicut fit in homine & animalibus, humectari non poſſunt.

DICO 2. nec exaoguia requirunt caloris contemperationem. Probatur 1. exanguia non reſpirant ſicut ſanguinea, quibus natura dedit ductus quosdam valdè conſpicuos, per quos aere aut aquâ intra corpus hauſtis refrigerentur, ergò nec ipſa indigent caloris ſui refrigeratione. 2. exanguia natura ſua frigida ſunt, habentque tam exiguum penè calorem quemadmodum plantæ, ut potius calore quam frigore & fomento quam refrigerio indigeant, ergò. Antecedens patet, quia gaudeot locis calidis, fugiunt verò frigus à quo etiam ſubitò extingvuntur, ut docet inſtans æſtas & hyems. Quod ſi Dicas apes & id genus animalia alia refrigerari per inſpiratum aerem, quod ſonus ille quem inter volandum

edunt,

Digitized by Google

edunt, ſignificat: Nam ut adverrendnm, in loco, ubi pectus ventri confine, fiſſura eſt, & ſub ea tenuis membrana, & hæc incurſione ſpiritus viciſſim attollitur & demittitur, potiſſimum inter volandum, eâ autem ſpiritus attritione ad pelliculam ſonus gignitur, ergò veriſimile eſt, inſecta quoque per inſpiratum aerem refrigari. Reſpond. ſonnm hunc non fieri per inſpirationem aeris ſed motu alarum, id eſt, vel attritu alarum inter ſe vel aeris percuſſione. Nam pleraque inſecta habent quaruor alas, utrinque binas, easque non ut volucrum genus diviſas ſed integras & membranæ ſeu cutis æmulas, aliqua cruſta obtectas ut ſcarabæi; muſcæ tamen bipennes ſunt, non quadripennes; ſonus tamen non editur abſque motu alarum, quod pleriſque non niſi inter volandum contingit ut ſunt muſcæ, apes, culices, crabrones, ſcarabæi, veſpæ &c. Pluta de his obſcura ſunt propter organorum exilitatem: Hoc unum Adverte, ſi fortè cicadæ tempore æſtivo & grylli poſt fornacem appulſu aeris frigidi gaudeant, id contingere non propter exceſſum caloris interni & innati ſed externi, qua de cauſa nos quoque per æſtatem aut conſtitutione calida frigidioribus gaudemus.

DICO 3. ſola animalia perfecta ſive ſanguinea per immiſſum vel inſpiratum aerem refrigerari debent. Hæc concluſio manifeſta ex iis eſt, quæ paſſim ex prioribus patent, & quæ ex cordis calidiſſimi conſtitutione deſumi poſſunt. Nam niſi cor continuâ aeris inſpiratione refrigeretur, fiatque nova ſemper & nova ventilatio, tunc nimius caloris exceſſus in ſe ipſum reflectetur & ſuffocabitur, vel fuliginoſi vapores & exhalationes ipſam cordis ſubſtantiam obruent, & quicquid caloris vitæque ſupereſt, conficient, id quod in carbonibus aut igne manifeſtè fieri videmus, quia utriusque eadem eſt ratio, & hoc eodem modo per occluſionem & cohibitionem aeris ſubingredientis. Sed unde petitur hæc refrigeratio? Reſpondetur refrigerari ab aere quæ reſpirant, id eſt, quæ aerem hauriunt & emittunt; ab aqua verò quæ bronchias habent ut piſces, qui per eas ſicut & per os aquam hauriunt & remittunt. Neque tamen ſolus aer refrigerat, ſed etiam potus frigidus in animalibus reſpirantibus, imò & Medicinæ in affectibus calidis. Sed an calorem cordis contemperat potus frigidus, qui non ingreditur per aſperam arteriam usque ad cordis viciniam? Reſpondetur, tametſi potus frigidus non aſſumatur propter caloteın cordis contemperandum ſed propter ſitim ventriculi ejusque ſiccitatem; certum tamen eſt, quod etiam cordis calorem nimium contemperet partim per attactum partium cordis proximarum, partim per penetrationem mediantibus poris & meatibus ad intimam usque cordis ſubſtantiam.

Animalia quomodo refrigerentur.

Colligitur 1. animalium ſanguineis aliis à natura datos eſſe pulmones, iis videl. quæ reſpirant, aliis autem bronchias ut piſcibus. 2. in piſcibus bronchias non aliter dilatari & contrahi eâque actione aliquid hauſtæ aquæ per certos meatus ad cor deferri, quemadmodum in animalibus perfectis per pulmonum & thoracis diductionem & contractionem fieri ſolet. Sed non capiunt ſolùm pices aquam per bronchias ſed per os etiam, unde aqua ad cor quod ſitum eſt inter bronchias, per certos meatus affluit & refluit. 3. quare animalia pedeſtria in aqua & piſces in aere non poſſint vivere, id eorum naturæ & temperamento aſcribendum eſſe; Illis enim aer eſt conſimilis, his aqua, proindeque non mirum, ſi illa requirant aerem in quo vivant, & illi aquam in qua conſerventur. In utriſque tamen magna eſt diverſitas, quia talpæ aere craſſo ſubterraneo vivunt, alia gaudent tenuiori; ſimiliter ex piſcibus alii aquam tenuem, alii craſſam, alii cænoſam expiunt: Sunt denique animalia quædam amphibia, quæ propter naturam inter piſces & animalia pedeſtria media partim in aqua partim extrà aquam vivunt ut Caſtor & alia; exanguia etiam æſtuoſis gaudent locis, ſanguinea verò temperatis aut etiam paulò frigidioribus.

DIFFICVLTAS XVIII.

An una vel multa ſint partes principes, à quibus vita pendeat.

QUamvis partes omnes totius animantis admirabili quadam harmonia in ejusdē ſalutem vitamque conſpirent, adeò etiam ut ne unica quidem fruſtrà ab ipſa natura ejusq; Anthore. inventa & formata videatur. Magna tamen eſt earum diverſitas & talis ordo, ut aliæ ex aliis pendeant vitamque & functiones ſuas iis acceptas referant. Hinc etiam veriſimile eſt. eſſe aliquas partes primas & nobiliores, à quibus omnes operationes animæ, quibus vitam definimus, oriantur: Eſt quidem ipſa anima principium in ſe omnium quæ fiunt in corpore vivente, ſed & aliquas partes principi & illi inſervientes eſſe oportet, quia videmus uon tanrum deficere vitam ſi anima cedat, ſed etiam ſi quædam principaliora membra corporis deficiant. Vt autem conſtet, an una ſit pars vel multæ, quibus hic principatus vitæ debeatur, & quænam illæ.

DICO 1. rationi eſt magis conſentaneum unam eſſe partem principem quam duas aut plures, à qua primariò vita cohæreat: Dico primariò, quia multæ ſunt partes, ſine quarum integritate vita ſubſiſtere non poteſt licet non primariò. Probatur concluſio 1. ſicut unum in humano corpore eſt principium anima ſcilicet, à qua procedunt omnes operationes & unus calor, quo tanquam inſtrumento ſuo utitur anima in exequendis ſuis functionibus; Ita etiam probabile eſt, unam eſſe partē principalē, quæ reliquas omnes foveat & cōſervet, ut disp. 19. de part. corporis

Cor eſt pars princeps.

ani-

animati pluribus patebit. Secundò videmus quod ſemper ars & natura ſtudeant paucitati, cum id magis ad perfectionem rerum naturalium expediat, ergò etiam id in membris humani corporis reſpectu dominatus & principatus vitæ conſervandæ verum erit; Antecedens patet primò in artefactis, in quibus ſemper reperitur pars aliqua, cui debeatur primus honor & gloria; 2. in naturalibus, ubi ex ratione fieri videmus, ſemper inter multa quæ ad unam actionem conſpirant, unum eſſe principium, ne plura à ſe ipſis diſſentiant & actionibus deſtituantur. 3. in rebus politicis ubi inter plura confuſiones, uno autem dominante ordinem ſucceſſum & proſperitatem expetimus.

Vitæ principium cor DICO 2. unum vitæ principium inter corporalia cor eſt, Probatur hæc concluſio iiſdē argumentis quibus loco citato principatus cordis abſolutè vindicabitur. Et accedit illud, quod illa pars ſit vitæ principium, quæ eſt fons & origo caloris; ſed tale principium eſt cor, ergò. Major eſt vera, quia vita conſiſtit in calore, & calor eſt primarium inſtrumentum vitæ. Minor etiam eſt omnium Philoſophorum & Medicorum, licet hi principatum diverſimodè explicent & interpretentur. Quod ſi dicas primò, nutritionem converti cum vita; ſed illius principium non eſt cor, ergò nec hujus. Reſpond. negando minorem, quia nutritionis principium inſtrumentale eſt calor, qui oritur à corde.

DICES, ſi cor in homine cunctiſque animantibus eſt vitæ principium, ſequitur eo adempto non poſſe reliquas partes ſupervivere; ſed e contrarium apparet in inſectis, quorum partes reſectæ nihilominus ſupervivunt, ergò. Reſp. ſermonem eſſe tantum de animalibus perfectis & quorum animæ judicantur indiviſibiles, aut ſi ſint diviſibiles ut multis placet, ſaltem non ad eum modum quem in inſectis videmus, in quibus manifeſtè remanent operationes vitales aliquamdiu in utriſque partibus, quod non fit in animalibus perfectis propter perfectionem organorum & dependentiam inter ſe; quæ etiam cauſa eſt, quare plantæ reſectæ ubique retineant animam, quia videlicet anima eſt omninò diviſibilis & materiæ nimium immerſa, quia vita non dependet ab una aliqua parte, quia non adeſt tanta perfectio organorum, quia humidum in plantis non tam facilè depaſcitur, quia vita animalis plus requirit caloris & humidi propter perfectionem organorum & operationum.

DIFFICULTAS XIX.

Quæ pars in exanguibus & plantis obtineat principatum.

EXanguia dicuntur quod ſanguine & ſanguineis viſceribus careant ut corde, epate &c. quamvis habeant humorem & membra quædam ſive aliquid proportione ſanguini, cordi & epati correſpondens, ſimilemque & uſum præſtans & effectum. Solent autem communiter exanguium 4. numerari genera; nam quædam ſupinâ aut pronâ ſui parte vel certè utrâque per inciſuras diſtingvuntur ut apes, muſcæ, formicæ, veſpæ, erucæ, ſcarabæi, papiliones & omne genus vermium. Alia ſunt mollia quia cutem inſtar cutis humanæ mollem habent, ut ſepiæ, polypi. Alia tenui cruſta integuntur ut cancri. Alia demum durâ craſſaque teſtâ muniuntur, ut cochleæ, oſtreæ & conchæ; teſtudines ſunt ex genere ſanguineorum. Sed in his omnibus quodnam principium vitæ? conveniens enim eſt alicubi ſontem caloris eſſe, à quo vita non minus quam in animalibus perfectis in reliquum totum corpus diffundatur. Itaque

DICO 1. probabile eſt, exanguibus in medio corporis conſtituendam eſſe partem principalem, à qua cum vita calor quaquaverſum diſpergatur. Hoc probatur in quibusdam inſectis, in quibus conſpicua ſunt venter, caput & pectus, ut in muſcis, apibus, veſpis &c. in his enim valdè probabile eſt, quod principium vitæ ſit in medio, imò & ſenſu patet, quia abſciſſis ventre & capite medium illud, in quo collocandum eſt principium vitæ, ſeorſim adhuc vivit. Et quod de his certum videtur, id etiam de aliis, in quibus caput, pectus & venter non ita patent, ſuſpicari licet. Hæc tamen pars princeps, quæ cordi animalium perfectorum analoga, nondum comperta ſatis eſt, nec etiam nomen habet.

DICO 2. in plantis videtur pars princeps locum obtinere inter truncum & radicem, vel quod aliis magis placet & credibilius eſt, ipſæ radices videntur obtinere principatum. Argumentum eorum, qui principium inter radicem & truncum ponunt, eſt, quod alimentum radicibus hauriatur tanquam ore & in truncum tanquam ſtomachum vel medium arboris effundatur. Qui verò radicibus principium aſſcribunt, ajunt etiam radices ori, cordi, & ventriculi proportione reſpondere; primò vivere & ultimò mori; optimè fovere calorem adjumento terræ; dare & porrigere arbori alimentum & calorem; in iis quaſi primò in ventriculo coqui & præparari alimentum &c.

Colligitur, non malè partes & actiones plantarum & animalium inter ſe comparari, quia habent quandam inter ſe ſimilitudinem & analogiam, unde etiam cordi radices, ventri caudicem, pilis folia, corticem corio ſeu cuti comparant Authores, ajuntque non illepidè Platonicos hominem vocaſſe inverſam plantam, & hanc inverſum hominem.

DIF-

DIFFICULTAS XX.

Vbi aut in quo membro incipiat primum vita animalis?

SI verum eſt quod Ariſtoteles l. de juven. & ſeneſt. l. de ſpiratione, 3. de part. animal. c. 4. & 2. de gener. animal. c. 4. aliiſque paſſim in locis ſcribit, cor videlicet eſſe principium vitæ & fontem caloris; nemo videtur habere cauſam quærendi, in quo membro vita primum incipiat, cum apertè conſtet, hanc cordi deferendam eſſe. Attamen cum conſtet certum etiam eſſe, quod anima rationalis in homine nunquam infundatur, aut in brutis ſenſitiva producatur, niſi cum corpus integrè formatum ſit omnesque diſpoſitiones introductæ, probabiliſſimum videtur, animam rationalem non in unam aliquam partem primò infundi, aut ſenſitivam in certo & determinato membro produci, poſtea paulatim & ſucceſſivè in aliis, ſed ſimul & ſemel uno inſtanti in omnibus partibus & in toto recipi, cum generatio ſit actio inſtãtanea non reſpectu partis unius, ſed reſpectu totius compoſiti: Si enim anima reciperetur primò in una parte & poſtea in reliquis, compoſitum non fieret in inſtanti ſed ſucceſſivè.

Suppono 1. aliam vitam eſſe in actu primo, aliam in actu ſecundo; 2. hic ſermonem eſſe de anima rationali & ſenſitiva bruti perfecti juxtà eam opinionem, quæ huic quoque indiviſibilitatem concedit: De iis enim formis & animabus, quæ diviſibiles ſunt, non eſt difficultas, quia poſſunt hæ partialiter prius in una & poſtea in alia parte recipi.

Anima ſimul eſt in toto.

DICO 1. probabile eſt, vitam in actu primo non eſſe prius in una parte quam in altera ſed ſimul in toto. Probatur, anima ſecundum ſuam eſſentiam producitur uno inſtanti in toto, ergò & vita quoad actum primum. Hæc conſequentia certa eſt, quia vita in actu primo nihil eſt aliud niſi præſentia animæ nullo habito reſpectu ad operationem; Antecedens probatur, quia nulla videtur eſſe ratio quare animà prius quoad eſſe producatur in una quam in alia parte, cum omnes ſint æquè diſpoſitæ, ergò probabile eſt in omnibus partibus ſimul quoad eſſe ſeu exiſtere produci. Dico tamen eſſe probabile, quia non implicat, quo minus anima rationalis tota licet inadæquatè poſſit in corde v. g. produci, quæ poſtea ſe ad reliquas partes diffundat ad eum planè modum, quo in nutritione medi-antibus unionibus in aliis atque aliis partibus recipitur. Neque erit hoc contrà definitionem generationis, quia dum anima in una parte recipitur, eſt vera generatio, producitur que tota forma totumque compoſitum.

Etiam poteſt anima ſucceſſivè recipi in pluribus partibus.

Hic tamen Adverte, ſi dubium ſit de receptione animæ rationalis in toto, multò adhuc magis dubium eſſe de reliquis formis ſive animabus materialibus, quia producuntur hæ de potentia ſubjecti, cujus non ſemper eadem eſt ubique diſpoſitio, & quia hæ non ſunt totæ in toto &c.

DICO ſecundò, etiam probabile eſt, vitam in actu ſecundo, id eſt, quoad operationes vegetativas eſſe ſimul in toto, licet à corde tanquam fonte & principio in reliqua membra influat. Probatur, ubicunque eſt anima quoad eſſe, ibi etiam eſt quoad operari ſaltem vegetativè; ergò una pars non citius nutritur quam alia: Et confirmatur, quia talis eſt conſenſus partium inter ſe ut non poſſit una ſola vegetari, quin etiam vegetetur & altera.

DICO tertiò, non tantum probabile, ſed etiam certum eſt, vitam vegetarivam tam in homine quam in bruto prius incipere quam ſenſitivam. Probatur, quia nutritur animal primis temporibus ſine ullo ſenſu aut cognitione, ergò vita vegetativa poteſt eſſe abſque ſenſitiva: Antecedens probatur, quia vita hominis & bruti quoad operationes primis temporibus non differt à vita plantæ ut habet Ariſtoteles, dum ait hominem eſſe prius plantam tum animal.

Vita vegetativa prius incipit quam ſenſitiva.

Quod ſimiliter poſſint eſſe operationes ſenſitivæ abſque intellectivis conſtat experientia, qua videmus nos nutriri & augeri tam intrà quam extrà matris uterum abſque ulla cognitione intellectiva.

DICES, cor primò vivit & ultimò moritur juxtà commune illud axioma, ergò vita ſemper eſt in corde prius quam in reliquis partibus. Reſpond. cor primò vivere quoad actum ſecundum non quoad primum; quia ſimul eſt in corde & alibi.

Quod autem in morbis quampluri-mis ultimò vivat certum eſt, quia propter defectum caloris, qui primò deficit in partibus externis & remotis à corde, retrahit ſe anima, id eſt, deſinit informare, donec tandem à corde tanquam à fonte & principio caloris, ubi diſpoſitiones vitales ultimò pereunt, ſeſe explicet.

DIFFICULTAS XXI.

Quot ſint Ætates.

QUia cuncta animata ita ſubjecta ſunt corruptioni, ut nunquam in eodem ſtatu permaneant, ſed aut felicius ad perfectionis ſummum aſcendant vel turpius ad interitum progreut, adeoque ſingulos in dies & ho-

& horas im̃mutentur; Ideò quæritur, quot numerari ſoleant hujusmodi mutationes, non quidem omnes, quæ per continuatas alterationes fiunt, ſed quæ ita ſunt notabiles, ut hominem in accidentibus, intellige in temperamento ſeu complexione, in ſtatura, poſitione & extrinſecis delineamentis à ſeipſo alienum defeciſſe manifeſtent.

Ætas quid. NOTA, nomen ætatis vel ſignificare ſpatium totius vitæ, quod certo annorum numero clauditur, vel peculiarem corporis conſtitutionem & mutationem accidentium in illo ſpatio factam. Et definitur ætas eſt vitæ ſpatium, quo inſitum viventis corporis temperamentum per ſe evidentem mutationem ſubit. Dicitur primò per ſe, id eſt, ab inſito principio, videlic. calore naturali humidum depaſcente, & non per cauſam extrinſecam & morboſam. Dicitur ſecundò mutationem, quæ eſt alteratio in calore, frigore, ſiccitate aliiſque affectibus & accidentiis, quæ primarum qualitatum actiones ſeqvuntur. Dicitur tertiò evidentem, quia non quævis mutatio dicitur ætas, cum alteratio ſit continua, ſed illa tantum quæ eſt notabilis & manifeſta adeoque evidenter demonſtrat hominem jam alium eſſe ab eo qui ante annos fuerat.

Ætates quot. DICO, Ætates variè dividuntur & conſtituuntur, ab aliis quinque, ab aliis ſex, ab aliis ſeptem, omnium autem optimè vel 4. à proportione 4. anni temporum, aut complexionum & humorum, ut patet ex dictis, vel tres juxtà hominis Incrementum ſive ortum, ſtatum & decrementum usque ad interitum: Si quatuor ſtatuas, ſunt adoleſcentia, ſub qua comprehende Infantiam & pueritiam usque ad annum 25. juventus quæ ad annum 35. vel 40. ſeſe extendit, Ætas virilis, quæ ultrà annum 50. aſcendit, & ſenectus, quam mors & interitus claudit. Si tres ſunt, juventus quæ comprehendit adoleſcentiam, virilis ætas, & ſenectus: Ita docet Ariſtoteles l. de juvent. & ſeneſt. & omnes paſſim tam Medici quam Philoſophi; Et ratio eſt, quia omnia naſcentia, quibus vita eſt, habent hoc commune, ut naſcantur, perficiantur & rurſum deficiant. Nam quo tempore plantæ & animalia creſcunt, acquirunt omnia illa, quæ ad naturæ ſuæ perfectionem ſpectant. Quando autem ad gradum perfectionis deveniunt, in eo aliquamdiu ſubſiſtunt, donec paulatim incipiant ab illa integritate deficere, inque ea principia reſolvi ex quibus ſunt compacta. Prior ætas ut patet extendit ſe communiter ad annum 25. Secunda ſub qua Viros etiam intellige usque ad 50. & tertia usque ad cineres & inevitabile buſtum. Hæ tamen tres ætates ita ſubdividi ſolent, ut Adoleſcentia comprehendat Infantiam ad annum quartum vel ſeptimum, pueritiam ad annum 14. pubertatem ad annum 18. & adoleſcentiam propriè dictam ad annum 25. juventus ſeu media ætas continet juventutem propriè dictam quæ extenditur ad annum 35. & ætatem virilem quæ currit ad annum 50. & ultrà: Dicitur media, quia conſtat inter juventutem & ſenectutem & ab utraque aliquid participat; Dicitur etiam matura, quia judicium maturum eſt & conjunctum cum providentia. Hanc ſequitur ſenectus, quam plerique in ſenectam viridem ſeu primam, in ſenectam propriam ſeu ſecundam & in ſenectam decrepitam ſeu tertiam & ultimam dividere ſolent. Adverte tamen, has ætates non eſſe easdem apud omnes, quia alii citius pubeſcunt & ſeneſcunt, unde etiam ab intrinſeco vel citius vel tardius ſuas ætates decurrunt, quia videlicet intrinſecus vitæ periodum vel longiorem habent vel breviorem. Hujus varietatis cauſæ ſunt diverſitas temperamentorum ſive complexionum, locorum in quibus habitant, victus ratio, educatio, &c. Quantum verò referat quod Aſtrologi quidam ſingulis ætatibus ſingulos Planetas ob peculiarem influxum præficiant, ut infantiæ lunam, pueritiæ Mercurium, adoleſcentiæ Venerem, Juventuti ſolem, virili ætati Martem, Senili Jovem, decrepitæ Saturnum, Videri poſſunt Conn. lib. 2. cæl. cap. 3. q. 9. a. 1.

DISP.

DISPUTATIO UNDECIMA,

De modo quo anima rationalis ſit in Homine Oriente eumque informet.

AD uberiorem animæ rationalis cognitionem pertinet modus, quo illa hominem vix nuper vitalem & animatum informet; Nec enim ſatis eſt cognoviſſe eſſentiam animæ, niſi etiam ſimul conſtet quomodo poſt creationem corpori uniatur & eſſe tribuat homini, an per informationem juxtà Ariſt. an verò per aſſiſtentiam ut Plato & ejus ſectatores crediderunt. Turpe certè & fabuloſum eſt cum Pythagoræis transmigrationem animæ de corpore in corpus docere, vel cum impio Averrhoë, Themiſtio, Theophraſto aliisque nugatoribus Aſſiſtentem fingere adeoque totam homini nobilitatem præſtantiam dignitatemque demere. Quid enim dignum in ſe habet homo ſi animam ſuſtuleris, & quam à brutis differentiã dabis, ſi eandem formam negaveris? Externa partium diſpoſitio nihil probat, quia non eſt hæc hominis ſed corporis, non viventis ſed mixti, non partis & eſſentiæ immaterialis ſed materialis, quæ citrà decentem etiam membrorum formationem animam aſſiſtentem compati ſecum poſſet. Hinc digna eſt ſententia Ariſtotelis, quæ omnes habeat ſectatores, quia vera, quia Philoſophica, quia rationalis, quia cum fide & Eccleſia congruit. Nec admittendi ſunt, qui aliud docere Philoſophiam, aliud religionem aſſerunt; Hi enim cum ſint rerum novarum cupidi, nec aliter fœdiſſimos ſuos de anima rationali errores in vulgus ſpargere poſſint, id excogitant ut dicant, aliud eſſe verum ſecundùm Philoſophiam, aliud ſecundum Religionem; Et contrà hoc conſtitutum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Leone 10. ut quicquid verum eſt ſecundum veram Religionem, id etiam verum ſit ſecundum veram Philoſophiam, & quæcunque doctrina aliqoid tradat repugnans Religioni, ea non vera ſed falſa ſit Philoſophia, & argumenta omnia ejus pro ſophiſmatis habeantur, idque propterea, quod vero verum non poſſit eſſe contrarium, quod Ariſtot. 1. Ethic. c. 8. quoque agnovit, dum ait vero conſonant omnia. Cæterùm redeundo ad nobiliſſimum animæ noſtræ cum corpore nexum & informationem, ſit

DIFFICVLTAS I.

An ut anima rationalis informet hominem Orientem, requiratur unio ab anima & materia diſtincta.

QUandocunque generatur homo, leo aut quodvis aliud compoſitum Phyſicum, uniuntur forma & materia tanquam duo principia eſſentialia & intrinſecè omnem compoſitionem Phyſicam conſtituentia; Et hæc unio an ſit nihil aliud quam ipſa forma & materia inter ſe unitæ, an verò aliquid ſubſtantiale ſuperadditum, hic difficultas eſt. Sunt enim hac noſtra ætate nonnulli inter viros doctos, quibus antiquorum nominalium ut Albert. Magn. Hervæi, Capreol. Cajet. & aliorum doctrina de nullitate hujus unionis usque adeò probabilis videtur, ut cum illis non tantum aliquos ſed omnes penitus modos ex Philoſophia & Medicina eliminandos judicent eò vel maximè quod neque in ratione neque in vetuſtate hæc intricatiſſima entia ut appellant, ullum fundamentum habere putent.

DICO 1. Datur unio inter formam & materiam, adeoque ut anima rationalis informet, *Vnio inter formam & materiam.* requiritur inter hanc utramque unio. Ita docent omnes exceptis nominaliſantibus, & ratio eſt, quia ſola præſentia materiæ & formæ non conſtituit compoſitum nec facit ut Embryo animetur aut informetur, cum ſeipſis non copulentur, ergò requirunt mediũ quoddam, id eſt, unionem, per quam unitæ compoſitum hominemque conſtituant, ergò etiam datur unio ante operationẽ intellectus. Confirmatur, quando Artifices ex luto vel cera faciunt ſtatuam, vel Pharmacopæi ex variis ingredientibus ſyrupum, pilulas, Electuarium vel aliud compoſitum, verè operantur & producunt aliqoid; ſed non producunt connotationem intellectus, neque accidens aliquod abſolutum, quia non poteſt hoc conſervari extrà ſubjectum, ergò aliquid quod à forma & materia diſtinguatur modaliter, id eſt, unionem.

DICO 2. Vnio eſt diſtincta tam à forma quam à materia. Prob. 1. illa diſtinguuntur *Vnio diſtincta à materia & forma.* inter ſe, quæ non ſunt idem ante operationem intellectus; Sed unio etiam antequam intellectus quicquam operetur, non eſt idem cum forma & materia, ergò. 2. Inter illa datur aliquod medium diſtinctum, quando unum poteſt exiſtere non exiſtente altero; Sed hoc fit inter formam & materiam, ergò. Nam poteſt Deus conſervare formam v. g. à materia ſeparatam, imò quotidiè conſervat apud Catholicos quantitatem ſolam in Euchariſtia. 3. Vnio producitur diverſa actione à ſuis extremis & conſervatur diverſa actione, ergò. Prob. Antec. quia omnis actionis debet dari aliquis terminus, quia hæc eſt via ad terminũ ſeu fieri termini vel potius exercitiũ Agentis quo entitas alteri cõmunicatur; Sed generatio hominis eſt actio dans eſſe termino, nõ animæ aut materiæ quia utraque creatur, ergò unioni vel formæ alicui ſubſtantiali, cui etiam neceſſariò

eſt

eſt aſſignanda unio, quia non ſufficit intima præſentia formæ eum materia. Rurſum in morte hominis corrumpitur unio, & in reſurrectione reproducitur remanentibus iisdem partibus compoſiti, qnia quando homo corrumpitur, nec forma nec materia corrumpitur, ergò illud quod utramque conjunxerat; Et ſimiliter quando idem homo reproducitur, nec materia producitur nec forma, ſed nexus tantum ſeu vinculum; Niſi autem aſſignetur terminns generationis humanæ ſubſtantialis. quia diſpoſitio materiæ accidentalis non ſufficit, totus homo creabitur.

In reſurrect. producitur tantum unio.

DICES, forma eſt in materia ſicut eſt actus in potentia poſitis omnibus materiæ diſpoſitionibus, ergò unio non diſtinguitur ab extremis. Reſp. diſpoſitiones non poſſe eſſe unionem vel rationem uniendi, quia ſunt accidentia quæ unionem præcedunt, & per ſe nnum cum extremis facere non poſſunt. Deinde accidentia fiunt per alterationem, unio verò per generationem ſubſtantialem. Adhæc poteſt anima rationalis non unita conſervari in materia etiam diſpoſita ſeu corpore organico ſupernatnraliter, quia nulla eſt implicantia, ergò ut ſit unita, debet illi aliquid ſuperaddi; non accidens, quia hoc non facit unum per ſe, ergò unio.

DIFFICULTAS II.

Quid ſit unio.

SVppono, unam eſſe totalem unionem in compoſito phyſico, & partiales quamplurimas.

Vnio quid.

Nota, nnionem tripliciter ſumi; 1. Pro actione qua anima unitur corpori. 2. Pro relatione conjunctionis inter animam & corpus. 3. Pro hujus relationis fundamento quod nihil eſt aliud quam cauſalitas formæ & materię, id eſt, formam tradere ſeſe materiæ, actuando ipſam & perficiendo. & viciſſim materiam ſubiici formæ excipiendo eam & fovendo, ita ut ex hoc mutuo complexu totum emergat. Porrò ſi primo & ſecundo modo accipiatur unio, eſt accidens. Si tertio, eſt modus quidam, qui non dicendus eſt accidens nec ſubſtantia ſimpliciter, ſed modus ſubſtantiæ ut patet apud Phyſicos. Itaque

DICO 1. Vnio inter formam & materiam non eſt accidens. Ratio eſt, quia facit cum iis nnum per ſe quod falſum eſſet ſi foret accidens; Neqne etiam eſt relatio ut qnidam volunt. Ratio eſt, quia nulla relatio eſt de eſſentia compoſiti ſicut eſt unio, & proinde

DICO 2. Vnio eſt modus ſubſtantialis conjungens formam cum materia, vel ut alii loqvuntur, eſt modus & ratio formalis compoſiti terminnusque formalis quo generationis. Ita docent plerique moderni. Prob. 1. ſi eſſet non modus ſed entitas realiter diſtincta ab extremis, poſſet ſine extremis exiſtere & per aliam unionem uniri atque ita in infinitum. Sed utrumque hoc falſum eſt, ergò. 2. Duo extrema abſoluta v. g. materia & forma, ſubſtantia & accidens, in omni ſua eſſentia & natura non includunt ullum prædicatum neceſſarium & inſeparabile per quod neceſſariò debeant conjuncta intelligi, ergò ut intelligantur actu neceſſariò conjuncta, debent habere novum ſibi advenientem conceptum poſitivum, quo poſito intelligantur conjuncta & quo ablato non intelligantur. Antec. eſt evidens, quia ſi materia neceſſariò includeret actu formam, tunc non poſſet produci ſine forma, ut nonnulli docent, neque accidens poſſet ſeparari à ſubſtantia; Sed hoc falſum eſſe docet fides & Religio Catholica in SS. Euchariſtia, ergò præter ſuos conceptus inſeparabiles, unde quamlibet extremi abſoluti eſſentiam ſeqvuntur, requirunt alium conceptum novum advenientem ac ſeparabilem, per quem alterum extremum actu & neceſſariò includant; Sed iſte eſt modus unionis, ergò.

Modus uñ eſt entitas realiter diſtincta ab extremis.

DIFFICVLTAS III.

An unio in homine ſit ſpiritualis vel materialis, & ubi ſubjectetur.

DE eſſentia & natura unionis duplex eſt ſententia; quiſque ſibi eligat quam volet.

Prima docet, unionem eſſe materialem. Ratio prima eſt, quia fit ab agente naturali ſive materiali quod non poteſt producere ſpirituale mediis accidentibus materialibus. 2. Quia abſciſsâ unâ parte corporis vel etiam in nutritione aliquâ parte deperditâ deberet tota mutari unio & nova totalis ſemper produci; Sed à quo? Seqnela prob. qnia ens ſpirituale eſt totum in toto & totum in qualibet parte corporis, proinde ſublata parte corporis etiam tota tolletur unio.

Secunda docet, modum nnionis identificari cum forma & non cum materia, adeoque connaturalius eſſe formam indiviſibilem informare rem diviſibilem, quam formam extenſam rem ſpiritualem; Eſſe autem connaturalius ideò, quod forma ſpiritualis ſit altioris & ſuperioris ordinis, ideoque magis conveniens ut ei tanquam nobiliori talis ratio agendi tribuatur quam rei materiali quæ ſit longè inferioris dignitatis; Neque vitari incommoda ſed graviora emergere, quomodo videlic. modus materialis afficiat rem ſpiritualem. Utraque ſententia ea proxima difficultate reddetur clarior.

Quod ad ſecundam partem difficultatis, hæc plures habet Authores & ſententias inter ſe pugnantes. Nam Hurtadus in ſua Phyſica Diſp. 5. de unione ſect. 5. ait utrumque extremum eſſe ſubjectum receptivũ unionis, & dat rationem, quia unio inquit, æqualiter reſpicit utrumque extremum illudque perficit æqualiter, quia utrumque eſt æqualiter ens incompletum. perfectibile per unionem, quæ non minus conjungit formam materiæ quam materiam formæ; Neque minus eſt materialiſatio quam informatio; neque poteſt ullum vel

pro-

probabile diſcrimen adferri, cur potius ſubjectetur in uno extremo quam in altero. Soarius 1. met. Diſp. 13. ſ. 9. non 13. probabile eenſet, unionem ſubjectari in ſola forma, & ſe ex illius parte tenere, quia tota agentis efficientia terminatur ad formam educendam de potentia materiæ, ergò quicquid efficitur, ſe tenet ex parte formæ. Sunt denique alii, qui dicunt, unionem in homine ſubjectari in ſola materia & non in forma, & attingere animam tanquã terminum intrinſecum; Et hoc ſufficere, & per illam perficiatur anima & compleatur; Et cõfirmant, quia ajunt in illo recipitur unio vel terminus generationis, in quo recipitur generatio hominis; Sed hæc recipitur in materia & non in forma, ergò etiam in illa recipitur unio. Cæterùm an eâdem actione educatur unio quâ forma, an verò diverſâ, diſcutiant cum cæteris Philoſophi & animaſtici, penes quos hæc tota eſt diſputatio.

DIFFICULTAS IV.

Quis producat unionem inter formam & materiam.

Ex hoc quod generatio non conſiſtat in productione formæ, ſed in unitione ejus cum materia, oritur difficultas quomodo forma poſſit uniri materiæ, non quidem in generatione animalium & viventium ubi ſunt omnia materialia ut leonis, equi, arboris, &c. Sed in generatione humana, quia D. Thom. Scot. & alii apud Conn. 1. de gen. c. 4. q. 13. c. 1. citati nullam ex parte hominis admittunt actionem quæ intrinſecè attingat unitionem animæ rationalis cum corpore organico, proinde juxta illud, homo generat hominem, ſufficere ajunt, ut homo per ſuas diſpoſitiones præparet materiam & hâc ultimùm præpàratâ ſe ſolo Deus infundat animam & uniat corpori. Dum itaque quæritur, quis producat unionem, an Agens naturale, an Deus, an anima.

DICO 1. In compoſito purè materiali producitur unio ab eodem Agente à quo producitur forma. Ratio eſt, quia non requiritur major virtus in agente ad producendam unionem quam ad formam, quia utraque educitur, cum ſint purè materiales. Et confirm. qui enim dedit vim cauſæ naturali, ut poſſit dare eſſe effectui, etiam dedit vim ut poſſit dare conſequentia & neceſſaria adeſſe & exiſtere; Sed maximè neceſſarium eſt & conſequens ut forma materialis ſit unita ſubjecto, ergò etiam neceſſarium eſt ut ea adſint & exiſtant quæ formam ſequuntur.

DICO 2. In compoſito humano unio non emanat ab anima, multò minus producitur ab ea; Ratio, quia anima non agit quicquam in corpore niſi ut informans, quod non fit ſine unione, ergò hæc ſopponitur tanquam conditio, ergò non poteſt eam in corpore producere, cum hæc ſit conditio & medium, quo anima ſit in corpore illudque informet. *Unio naturâ prior quàm forma, quia fundamentum.*

DICES, anima poteſt producere unionẽ in augmentatione, ergò etiam jam poteſt. Reſp. neg. conſeq. quia quando inducit unionem in materiam alimenti, informans eſt, adeoque jam exiſtit ante hanc partialem unionem; deinde poteſt etiam anima unita corpori producere calorem, quem tamen ſeparata non poteſt. *Anima conjuncta materiæ poteſt, quod ſeparata non poteſt.*

DICO 3. Deus factis ultimùm diſpoſitionibus in Embryone vel fœtu humano creat animam rationalem, infundit unitque ſimul cum materia. Quod creet, jam in prioribus ſufficienter actum eſt, Quod ſimul infundat, prob. quia determinat Deus animam rationalem noviter creatam, ut ſit intimè præſens corpori organico, ergò etiam tum ſimul eam infundit; Et Confirm. quia infundere animam eſt actio, quæ infinities potentiam humanã ſuperat, & niſi Deus ad diſpoſitiones ultimò factas in Embryone peculiariter concurreret, ſed illum concurſum iuſpenderet, non fieret generatio humanæ prolis, ergò quod accedat anima rationalis & uniatur corpori organico, ad immenſam actionem divinæ majeſtatis pertinet, eſto non præſtet id per unam eandemque formaliter actionem, ſed per actionẽ reipſa eandem & formaliter diverſam ut ajunt animaſtici, quia videl. creatio terminatur ad eſſe animę abſolutè, infuſio verò & unitiò ad ineſſe & informare.

DICO 4. Si unio ſit ſpiritualis, producitur à ſolo Deo & nõ ab agente materiali quod eſt ſemen cum accidentibus in eo poſitis; Ratio prima & præcipua eſt, quia nihil materiale poteſt aliquid ſpirituale producere; 2. Quia nobilius non continetur in ignobiliori, ergò. Et ex hac utraque ſequitur 1. quòd homo non attingat productionem unionis inter corpus & animam, ſed tantum diſponat materiam ſufficienter, in quam poſtea Deus animam infundat & uniat, id quod ad ſalvandum illud axioma, ſol & homo generant hominẽ, ſolùm requiritur. 2. Quod Deus ſolus producat effectivè unionem animæ. 3. Quod generatio hominis non ſit propriè dicta generatio ſi conferatur cum aliis generationibus, quia in his producitur effectivè & forma & unio illius. Hic tamen adverte, quamvis unio ſit ſpiritualis, participare tamen conditiones rei materialis eò quod à materia proveniat eique extendatur; Et propter hanc cauſam dicitur educi poſſe è potentia materiæ licet non adæquatè & primatiò ex ea ſola ſed etiam ex potẽria animæ quam afficit per ſe primò unitque materiæ; Et hoc Confirm: exemplo phantaſmatis, quod multi credunt effectivè concurrere ad efficiendam ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ſpiritualis. Sed quam facilè hoc dicitur, tam difficulter creditur, quomodo una eademque unio ſit ſpiritualis & materialis, diviſibilis & indiviſibilis, ducatur è potentia materiæ & animæ ſimul. Vide Conn: cit: circa finem, ubi dicunt, unionem illam eſſe quidem ſpiritualem poſſe tamen nihilominus produci à potentia corporea, tum quia non eſt produ- *Si unio ſit ſpiritualis, producitur à ſolo Deo.* *In rigore generatio hominis non eſt propriè dicta generatio.* *Quomodo unio ſpirit. poſſit produci ab Agente materiali.*

ctio rei ſpiritualis, ſed tantum unitiva illius, tum quia non tendit in animam rationalem quatenus præcisè ſpiritualis eſt, ſed quatenus habet quodammodo eſſe materiale & dependens à corpore quoad officium informandi illudque actuandi.

DICO 5. Si unio ſit materialis, ſimul cum Deo concurrit pater & mater in generatione ſuæ prolis, ita ut intrinſecè per accidentia, maximè per virtutem generativam quæ probabiliter eſt qualitas diſtiucta à calore & aliis, animam uniendam hac actione attingant. Ita docent cum multis aliis Conn loco citato, ubi cum Soario d.15 ſ. 3. n. 16. Vtramque ſententiam putant eſſe probabilem. Ratio 1. eſt, quia aliàs homo non diceretur generare hominem adeoque ſibi ſimile, cum generare ſit agere & agendo unire formã materiæ; Quamvis ad hoc reſponderi poſſit, ſine abſurdo generationem hominis in rigore & univocè non eſſe dicendam generationem cum productione aliorum animalium. Ratio 2. eſt, quia generatio materna & paterna nihil aliud eſt niſi actio quatenus prævia decisione materiæ ad generandum à materia ſpirituoſa ejusque virtute procedit & dat eſſe unionis, ergò in generatione ſuæ prolis attingunt unitionem animę rationalis cum materia.

Generatio paterna & materna.

Hanc etiam concluſionem docet Hurt. cit. §. 40. ubi ait unionem produci à cauſa ſecunda, id eſt, à forma materna & à materia ſpirituoſa utriusque ſexus ſeminali; à forma materna quidem tanquam à cauſa principali, à materia autem ſpirituoſa ſeminali tanquam à cauſa inſtrumentali, & addit, ab aliis quoque probabiliſſimè & fortè commodius dici, unionem cum ſit modus ſubſtantialis tantum, etiam poſſe à materia illa ſpirituoſa principaliter produci eò quod nulla poſſit excogitari repugnantia, cum materia illa ſpirituoſa non ſit minus ſubſtantia quam anima matris; Probat, unio animæ in augmentatione ex alimento facta ſit ab ipſa anima per adgenerationem, ergò etiam prima unio in fætu fieri poteſt ab anima matris adjuvante concauſa ſeminali; Conſeq: Prob. anima matris æquè habet ſibi præſentem materiam & fætum, licet extrinſecus eum tantum attingat, ergò ſi in uno producat unionem, producet etiam in altero.

Unio producitur à forma materna.

Vel etiam à materia ſpirituoſa.

DICES in omni generatione & actione eſt Agens & patiens; Sed infirmioris ſexus eſt principium paſſivum, nobilioris activum, ergò ſolus ſexus nobilior producet unionem; Prob. minor, quia ſi uterque ſexus eſſet principium activum, conſequenter etiam eſſet uterque paſſivum, & confunderentur munera & denominationes parentum, quia uterque ſexus diceretur & eſſet Pater & Mater quod eſt contrà rationem. Reſp. conceſſâ majori diſtinguitur minor, videlic. ignobilior ſexus quatenus recipit in ſe per deciſionem ordine naturali idoneam proli generandæ materiam à ſexu nobiliori, habet ſe paſſivè, tranſeat; quatenus verò in ſe continet materiam ſeminalem ad generationem prolis concurrentē, habet ſe paſſivè, negatur, quia utriusque ſeminis vis ut alibi quoque patet, eſt ſpirituoſa & activa & producit formas partiales ſive diſpoſitiones ad eam & ipſam unionem. Quanquam etiam ſimpliciter negari poſſit minor; Ad ejus probationem reſpondeo & dico, denominationem matris non ſumi præcisè à patiendo & patris ab agendo, ſed ab actione & paſſione in quantum connotat & reſpicit ſexum velut ſuum principium, qui ſi ſit ignobilior, deſumit ab actione denominationem matris, ſi nobilior patris; aliàs quando generatur anas incubante gallinâ ovo anatis, neuter ſexus anatum eſſet mater vel pater, licet ex utriusque materia ſeminali educatur forma anatis, proinde haberet ſe paſſivè; Siauté una & eadem actio, quæ procedit à ſubſtantia & accidente (ſi ſupponatur unam & eandem eſſe utriusque actionem) poteſt denominare ſubſtantiam cauſam principalem, in quantū connotat & reſpicit principium & concauſam inſtrumentalem & accidentalem, & accidens cauſam Inſtrumentalem quatenus reſpicit & connotat cauſam principalem, cur non poſſit ab una & eâdem actione utriusque ſexus deſumi denominatio. Negandum ergò eſt confundi munera & denominationes patris & matris: munus enim maternum in viviparis eſt prævia deciſione recipere idoneam proli materiam intrà ſe convenienti loco, ſive id contingat ſupernaturaliter ſine materia nobilioris ſexus ut contigit in generatione Chriſti (nam intrà B. V. viſcera Spiritus Sanctus vel potius tota Trinitas miraculoſè & ſine ulla voluptate carnis collocavit ſacratiſſimam Virginis materiam, & in ea formam corporis & unionem cooperante anima B. V. produxit) ſive auxilio Dæmonis vel ſexus nobilioris; & quod præcipuum eſt debet producere per ſe unionem unà cum materia generationis ſpirituoſa. Munus autem in Oviparis matris eſt, ut prævia deciſione materiæ generativæ Utriusque ſexus extrà ſe producat inter formam & materiam unionem per virtutem materiæ ſpirituoſæ ſeminalem. Munus paternum eſt, per deciſionem materiam generationis communicare adextrà ignobiliori ſexui, & producere unionem inter formam & corpus, non per ſe & immediatè, ſed per actionem & virtutem materiæ ſpirituoſæ ſeminalis.

Munus matris in viviparis quod.

Munus matris in Oviparis.

Munus patris.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo anima rationalis informet corpus humanum juxtà fidem & religionem.

PEr informationem nihil aliud intelligitur, niſi intima & intrinſeca animæ rationalis in homine & ſenſitivæ in brutis præſentia, qua vivens non tantum in eſſe viventis, ſed etiam in eſſe ſpeciei & ultimæ differentiæ conſtituitur, & qua totum eſſe habet tam compoſitum quam ſingulæ ejus partes; Per aſſiſten-

Informatio quid.

Aſſiſtentia.

tiam

Aſſiſtentia. ſtam autem ſolummodo extrinſecus formæ aut animæ contactus, quo enti nihil niſi fortè motus aut alteratio extrinſecus accedit, ut patet in primo mobili, cui intelligentiæ aſſiſtere & motum imprimere dicuntur. Hic difficultas ſuboritur, ſitne anima fotma quædam quæ ex natura ſua infotmet corpus, atque unà cum eo tribuat homini ſuum eſſe, an vetò ſit aſſiſtens quemadmodū nauta non eſt fotma conſtituens navim, ſed eſt quid extrinſecus adveniens & ſolùm navi motum tribuens, quam opinionem putant aliqui fuiſſe Platonis; Sed quia hic modus loquendi apud alios etiam repetitur, videtur probabile, nihil aliud Platonem voluiſſe, quam corpus gubernari & regi ab anima, ſicut navis gubernatur à nauta, & currus ab auriga, quod poteſt fieri etiamſi ſit forma informans; Neque enim intelligendum eſt, eam in omnibus eſſe ſimilem nautæ ſed tantum in gubernatione. Vide Plat. in Alcib. 1, in ratilo, in phædro, c. 10. de Republ. Jam

DICO, fidei repugnat, animam rationalem qua homo intelligit, eſſe formam aſſiſtentem & non informantem. Prob. 1. ex Sacra Scriptura, quia Geneſ. 2. habetur, quod Deus fotmaverit hominem de luto terræ &c. Ex quibus verbis colligitur 1. ſermonem eſſe de anima rationali, quia ſenſus verborum eſt de ea anima quam Deus homini inſpiravit, id eſt, quæ non educitur è potentia materiæ ſed creatur à Deo. 2. Per illud hominem eſſe factum in animam viventem, intelligi hominē per hanc animam non minus vivere quam cætera animalia per ſuas animas; At ſi tantum anima eſſet aſſiſtens, non magis poſſet homo dici per eam vivere quam navis per nautam. Prob. 2. Authoritate Eccleſiæ, & imprimis ex Concilio Viennenſi ſub Clemente 5. cujus decretum habetur in clementina unica de ſumma Trinitate & fide Catholica §. 2. his verbis, doctrinam omnem tenerè aſſerentem aut vertentē in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis verè ac per ſe non ſit forma humani corporis, velut erroneam & fidei Catholicæ repugnantem prædicto Concilio ſacro approbante reprobamus. Deinde ex Concilio Lateranenſi ſub leone 10. ſeſſ. 8. ubi hæc habentur, damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe aut unicam in cunctis hominibus, cum illa non ſolum verè per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſed etiam immortalis.

DIFFICVLTAS VI.

An ex Ariſtotele conſtet, animam ration. eſſe formam informantem.

DICO, etiam ex doctrina Ariſtot. anima rationals eſt forma informans, Prob. 1. anima generatim ſumpta eſt forma informans ſecundum eundem Ariſtotelem; atqui ſub anima hac continetur etiam anima rationalis, ergò major prob. ex definitione animæ quod ſit actus corporis organici, id eſt, quod conſtituat corpus in certo eſſe; Prob. minor, quia cum explicaret c. 2. de anima l. 2. quid ſit potentia vitam habere, oſtendit vitam in eo conſiſtere, ut vivat, ſentiat intelligat, ergò etiam comprehendit hac definitione animam rationalem. Deinde dividit capite ſequenti genera animatorum in vegetativum, ſenſitivum, intellectivum, loco motivum & appetitivum, quæ ordine in libris de anima tractat, ergò ſicut in definit. animæ continetur vegetativa & ſenſitiva, ita etiam & intellectiva. Prob. 2. ex 1. de anima c. 3. in fine, ubi inter fabulas narrat ſententiam Pythagoræorum de tranſmigratione animarum; At ſi anima tantum eſſet aſſiſtens, non minus poſſet migrare de corpore in corpus quam nauta de navi ad navim, & auriga de curru ad currum, 3. Prob. ex 1. Ethic c. 7. ubi beatitudinē ponit in operatione, quæ, maximè ſit propria hominis, eamque ait eſſe intellectionem; At ſi anima ration. tantum eſſet forma aſſiſtens, intellectio non eſſet operatio hominis, ſed tantum ſubſtantiæ abſtractæ & conjuncta homini ſicut nauta conjungitur navi; 4. Prob. ex 1. de part. animal. c. 1. ubi habetur, Phyſici eſſe agere de anima rationali eò quod ejus ſit agere de materia & forma, ergò his verbis expreſsè vult ſignificare eam eſſe formam hominis: Plura argumenta habentur apud eundem Ariſtot. ut norunt diligentiſſimi ejus interpretes & lectores. Quod ſi 2. de anima c. 1. poſt generalem animæ definitionē dicatur eſſe actus corporis ſicut nauta navis; Reſp. hoc ipſo nihil aliud intelligi, quam quod etiam intellectus poſſit eſſe extrà corpus ſicut nauta extrà navim.

DIFFICVLTAS VII.

An ex lumine naturali anima ration. ſit forma informans.

DICO, conſtat ratione & lumine naturali, animam rationalem non eſſe formam aſſiſtentem ſed informantem. Prob. primum 1. quando Ariſtoteles naturam & eſſentiam animæ rationalis definivit, per ſolum lumen naturale cognovit eam eſſe formam informantem & non aſſiſtentem, ergò ſicut Ariſtoteli ratio ſola dictavit animam rationalem eſſe formam informantem, ita etiam ratio eadem adhuc nobis ſuadet. Antec: patet ex definitione animæ, in qua eam vocat actum corporis organici, quod tribuat vitam, ſenſum, intellectum, &c. Quæ fieri non poſſunt absq; vera & propriè dicta informatione. Prob 2. forma aſſiſtens dicitur illa, quæ tantum operationem & motum præbet illi cui aſſiſtit & non illud in eſſe ſuo conſtituit: Sed talis non eſt anima rationalis, ergò. Major prob. inductione, quia intelligentiæ dicuntur formæ aſſiſtentes cæli, quia cum illud in eſſe ſuo non conſtituant, tribuunt ei tantùm motum; eodem modo nauta tribuit motum navi. Prob. *Forma aſſiſtens qua.*

minor, animà rationalis quà talis, tantum eſt principium intelligendi & volendi; Hæ autem operationes ſunt independentes à corpore, neque tribuuntur corpori, quia omnis forma aſſiſtens tribuit ei cui aſſiſtit, motum tranſeuntem; Sed intelligere & velle ſunt operationes immanentes. Prob. ſecundum, ſi anima rationalis non eſt forma informans, homo non intelliget; Sed hoc eſt abſurdum, ergò & illud. Major Prob. quia omnis actio convenit alicui aut per accidens, aut per ſe, aut per ſpeciem; Non poteſt autem dici primum, quia quod agit per accidens non agit propriè, quo modo etiam homo intelligeret, quia ſcilicet conjunctus eſt cum anima quæ intelligit; Sed hoc modo non poteſt reddi ratio, quare etiam non poſſint beſtiæ intelligere, quia illa anima aſſiſtens poſſet etiam aſſiſtere cani aut equo, ergò tunc canis aut equus intelligeret; Non poteſt etiam dici ſecundum, quod homo per ſe primò intelligat, quia anima 1. intelligit & per eam homo, quia per eam vivimus, intelligimus. Reſtat igitur tertium, ut ſi homo intelligat, intelligat per aliquam ſui partem; Non per materiam, ergò per formam, minor non indiget probatione, quia non habemus unde diſtinguamus hominem à beſtiis, niſi quod hæ non intelligant ſicut homo, undè benè dicitur, hominem intelligere ut quod, animam autem ut quo.

DICES 1. Si anima rationalis eſt forma corporis conſtituitque unum compoſitum ſubſtantiale, vel illud eſt materiale vel ſpirituale; non materiale, quia comprehendit animam ſpiritualem; ſed nec ſpirituale quia comprehendit quoque corpus materiale. R. hoc compoſitum eſſe dicendum materiale; Ratio, quia ſpirituale dicit negationem omnis materiæ; non eſt autem neceſſarium ut utraque pars ſit materialis, ſed ſufficit ut ſit una tantum.

Anima rationalis cum materia facit compoſitum materiale.

DICES 2. Forma unitur propter operationem; ſed anima rationalis non unitur materiæ propter operationem, ergò. Prob. minor, quia operationes animæ ſunt intelligere, velle, quas etiam poteſt habere ſine corpore, ergò ad eas non indiget corpore. Reſp. 1. intellectionem & volitionem non eſſe ſolas operationes animæ & corporis. 2. Has quidem operationes poſſe fieri ſine corpore, ſed cum anima ex ſe ſit ſubſtantia imperfecta, & actiões debeant fieri ab integro compoſito, jungitur anima ut conſtituat compoſitum, cui ut principio quod debeantur hæ actiones. 3. Dependere has actiones à corpore ratione objecti, quia cum anima ex ſe non habeat ſpecies, ad has eliciendas indiget phantaſmatis quæ non ſunt niſi in corpore.

DIFFICULTAS VIII.

Quomodo anima rationalis informet corpus.

CONſtat animam rationalem eſſe formam informantem; quæritur jam in quo ſenſu id accipiendum ſit: Cum enim in rationali contineatur vegetativum & ſenſitivum, poſſet aliquis exiſtimare, animam rationalem eſſe quidem formam informantem, non tamen quatenus eſt intellectiva, ſed quatenus eſt aut vegetativa aut ſenſitiva, aut quatenus eſt intellectiva & conjuncta cum gradibus illis; quæritur quid horum ſit dicendum.

DICO 1. Etiamſi manifeſtè non ſit de fide quod anima rationalis quà eſt intellectiva, ſit forma informans, eſt tamen magis conſentaneum decretis Eccleſiæ ita ſentire. Prob. prior pars, quia qui diceret animam rationalem eſſe formam informantem propter gradum vegetativum & ſenſitivum, quas eſſentialiter includit, is vere aſſereret, animam rationalem eſſe formam informantem ex natura ſua, & hoc de fide ſufficit. Prob. poſterior pars quia in Concilio Vienn. ſub Clemento 5. ubi hæc res agitata fuit & decreta, ſtatutum eſt, animã rationalem verè per ſe & eſſentialiter eſſe humani corporis formam; Et hoc ut verum ſit, non debet in ea aſſignari aliquis gradus communis cum beſtiis, quia hoc modo non eſſet propriè & per ſe forma humani corporis; Deinde etiam intellectivum eſt eſſentiale animæ rationali & homini, diciturque eſſentialiter actus corporis, ergò hoc magis conſentit cum decretis Eccleſiæ, informare hominem per gradum intellectivum.

DICO 2. Anima rationalis in ſenſu formali eſt actus corporis humani, Prob. 1. quia ſi homo ab anima conſtitueretur per gradum veget. & ſenſit. homo ut ſic non eſſet aliud quam animal veget. & ſenſit. 2. Unumquodque agit quatenus eſt actu, quia prius eſt eſſe quam operari, ergò prius etiam eſt eſſe intellectivum quam intelligere, ergò cui per ſe convenit intelligere, eidem etiam convenit per ſe intellectivum eſſe; atqui homini ut ſi convenit eſſe intelligere; ergò eidem ut ſic convenit etiam intellectivum eſſe, ergò id quod conſtituit hominem in eſſe hominis, deberet etiam eidem tribuere eſſe intellectivum; Atqui gradus veg. & ſenſit. non ſufficiunt ut tribuant eſſe intellectivum, ergò requiritur gradus intellectivus ſecundum quem tribuat anima homini intellectivum eſſe.

DICES, anima intellectiva eſt indiviſibilis quà talis eſt, ergò ſi eſſet forma, tribueret compoſito eſſe indiviſibile quod eſt falſum. Reſp. neg. conſeq. quia quæ conveniunt formæ ſeorſim quà talis eſt, non conveniunt compoſito; forma enim eſt ſubſtantia imperfecta, & compoſitum ſemper perfectum.

DICO 3. gradus intellectivus in anima rationali eſt informans ex ſe, & non per gradum veget. aut ſenſit: Prob. quia anima rationalis ex ſe & ut ſic eſt forma corporis; Sed ſi eſſet talis per gradum veget & ſenſit: non eſſet talis, ergò. 2. Informativum eſt quid analogum, quod non abſtrahit ab ultimis differentiis; ſed gradus intellectivus eſt ultima differentia, ergò non minus convenit illi eſſe informati-

vum

vum quam aliis; major prob. inductione, quia anima ſenſitiva ut ſic eſt informativa, quod idem de vegetativa &c. intellige: ſi autem Informativum non eſſet analogum, daretur aliquis gradus his omnibus communis, quo hæ omnes animæ eſſent informativæ.

DIFFICULTAS IX.

An informatio animæ ration. fiat per ſolum gradum intellectivum.

NOn fruſtrà hic quæritur, an ſi os v. g. dicatur vegetativum & ſenſitivum, informetur etiam per gradum veget. & ſenſit. animæ rationalis, an verò per ſolum intellectivum; ſi enim prius eſt verum, contrariatur iis quæ jam concluſa ſunt; ſi autem poſterius, ergò os non dicetur veget. & ſenſit. ſed tantū intellectivum, quia informatur tantum per gradum animæ intellectivum, proinde os diceretur intellectivum tantum, quod tamen nō videtur dicendum eſſe. Senſus itaque quæſtionis eſt, an quælibet pars hominis, idem intellige quantum licet de partibus brutalibus, formaliter poſſit denominari à gradibus ſuæ animæ, v. g. utrum cato hominis formaliter dici poſſit veget. ſenſit. & intellect. poſito fundamento, quod gradus veget. & ſenſit. formaliter includantur in anima rationali.

DICO, quælibet pars hominis participat gradum ſubſtantialem ſenſit. veget. & rationalem, proinde cor, caro, os, nervus &c. ſunt veget. ſenſit. & rationale formaliter, quia oſſa accidentaliter non ſentiunt nec ratiocinantur, quia non exercent actus ſecundos præterquam iis in partibus, quæ habent organa proximè diſpoſita ad operationes. Prob. Nam quicquid communicat ſe alteri dando ſuam entitatem, etiam communicat ſeiſi ſecundū omnia quæ identificantur illius entitati; ſed animæ rationali identificantur gradus veget. & ſenſit. ergò etiam communicant ſe omnibus partibus quibus ineſt anima rationalis.

DICES, oſſa non vident, cerebrum non ſentit &c. Reſpond. non ſentire aut videre ſubſtantialiter vel in actu primo negatur, accidentaliter vel in actu ſecundo conceditur, quia ad actus ſecundos requiruntur certa organa. Itaque oſſa formaliter & eſſentialiter ſentiunt, vident, intelligunt, quia habent in ſe principium operationis; non tamen accidentaliter ſive in actu 2. quia carent organis quæ requiruntur ad operationes.

DIFFICULTAS X.

Quot ſint animæ rationales ſecundum Averrhoem.

QUamvis plerique veterum philoſophorum non tantum de natura & eſſentia animæ rationalis ſed etiam de numero & multitudine graviſſimè aberraverint, ut inter cæteros de Platonicis & Pythagoræis patet, qui quod animas humanas de corpore in corpus transmigrare aſſererent, ideò etiam pauciores quam corpora admittebant: Maximè tamen damnandum & prodigioſum monſtrum Chriſtianorum temporibus impius quidam Arabs Averrhoes in lucem edidit, non quod ipſe primus hujus ſit Author, quia ante eum jam ducum excluſerat hoc quidam æqualis in erroribus Themiſtius gentilis 3. de anima comm. 32. ſed quod ipſe illud ita deinde propagarit, ut meritò ei tribui poſſit. Verum hic ejus partus apud eum l. cit. comm. 5. & 36. ita obſcurè editus eſt, ut ejus ſectatores non conveniant quid tandem monſtri ſit hic fætus; hoc conſtat ex ipſius ſententia, in omnibus hominibus qui unquam fuerunt aut erunt, unum eſſe tantum intellectum; ſed ſitne hic intellectus forma aſſiſtens an informans, non convenit inter Averrhoiſtas. Quidam aſſiſtentem volunt, quæ tribuat homini tantum operari, hominem autem volunt conſtitui à cogitativa, quæ quidam ſit nobilior animabus brutorū, ſed tamen materialis & corruptibilis; Deinde non ſatis conſtat inter eos, quomodo hæc anima nobiſcum & non cum beſtiis uniatur, vel etiam quando primum ad nos accedat. Alii volunt eſſe informantem quæ conſtituat ſpeciem hominis, ſingulos autem homines conſtitui per cogitativam.

DIFFICULTAS XI.

Quot ſint animæ rationales ex fide & Ariſtotele.

DICO 1. fide tenendum eſt, in ſingulis hominibus ſingulas eſſe animas rationales & multiplicari multiplicatis individuis. Prob. 1. quia contrarium apertè evertit principia & fundamenta fidei; ſi enim non ſunt tot animæ quot homines, non poteſt eſſe diſcrimen pœnarum & præmiorum; præmium enim æternæ felicitatis ſine dubio maximè in intellectu exiſtit, ergò & ejus privatio; At ſi non ſunt plures animæ, ſed una in omnibus, non eſt cur hi dicantur apud inferos torqueri, alii in cælis beatitudine frui, cum una & eadē ſit anima, quæ ibi puniatur, hic autem beatitudine fruatur; atqui in hoc diſcrimine pœnarum & præmiorum tota ſcriptura & religio fundata eſt prob. 2. Sap. 3. juſtorum animæ in manu Dei ſunt, Apoc. 6. vidi animas interfectorum &c. & paulò poſt, datæ ſunt ſingulis ſingulæ ſtolæ albæ, ergò animæ ſeparatæ à corporibus & inter ſe & ab animabus impiorum diſtinctæ ſunt, unde etiam hic error in Concil. Later. damnatus fuit.

DICO 2. ex doctrina Ariſt. tot etiam ſunt animæ quot ſunt homines individui. Prob. 1. doctrina Ariſtot. eſt animam eſſe formam informantem, ut patet ex dictis, ergò tot e-

runt animæ qnot individua, id eſt, quot homines. Prob. 2. lib. 2. Phyſ. cap. 2. circà finem habet, unamquamque materiam reſpicere propriam formam, neque unam formam poſſe eſſe plurium materiarum, ergò. 3. lib. 1. de anima cap. 3. in fine reprehendir ſententiam Pythag. de transmigratione animarum eamq; ſabulis annumerat, ergò quot ſunt individua in humano genere, & idem de animabus brutalibus intellige, tot etiam ſunt animæ.

DICES 1. Anima rational. venit extrinſecus ex 2. de gen. anim. cap. 3. ergò prius fuit in alio ſubjecto, ergò non ſunt tot animæ quot individua. Reſp. neg. utramque conſeq. quia Ariſtot. vult, animam non produci per materiales diſpoſitiones quæ ſunt in corpore, ſed per aliud agens ſuperius.

DICES 2. Ariſtot. 1. multis in locis negare infinitum actu ut 3. Phyſ. cap. 5. 1. cæl. cap. 5. t. de gen. anim. cap. 1. 2. Mundum eſſe ab æterno 1. cæl. cap. 10. 3. Animam eſſe immortalem. 4. Non migrare in alia corpora, ergò ex his ſequitur, Ariſtot. ſibi contradicere. & dari animas infinitas ſi præſertim ſinguli homines ſingulas habeant animas; Nam ſi mundus fuerit ab æterno, & ſingulis annis unicus tantum homo ſit genitus aut creatus, infiniti jam fuerint homines adeoque animæ infinitæ. R, quando Ariſt. negat infinitum actu, non loqui niſi de infinito in quantitate & corporibus, quia ex æternitate mundi ſequitur nunc dari infinitas animas quæ ſunt immateriales & indiviſibiles etiam ex ſententia Ariſtotelis. Quid autem reſponſurus fuiſſet, ſi quis objeciſſet ipſi, datum iri ex ejus ſententia infinitum in ſubſtantiis immaterialibus, non conſtat ex ejus ſcriptis. Verùm hæc annumerantur reliquis abſurdis, quæ ejus errorem de æternitate mundi conſeqvuntur.

Infinitum actu non datur.

DIFFICVLTAS XII.

Quot ſint animæ rational. ex lumine naturali.

DICO, lumine naturæ cognoſci poteſt, totidem eſſe animas quot ſunt homines, & averrhoiſticam opinionem eſſe merum figmentum aut deliramentum. Prob. 1. ſi eſſet una anima in omnibus hominibus & locis, eſſet aliqua forma in extremis quæ etiam eſſet in medio; Sed hoc naturaliter eſt impoſſibile, ergò. Major prob. quia cum Averrhoiſtæ unam non ponant animam in omnibus hominibus, eadem anima erit Viennæ quæ Pariſiis in Galliâ aut Goæ in India; vel igitur hæc anima eſt in aere intermedio vel non; Si prius, totus aer omniaque corpora intermedia haberent animam intellectivam, ſenſit. & veget. quod falſum eſt; Si alterum dicatur, tunc non poteſt eſſe eadem anima in omnibus hominibus diverſiſque locis. 2, Prob. ſi una anima eſſet in omnibus hominibus, etiam unus eſſet intellectus; Sed hoc falſum eſt, ergò & illud. min. Prob. quia omnes homines idem intelligerent cum haberent eundem numero intellectum. Neq; dicas fore diverſa phantaſmata, quia reſpondetur, cum phantaſmata ſint huic intellectui præſentia in uno homine, & idem intellectus in cæteris omnibus, non poſſe valere hanc rationem, cur iſte intellectus in omnibus hominibus non idem intelligat, quia intellectio quæ pendet à phantaſmatis tanquam à conditione, non recipitur niſi in intellectu. 3. Si eſſet in omnibus hominib⁹ eadẽ anima & intellectus, ſequererur eodem tẽpore eundẽ numero intellectum aſſentiri contradicentibus propoſitionibus; Sed hoc non poſſe fieri ratio dictat, imò eſt principium primum in quo nemo errat, cum nullus poſſit ſimul judicare rem eſſe & non eſſe. Prob. ſeq. quia idem intellectus eſt in omnibus hominibus proindeque ſimul in aliquo averrhoiſtico & me; Hoc poſito affirmabit ille unum intellectnm eſſe in omnibus hominibus, negabo ego, quia ſunt duæ propoſitiones contradicentes. 4. Tribuunt Averrhoiſtæ duplicem animam homini, cogitativam unam, qua cognoſcat ſingularia, & hanc volunt eſſe formam hujus hominis; Et alteram iſtam communem qua cognoſcat univerſalia, & hanc eſſe formam hominis ut ſic; Hinc ſequitur, hominem non poſſe agnoſcere diſcrimen inter ſingulare & univerſale, quia homo non habet ullam potentiam qua cognoſcat utrumque. quod tamen neceſſe eſt. Deinde abſurdum eſt hominem in eſſe hominis conſtitui ab anima communi, hunc autem hominẽ à cogitativa, quia ab eadem anima debet conſtitui homo & hic homo; At anima illa communis eſt una numero, ergò conſtituit unum hominem numero.

DICES, prima principia etiam nullo docente cognoſcuntur ab omnibus, ſed non poſſunt omnium hominum intellectus in his principiis ita convenire, niſi eſſet unus hominum intellectus, ergò. Reſp, propterea cognoſci hæc principia ab omnibus, quod ita ſint manifeſta, ut intellectus non poſſit iis non aſſentiri; ſic enim qui audit totum eſſe majus ſua parte, cum in conceptu totius includatur quoque pars, ſtatim atque cognoſcit totum, cognoſcit etiam partem, ac proinde non poteſt non cognoſcere hanc eſſe toto minorem.

DIFFICULTAS XIII.

An in uno homine plures ſint animæ.

OPinio 1. eſt Manichæorum hæreticorum, duas eſſe animas in eodẽ homine, alteram bonam & à Deo creatam, alteram malam & à Diabolo productam ut refert S. Aug. c. 46. de hæreſibus. 6. contrà Fauſtum q. 8. & l. de duabus animabus c. 12. quem errorem damnavit 8. ſynodus gener. Seſſ. 10. & 11.

Opinio 2. Eſt recentiorum quorundam & præſertim Nominalium, qui cum D. Thoma volunt, tres in homine animas inter ſe realiter diſtinctas reperiri, videlicet vegetativam,

ſenſitiv. & rationalem, cum hae tamen diſtinctione, ut quidam velint, adveniente unâ non petire aut ſuccedere aliam; Alii autem duabus prioribus pereuntibus remanere ſolam rationalem, Hic de poſtremis duabus opinionibus agetur, quibus everſis & refutatis corruent per ſe priora veterum, quæ ſunt planè erronea & contrà fidem; Quæ ſit opinio Marci Marci, jam prius Diſp. 9. Difficult. 22. inſinuatum fuit.

DICO 1. Ex doctrina Ariſtot. una eſt tantum forma hominis quæ in ſe complectitur vegetativam & ſenſitivam non quaſi diſtinctas numero, ſed quod his omnibus gradibus ſit prædita. Prob. ex lib. 1. de anima cap. ult. circà finem, ubi ait, ſentire, moveri, intelligere eſſe ab eadem anima. Deinde ex 2. de anima cap. 3. ait: ſicut in quadrangulo continetur triangulum, ita in anima rationali ſenſitivum & vegetativum; Sed quadrangulum eſt una figura quæ continet triangulum, ergò etiam anima rationalis eſt una forma quæ continet in ſe alias formas.

Anima veget. eſt formaliter in bruto, & hæc cũ ſenſitiva formaliter in homine.

DICO 2. Secundum veram Philoſophiam in uno homine una tantum anima ponenda eſt, atque ita animæ ſenſitiva vegetativam, rationalis verò utramque continet, non eminenter tantum ut nonulli & Sennertus hypomn. 4. cap. 13. volunt, ſed etiam formaliter, ut ſicut in planta unica tantum eſt anima vegetativa, ita in leone unica ſenſitiva, quæ tamen vegetativam, & in homine unica rationalis quæ utramque priorem vel potius earum gradus continent. Prob. 1. anima bruti eſt actus primus ſubſtantialis corporis conſtituens illud formaliter & eſſentialiter vegetativum; Similiter anima rationalis eſt actus primus ſubſtantialis conſtituens hominem formaliter vegetativum & ſenſitivum non minus quam rationalem, ergò anima bruti eſt formaliter vegetativa, & anima hominis formaliter vegetativa & ſenſitiva. 2. In quovis animali ſunt operationes vitæ formaliter, ut nutritio, accretio, &c. Sed hæ procedunt vel ab anima rationali vel ſenſitiva, ergò hæ ſunt principium formale earum. 3. Homo eſt formaliter & eſſentialiter vivens & animal, ergò utrumque formaliter pertinet ad definitionem ejus, ergò à forma, id eſt, ab anima tribuuntur, ergò formaliter continentur ab anima; quicquid enim forma per informationem tribuit, hoc formaliter tribuit. 4. Fruſtrà ponuntur plures animæ quam una, ergò Anteced. Prob. quia omnia poſſunt ſalvari per unam ut infrà patebit ex objectionibus. Et ſi plures eſſent ponendæ, ideò fieri deberet, quia videmus plures operationes diverſas in uno vivente; Sed poſſunt hæ fieri ab una eâdemque anima, quia aliàs tot eſſent ponendæ animæ, quot operationes diverſæ & potentiæ. 5. Si in homine eſſent plures animæ inter ſe diſtinctæ, homo non eſſet unum per ſe, nec in ulla ſpecie, nec unum ſuppoſitum ſeu individuum ſed plura: Nam quævis anima conſtituit ſpeciem infimam; Sed hoc abſurdum eſt, ergò. 6. Si in uno homine plures eſſent animæ, vel eſſent locis diſtinctæ vel non; Non poteſt dici primum, quia anima eſt in toto corpore, cum omnes partes nutriantur; Eſt etiam anima ſenſitiva ſingulis in partibus ut patet in tactu. Neque etiam poteſt dici ſecundum, quod ſcilicet ſint ſimul in eadem parte, quia tunc nullum eſſet argumentum diſtinguendi, quia haberent idem ſubjectum adæquatum. 7. Prob. ab experientia, quia experimur unam operationem alicujus potentiæ impedire operationem alterius etiam diſtincti gradus; Nam operationes animæ intellectivæ impediunt operationes animæ ſenſitivæ ut apparet in iis qui in alta defixi cogitatione objectum præſens non percipiunt; Similiter etiam impediunt operationes animæ vegetativæ, quia vehementia ſtudia ſtatim poſt menſam & cibum impediunt digeſtionem; Atqui ſi eſſent diſtinctæ, unius operatio non impediret operationem alterius, ſicut Petrus non impedit Paulum in operando.

In homine omnes operationes ſunt ab una anima.

Quævis anima conſtituit ſpeciem infimam.

DIFFICULTAS XIV.

Quid ad argumenta contraria ſit reſpondendum.

DICES 1. Fœtus humanus 2. de gen. anim. cap. 3. prius habet eſſe vegetativum, poſtea ſenſent; & tandem rationale; Sed hoc eſſet falſum, ſi ab eâdem anima haberet hæc omnia. Reſp. hæc omnia eſſe intelligenda de actu ſecundo, id eſt, de operatione; Nam fœtus exercet intrà & extrà uterum 1. operationes animæ veget: tum ſenſit: & denique intellectivæ.

DICES 2. Sola anima rationalis eſt à corpore ſeparabilis ex lib. 2. de anima cap. 2. & lib. 3. cap. 4. ergò ſignum eſt in homine plures animas contineri. Reſp. quando Ariſt. dicit ſolam animam ration. eſſe ſeparabilem à corpore, non loquitur de ſolo gradu rationali ſed etiam de aliis gradibus, vel de anima quatenus includit omnes gradus; Nam etiamſi anima veget. & ſenſit. non ſeparentur à corpore quatenus tales ſunt, ſeparantur tamen quatenus hi gradus cum anima rationali ſunt conjuncti; Similiter intelligendus eſt eo loci ubi ait, ſolum animæ genus ſeparari tanquam æternum à corruptibili. Et hæc contrà primam concluſionem.

DICES 3. Contrà ſecundam Concluſionem, in qua dicitur animam rationalem continere tam vegetativam quam ſenſitivam formaliter; Hinc enim ſequitur, animam rationalem formaliter dici corpoream, ſicut dicitur formaliter veg. & ſenſit: Reſp. corporeum dici duobus modis, ſemel ut quo & ſemel ut

DICES 10. non poteſt eadem res eſſe corruptibilis &incorruptibilis; ſed anima ration. eſt incorruptibilis, vegetativa & ſenſitiva ſunt corrupribiles, ergò non poteſt eadem anima eſſe rationaiis & ſenſitiva. Reſp. quod ex ſe eſt corruptibile , ſi non conjungatur alteri per quod fiat incorruptibile, veram eſſe majorem; Jam verò quia vegetativum & ſeoſitivũ ita conjunguntur & includnotur in rationali, ut ab eo ſeparari non poſſiot, ſalſa eſt major. Nam rationalitas Petri non poteſt ſeparati ab anima veget. & ſenſit. Petri, quia hi omnes gradus ſunt in eâdem animâ & ſunt ſibi invicem ſubordinati , ſicut eadem forma lapidis tribuit eſſe corporis mixti & lapidis, neqne ullus horum graduum poteſt ab altero ſeparari manente formâ lapldis,

Rationalitas Petri non poteſt ab ejus anima ſenſit. aut veget. ſeparari.

DICES 11. oon poteſt eadem anima eſſe libera & non libera; ſed aoima rationalis eſt libera , ſenſitiva autem non libera, ergò non poreſt eſſe eadem anima. Reſp. diſtinguendo majorem; non poteſt eadem anima per eandem potentiam eſſe libera & non libera, concedo; non poreſt per diverſam, nego, Eſt autem anima rationalis libera per apperitum rationalem, non libera per ſenſitivum: Tametſi etiam in eâdem potentia ſint actus quidam libeti & quidam neceſſarii, ut patet in actibus ptimò ptimis, qui ſunt appetitus rationalis, non tamen libeti , quia præveniunt judicium rationis; Cæteri autem actus in appetitu rationali ſunt liberi.

Colligitur, hominem eſſe formaliter & nõ eminenter vegetativum & ſenſitivum, quia aliàs non poſſet de eo prædicari ptædicatum vegerativi & ſenſitivi, ſicut quia ſol eminenter tantum in ſe continet calorem , non poſſum dicere ſolem eſſc formaliter calidum; Deinde quæ ſunt ſenſibilia eminenter, non ſunt talia ſimpliciter, quia aliàs Deus eſſet etiam ſimpliciter ſenſibilis; vide Conn. 1. de gen. c.4.q.21. a. 2. & Hutt. d. 1. de anima ſ. 22. ubi ajunt, ſi vegctativum ſumatur pro re quæ poteſt creſcere & nutriri, certum eſt animam rationalẽ non eſſe formaliter vegetativam , . quia caret partibus; Et idem eſto judicium de ſenſitivo; ſi autem accipiatur vegetativum pro principio vegetandi abſtrahendo à differentiis ultimis, & ſenſitivum pro principio ſentiendi cum ſimili abſtractiooe, falſum eſt, quod homo oon ſit ſimpliciter vegetativus & ſenſitivus, quia io ſenſu poſteriori abſtrahit ab omni eſſe materiali & ſpirituali , & dicit tantum principium & gradum informantem à quo procedunt nutritio & ſeoſatio ; ſic anima equi non eſt id quod ſentitur , ſed quo ſentit eqvus, & anima ratiooalis noo eſt id quod vegetatur, ſed principium & ratio formaiis ſenſationis, vegetationis &c.

DIFFICVLTAS XV.

An ſaltem fætus humanus ſucceſſivè pluribus animabus informetur.

RAtio dubitandi eſt, quod Ariſt. dicat non ſimul fieri hominem & animal, de cujus dicti intellectu varii varia opinantur ; Hioc etiam

Opinio prima eſt , tres animas in hominoe paulatim recipi & deinceps ſimul manere.

Opioio ſecunda eſt , in materiam fætus primo introduci animam vegetantem , eandemque poſtea vi ſeminis fieri ſenſitivam, & tandem eo usqne perfici ut rationalis evadat. Utraque opinio eſt parum philoſophica & in fide vix tuta.

Opinio tertia eſt, fætum primo informari anima vegetativa, deinde ſeoſitiva , tandemque rationali pereuntibus quæ ptæceſſerant. Hæc ſententia eſt D. Thom. & quorundam recentiorum.

Opinio quarta eſt, fætum à principio mox informari anima rationali , licet non ſtatim exerceat omnes vitæ functiones ipſi proprias. Imptimis enim operationibus vegetativis tum ſenſitivis tandemque intellectivis perfungi. Ita Toletus &alii.

Opioio qninta eſt, Embryooem non eſſe animatum, operationes autem vitæ apparentes in eodem vel eſſe animæ matris, vel virtuti ſeminali adſcribeodas. Et cum hac opinione Reſpondeo &

DICO, fætus humaous nec ſimul nec ſucceſſivè plutibus ſed una duntaxat anima informatur. Ita plutimi ex receotioribus, quorũ doctrina cum videatut maximè probabilis, ideò etiam prob. 1. Eadem anima rationalis inducitut in materiam alimenti per nutritionem & tamen oon ptæceſſit eam anima vegetativa & ſenſitiva, ergò nullo modo præceſſit in prima hominis generatione. Neque dicas diſparem eſſc rationem eò qnod ptima animæ productio ſit perfectior quam nutritio, hæc autem duntaxat extenſio animæ informantis; quia videtur idem pati principium, ao nimirùm anima per extenſionem incipiat informare novum alimentum ſine aliis formis præcedentibus, ergò non debet aſſignari diſparitas & ratio per extenſivam informationem. 2. ſi quæ ratio eſſet quod aliæ formæ rationalem præcedant, eſſet hæc ut diſpouant materiam & inducent organiſationem. V. g. aoima vegetativa ad ſenſitivam & hęc ad rationalem; ſed hæc nulla eſt, quia etiam anima vegetativa deberet per aliam animam vel certè formam habuiſſe diſpoſitum corpus organicum & ſic in infinitum. 3. anima vegetativa non expellitur per ſenſitivam, quia diſpoſitiones ad formam ſenſitivam non repugnant cum forma veget. & ejns diſpoſitionibus; ſequens enim anima exercebit etiam actus vegetationis v. g. nutritionis, generationis &c. Et confirmatur eâdem ratione, qua pugnatur pro formis partialibus. 4. formæ Embryonis nuoquam eſt capax ſenſus, ergò oec eſt ſenſitiva. Antec. prob. quia forma ſenſitiva ex ſe petit ſubjectum, in quo exerceat operationes ſenſuum; ſed fotma Embryonis ex ſe hoc non petit, imò illi repugnat , quia non exercet viſum, guſtum &c. cum non alatur

Quando ſanguis fit caro in homine ſtatim informatur anima rationali abſq; veget. aut ſenſit. præcedentibus.

per os ſed per umbilicum, minus tactum eum ſit materia fluida vel nimis mollis. 5. ſequeretur hominem eſſe parentem bruti, quia Embryo non eſt animal rationale, & tamen ſi Deus conſervaret formam Embryonis & naſceretur Embryo, eſſet filius hominis, ergò in utero Embryo tanquam brutum eſſet filius hominis. 6. Generatio hominis non eſſet generatio viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ. 7. Si præcederet anima vegetativa, deberet eſſe in aliqua ſpecie plantæ, conſequenter deberet habere radices &c. ſi deinde haberet animam bruti, deberet ſimiliter conſtitui in aliqua ſpecie bruti, & quia pueri carent uſu rationis, ſequeretur eos tantum habere animam bruti, quod eſt à fide alienum, quia Eccleſia ſentit in pueris purgari animam rationalem per baptiſmum; Neque

DICAS malè dici hominem prius fuiſſe plantam, poſtea brutum eò quod operationes vegetativæ & ſenſitivæ ordinatæ ſint ad formã meliorem, planta autem non ulterius tendat, ſed ultimatè conſtituat peculiare genus corporis naturalis; Nam reſpondetur hanc tendentiam & ordinationem non tollere eſſentiam plantæ, bruti in Embryone quamdiu retinet illam. Et ex his omnibus colligitur tunc animam rationalem infundi quando Embryo ſive corpus organicum ſufficienter ſuis organis & accidentiis diſpoſitum eſt.

DICES, Ariſt. loco cit. dicere, quod fœtus humanus prius vivat vitam plantæ, deinde animalis, poſtea hominis, ergò præcedit anima vegetativa ſenſitivam, & hæc rationalem. Quod autem omnes remaneant, ſic probr. cum inducitur anima ſenſitiva, non pereunt diſpoſitiones animæ vegetativæ, & quando anima rationalis, non pereunt illæ, quæ ſunt animæ ſenſitivæ, ergò nulla illarum perit adveniente altera. Reſp. ad primum, Ariſtotelem tantum velle, quod fœtus prius vivat vitam plantæ, id eſt, prius exerceat operationes vegetationis, poſtea animæ ſenſitivæ, tandemque rationalis, & hoc ſucceſſivè propter imperfectionem organorum, in quibus anima non poteſt quovis tempore omnes operationes elicere ſed prius vegetativas, tum ſenſitivas tandemque rationales; unde non dicit Ariſtoteles, fœtum eſſe prius plantam, ſed prius vivere vitam plantæ; id eſt, prius operari operationes vegetativas. 2. Probatio nihil ad nos, ut qui negamus plures animas præceſſiſſe.

Fœtus prius vivit vitã plantæ non quoad rem ſed quoad modum,

DIFFICVLTAS XVI.

An fœtus humanus ante adventum animæ nullo modo nutriatur.

DICO breviter, fœtus humanus nullo modo nutritur, antequam adveniat anima rationalis. Deſumitur hæc concluſio ex dictis & prob. 1. fœtus humanus ante adventum animæ non eſt animatus aut vitalis, ergò non poteſt exercere ullas operationes vitales, quia implicat parietem habere albedinem & non eſſe album, aut hominem habere ſanitatem & non eſſe ſanum. 2. Genitura vel fœtus etiam dum rudimenta organorum apparent, tam exilis eſt, ut ſecundum Fernelium & alios vix formicæ magnitudinem ſuperet, ergò manifeſtum eſt, nullam adeſſe nutritionem accretionem aut operationem vitalem etiam dum organis ſuis inſtructus eſt, quia videtur omninò improbabile genituram hoc tempore nutriri & non acquirere majorem molem ſive quantitatem. 3. nulla eſt neceſſitas ponendi vitam & vitales operationes in genitura ante adventum animæ rationalis, ergò. Antec. patet ex dictis, quia nulla præceſſit anima cujus eſſent hæ operationes. 4. fœtus non poteſt nutriri antequam perfectè formatus ſit, ergò antequam adveniat anima rationalis, fruſtrà affingitur anima vegetativa aut aliqua operatio vitalis, cum eo inſtanti quo poſitæ ſunt perfectæ diſpoſitiones Embryonis, adveniat etiam anima rationalis. Antec. eſt cum rationis tum Anatomicorum, quia ad nutritionem requiritur alimentum, requiruntur vaſa & organa, quibus alimentum attrahatur, decoquatur, in partes diſtribuatur tandemque in ſubſtantiam convertatur, ergò antequam hæc vaſa fabricata ſint, nulla fieri poteſt nutritio; quomodo autem natura providerit fœtui, ut poſtquam animatus eſt, ſugat alimentum per vaſa umbilicalia illudque trajiciat ad Epar & partes vicinas, videantur Anatomici, quia ſunt hæ operationes animæ, quæ per ſua organa ſapientiſſimè formata benè operatur quicquid operatur.

DICES, ante adventum animæ rationalis ſunt actiones vitales in genitura, ergò à præſentia alicujus animæ, ergò probabile eſt, nec tum omninò carere nutritione. Antec. patet, quia formatio & delineatio quæ fit tanto artificio tantaque ſapientia, non poteſt non eſſe vitalis actio, ergò. Reſp. neg. antec. ſimpliciter, quia corpus illud ſolùm generatur operante materiâ ſementivâ & formâ materna per ſimplicem generationem quæ non eſt actio vitalis & imanens, ſed tranſiens & ſimilis illi quâ in materia putrida calor ſolaris & elementaris producit organa & diſpoſitiones, materiamque putridam coagmentat ad excipiendam formam ranæ, buffonis &c. Cum enim exigua ſit ea materia quando fœtus animatur, non eſt opus ut prius nutriatur & augeatur, ſed tota & una ſimul à cauſis enarratis per ſimplicem generationem producitur, proindeque toto tempore præcedente manet illud corpus inanimatum. Vide Hurt. loco cit. contrà Conim. 2. de anima c. 1. q. 4. a. 1. ubi docent in Embryone eſſe omnes operationes à principio vitali, adeoque etiam ipſas eſſe vitales: Quid Ariſt. per animationem intellexerit, incertum eſt; videtur tamen hoc ſolum ſignificaſſe, quod videl. appareant in Embryone vel conceptu actiones

quæ-

quædam vitales, quæ tamen vitales non ſint; Vel certè per conceptum intelligit corpus organicum jam animâ actu informatum.

DIFFICULTAS XVII.

An anima rationalis in homine ſit ubique tota.

SEnſus quæſtionis eſt, ſitne anima ita indiviſibilis, ut cum ſit in toto corpore, nihil ejus ſit in manu quod non ſit in pede atque ita ſit tota in toto & tota in qualibet parte, cujus contrarium eſt videre in formis materialibus, ubi aliquid albedinis eſt in manu, quod non eſt in pede & contra.

DICO primò, fide tenendum eſt, animam rationalem eſſe indiviſibilem. Patet ex Concil. Lateran, 3. ut refertur in cap. firmiter &c. de ſumma Trinitate & fide Catholica; patet etiam ex S. Scriptura, quæ Luc. 22. Joan. 4. aliiſque in locis animam ration. ſpiritum vocat, ubi ſpiritus accipitur pro ſubſtantia immateriali ſpirituali & indiviſibili, quod vocatur ex 23. act. ubi reprehenditur error Saducæorum, qui negabant Angelum eſſe ſpiritum quia negabant omnem ſubſtantiam immaterialem & indiviſibilem, propterea etiam negabant immortalitatem animæ ut habet Joſeph. l. 7. de captiv. c. 12. & l. 18. antiquit. c. 2. & D. Hier. in c. 22. Matth. unde etiam duxit argumentum Chriſtus Dominus ad probandã ſuam reſurrectionem, palpate inquit & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, eò quod ſpiritus ſit res quædam ſpiritualis & immaterialis.

DICO 2. Ex mente Ariſt. anima ration. eſt indiviſibilis. Prob. ex 3. de anima c. 4. ubi docet animam rationalem eſſe immixtam & minimè dependentem à materia. Similiter ex 12. met. c. 9. ubi docet omne quod caret materia, eſſe indiviſibile ut ſunt Deus & Angeli, quo etiam loco docet ſe habere intellectum humanum.

DICO 3. Anima rationalis ex vera Philoſophia eſt indiviſibilis, tota in toto & tota in qualibet parte corporis. Demonſtratur ex hactenus dictis; Nam anima rationalis eſt forma informans & immaterialis; ſed talis non poteſt eſſe diviſibilis in materia, ergò indiviſibilis; Major patet ex antecedentibus, minor prob. primò enim quatenus eſt forma informans, debet eſſe tota in toto corpore quia eſt actus corporis organici, id eſt, forma & perfectio conſtituens corpus organicum in genere cauſæ formalis; quatenus verò eſt immaterialis non poteſt eſſe in eo niſi indiviſibiliter, quia diviſibilitas eſt proportio quantitatis, quantitas autem eſt accidens proprium materiæ, ergo in forma immateriali non poteſt eſſe quantitas, ergò non poteſt aliter eſſe anima in toto corpore quam indiviſibiliter. Neque aliter dicere poſſunt, qui certum aliquod organum conſtituunt animæ rationali, v. g. cerebrum, Etiamſi enim anima eſſet in ſolo cerebro, cum eſſet immaterialis, eſſet indiviſibiliter in toto cerebro, id eſt, tota in toto & tota in ſingulis partibus cerebri.

DIFFICULTAS XIIX.

Quid reſpondendum ſit argumentis contrariis.

DICES 1. ſi anima eſſet tota in toto & tota in quavis parte corporis, ſequeretur, digitum eſſe hominem, quia homo nihil aliud eſt quam tota anima rationalis in materia; ſed ibi eſt tota anima rationalis, ergò. Reſp. neg. ſequelam; ad probationem nego abſolutè hominem eſſe animam in materia, quia homo eſt tota anima in materia adæquata, qualis non eſt organum unum ut digitus, ſed totum corpus organicum conſtans partibus principalibus ut capite, ventre, corde &c.

DICES 2. anima eſt actus corporis organici heterogenei; ſed ſi anima eſſet tota in qualibet parte, eſſet etiam in carne vel aliqua parte homogenea, ergò eſſet actus corporis homogenei. Reſpond. animam eſſe actum corporis organici adæquatè ſumpti, verum eſt, inadæquatè falſum, quia hoc modo eſt etiam alicujus partis homogeneæ, quæ pars non conſtituit corpus adæquatum animæ rationalis, quia requirit hæc ad actiones ſuas corpus verè organicum vel variis organis conſtructum.

DICES 3. ſequeretur, animam eſſe infinities in corpore, quia ſunt infinitæ partes proportionales in corpore, & in ſingulis eſt tota anima. Reſp. ejuſmodi partes tantum eſſe ſyncategorematicè infinitas. 2. animam eſſe in ſingulis inadæquatè in quibus non poteſt ſeorſim conſervari, ſed tantum quamdiu conjunctæ ſunt toti.

DICES 4. impoſſibile eſt, indiviſibile coexiſtere diviſibili; ſed anima eſt indiviſibilis, & corpus eſt diviſibile, ergò vel anima non eſt forma informans totum corpus vel non eſt tota in toto, id eſt, eſt diviſibilis. Major prob. exemplo puncti, quod etiamſi millies multiplicaretur, nunquam tamen poſſet coexiſtere quantitati, quia alioquin hæc componeretur ex indiviſibilibus. Reſpond. duplex eſſe indiviſibile, unum quod formaliter & virtualiter eſt indiviſibile, quale eſt punctum & alia indiviſibilia quantitativa; aliud quod formaliter eſt quidem indiviſibile, non autẽ virtualiter, non quod poſſit dividi, ſed quod poſſit adæquatè coexiſtere toti alicui quanto & diviſibili; Talia indiviſibilia ſunt Deus, Angeli & animæ rationales, de quibus ſi in majori ſermo ſit, nego antecedens.

DICES 6. ſi eadem anima eſſet tota in pede & tota in manu, ſequeretur eandem animam, quæ eſt in pede, etiam eſſe in manu; ſed

ſed anima quæ eſt in manu, conjuncta eſt manui, ergò quæ eſt io pede conjuncta eſt manui, ergò & manus eſt in pede & contrà. Reſp. neg. ſeq. quia eadem anima & informat pedẽ & manum, non tamen ubicunque eſt, ibi informat manum & pedem, quia & aliqua forma dicatur aliqnid informare, non ſatis eſt, eſſe ipſam formam ibi, ſed etiam debet ei eſſe materia conjuncta; Etiamſi ergò anima qnæ eſt in pede ſit etiam in manu, quia tamen manns non eſt io pede, noo dicitur anima in pede informare manum ſed tantum pedem.

DICES 6. ſi anima eſſet indiviſibiliter in corpore, ſequerentur contradictoria & contraria in eodem ſubjecto, quia poſſet manus moveri quieſcente reliquo corpore; poſſet item uoa manus ſurſum & alia eodem tempore deorſum moveri, ergò eadem anima dicitur eódem tempore moveri & quieſcere vel moveri motibus contrariis. Reſp. ea quæ conveniunt animæ per relatiooem ad locum aut per unionem cnm certis partibus corporis, non convenire animæ ubicunque eſt, quia tales relationes fuodantur in unione cum certis partibus & præſentia, quæ non eſt ubicuoque eſt anima, v.g. qnando movetur dextra manus, movetur per accidens anima quæ in ipſa eſt, neque tamen movetur anima quæ eſt in ſiniſtra mann, quia propterea in dextro movetur, quia cum illa conjuncta eſt, unio autem cum dextra non eſt dextra; idcircò etiam motus in dextra non coovenit ſiniſtræ, ratio eſt, qnia modus unionis non eſt in anima tanquam in ſubjecto ſed in corpore ita ut in ſingulis membris ſit partialis unio.

DICES 7. ſi anima eſt in qnavis partę corporis, ergò tota cum ſit indiviſibilis, ergò tota etiam in oculo, ergò ſi eruatur oculus, tota anima periret; Nam ſi tota eſt in ocnlo, extra illnm nihil erit de anima. Reſpond. neg. ſeq. qnia ſolum corrumpitur unio quâ anima uniebatur oculo; ſimiliter neg. ſeq. confirmationis, vel etiam ita diſtingui poteſt; Eſt tota in oculo adæquatè negatur, inadæqnatè conceditur. Quod ſi dicatur animam eſſe in pede, in capite aut in corde ſicut rex in regno ex Ariſt. l. de motu cordis, intelligendum eſt, hinc nihil aliud colligi poſſe, quam à corde, cerebro &c. ob præſtantiam partis & organi & ubi anima potiſſimùm eluceſcit, derivari operationes, & proficiſci fuoctiones tanquam à loco gubernationis regis.

Colligitnr primò, cur non dicatur hominem pedibus ſcire, intelligere, licet ibi ſit tota eſſentia animæ, quia videl. hujnsmodi denominationes non parti ſed toti conveniunt; imò impropriè dicitur ſcire vel intelligere caput, quamvis ibi ſint organa phantaſiæ quæ non ſunt in pede, qnia id de toto ſubjecto & ſuppoſito dicitur; Et ſic non ſequitur etiam, quamlibet partem hominis eſſe hominem, qnia pars eſt ſubjectum adæquatum animæ, tametſi quidam dicant, partem informatam animâ eſſe hominem eſſentialiter non integraliter. 2. colligitur, ſi omnes v.g. digiti abſcindantur, animam nec perire nec recedere nec in eotitate ſua mutari, ſed 1. perdere unionem partialem. 2. præſentiam quam habebat ad eos digitos, & ita deſinere informare.

DIFFICVLTAS XIX.

An anima rationalis poſſit informare corpus cum diſpoſitionibus vituli, bovis, equi &c.

HOc naturaliter fieri non poſſe omnes cõſentiunt ideò qnod nulla forma naturalis in materiam introduci poſſit niſi poſitis certis & determinatis diſpoſitionibus, quæ ſi ſint vituli, bovis, animam vituli vel bovis naturaliter requirunt; ſi hominis, arboris, vel alterius viventis, etiam ſimilem formam poſtulant: Et confirmatur hoc de homine ſive corpore morboſo, quod anima ideò deſinit informare, quia incipiunt in eo diſpoſitiones contrariæ ſive ad formam cadaveris, Quæritur itaque de potentia Dei abſoluta.

DICO 1. oun repugnat per abſolutam Dei poteotiam, ut aoima rationalis cum ſuis potentiis ſit in lapide v.g. Ratio eſt, quia oon repugnat ineſſe materiæ formam ſnbſtantialem abſque ullis diſpoſitionibns, ergò. Antec. patet, quia non eſt tanta connexio inter formam & materiam ſive ſubjectum, io quo illa exercere debet ſuum effectnm formalem, & diſpoſitiones illas, ut nequeat forma à Deo in materia conſervari, imò nec repugnat ut forma per potentiam Dei conſiſtat cum diſpoſitionibus illi repugnantibus; Nam potentiæ iſtæ non ſnnt modi aut formalitates, ſed Entitates realiter diſtinctæ & ſuperadditæ, ſuot etiam effectns animæ per emanationem producti, poteſt autem effectus ſeparari à cauſa, illâ manente integrâ. Et ſic non repugnat Deum conſervare formam homiois cum diſpoſitionibus peregrinis bovis, quomodo veriſimile eſt, ut docet Mulina, Deum conſervaſſe animam Regis Nabuchdonoſoris cum plnribus diſpoſitionibus contrariis ſub corporis habitudine accedente ad temperamentum & diſpoſitiones bovis &c. *Poteſt intellectus eſſe in lapide.*

DICO 2. quod ſi anima rationalis cum ſuis potentiis per divinam potentiam ponatur in lapide v.g. tunc implicat contradictionem, hunc lapidem amplius eſſe & manere lapidem: Ratio eſt, quia implicat aliquam formã cum ſuis potentiis uniri ſubjecto & non tribuere illi effectum formalem, quod tamen fieret ſi intellectus conjungeretur ſubjecto peregrino: Major ex natura cauſæ formalis manifeſta redditur & inductione; Non enim poteſt color v.g. informare parietem, & tamẽ noo reddere illum coloratum, & calor ineſſe ventriculo & non reddere calidum, ſcientia homini & non facere ſcientem, Minor prob. quia *Si anima ſit in lapide. nõ manet amplius lapis.*

quia intellectus deberet lapidem conſtituere formaliter intellectivum, quia hic eſt effectus formalis intellectus reddere rem cui ineſt, intellectivum formaliter, hoc eſt, aptam & potentem elicere intellectionem tanquam principium illius formale: Erit itaque lapis intellectivus ex hypotheſi & non erit, quia repugnat illi cum intellectu concurrere ad intellectionem, quia non poteſt hoc facere per virtutem propriam quæ eſt ordinis longè inferioris, neque per intellectum ſuperadditum, quia deberet eſſe radix ſeu eſſentia ex qua emanaret intellectus, hæc ſiquidem cauſa eſt, cur anima per intellectum & eum intellectu poſſit elicere intellectionem, quia ſcil. intellectus, ex ea tanquam virtus & potentia emanat; idem dicendum eſt de actionibus non poſſe vitaliter ſaltem produci ab alio Agente. Ratio, quia de intrinſeco illarum conceptu eſt procedere à principio vitæ conjuncto, quia hinc denominantur vitales: Unde ne Deus quidem ſe ſolo poteſt operationem aliquam vitalem ut ſic exercere, eſto poſſit ipſam qualitatem ſeu terminum v.g. in lapide collocare, qui tamen non diceretur ideircò videre, ſed ſummum habere qualitatem ſeu terminum viſionis.

Actus vitalis non poteſt elici ab alio Agente.

An Deus ſe ſolo poſſit exercere aliquam operationem vitalem.

DICES, dantur tranſmutationes naturales huminum in beſtias, ergò naturaliter poteſt anima humana eſſe cum diſpoſitionibus lupi v. g. leonis &c. Reſp. hujusmodi narrationes vel fabulas eſſe vel certè indigere explicatione; Neque enim veriſimile eſt, unum compoſitum, dum v. g. homo in lupum tranſit, degenerare in aliud aut tranſmutari, cum conſtet aliquos, quibus hæc tranſmutatio contigit, poſtea formæ reſtitutos fuiſſe memores eorum quæ geſſerant, dum obnoxii fuiſſent huic morboſæ tranſmutationi; proinde non ſequitur hinc, diſpoſitiones beſtiæ fuiſſe in materiam hominis introductas, quia imprimis hæc diſpoſitionum varietas & formarum translocatio vel transmutatio non poteſt ab agente ullo naturali fieri, neque poſſet ullius viventis vita in tanta qualitatum ac vitalium diſpoſitionum corruptione durare; Certè ſi probabile eſt, ipſum Dæmonem non poſſe ejusmodi diſpoſitiones ad quas aliena forma ſequatur, depravatis organis intrinſecis quæ forma quælibet ad functiones ſuas requirit, introducere; multò minus poterit id aliud Agens præſtare. Itaque beſtiales formæ in homine, qui in eas transmutatus apparet, vel in quendam animi morbum ex vitio humorū præſertim atræ bilis, quod optimè conſtat Medicis, vel in Dæmonum technas referendæ ſunt. Deceptio autem Dæmonis in apparitione talium transformatorum corporum varia eſt; 1. ſubſtitutio alterius corporis, lupi v.g. in locum hominis. 2. exenteratarum beſtiarum circumpoſitio, quod fit ex pacto cum Dæmone & certa forma verborum. 3. circumpoſitio aereæ effigiei beſtialis, quod Diabolus ex pacto ita circumdat, ut membra membris quoad fieri poteſt, correſpondeant:

Quomodo fiant tranſmutationes hominū in beſtias.

Et hinc fit quod ſæpè transformati vel ex aere conficta beſtiæ relinquant veſtigia pedum luporum, felium, avium, &c. in terra; Et ſæpè dum videtur ſauciari cattus v.g. ſaucietur homo amictus illa ſpecie illuſoria in eadem parte corporis, cui coaptata erat talis larva beſtialis. Vide Delrionem & alios de præſtigiis Dæmonum fusè tractantes.

Corollarii loco

QVÆRES, An partus humanus monſtroſus, in quo nulla etiam apparet ſpecies hominis, cujusmodi ſæpè buffones, ſerpentes, piſces aliasque Dæmonum larvas fuiſſe conſtat, humanâ vel brutali anima informatum, ſi vitalis ſit, vel informatus fuerit, dum vitalis extitit.

Adverte, partus humanos monſtroſos ita aliquando referre hominem, ut ſaltem in quibusdam partibus & membris ſint deformes & defectuoſi, ut apparet in bicipite, unimano, monoculo &c. Aliquando autem ita degenerare, ut nequicquam ſpeciei vel formæ humanæ habeant, quemadmodum videre eſt in enixu ſerpentum, buffonum, piſcium aliorumque monſtrorum quæ aliquando triſte & horrendum præbent ſpectaculum. Et de his eſt quæſtio, non de prioribus, quæ omninò informantur anima rationali, deformitatem autem habent ob aliquam ex cauſis & rationibus diſp. 3. diffic. ult. hujus libri enarratis.

Reſpondeo, partus monſtroſus non fictitius qualem pervetſus ſpiritus ſubſtituere poteſt, ſi in primariis viſceribus hominem refert, ſive is ſit ex actu legitimo, ſive Dæmoniaco & Sodomitico, etiamſi natura in teliquis exceſſerit vel defecerit, informatur animâ rationali. Contrà verò brutali, qui nihil habet quod ſpeciem humanam referat, quæcunque modo conceptus in matre & formatus fuerit. Ratio prioris eſt, quia in tali corpore ſunt diſpoſitiones ad animam humanam, & quas introduxit virtus ſementiva hominis, ergò formarum alia introduci non potuit quam rationalis, quam proinde Author naturæ Deus defectum ſupplendo create & infundere tenebatur; Ratio poſterioris huic omninò eſt contraria, quia in hujusmodi corpore monſtroſo ſunt omninò diſpoſitiones & accidentia omnia brutalia, ad quas non tenetur Deus, ſed nec poteſt naturali & ordinario concurſu aliter quam per productionem animæ brutalis concurrere. Cur autem aliquando virtus ſementiva in homine, ut quæ ex ſe ſemper determinata eſt in productionem hominis, tantoperè degeneret, ſicut à paucis annis in Auſtria factum eſt, dum fæminæ quædam mōſtroſos omninò & horrendos fætus, & ex iis una ſex tales continuos ſub ſpecie leporis, buffonis, carpionis, tandemque fæmellam hominem parturierunt, incertum eſt; niſi enim magicum aut divinum quidpiam, id eſt, pæna vindicis Dei intercedat, referri debet in ſolam phantaſiam fortiſſimam, vel in ingentes

pas-

paſſiones, quæ vim formantem debilitant, eamque cum materia, ſi præſertim & hæc vitioſa ſit, perturbant. Cur autem ex concubitu Sodomitico aliquando generetur proles humana aliquando brutalis, id alibi patet, quia videl. vel prævalet virtus humana vel brutalis.

DISPUTATIO DUODECIMA,

De facultatibus hominis Orientis in genere.

HÆ ſunt nobiles animæ pediſſequæ & cariſſima præſtantioris formæ pignora, quæ ubique in ſervitutem & obſequium adſunt, nec unquam niſi per interitum unionis quæ amiciſſimo fœdere partes phyſici compoſiti jungit, avelluntur; His ipſis anima, quamprimum corpori ſuo inhoſpitari cœpit, operatur, coquit alimentum & perficit ſanguinem, diſtribuit per viſcera calorem, partes nutrit, extendit &c. Producit enim omnes in prima ſui creatione & Infuſione per emanationem, & utitur quibus opus habet, ne vel momentum otioſa videatur: Neque verò putandum eſt imperfectionis hoc eſſe, per ſuperadditas ſcil. virtutes & non per ſolam intrinſecam eſſentiam operari quia ad ſubſtantiæ nobilitatem & præſtantiam pertinet ut ſervientes habeat quæ ad voluntatem ſuperioris paratæ juſſa & mandata exequantur, quia deterioris conditionis non eſt anima quam ſunt cætera ſublunaria, quæ viribus ſuis & potentiis nobilitata liberalius agunt; ſic enim turbat caput confunditque ſpiritus & inflammat cerebrum vinoſa ſubſtantia per quendam virtualem calorem in craſſo vapore exiſtentem; ſic ſtupefacit opium per venenoſam ſubſtantiam & qualitatem cerebro impreſſam; occidit napellus per ſummam quandam virulentiam. Et quid de cæteris omnibus, quorum vires & qualitates planè ſunt materiæ immerſæ? Nec Angeli ſive ſpiritus carent potentia motiva qua ex uno loco in alium ſe transferant, quam eandem conditionem habet anima rationalis, qua & ſe & corpus ſuum moveat, tum alias quam plurimas facultates, quibus domicilii ſui poſſeſſionem tueatur, & humanam fabricam ſive calore æſtuat, ſeu frigore rigeat humoreque diffluat, ſeu denique variis cœli injuriis impetatur, foveat; De omnibus itaque potentiis & facultatibus, quas homo Oriens unà cum amiciſſima animula ſuà accipit, in genere ſit

DIFFICULTAS I.

An in homine Oriente ſint admittendæ facultates ſive potentiæ.

Facultatis nomine quid. NOmine facultatis nihil aliud intelligitur quam virtus aliqua agendi & principium operandi; Et ſumitur communiſſimè primò generaliter pro quavis virtute & potentia operandi in quibuscunque tandem ſubjectis hæc exiſtat, v. g. in cœlis, elementis, metallis, mineralibus, vegetabilibus &c. 2. pro virtute & principio vitali rerum animatarum, ſive hoc principium ſit ſubſtantiale ut anima, ſive accidentale ut eſt facultas naturalis, vitalis, animalis. 3. quod eſt hujus loci, pro ſolis potentiis naturalibus accidentariis, ut eſt vis intellectiva in homine, hinnitiva in equo, viſiva in equo, motiva in organis motoriis &c.

DICO 1. in homine, qui adhuc intrà materna viſcera recumbit, neceſſariò admittendæ ſunt facultates, Ratio, quia nutritur, accreſcit, movetur &c. quod neceſſariò fieri debet per facultates animæ ſuperadditas. Non enim anima coquit, ſegregat, retinet, excernit, gignit, nutrit &c. niſi beneficio facultatum & potentiarum quas habet ſuperadditas.

DICO 2. ſicut in fœtu uterino, ita & in homine adulto, ſed & multo magis in hoc concedendæ ſunt facultates. Prob. 1. viſio non fit immediatè à ſola anima, ergò ponenda eſt vis & facultas aliqua per quam fiat & quæ ſubjectetur in oculo; Et idem eſt cum cæteris potentiis ſenſitivis & vegetativis. prob. 2. niſi in homine ponantur potentiæ & qualitates, per quas operetur, ſequitur non eſſe rationem quare ſenex non videat ut juvenis, & hic non habeat tantam prudentiam quantam ille. Prob. hoc aſſumptum, quia anima operatur immediatè & non mediis diſpoſitionibus materialibus, quæ tamen vel maximè neceſſariæ ſunt ut patet ad ſenſum. 3. viſus, auditus, olfactus & ſimiles actiones non poſſunt fieri immediatè & à ſola ſubſtantia, cum non ſint illi proportionatæ, ergò neceſſariò recurrendū eſt ad potentias & qualitates 4. anima ex ſe indifferens eſt ad hanc vel ad illam actionem, ſed determinatur ab objectis, quæ non imprimunt ſui ſpecies in ipſa anima, ſed in ipſis organis & potentiis, ergò etiam iis mediantibus operatur.

DICES, anima rationalis concurrit immediatè tam in genere cauſæ materialis quam efficientis ad actus intelligendi & amandi. ergò ſuperfluum eſt ponere potentias. Prob. Antec. quia anima rationalis eſt vera cauſa activa & paſſiva actuum intelligendi & amandi, ergò immediatè agit & patitur. Et confirm. quia anima per actus intellectus verè movetur ad eli-

eliciendos actus voluntatis, ergò etiam elicit actus intellectus immediatè, quia unum eſt principium quod intelligit & amat, ſcil. anima & non potentia. R. hoc toto argumento nihil aliud probari quam animam concurrere ad omnes actus in corpore ſive materiales ſive immateriales, & eſſe principium quod in genere cauſæ efficientis principaliter concurrat, non tamen ſolùm, & hinc negatur conſequentia.

DIFFICVLTAS II.

Quid ſit facultas ſive potentia.

HÆc communiter dicitur via animæ ſeu formæ, animæ quidem in rebus viventibus, formæ autẽ in inanimatis, v.g. in vino, in auro, in Elleboro, ferro & ſimilibus. Nam in vino reperitur vis calefaciendi, in elleboro purgandi, in ferro ſtringendi & aperiendi, in auro corroborandi &c.

Suppono, virtutem, vim, potentiam & facultatem communiter apud Authores pro eodem ſumi adeoque perinde eſſe, ſive vim illam calidam in vino, pipere, cinamomo &c. virtutem ſive potentiam & facultatem calefaciendi dixeris. Jam

DICO 1. facultas in homine ſivè animâ eſt potentia naturalis ab anima profluens, vel eſt virtus & principium operandi, vel ex Fern. l. 5. de anim. facult. c. 2. vis & poteſtas, quam anima de ſinu ſuo velut promit & ad munerum functiones profert. Dicitur 1. potentia loco generis, naturalis verò loco differentiæ, quia ſunt potentiæ quædam ſupernaturales ut fides, ſpes, charitas, tum infuſæ ut potentia ſanandi. Dicitur 2. ab anima profluens, quia nõ producitur ab hac per actionem phyſicam ſed per emanationem. Dicitur 3 naturaliter profluens, quia producitur per vim agẽtis naturalis, proinde excipiuntur hic ſcientiæ infuſæ, virtutes & potentiæ à Deo datæ, gratia habitualis, qualitates ſuprà propriam naturam elevatæ &c. Hanc itaque vocat Fernelius inſitam & vernaculam animæ proprietatem, & quamvis ſit accidens, ipſi tamen intimum adeoque inteſtinum, ut plerique ipſius eſſentiam putent.

DICO 2. facultas eſt de prædicamento qualitatis, & refertur ad ſecundam ſpeciem, id eſt, ad naturalem potentiam, vel etiam ad primam, id eſt. ad diſpoſitionem, quatenus v. g. oculus benè conſtitutus facit ut anima tanquã cauſa principalis optimè ad viſionem concurrat. Quod autem facultas ſit qualitas, hinc probatur, quia eſt accidens abſolutum ideò ſubſtantiæ creatæ datum ut eam tam in agendo quam in exiſtendo perficiat & abſolvat. Deinde ſuſcipit magis & minus. eſt productiva effectus ſi non ſe ſola ſaltem in virtute ſuæ ſubſtantiæ.

DICO 3. omnis facultas animæ eſt activa. Patet ex definitione, qua dicitur principium innatum operandi, vel eſt ea ipſa virtus, per quam anima ſive corpori conjuncta ſive ab eo ſeparata operationes omneſque functiones ritè adminiſtrat. Dixi facultas animæ; Nam ſunt quædam facultates corporis, quæ tantum paſſivè ſe habent ut mollities, durities, raritas, denſitas &c. quæ cum potius ſint affectiones & diſpoſitiones materiæ primaſque ſemper ſequantur qualitates, è numerò qualitatum ab anima emanantium excipiuntur.

DICES, aliter dividi facultates apud Medicos & aliter potentias apud Philoſophos, ergò differunt; Confirm. quia etiam ipſi Conn. l. 1. de gen. c. 5. q. 1. a. 1. 2. & 3. univerſim facultates omnes ad vitalem naturalem & animalem referunt. Reſpond. neg. Conſeq. quare autem aliter Medici & aliter Philoſophi ſuas facultates & potentias dividant, cauſa eſt, quia habent alios fines. reſpectus & intentiones, id quod etiam de Conn. dicendum eſt; Nam quod hi in libris de anima ſtatuerint 5. genera potentiarum, has autem omnes hic loco cit. ad vitales naturales & animales redegerint, cauſa eſt, quod ibi philoſophos & hic Medicos, egerint & oſtenderint totum corpus noſtrum regi & adminiſtrari tribus membris principalioribus, corde ſcil. cerebro & epate, & ab iis omnes facultates per venas, nervos & arterias in univerſum corpus diffundi; Et hinc eſt

DIFFICVLTAS III.

Quot ſint genera facultatum ſecundum philoſophos.

DICO, juxtà communem opinionem philoſophorum & ex Ariſt. 2. de anima c. 3. dantur quinque genera potentiarum, quæ nõ deſumuntur ex ordine ad diverſa ſubjecta animata, quia in eodem ſubjecto, v.g. in leone, in Petro &c. Plures reperiuntur potentiæ. ſed ex diverſo modo quo ipſæ operantur; Et hinc tot ſunt ſumma genera potentiarum quot ſunt modi quibus operantur potentiæ; ſed hi ſunt quinq; . ergò. prob. minor; primus modus eſt operandi ſine ulla cognitione & eſt potentiæ vegetativæ, quæ pertinet vel ad ſolum gradum vegetativum, vel ad ſola vegetabilia v. g. ad plantas & herbas. Secundus eſt cum cognitione ſed imperfecta per organum corporeum & per ſpecies ab objecto ſenſibili acceptas, & hæc eſt virtutis ſenſitivæ quæ in animalibus ſolis reperitur. 3. eſt cum cognitione perfecta indepẽdenter ab organo corporeo & pertinet ad virtutem intellectivam. quæ ſuperat priores duos eſtq; ſolius hominis. Quartus eſt movendi ſe localiter & eſt potentiæ ſeu facultatis loco motivæ, quæ reſidet in membris mobilibus & producit per operationem præviã ſenſus & appetit. ſẽſitivi motũ progreſſivũ. 5. deniq; eſt appetendi quidquam, & hic modus pertinet ad potentiam quæ vocatur appetitiva. Alii hoc modo dividunt & probant, Anima inquiunt verſatur per

Potentiæ ſumuntur ex modo operandi.

Digitized by Google

ſuas potentias & facultates circa corpus ſibi coniunctum vel circà aliquid abſens; ſi circà primum, verſatur potentiis vegetativis & nutritiva, generativa & augmentativa, quia his ipſis anima eſt præſens alimento & humoribus; ſi circà ſecundum, illud vel tantum eſt ſenſibile vel contrà denudatum conditionib⁹ ſenſibilibus: hoc ultimum pertinet ad intellectum qui non verſatur circà objecta ſenſibilia & particularia ſed circà univerſalia & inſenſibilia. Primum autem quod eſt abſens ſenſibile, complectitur triplicis generis ſeu differentiæ potentias; nam quando objectum ſenſus conjungitur animæ per ſuam ſimilitudinem, tunc fit per potentias quas ſenſitivas appellamus; quando autem anima objectum hoc modo apprehenſum tanquam ſuum finē proſequitur aut fugit tanquam aliquid ſibi repugnans, tunc fit per appetitum qui eſt facultas à priori diverſa. Quando denique objectum non tantum apprehenſum ſed etiam appetitū reipſa animal conſequitur, tunc fit per potentiam loco motivam. Et hinc formatur tale argumentum, tot ſunt facultatum genera, quot ſunt objecta & modi tendendi in illud; ſed hæc quinque ſunt, ergò. Minor conſtat ex dictis; major deſumitur ex iis quæ philoſophi de ſpecificatione potentiatum & actuum diſputare ſolent.

DIFFICVLTAS IV.

Quot ſunt genera facultatum apud Medicos.

SIcut philoſophi juxtà diſtinctos vitæ & operationum modos tùm etiam juxtà diverſitatem obiecti circà quod anima eum potentiis occupatur, ſua potentiatum genera deſumunt; Ita Medici, quibus aliud eſt propoſitū, juxtà principaliſſima corporis homini partes ut cor, epar, cerebrum & juxtà triplicia vaſa quæ ab iis fluunt & quibus mediantibus omnes actiones fiunt, ſuas commenſurant facultates earumque genera; Nam ab his tribus membris ceu fontibus docent pendere vitam eiusque munia; in his aiunt reſidere facultates easque mediis vaſis ut nervis arteriis & venis quæ hinc oriuntur & in totum corpus defluunt, quaquaverſum in partes & viſcera diffundi & diſtribui.

Advette, nullam actionem in toto animalis corpore exerceri poſſe etiam præſente anima eiusq; potentia integra, niſi ſpiritus & ſanguis in omnes partes influant; Nam hi ſunt vera inſtrumenta quorum opera & valore vivit animal ſuasque operationes ritè adminiſtrat; Et ut docet experientia, interceptis ſpiritibus animalibus perit ſenſus & motus, vitalibus autem corruptis ut in malignitatibus, vel deficientibus ut in affectibus melancholicis in quibus meatus cordis ſtringuntur, in flatulentiis, in exceſſu frigoris, ſiccitatis, ſolutâ unitate &c. aut vita periclitatur aut omninò concidit. Et ſanguine denique vitiato ceſſat bona & landabilis nutritio, accretio, generatio &c.

DICO 1. non datur una tantum facultas ſumma & principaliſſima; Ita communiter Medici. Ratio eſt, quia ſunt plura membra principaliſſima, à quibus ceu fontibus facultates in corpus diffunduntur, ideoque nec poſſunt exerceri omnes operationes ab uno genere facultatum v. g. nutritio per cerebrum & facultatem animalem, motus per vitalem, pulſatio per naturalem &c. Nec etiam ſunt duæ propter eandem cauſam, ſed nec quatuor ut vitalis, animalis, naturalis & generativa ut vult Plemb. de fund. medic. l. 2. Ratio eſt quia facultas generativa non ſuperat vim facultatis naturalis, ideoq; etiam conſenſu Medicorum ad eam refertur; nam eadem vis quæ conficit ſanguinem, calculum, arenam &c. conficere etiam poteſt lac & ſemen. Nec denique ſunt quinque, quia facultas appetitiva ſi ſit naturalis, ſpectat ad facultatem naturalem; ſi animalis ad animalem, quod idem de motiva intellige; hæc tamen ex doctrina & ſuggeſtu Medicorum, cum quibus

DICO 2. 3. ſunt facultates principaliſſimæ ſive tria earum genera, ut naturale, vitale & animale: Ratio tota eſt, quia inquiunt tot facultatibus corpus noſtrum regitur, torque actionibus conſervatur, tot ſunt etiam canales, quibus facultates in univerſum corpus influunt, naturalis nempe per venas ab Epate, vitalis à corde per arterias, animalis à cerebro per nervos. Deinde omnes facultates quæ ſunt in homine, ad unam ex his referuntur. Adhæc deficiente corpore eiusq; ſanitate experimur collabi etiam vim unam ex his tribus & contrà reſtitui ſi redeat ſanitatas, ideò quod defectus ſit vel in cerebro vel in corde vel in Epare. *3. genera facult. apud Medicos.*

DICES cum Gal. l. 1. de ſympr. cauſ. c. 1. duas tantū actiones, ut animales & naturales, ergò etiam dantur duæ tantū facultates, quæ reſpōdeant iis actionibus. R. naturale variis modis ſumi; 1. ut opponitur voluntario; 2. ut idem eſt quod ſecundum materiā; 3 ut idem eſt quod vegetativum, Gal. ſub naturali intellexerit primum, ideoq; voluit facultatē naturalē eā eſſe, quæ ſuas functiones absq; imperio voluntatis exerceat. Si

Quæras, quæ facultatum diviſio ſit melior perfectior. R. philoſophorum; ratio 1. eſt, quia apud Philoſophos naturale & vitale non differunt cum omnes facultates naturales in viventibus ſint naturales & contra. 2. quia unum eſt tantum membrum principaliſſimum, videl. cor, ut habetur ex alibi dictis, ergò ab hac principalitate nō ſunt deſumēda genera. 3. Venæ nō oriuntur ab Epate, ut videre eſt diſp. 4. huius l. diffic. 11. ergò canalium origo non conſtituit genera. 4. ad facultatem animalem non niſi impropriè referuntur facultas motiva & appetitiva, multò min⁹ ad naturalē & vitalē, niſi tamē facultas animalis extēdat ſe ad omnes illas, quatum principia materialia, videl. nervi & cerebrum ſunt in capite, quod tamen nihil concludit, quia imprimis etiam facultas naturalis & vitalis eſt in cerebro totoque capite quia fit ibi nutritio &

pul-

pulſatio; deinde facultas intellectiva & volitiva quæ potiſſimum reſident in cerebro, diverſiſſimæ ſuot à motiva & appetitiva, quia habent alium modum eſſendi & operandi. Sed hujusmodi Medicorum conſtitutiones & doctrinæ ſufferendæ ſunt, quia ſunt medicæ, noo quidem in ordine ad ſanitatem, quia ad eā nec magis nec minus faciunt, ſed quia per hoc ſatis comodè facultates earūq; genera explicantur.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo ſubdividantur genera facultatum.

DICO 1. ex ſententia Medicorum ſpectant ad facultatem naturalē nutritiva augmentativa & generativa cum ſuis famulantibus. Ad vitalem vis ſpirituum vitalium coofectrix, pulſatrix, quæque diffuſione caloris vitam conſervat. Ad animalem deniq; ſenſus tam externi quam interni, tum potentia à qua oritur motus voluntarius, vel qua ipſe apprehenſionem ſive judicium ſequitur &c. Alii dividunt facultatem animalem in ſentientem & moventem; ſentientem faciunt duplicem, unam internam alteram externam; illa eſt facultas in ſubſtantia cerebri reſidens, quæ notitias ſenſitivas diſcernit & internoſcit; hæc 5. ſenſibus conſtat, ut viſu, auditu, guſtu, olfactu & tactu. Internā ſtatuuot triplicem, ut imaginatricem, ratiocinatricem & memoratricem; primam dicunt eſſe, quæ imagines à ſenſibus externis oblatas apprehendat & dignoſcat; ſecundam ratiocinatricem quæ ſpecies à phantaſmatis elicitas componat & dividat, & componendo dividendoque judicet: Tertiam denique quæ rerum ſpecies conſervet & recognoſcat.

DICO 2. Ex doctrina philoſophorum potentia vegetativa eſt duplex; una principalis, altera adminiſtra: Illa triplex eſt, nutritiva, augmentativa & generativa; hæc quatruplex, attractrix, concoctrix, retentrix & expultrix: potentia ſenſitiva eſt duplex; Externa quæ in 5 ſpecies dividitur, in viſum, auditum, guſtum olfactum & tactum; interna complectitur ſēſum communem, phantaſiam, memoriam &c. Appetitiva etiā eſt duplex, rationalis una quæ voluntas dicitur, irrationalis altera, eaq; rurſū duplex, concupiſcibilis & iraſcibilis; loco motiva ad motum ordinatur. Rationalis denique ad diſcernendum nata eſt & dicitur intellectus, qui hominem taotoperè decorat & à reliquis brutis ſejungit.

Si quæras, quò revocanda ſit potentia reſpirativa, pulſativa, potentia ridendi, flendi &c. Ante reſpooſionem nota, poteotiam locò motivām dupliciter ſumi, 1. ſtrictè pro principio progrediendi quod mutat locum ex toto. 2. latè pro principio quod vel ex toto locum mutat vel tantum ſecundum aliquam partem, ut ſunt Zoophita ſive plantaanimalia dum ſe contrahunt vel dilatanr; Et talia ſunt plantæ, dum ſe ab intrinſeco augent & majorem locū occupant. R. ergò potentiā reſpirativam, pulſativam & ſimiles plures revocari ad locomotivam ſecundo modo ſumptam: Nam etiam in riſu, fletu &c certæ partes cōprimuntur ut patet in riſu, dum diaphragma comprimitur, in fletu, ubi lachrymæ cerebro exprimuntur.

DIFFICVLTAS VI.

In quo ſubjecto propriè ſint facultates ſive potentiæ ſecundum Philoſophos.

MEdici ut ex dictis liquet, docent cor, jecur & cerebrum eſſe partes principaliſſimas quibus inhæreant 3. illæ generales facultates, ut vitalis, naturalis & animalis, & quæ mediis venis, arteriis & nervis in totum corpus diffundantur. Sed an in ſolo corpore, id eſt, in materia informata anima rationali ſubjectentur, an etiam in ipſa anima & hac mediante in corpore, apud ipſos, qui difficultatem hanc ſicut & totum corpus omnesque ejus affectiones tantum io ordine ad ſanitatem tractant, parum æſtimatur.

Adverte autem, quæſtionem eſſe de ſubjecto inhæſionis proximo non remoto & denominationis, quo ſenſu non eſt dubium, potentias ſeu facultates eſſe in toto compoſito: Neque etiam ſermo eſt de potentiis inorganicis, quæ immediatè ſunt in ipſa anima ut intellectus & voluntas, quia remanent in anima ſeparata ſine miraculo; ſed difficultas eſt de potentiis organicis & materialibus, ſintne in anima immediatè & ratione hujus in compoſito, an verò in organo an in utroque: Et quoniam duæ ſuot opinioues tam rationibus & argumentis quam authoritate magnorum virorum confirmatur, idcircò utramque cum refutatione rationum apponam, ut quisque ſibi eligere poſſit quam pro captu & iogenio ſuo probabiliorem judicet. Itaque

Opinio 1. eſt, potentias materiales eſſe ſubjectivè ſeu inhæſivè in corpore. Ratio 1. eſt, quia nulla res materialis poteſt eſſe in anima rationali immateriali tanquam in ſubjecto. 2. quia etiam actus deberent inhærere ſecundum illud, ubi eſt potentia, ibi etiam erit actus immanens & vitalis, quod tameo falſum eſſe ex hoc conſtat, quia viſio v. g. non eſt in anima ſed in corpore ſive organo corporeo. 3. quia aliàs diviſio in facultates ſive potētias organicas & inorganicas eſſet fruſtranea vel minimùm ſuperflua. 4. quia etiam gravitas & levitas quæ ſunt potentiæ quædam formarum elementarium, non ſunt in ipſis formis ſed in materia ergò etiā potentiæ viventium erunt in materia 5. quia, cum materia ſit ubiq; ejusdē rationis, facultates eſſent in toto corpore, ac proinde potentia viſiva non tantum eſſet in oculo ſed etiam in pede &c.

Opinio 2. eſt, facultates ſive potentias inhærere imediatè in anima. Ratio prima eſt, quia vel eſſent in toto cōpoſito vel in materia, quorum neutrum dici poteſt; non primum. quia idem accidens eſſet io diverſis ſubjectis, in corpore videl. & in anima, ergò potentia viſiva v. g. erit partim diviſibilis quatenus eſt in corpore, & indiviſibilis quatenus eſt in a-

nima; ſi autem dicatur totam eſſe diviſibilem, non poterit recipi in anima indiviſibili, & rurſum ſi tota ſit indiviſibilis, non rectè dicetur facultas diviſibilis vel materialis; non ſecundum, quia potentiæ conveniunt animali quatenus animatum eſt, ergò non ſunt immediatè in anima. 2. quia facultates ſunt proprietates, ergò debent fluere ex eo cujus ſunt proprietates & eidem etiam inhærere. 3. quia ſequeretur, requiri aliam potentiam quâ anima poſſet producere potentias; Nam ſi potentiæ ſunt in corpore, eo alterato poterunt lædi, ergò poterit anima reproducere potentias, ergò requiret potentiam quâ eas producat. 4. quia ibi recipiuntur animæ facultates, à quo educuntur, videl. è potentia animæ, cum ab ea in fieri & conſervari dependeant. 5. quia dimanant ab anima, ergò in ea ſola recipientur; emanatio enim eſt actio immanens, quæ nihil producit extrà ſe, & conſequẽter in eo tãquã in ſubjecto proprio manet.

DIFFICVLTAS VII.

Quid reſpondẽdũ ſit utriſq; rationib9.

Etiam res materialis poteſt eſſe in immateriali.

AD rationem primam 1. opinionis reſpondetur neg. abſolutè, quod nulla res materialis poſſet ſubjectivè ineſſe rei immateriali, quia anima ut eſt actus informans & intimè corpori præſens, recipit & ſuſtentat qualitates à ſe emanantes; Nec impedit quod ipſa ſit immaterialis, & potentiæ materiales, quia etiam peccatum tam formaliter quam materialiter ſumptum eſt in anima cui intimè inhæret; accedit quod etiam unio ſecundum illo, qui eam materialem dicunt, attingat animam rationalem.

Ad ſecundam reſp. in viſione & ſimilibus operationibus poſſe conſiderari duplicem potentiam & duplicem actum; prior actus eſt alteratio quædam corporalis, ſeu receptio alicujus qualitatis, ut in viſione receptio ſpecierum viſilium; atq; potentia ad ejuſmodi actũ eſt in ipſo organo & non in anima. Secundus eſt ipſa operatio vitalis & viſio, id eſt, cognitio objecti viſilis; Quando ergò dicimus, facultates recipi immediatè in anima, loquimur de facultatibus in ordine ad hunc poſteriorem actum. Iam verò, quod ad illam propoſitionẽ attinet, in eo ſubjecto recipi debet potentia, in quo eſt actus ejus, ſimpliciter neganda eſt, quia etiam ignis habet potentiam calefaciendi, & tamen calefactio recipitur in corpore quod calefit; vera tamen eſt de immanentibus quoad totũ compoſitum, quod oſtenditur exemplo nutritionis, quia facultas nutritiva eſt ſine dubio in animali, & tamen nutritio eſt ejus cujus eſt facultas nutritiva, non quod ſit in eodem ſubjecto imẽdiato, ſed quod idem cõpoſitum ſeu idem vivens, quod ratione animę habet facultatem nutritivam, ratione novi alimenti, quod ei accedit & in ipſius ſubſtantiam mutatur, habeat actum nutriendi.

Nõ ſemper actio conjungitur cum potentia.

Ad 3. quod diviſio in facultates org, & inorg, ſit falſa, R. negando hoc aſſumptũ, quia ut cõſtat, inorganicæ ſunt etiam cum anima ſeparata: quod autem in cerebro potiſſimum ponantur, fit ideò, quia anima dum eſt in corpore, ſemper utitur phantaſmatis in actionibus ſuis, quæ à ſenſu interno qui ſedẽ habet in cerebro, fabricantur.

Ad 4. R. neg. conſeq. quia licet utræq; ſint proprietates, magnum tamen inter eas eſt diſcrimen: Nã 1. gravitas & levitas ſunt proprietates formarum, ſed reſpiciunt illas potius ut principium paſſivũ quam activum, quod patet ex eo, quod elementa dicantur ſeipſa movere; Quare non eſt mirum, quod gravitas & levitas ſint in materia quæ eſt principium paſſivũ; potentiæ autem tribuũt viventibus quod dicantur ſe ipſa movere, unde ipſa potius ſunt principia activa quam paſſiva ſuarum operationum, ac proinde potius debent eſſe proprietates viventiũ ratione animæ quam materiæ. 2. gravitas & levitas ſemper comitantur formas elementorum ut patet in vapore & exhalatione, ubi formæ terræ & aquæ ſunt cum levitate; hoc autem non poteſt oſtendi de potentiis animæ; etiamſi enim aliquando anima propter debilitatem organi non poſſit exercere operationes ſuas, tamen non poteſt oſtendi ibi non eſſe potentiam, ſicut oſtendere poſſumus in vapore non eſſe gravitatem cum ſit levis; imò Ariſt. ait corrupto organo adhuc manere potentiam, & ſi ſenex haberet oculum ut juvenis, adhuc viſurum ut juvenem; neque in ſenio poſſe eſt quicquam anima, ſed habet ſe ut in morbis in quibus minus rectè videt non ob defectũ potentiæ ſed ob alterationem organi. 3. gravitas & levitas ſunt proprietates conſequentes certam temperiem quæ eſt in ipſa materia; potentiæ autem animæ immediatè fluunt ab anima, ergò non habent ejuſmodi rationem cur ſint in materia.

Ad 5. Reſp. facultatem viſivam etiam eſſe in pede quoad actũ primum, non ſecundũ id eſt, quoad eſſe ſubſtantiale non operativũ, quia ad hoc requiruntur certa organa & diſpoſitiones, quæ ſunt in oculo quoad viſionem & non in pede: hoc tamen intellige de potentiis animæ rat. in homine & nõ ſenſitivæ in brutis juxtà eòs qui in hiſce ponũt animã diviſibilem multò min9 vegetativæ in plãtis & planta animalibus, in quib9 anima penit9 imerſa eſt materiæ, & particulatim è ſingulis partib. educta.

Ad rationẽ primã 2. opinionis R. neg. minorem, quia potentiæ organicæ ſũt in corpore & non in anima quæ informat corpus organicum, ratione cuius etiam dicitur extenſa, etiamſi ipſa ſit indiviſibilis, ex quibus facile colligitur, quid ad utriuſque explicationem & confirmationem reſpondendum ſit.

Potentiæ organicæ ſunt in corpore.

Ad ſecundam R. concedendo totum, quia potentiæ inhærent corpori animato & conſequenter ipſi animæ quæ informat corpus.

Ad tertiã R. hoc idẽ ſecuturũ, ſive potẽtiæ dicãtur eſſe in corpore ſive in anima, quia nõ ſunt in hac ſicut intellect9 & voluntas quę omninò ſunt inorganicæ, ſed ſunt in anima mediante corpore vel in corpore mediante anima à qua fluunt; Unde mirum non eſt,

ſi alterato corpore ſpectet ad animam potentias alteratas reducere & conſervare aut etiam abolitas & deperditas organo reſtituto reproducere per antiquam emanationem.

Ad quartam reſpond. ex ejus potentia educi facultates animæ, à quo dependent in fieri & conſervari tanquam à cauſa materiali ſubjectiva, conceditur, tanquam à cauſa conſervativa & efficiente, negatur; hoc enim modo ſolum & non priori dependent facultates organicæ ab ipſa anima.

Ad quintam reſp. neg. conſeq. ſi enim actio immanens ſumatur pro illa quæ nihil ponit extrà totum compoſitum, conceditur, quia ſic facultates non producuntur extrà totum compoſitum ſed in eo manent, licet ſoli corpori inhæreant: ſi verò ſtrictè ſumatur pro ea, quæ nihil producit extrà principium à quo fluit, negatur, quia ſermo eſt, facultates illas organicas non in anima à qua emanant, ſed in corpore ſubjectivè recipi.

DIFFICVLTAS VIII.

Unde oriantur facultates animæ, an omnes ſimul.

Potentiæ emanant ab anima.

DICO, potentiæ omnes immediatè producuntur ab anima per emanationem. Ita communis eſt doctrina apud Philoſophos. Continet hæc concluſio duo; primum eſt quod potentiæ omnes emanent ab anima in genere cauſæ efficientis, non quidem principalis, quia hæc eſt generans tribuens rei quicquid ſpectat ad conſummatum ejus productionem, ſed quatenus illa vicem obtinet generantis & eſt quaſi inſtrumentum ejus, & hoc non per motum propriè dictum, ſed per emanationem. Secundum quod omnes fluant ſimul ab anima & non una mediante alterâ. Prob. primum, proprietates pendent à ſuis ſubjectis in genere cauſæ efficientis per emanationem; ſed potentiæ ſeu facultates ſunt proprietates, ergò. Quod autem per emanationem & non per motum ſive per actionem propriè dictam producantur, prob. quia facultates ſemper eodem modo pendent ab anima, ſecus atque ea quæ per actionem producuntur, quia poſſunt hæc exiſtere re deſtructâ & corruptâ à qua fuerant productâ, ut patet in calore, qui remanet etiam igne deſtructo à quo productus ipſe fuerat; illæ verò quæ ſemper dependent à cauſa efficiente, dicuntur produci per emanationem quales ſunt potentiæ. Prob. poſterior pars concluſionis, quod videl. omnes facultates æquè oriantur ab anima & non una ab alia, v. g. nutritiva à ſenſitiva, viſus mediante tactu &c. Si enim hoc fieret, facultates ſenſitivæ fluerent mediantibus vegetativis cum ſint priores quam ſenſitivæ, ergò ubicunque eſſent facultates vegetativæ, ſtatim etiam fluerent ſenſitivæ, & ubicunque eſſet tactus, eſſent etiam alii ſenſus tactu poſteriores quod tamen eſt contrà experientiam; Nam in plantis reperiuntur facult. vegetativæ abſque ſenſitivis, & in multis animalibus tactus abſque reliquis ſenſibus, ergò ſaltem in iis facultatibus quæ ſeparatim poſſunt exiſtere, non fluet una ab altera. Quod etiam de iis hoc dici debeat quæ ſunt inter ſe ſeparabiles ut intellectus & voluntas, patet inde, quia non eſt ratio, quare potius voluntas fluat mediante intellectu ab anima & nō cōtrà.

Potentiæ non fluunt ab anima per actionem phyſicam.

Omnes facult. ſimul fluunt ab anima.

DICES, videmus in multis potentiis fieri, ut una non ſit niſi prius ſit altera, v. g. voluntas poſt rem intellectam, accretio poſt nutritionem, guſtus poſt tactum, ſenſus internus poſt externum &c. ergò una potentia oritur mediante altera. Reſp. neg. conſeq. quia omnes ejuſmodi potentiæ ſunt æquè primò in ſubjecto præſentes ſi non in actu ſecundo, ſaltem in primo. Et ſic intelligendum eſt, inter potentias eſſe ordinem quandam quoad operationes propter varias organorum diſpoſitiones, quæ in uno organo ſunt perfectiores quam in altero quæque plus aut minus requiruntad operandum ut patet in potentia nutritiva, quæ propter imperfectionem exercetur in puero recens nato, cum guſtus, odoratus, apprehenſio, memoria, tanquam potentiæ digniores plus requirant. Et ſic colligitur, animam exercere triplex genus cauſalitatis reſpectu ſuarum facultatum; efficientis 1. quatenus potentias per reſultantiam ex ſe effectivè fundit. 2. finalis, quia facultates ſunt propter animam ut finem, 3. denique materialis, quia ipſas tanquam formas in ſe recipit & ſuſtentat. Colligitur etiam, animam non eſſe cauſam præcipuam efficientem ſuarum facultatum, ſed generans cujus eſt, omnia mediis ſuis diſpoſitionibus & qualitatibus in puncto generationis tribuere quæ debentur, proinde anima eſt quaſi inſtrumentalis cauſa generantis, quod licet remotè, tamen principaliter, anima verò proximè ſed minus principaliter producit & afficit facultates,

Omnes facult. ſunt ſimul in ſubjecto, ſaltem in actu primo

Generans & non anima eſt cauſa præcipua facultatū.

DIFFICVLTAS IX.

An facultates diſtinguantur ab anima.

CElebris eſt controverſia inter Philoſophos, ſintne facultates ſive potentiæ ante operationem intellectus aliquid diſtinctum ab anima, an verò omnes potentiæ ſint ipſa anima, quæ quatenus eſt principium nutritionis, dicatur potentia nutritiva, quatenus viſionis, viſiva &c. ita ut ſola ratione differat potentia ſeu facultas ab anima.

Negant Nominales ferè omnes cum Hurt. d. 4. de anima ſ. 41, & non paucis, qui docent potentias nec reipſa nec formaliter & ex natura rei diſcrepare ab anima. Sed

Affirmant id poſt D. Thom. Ægid. Cajet. Capreol. Jand. recentiores quamplurimi inter quos vide Soar. Rub. Conn. 2. de anima c. 3. q. 4. a. 2. & alios. Et dependet hæc quæſtio ab illa, an ad exercendas operationes vitales ſufficiat ipſa ſubſtantia animæ, quæ

 non

non indigeat ullis qualitatibus à ſe diſtinctis, quibus ad eas operationes utatur: Quod ſi enim anima poteſt immediatè & ſola elicere viſionem ſine potentia, id eſt, ſine habilitate quadam accidentali ejus ſubſtantiæ ſuperaddita, certum eſt animam non diſtingui à potentiis; Si autem requiruntur ejusmodi qualitates, cum accidens non poſſit ſola ratione differre à ſubſtantia, etiam plus quam ratione differt potentia ab anima. Et hæc opinio alterâ non contempta, cum videatur eſſe communior & probabilior; idcircò

DICO, probabile eſt, potentias ſeu facultates diſtingui plus quam ratione ab anima, & eſſe qualitates quasdam ſeu formas accidentales formaliter ita ab anima diſtinctas ut neque anima absque potentiis, neque potentiæ absque anima poſſint in corpore exiſtere & operari. Ita docent Authores 2. opinionis, & prob 1. Omne accidens minimùm plus quam ratione diſtinguitur à ſubſtantia; ſed anima eſt ſubſtantia, & potentiæ ſunt accidentia de prædicamento qualitatis, ergo minimum plus diſtinguuntur quam ratione prob. poſterior pars minoris, quod videl: potentiæ ſeu facultates ſint accidentia de prædicamento qualitatis in quo ſola eſt difficultas; nulla forma ſubſtantialis immediatè poteſt exercere actionem tranſeuntem vel immanentem, ſed ad utramque eget formis accidentalibus, quod patet inductione primum in actionibus tranſeuntibus diſcurrendo per omnes ſubſtantias creatas & incipiendo ab elementis, quæ cum maximè activa ſint, habent tamen primas qualitates è forma ſua realiter diverſas quibus operentur; ſic enim ignis per ſe non calefacit immediatè ſed per calorem, qui diſtinctus eſt à forma ignis, quia reperitur etiam in aqua calefacta ubi tamen non eſt forma ignis; De cæteris rebus naturalibus & ſublunaribus idem intellige. prob. etiam in actionibus immanētibus, in terra v.g. & aqua principium immediatum motus deorſum non eſt forma ſed gravitas, & hanc eſſe accidens diſtinctum patet in vapore & exhalatione, in quibus eſt forma ſine gravitate. Denique hanc inductionem multis proſequitur Soarius vir in philoſophicis & Theologicis huc ſeculo maximus diſp. 18. met. ſ 3 num. 13. ubi licet dicat id non poſſe ſufficienter demonſtrari, conatur tamen id rationibus oſtendere, cum præſertim hæc ſit conditio ſubſtantiæ creatæ ut non agat niſi per accidentia ſuperaddita; imò non deſunt inter quos Rubius, qui putant, importare contradictionem ut detur aliqua ſubſtantia extra Deum quæ immediatè operetur. Ad hæc ſequeretur ex contraria opinione, nos intellectu velle, voluntate intelligere, auditu videre &c. quod eſt abſurdum. Ultimù, anima ex ſe eſt indifferens ad operandum, ergò debet ab aliquo determinari ad actum certum quod nihil eſt aliud niſi ipſa facultas ſeu potentia.

Facult. ſūt de prædicamento qualitatis.

Nulla ſubſtantia poteſt immediatè operari abſq; accident. formis.

Implicat cōtradict. ex Rubio, ſubſtantiā immediatè operari.

DICES 1. anima eſt cauſa immediata ſuarū potentiarum, ergò & operationum, Reſpond. potentias eſſe ab anima tanquam à principio per emanationem, & non per actionem propriè dictam ſicut operationes; ſunt autem potentiæ ſemper conjunctæ cum anima & dependent eodem modo ab ea in fieri & facto eſſe; operationes autem non ſemper ſunt ex natura ſua cum anima, idcoque indigent principio aliquo intermedio à quo fiant; Et exigit ratio, ut cum proceſſus in infinitum dati non debeat, potius accidentia illa quæ nunquam abſunt ab anima, immediatè ab ea emanent, quam quæ interdum adſunt, interdum non.

DICES 2. ſi facultates eſſent aliquid diſtinctum, ſequeretur, viſum v.g. divinitus poſſe ſeparari ab anima, & ita ſeparatum poſſe videre, quod eſt abſurdum. Reſp. neg. ſeq. quia licet quæ propriè realiter diſcrepant, poſſint divinitus ſeparari, non tamen omnia quæ ante operationem intellectus diſtingvuntur. Nam totum diſtinguitur à partibus ante operationem intellectus. & tamen ſine contradictione non poteſt totum exiſtere ſine partibus; item relatio differt realiter à fundamento, & tamen poſitis duobus parietibus albis nō poteſt non eſſe inter eos relatio: Similiter non poteſt eſſe quantitas ſine omni figura, neque numerus ternarius non poteſt eſſe impar, & tamen imparitas differt formaliter à numero & quantitas à figura. Sunt aliqui qui concedunt hanc ſequelam, ſed negant ultimam, eò quod viſio requirat neceſſariò præſentiam animæ ut ſit actus vitalis.

Non omnia poſſunt ſeparari quæ ante operationem intellectus differunt.

DICES 3. anima eſt principium quò vivimus, ſentimus &c. ergò non eſt opus accidentiis ſuperadditis. Reſp. animam eſſe principium radicale & remotum, facultates verò proximum & formale.

DICES 4. ſi ſenſus & intellectus eſſent accidentia animæ ſuperaddita, non poſſent ab iis deſumi differentiæ eſſentiales ut rationale & ſenſibile. Reſp. rationale & ſenſibile tanquam differentias eſſentiales non deſumi à ſenſu & intellectu, ſed eſſe gradus metaphyſicos, qui petuntur à forma & materia ex quibus fit compoſitum.

DICES 5. nullam eſſe neceſſitatē multiplicandi entia, ergo nec diſtinguēdi facultates ab anima. Ant. prob. quia per connotationē ad diverſos actus vegetationis, ſēſationis & intellectionis eadē nō anima nō poteſt dici vegetativa ſenſitiva & rationalis, ergò nulla eſt neceſſitas diſtinguēdi potētias. R. negando nullā eſſe neceſſitatē; ad probationē dico, eandē quidem nō animā dici vegetativā ſenſitivā & rationalē propter diverſos gradus metaphyſicos quos in ſe formaliter & eſſentialiter cōtinet, elicere autem diverſos actus vegetationis, ſenſationis & intellectionis propter diverſa objecta occurrētia & propter diverſas potētias ſuperadditas à quib⁹ ad ejusmodi actus diverſos determinatur. Itaq; colligitur, ab eſſētia animæ profluere potētiā, ab hac operationē & hāc tēdere in objectū: Deinde multa eſſe in exiſtēdo ſeparabilia nō autē in definiendo ut patet in relativis patre & filio, qui naturaliter dantur ſeparari.

DIF-

DIFFICVLTAS X.

An & quomodo facultates differant inter ſe per aliquod intrinſecum.

POſt diſtinctionem potentiarum ab anima ſequitur quæſtio & difficultas an etiam ipſæ potentiæ inter ſe differant, & quomodo; Nam ſi differant, vel deſumetur id ab aliquo intrinſeco, de quo in præſenti controvertitur, vel ab aliquo extrinſeco, quod infrà ſequitur; Certè omnis potentia & facultas diſtinguitur ab alia vel per eſſentialem & ſpecificam differentiam, quaomnes res ſublunares inter ſe differunt, vel per aliquem reſpectum, modum tendendi in objectum, finem, &c. Et hiſpoſitis

DICO, ſecundum priorem modum differunt facultates inter ſe per intrinſecas ſuas & eſſentiales differentias. Prob. facultates ſunt abſolutæ entitates ſub ſummo genere qualitatis & ſub naturali potentia realiter diſtinctæ inter ſe & ab anima; ſed hæc diſtinctio deſumitur ab intrinſeco, ergò ab eſſentiali ratione. Neque dicas, potentias & facultates dicere ordinem tranſcendentalem ad actus & objecta, quæ ſunt merè extrinſeca; quia reſpondetur, hunc ordinem non impedire intrinſecam & eſſentialem differentiam & fundari in natura & ultima differentia.

DICES, videtur rationis eſſe, ut omnes illæ entitates, quæ ab anima prufluunt per emanationem, in reipſa conveniant, licet nominibus & officiis diſcrepent; Nam eſſentia animæ conſiſtit in indiviſibili, quæ proinde tam diverſos & eſſentialiter diſcrepantes inter ſeſe facultates à ſe nullo modo transfundit. Reſp. non tantum à re ſpirituali & immateriali, qualis eſt intellectus, produci actus reales & formaliter diverſos, ſed etiam à compoſito Phyſico materiali, qualia ſunt mixta, à quibus ſimul profluunt variæ potentiæ & virtutes; Imò ab eâdem v.g. facultate calefactiva emanant actus diverſiſſimi, ut calefactionis, rarefactionis, inciſionis, apertionis, &c. Proinde ab eâdem anima non tantum quatenus eſt conjuncta corpori, diverſæ & inter ſe diſcrepantes profluunt facultates, ut viſiva, nutritiva, &c. ſed etiam quatenus eſt à corpore jam ſeparata, ut intellectus & voluntas.

Ab eâdem facultate v.g. calefactiva emanant actus diverſiſſimi.

DIFFICULTAS XI.

Per quodnam extrinſecum diſtinguantur facultates.

DAto intrinſeco & eſſentiali quo potentiæ & facultates intrinſecè differunt, ſequitur difficultas, quodnam ſit extrinſecum per quod diſcrepent.

DICO, potentiæ ſeu facultates deſumunt ſuam ſpeciem immediatè ab actibus, mediatè ab objectis formalibus, à quibus etiam pari modo diſtinguuntur Ante explicationem horum verborum Advertè 1. actus & objecta non eſſe res à quibus potentiæ ſumant ſuam ſpeciem à rationabilitate, ſed extrinſecè, unde etiam quæſtio eſt an actus ipſi quos edunt facultates & objecta in quæ tendunt, tanquam res extrinſecæ faciant totam diſtinctionem. Adverte 2. ſicut actio & actus ita in ſe diſcrepant, quod illa ſit via, tendentia, fluxus, emanatio, efficientia, motus, ipſum denique fieri potentiæ, hic verò propriè non ipſum fieri ſed terminus illius ex natura diſtinctus; Ita etiam objectum ſumitur aliquando materialiter, ut res præciſè eſt aliqua entitas ſine reflexione circumſtantiarum, quod v.g. ſit magna, parva, viſibilis, alba, nigra, &c. 2. Formaliter, prout eſt ratio formalis objecti viſibilis, tangibilis, appetibilis, &c. Jam ut tota concluſio probè intelligatur, Dicitur 1. quod facultates deſumant ſuam ſpeciem extrinſecè, ad differentiā eorum quæ intrinſecè eam conſtituunt. Dicitur 2. quod diſtinguantur, quia ab eo unaquæque res diſtinguitur ab alia, à quo in certa ſpecie conſtituitur. Dicitur 3. quod diſtinguantur ab actibus immediatè, quia quicquid ex natura ſua & eſſentialiter in certum aliquem finem refertur, ab eo deſumit ſpeciem; ſed omnes potentiæ & facultates ex natura ſua referuntur ad ſuas actiones tanquam ad finem, ergò. Major prob. quia quod intrinſecè refertur ad aliquem finem, id ex natura ſua ita deber eſſe comparatum, quatenus exigit talis finis, ut cum aliquis artifex ad aliquod opus inſtrumentum, v.g. malleum ad tundendum ferrum comparat, ita fabricari debet tale Inſtrumentum prout exigit tale opus; Sed hoc eſt extrinſecè ab aliquo deſumere ſuam ſpeciem quod nihil eſt aliud quam talem eſſe cauſam extrinſecam quare talem naturam poſtulet. Dicitur. 4. mediatè ab objectis, quia immediatè ſumunt potentiæ ſuam ſpeciem ab actibus & hi ab objectis, ergò potentiæ mediatè etiā ſuam ſpeciem deſumunt ab objectis. Hic Nota duplices eſſe actus ſive operationes facultatum; Primò activas per quas objectum producitur ut potentia nutritiva quâ nova ſubſtantia viventi accedit; 2. Paſſivas quæ ab objecto per ſpecies intentionales immutantur, atque ita patiuntur, qualis eſt viſiva; Utraque ſumunt ſpeciem ab objecto, quod probatur primò de activis, quia objectum eſt terminus qui comparatur tali actione, ergò & ejus finis, ergò ſicut actio quæ eſt finis potentiæ, tribuit illi ſpeciem, ita etiam objectum tribuit ſpeciem tali actui, quia eſt ejus finis cujus gratia. Prob. 2. de paſſivis, quia actio dicitur per reſpectum ad Agens, ergò talis actio conſtituitur in ſua ſpecie per reſpectum ad tale agens, actiones autem paſſivæ ſunt ab objecto tanquam à principio activo. ergò ab illo deſumunt ſuam ſpeciem. 5. Dicitur formalibus, quia facultates non habent ſpeciem ab objectis materialibus, quia fieri poteſt, ut circà eandem rem materialem duæ diſtinctæ potentiæ verſentur; Formaliter tamen debent eſſe objecta diſtincta ut intellectus & voluntas ver-

Differentia inter actionem & actum.

ſantur materialiter circà idem objectum, ſcil. circà eus; quia autem omne ens verum eſt, intellectus verſatur circà illud quatenus verum eſt, & quia idem Ens bonum quoque eſt, voluntas verſatur circà illud quatenus bonum eſt; Itaque vera eſt ratio illa quam de hac concluſione dant Conn. 2. de anima c. 3. q. 5. a. 2. quia ajunt unaquæque facultas activa refertur ex natura ſua ad actum & objectum, ideoque neceſſum eſt ut in ordine ad illa ſuam habeat rationem & eſſentiam, tum diſtinctionem ab illis, unde etiam facultates non niſi per actus & objecta ritè definiuntur.

Colligitur potentiam viſivam hominis & equi, ſi conſiderentur quatenus potentiæ ſunt, non diſtingui ſpecie, quia idem eſt utrinsque objectum adæquatum; ſi verò conſiderentur, quatenus ſunt formæ inhærentes ſubjecto, omninò diſtingui, quia profluunt à principiis diſtinctis, ſcil: ab anima hominis & equi; ſed hæc diſtinctio multis non placet, quia ajunt diverſitatem principiorum ut ſic non cauſare diverſitatem effectuum, proinde dicunt potētiam viſivam non emanare ab anima hominis & equi quatenus ſunt diverſæ ſpecie, ſed quatenus utraque eſt ſenſitiva; Nam anima hominis quatenus eſt ſenſitiva, non diſtinguitur ab anima equi quæ & ipſa eſt ſenſitiva, ſicut homo non diſtingitur ab equo per hoc quod ſit animal; ſed de hoc infrà.

DIFFICVLTAS XII.

Vnde præterea cognoſcatur diverſitas facultatum.

CONſtat facultates inter ſe diſtingui 1. per differentiam propriam eſſentialem, 2. per actus & objecta. Jam quæritur, unde præterea cognoſci poſſit quod potentiæ ad candem ſpeciem pertineant vel ab ea diſerepent.

Signum primum eſt à conſtitutione organorum. DICO, ſolent varii modi & regulæ à variis ad id cognoſcendum præſcribi, præcipuè autem 3. ſequentes. Prima regula eſt organorum unitas & diverſitas; Illi enim actus qui per determinata & diverſa organa exercentur, indicant diverſitatem formaliū objectorum & facultatum ut patet in ſenſibus externis. Quod ſi dicas, potentiam nutritivam eſſe in diverſiſſimis etiam organis, ergò falſum eſt, ex diverſitate & unitate organum poſſe colligi facultates. Reſp. tametſi quædam potentiæ per totum corpus ſint diffuſæ, arque ita in omnibus organis exiſtent ut nutritio, tactus, &c. Semper tamen hujusmodi organis primariò deberi aliquam facultatem, quæ ſingulariter ad illa & non ad alia ſpectet; ſic ad oculum primariò ſpectat facultas viſiva, ſecundariò nutritiva; ad ſtomachum concoctiva, ad muſculum motiva, tum nutritiva & augmentativa: Deinde regula illa præſcribitur tantum facultatibus quæ ſingulares ſunt & non univerſales. *Secundum eſt, quomodo facultas* Secunda regula eſt, quando aliqua facultas poteſt verſari circà omnia objecta alterius & adhuc circà plura, circà quæ non poteſt verſari altera, ſignum eſt eas habere objecta formalia diverſa & eſſe facultates diverſas, & eam quæ poteſt habere plura, eſſe ſuperiorem. *verſetur circà objecta.* Sic quia ſenſus communis vel imaginatio poreſt percipere, modo tamen elevatiore omnia objecta alicujus ſenſus externi, v.g. auditus, & præterea objecta viſus, ideò dicimus, potentias illas eſſe diſtinctas & ſenſum communem vel imaginatiooem eſſe ſuperiorem auditu. *Tertium eſt à conſtitutione actuum.* Tertia eſt, ſi quis cum privatur uno actu circà objecta ſub tali vel tali ratione formali, privetur etiam omnibus actib⁹ circà alia objecta convenientia in tali ratione formali, & è contrà dum poteſt exercere actū circà unum ex hujusmodi objectis, poteſt etiam circà alia ſimilia, inditium eſt, omnia in objecta pertinere ad eandem potentiam, ut cum quis privatur actu videndi album, privatur etiam actibus videndi alios colores; ex quibus colligitur omnes colores pertinere ad unam facultatem viſivam; ſimiliter colligitur, ſi quis poteſt videre unum colorem, etiam poſſe videre alios. Quod ſi dum privatur uno actu circà aliquod objectum formale, poteſt tamen exercere actus aliorum objectorum formalium, tunc hæc objecta conſtituunt facultates diſtinctas, v. g. privatur quis actu videndi, ſed non audiendi. Et hæc tanquam probabilia ſunt accipienda, quia dare regulas infallibiles facilius eſt optare quam aſſequi.

DIFFICULTAS XIII.

An concoctio ciborum, nutritio, aliiq́; actus vitales fiant ab anima vel à facultate vel ab utroque.

ADverte, quasdam facultates dici excitari ad agendum, idque vel ab objecto in genere cauſæ efficientis, v.g. in potentiis cognoſcentibus, vel in genere finis uti fit in appetitivis, vel per quandam efficientiam tam moralem quem naturalem, id eſt, per ſympathiam quam facultates habent ex eo quod ſint in eadem eſſentia animæ cum quadam ſubordinatione inter ſe, quomodo facultas motiva exiſtens in muſculis excitatur vel applicatur ad agendum per appetitum: Vnde colligitur, non ideò facultatem excitari quod una influat in actum alterius, cujus ratio eſt, quia quis facultas quoad effectivam cauſalitatem continetur iotrà limites ſui objecti; unde licet voluntas poſſit imperare potentiæ viſivæ, & illam quaſi ad actum applicare, nequit tamen effectivè influere in actum videndi. His poſitis

Non tantū facultas ſed etiam anima influit in actiones. DICO, facultas non eſt torum & adæquatum principium actuum, ſed anima etiam per ſuam ſubſtantiam in ipſos actus vitales onà cum potentia influit. Prob. 1. experientia, quia hæ actiones virales ita fiunt, ut præſente imagine & ab ea per oculum recepta ſpecie nihilominus non fiat viſio niſi anima attendat, ergò hæc in actus vitales influit, Quod ſi dicas

cas id contingere ob diſtinctionem ſenſus communis; Tunc eodem modo licet argumentari de ſenſu communi & imaginatione, cur ſcil. non eliciat ſuum actum, & reſpondebitur quia ſcilicet anima non attendit, quæ reſponſio ſi hic valet, valebit & ibi. Nam ſi ſpecies objecti præſentis & immutantis ſenſum externum non pervenit ad ſenſum internum, quando anima non attendit, ideò eſt, quia ſpecies exterioris ſenſus non communicantur interno ſenſui niſi medio actu ſenſus exterioris, unde fit ut exterior ſenſus prius natura ſentiat quam internus cooperetur, ergò ratio in prædicto caſu cur ſenſus externus non ſentiat, non provenit ex interiori ſenſus, ſed potius ideò interior ſenſus non tangitur ſpecie objecti illius, quia ſenſus exterior non percipit illud, quod autem hic non percepiat, cauſa eſt quia non influit. Confirm: ad hos actus requiritur non ſolum potentia proxima, ſed etiam concurſus ſpirituum, qui non caſu confluunt illuc ſed virtute alicujus potentiæ adminiſtrantis illos ſpiritus ad illum actum neceſſarios, ergò opus eſt ut ſit aliquod commune principium actu utens illis facultatibus, & ex naturali inclinatione ordinans actionem unius ad actionem alterius quod ſine dubio eſt anima. Et hinc collige, actus vitales ita dependere à potentia & anima, ut nullo modo poſſint exerceri niſi cum actuali influentia utriusque; Communis enim ſententia eſt, viſum ſeparatum non videre, neque intellectum intelligere, imò per nullam potentiam fieri poſſe ut actus vitales exerceantur niſi actualiter influat anima, ita ut etiam dubium ſit, an ſi à ſolo Deo ſpecies producerentur in intellectu, hic dici poſſet intelligere, quia negant id quamplurimi. Cæterùm qui verè ſint actus vitales, & in quo ratio eorum conſiſtat, vide Philoſophos, quia cum tales dependeant à principio vitæ conjuncto, à Deo ut ſic dici non poſſunt.

[illegible] ſenſus internus ab externo pendeat.

DIFFICULTAS XIV.

An potentiæ vitales v.g nutritiva, viſiva, &c. Poſſint à Deo realiter ſeparari ab anima, & ſeparatim exiſtere.

IN fine prioris Diſputationis determinatum ſuit, animam rationalem cùm omnibus ſuis potentiis poſſe per abſolutam Dei potentiam collocari in lapide, ligno vel alio compoſito phyſico cum diſpoſitionibus peregrinis; Hic quæritur, an potentiæ vitales poſſint per eandem Dei potentiam ab ipſa anima ſeparari & ſeparatim exiſtere. Et concernit hæc quæſtio omnes potentias & paſſiones quæ ab eſſentiis rerum emanant, modo non ſint modi aut formalitates tantum, quia cum non habeant hæc eſſentiam diſtinctam, nemo putabit ſeparari poſſe.

Modi non poſſunt ſeparari à rebus modificatis.

Adverte 1 actus vitales & immanentes eſſe vetas qualitates primæ ſpeciei, quia ſunt formæ ultimò perficientes ſubſtantiam, & quia ab hujusmodi actibus dicimur ſentientes, &c.

Actus vitales ſunt vera qualitates.

2. Vivere nihil aliud eſſe quam eſſe principium operationum in ſeipſo in ſtatu & conſtitutione naturali, ita ut per illas operationes non tendat principium ad obtinendam & conſervandam diſpoſitionem naturalem, ſicut aqua calida quæ ſe per intrinſecum reducit ad frigus nativnm, ſed ſimpliciter actus ſibi connaturales eliciat. Et hoc eſt diſcrimen inter actus vitales & non vitales, &c.

Diſcrimen inter actus vitales & non vitales.

DICO, potentiæ vitales poſſunt à Deo realiter ſeparari ab anima & ſeparatim exiſtere, etiamſi id naturaliter repugnet. Eſt eadem ratio, quæ diſp. priori diffic. ult. quia iſtæ potentiæ non habent eſſentialem vel intrinſecā connexionem cum anima, ergò poſſunt ſeparatim exiſtere per potentiam Dei. Antec: Prob. quia potentiæ non ſunt modi ſed entitates animæ realiter diſtinctæ & ſuperadditæ. Deinde quia ſunt effectus animæ per emanationem producti; Poteſt autem effectus ſeparari à cauſa, illâ manente integrâ. Et confirmatur exemplo quantitatis quæ eſt potentia ſive proprietas materiæ quam tamen videmua ſeparatim exiſtere in SS. Euchariſtia, cur ergò non credamus idem fieri poſſe per potentiam divinam in potentiis vitalibus.

Potentiæ quare à Deo poſſint ab anima ſeparari.

DICES cum Cajetano & aliis, ſi intellectus ſeparari poteſt ab anima, ſequitur 1. animam fore intellectivam & non fore; illud, quia rationalis eſt; Hoc, quia non habet intellectum. 2. Intellectus ſeparatus intelliget & non intelliget; Illud, quia potentia eſt ad intelligendum ordinata; Hoc, quia non eſt amplius conjunctus cum principio vitali quod eſt anima. Reſp. 1. animam fore intellectivam radicaliter non formaliter. Ad ſecundum, intellectus nihil intelliget; etiamſi enim ſit formaliter potentia intelligendi, non poteſt tamen exire in actum ſecundum niſi actu conjunctus cum anima, neq; igitur intelliget anima, quia caret potentia ſuoque inſtrumento, neque intellectus ſeparatus, quia deſtituitur cauſa principali à qua tanquam inſtrumentum debet moveri.

Intellectus ſeparatus ab anima an intelligat.

DIFFICULTAS XV.

An potentiæ in homine diſtinguantur ab iis quæ ſunt brutorum.

NOn eſt hic quæſtio an potentiæ, intellige organicæ, in homine ſint perfectiores quam in belluis, v. g. viſus, auditus, &c. Quia de hoc alibì dicetur. Quæritur itaque tantum, an potentiæ tam vegetativæ quam ſenſitivæ hominis & bruti diſtinguantur.

Opinio 1. eſt, potentias in bruto & homine omninò diſtingui, imò ſenſum non niſi æquivocè utrique convenire eò quod humanus ſenſus in ſeipſum reflectatur, quod de brutali prorſus dici non poteſt.

Opi-

Digitized by Google

Opinio 2. docet, potentias ſenſitivas dupliciter eſſe conſiderandas. 1. In ordine ad ſua principia quorum ſunt proprietates, videlicet ad ſuas animas à quibus oriuntur. 2. In ordine ad actum & objectum.

Suppono autem, duplicem eſſe ſpeciem; unam logicam, alteram Phyſicam, & juxta hanc utramque res inter ſe variè diſcriminari. Jam

DICO 1. potentiæ non tantum hominis ſed etiam brutorum differunt inter ſe per objecta vel per diverſos modos tendendi actibus ſuis in objectum. Hanc Concluſionem vide diffic. 14. hujus Diſputationis.

Potentiæ hominis & bruti quomodo differant.

DICO 2. Etiam quæcunque potentiæ hominis in ordine ad ſua principia diſtinguuntur & realiter & eſſentialiter à potentiis cujuscunque bruti, imò potentiæ unius bruti ſpecie ab altero diſtincti, etiam diſtinguuntur inter ſe ſpecie Phyſica; Sic potentia viſiva vel auditiva urſi differt ſpecie à potentia viſiva & auditiva leonis, potentia nutritiva equi à potētia nutritiva bovis. Eſt hæc concluſio imprimis omnium eorū qui potētias ab anima nō diſtinguunt; Horum n. argumentū firmū eſt, potentiæ ſunt identificatæ animæ, ſed anima leonis diſtinguitur ab anima bovis, urſi, ergò etiam ipſæ potentiæ differunt ſpecie Phyſica. Deinde eſt etiam aliorum, qui licet potentias ab anima realiter diſtinctas ponunt, nihilominus tamen diſtinctarum formarum & animarum potentias diſtinctas faciunt. Ratio eſt manifeſta, quia quorum principia ſunt formaliter ac eſſentialiter diverſa, ipſa etiam ab his principiis emanantia tali modo ſunt diverſa; Sed anima hominis & bruti ſunt ſpecie phyſica, id eſt, formaliter & eſſentialiter diſtinctæ, ergò etiam potentiæ ab his emanantes. Dixi ſpecie phyſica, quia ſpecie logica non differunt potentiæ per principia, ſed per objecta vel per diverſos modos tendendi actibus ſuis in objecta. Et hinc ſi

Anima brutales v. g. equi & bovis differunt ſpecie phyſica non logica.

DICAS, potentiam viſivam non emanare ab anima hominis & equi quatenus ſunt diverſæ, ſed quatenus utraque eſt ſenſitiva, ſeu quatenus anima rationalis ſecundum gradum ſenſitivum convenit cum anima belluina ſenſitiva, quomodo anima hominis non eſt diſtincta ab anima equi, ſicut nec homo diſtinctus ab equo per hoc quod ſit animal. Reſp. potentiam ſenſitivam emanare ab anima hominis, quæ ſub ratione ſenſitivi ejuſdem eſt ſpeciei logicæ cum anima equi, conceditur, ejuſdem ſpeciei phyſicæ, negatur: Nam ſicut anima ſenſitiva leonis differt ſpecie phyſica ab anima ſenſitiva equi, ita etiam differt ab anima hominis ſub gradu & ratione ſenſitivi, eſto conveniant in hac logicè.

DICES 2. potentiæ non ſunt proprietates ſuorum principiorum, ſed ſummum eo modo quo calor dicitur proprietas ignis, cum tamen etiam conveniat aeri, quo modo etiam convenit potentia viſiva homini & equo. Reſp. potentias non ita ſimpliciter & ſolas conſiderari, ſed unà cum cæteris omnibus potentiis & proprietatibus. Nam licet potentia viſiva per ſe ſola ſumpta conveniat pluribus ſpeciebus ut equo, homini, &c. Non tamen item ſi cum aliis omnibus proprietatibus & circumſtantiis conſideretur, ſicut nec calor eſt proprietas ignis ſi per ſe ſolus conſideretur, quia etiam convenit aeri, eſt tamen ſi cum ſiccitate ſpectetur, quia hoc modo facit differre ignem ab aere aliiſque rebus calidis.

DIFFICULTAS XVI.

An hactenus dicta etiam de virtutibus rerum inanimatarum dicenda ſint.

SEnſus difficultatis eſt, an quæ hactenus de potentiis & facultatibus viventium dicta ſunt, etiam ad vires rerum vitâ carentium quales ſunt metalla, lapides, terræ plantæ ſive herbæ areſcentes, extendi poſſint.

DICO 1. non minus repetiuntur virtutes & potentiæ in rebus inanimatis ſive ea mixta ſint ut mineralia, ſive ſimplicia ut Elementa, quam in viventibus. Ratio eſt, quia ſunt accidentia quæ ad eorum complementum perfectionem & munus operandi ſpectant. Sic enim ignis non calefacit niſi per calorem, nec magnes traheret ferrum ſi virtuté tractiva careret.

DICO 2. hæ virtutes ſunt naturales quædam potentiæ & non minus principia quædā innata agendi quam facultates viventium; ratio eſt, quia ſunt accidentia & qualitates innatæ ſuorum ſubjectorum, quæ in eſſendo complent, & in operando perficiunt; Nam accidentia ſunt quorum ſpeciebus ſpectabiles ſunt ſubſtantiæ & quorum beneficio operantur agentia.

DICO 3. ſubjectum harum virtutum non eſt ipſa forma ſpecifica, ſed ipſum compoſitum ſive corpus mixtum ut ſic. Ratio eſt, quia videmus etiam in plantis aridis & emortuis remanere nihilominus virtutes & potentias earum operativas, ergò ſignum eſt, inhærere corpori quà mixtum eſt, quia aliàs abeunte formâ ſpecificâ abiret omnis virtus.

DICO 4. omnes virtutes & potentiæ rerum inanimatarum producuntur à generante per veram actionem phyſicam, emanant autē à forma ſpecifica ad eum modum quo potentiæ & facultates ab anima rei viventis. Ratio hujus eſt, quia omnes proprietates, ſub quibus comprehendo virtutes naturales rerum agentium, emanant à forma, illius verò, quia generans producit formam per veram actionem phyſicam, ergò & omnes ejus virtutes & proprietates juxta illud, qui dat formam, etiam dat conſequentia ad illam.

DICES, ſi idem ſunt virtutes in rebus inanimatis vel etiam plantis & herbis, ſequitur, quod formis ſuis percuntibus ipſæ quoque per-

peritent ſicut potentiæ in animantibus, quæ abeunte formâ ſive animâ omnes quoq; pereunt; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud. Reſp. diſparitatem in hoc conſiſtere, quod virtutes in rebus inanimatis ſive plantis prorſus immerſæ ſint materiæ, perdantque plurimùm tam in fieri quam in conſervari à temperamento, quod in animalibus & homine non accidit, ubi virtutes & potentiæ majorem habent connexionem cum anima quâ cum temperamento: Deinde actus potentiarum in viventibus dicunt ordinem & reſpectum tranſcendentalem ad animam, dicunturque ideò vitales, quia ſunt ab anima tanquam à principio vitali; Deinde quia vivens non poteſt anima abſente operari, quia ejus actus ſunt in ordine ad animam, & ab ea in fieri & conſervari pendent.

DICO 5. virtutes rerum inanimatarum omninò ſunt diſtinctæ à ſuis formis. Ratio eadem eſt quæ cum potentiis animæ, quia videlicet ſunt de prædicamento qualitatis adeoque accidentia ſubſtantiæ tam in ordine ad ejus perfectionem quam ad operationem ſuperadditur, adde quod temperamento ſint magis quam formæ ſubſtantiali affines, ut videre eſt lib. 2. Diſput. 20. de qual. virtual. Diffic. 5.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

De Facultate naturali hominis Orientis.

VIx inſpiravit ſpiraculum vitæ deditque animam Embryoni Deus, & ecce jam actiones vitales incipit elicere & per vaſa umbilicalia ſugere alimentum quod in ventriculum trajicit, vel directè & immediatè per venam umbilicalem ad Epar. Sicut enim turpe eſſet, animam tam nobilem tantarumque actionum effectricem in materia rudi fluida & homogenea exiſtere, in qua nec vitam exercere poſſet nec aliquam actionem vitalem; Ita etiam abſurdum foret, eam ab Authore naturæ induci in corpus in quo tamen nihil operaretur, licet actu illud jam omni organorum apparatu fabricatum informaret. Ne itaque fœtus, dum vitam habet & animam, ab omni vitalium actionum exercitio abſtineat, provida natura à facultate vegetante ſeu potentia naturali vitam incipit, quæ proinde etiam inter virtutes animæ ideò primùm occurrit, quia communis eſt omnibus viventibus & viventium ſpeciebus, & quia non tantum in vegetativis ſed etiam in ſenſitivis & homine primùm inter omnes reliquas exercetur: Sicut enim vita poteſt eſſe ſine ſenſu cæteriſque potentiis ſuperioribus, ita etiam poteſt homo nutriri, accreſcere & vegetari, licet nec ſentiat nec intelligat, quia illud ad vitam ſpectat, hoc ad brutum & hominem. Nutritur immediatè animal poſt animationem corporis organici, ne calor qui vitæ perpetuus eſt comes, ſit otioſus & in ſeipſo marceſcat aut corrumpatur; Nutritionem ſequitur augmentatio, quæ fit per intrinſecam alimenti ſuſceptionem, tum ſucceſſiva in utero materno perfectio; generativa olim locum habebit, ubi calor factus fuerit potentior annique ſuccreverint; Nutritur autem homo quamdiu materno utero concluditur, ſanguine ipſius matris, & cum natus eſt, alimento quovis naturæ competente & appropriato, De hac itaque facultate ſit

DIFFICVLTAS I.

An facultas naturalis ſit eadem cum vegetante, & cur vocetur naturalis.

AD hanc facultatem, per quam animal nutritur & augmentatur, ſpectat vis tota digeſtiva, nutritiva, augmentativa & generativa: an autem propriè & quare vocetur facultas naturalis, rationem dubitandi movet, quod omnes cæteræ facultates ſint quoque naturales, ex quo manifeſte liquet, hoc nomen naturale aliquid plus hic ſignificare, per quod ab aliis diſcrepet.

DICO 1. una eademque eſt facultas naturalis & vegetans. Ita communiter omnes Philoſophi & Medici cum Ariſt. 1. de gen. c. 5. ubi de hac facultate copiosè diſſerit, & inter ejus ſpecies nutritionem, decretionem & accretionem enumerat. Et hinc Prob. concluſio, vegetari nihil aliud eſt quam nutriri & argumentari; Sed hæc ſunt facultates naturales, ergò eadem & facultas naturalis & vegetans; *Vegetari quid.* Major eſt Ariſtotelis, & patet ex genere plantarum, quibus ineſt ſola anima vegetans ejusque operationes nutritio, acretio, &c. Minor conſtabit ex ſequentibus, & hinc

DICO 2. facultas naturalis non ideò dicitur talis, quod opponatur violento, nec etiam quod ſit juxtà exigentiam naturæ, adeoq; contrarietur ei quod eſt contrà vel præter naturam. Prob. primum, quia omnes facultates, quæ ſunt in homine ſeu vivente, dicuntur naturales, quia non ſunt in eo violenter, ergò ob hanc cauſam non dicitur naturalis: Et ſimiliter Prob. ſecundum, qua ſi facultas naturalis ea eſt, quæ procedit juxtà debitũ & exigentiã naturæ & contrariatur ei quod eſt contra vel præter naturam, ſequitur omnes facultates eſ-

ſe di-

Digitized by Google

ſe dicendas naturales, quia omnes ſunt ſubjecto connaturales, cum debeantur viventi & emanent naturaliter ab anima tanquam ſuperaddita quædam accidentia ad operandum; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud.

DICO 3. nec facultas naturalis eſt illa quæ organis & membris inſita eſt ſive innata & nō influxa. Eſt contra Turiſ. Comment. 12. in ſecundum l. artis 1. Gal. Et ratio eſt, quia omnes facultates ſunt innatæ, & in puncto animationis imprimuntur ipſis membris & viſceribus, ergò omnes juxtà Turiſ. ſunt naturales quod tamen falſum eſt. Antec patet inductione, quia potentia vitalis inſita eſt cordi, animalis cerebro & ſic de reliquis, & tamen nemo facultatem animalem auſit dicere naturalem ſub præfato ſenſu.

Facultas naturalis unde ſic dicatur.

DICO 4. facultas naturalis ideò ſic dicitur 1. quod per eam vivens more entium purè naturalium operetur; Nam & hæc quoque nutriuntur, augentur, procreantur & ex naturali propenſione moventur. 2. quia in viventibus actus hujus facultatis per calorem qui purè inſtrumentum eſt naturale, perficitur. 3. quia per hanc facultatem anima neceſſariò & non liberè operatur, imò etiam ipſa anima vegetans ſolet forma naturalis appellari. 4. quia hæc facultas nunquam operatur cum cognitione & ſenſu, ſed tantum ex motu naturæ ſeu naturali propenſione & inclinatione ad eum ferè modum quo ignis materiæ combuſtibili admotus eam comburit & quo lapis fertur deorſum. Vide de his Dand. l. 2. de anima Comm. 50. in t. 42. Ariſtotelis.

DIFFICVLTAS II.

Quot ſint facultates naturales ſeu vegetantes.

SUppono, duplices eſſe facultates animæ vegetantis, primarias ſcil & ſecundarias de quibus in ſequentibus.

DICO 1. 3. ſunt facultates principales naturales ſeu vegetantes, videl. nutritiva, augmentativa & generativa. Ita Ariſt. 2. de anima c. 4. & cum eo communiter omnes philoſophi & medici. Per primam corpus animatum ſe in individuo conſervat; Nam cum continua caloris actione conſumatur humidum quo vita ſuſtentetur, neceſſaria eſt facultas, qua illud reſtauretur. Per ſecundam acquirit perfectionem ſecundū molē corporis; nā quia nihil ſtatim & ſubitò ſed paulatim ad perfectum ſtatum & conditionem progreditur (viventia enim primo ſuæ generationis tempore debilia ſunt & quaſi imperfecta quoad debitam ſuam magnitudinem ad actiones ſibi proprias obeundas) opus habuerunt alia virtute, quæ ad juſtam debitamque magnitudinem traduceret & perfectionem, membriſq; jam grandioribus factis ad operandum benè diſponeret. Per tertiam producit ſibi ſimile; Nam quia in individuo non poteſt diu durare, ſaltem in ſpecie cupit vivere & æternitatem æmulari; Hinc quia univerſum genus viventium eſt corruptibile, & in ſingulis individuis conſervari non poteſt, addi debet tertia virtus, quæ per propagationem compenſat hanc mortalitatem & reſarciat tam in individuo quam in ſpecie, ut proinde omne genus viventium perficiatur virtute auctrice, conſervetur in individuo factâ altrice, ac demum in ſpecie à facultate generatrice. Decretio potius ad interitum tendit nihilque eſt aliud quam privatio comparatione accretionis, vel fracta & debilitata virtus nutriens & augens. Habent autem 3. hæ facultates talem ordinem ut non una ab alia pendeat ſed omnes ab anima oriantur prout ipſa habet gradum vegetantem; ſi enim v. g. corpus nutriendum eſt, tunc anima utitur facultate nutritiva independenter ab alia & ſic de reliquis; Denique talis ordo eſt ut una non ſit altera principalior, quia poteſt unaquæque etiam ſeorſim ſumpta præcipua eſſe & ſine aliis operari ut manifeſtum eſt.

Decretio quid.

DICO 2. tametſi ſecundarias recenſere neglexerit Ariſt. ab aliis tamen diligenter tractantur & notantur, quia ſine earum miniſterio nec anima vegetans nutrit nec auget nec generat, iiſque ſublatis etiam cæteræ corruunt, quia viventi non proſunt. Has autem miniſtrantes alii plures alii pauciores ſtatuunt, potiſſimi docent attractricem, retentricem expultricem & concoctricem, ut Gal. l. 5. de loc. affect. c. 7. & communis ferè ſchola medicorum, quamvis ipſe Gal. alibi 3. alias addat ut appetentem 1. de cauſ. ſympt. diſtribuentem. 2. aphor. Comm. 13. Alii redigunt omnes ad attrahentem & concoquentem tanquam ad duas reipſa diſtinctas. Alii denique facultati generativæ addunt 1. vim formantē ex ſanguine ſemen. 2. organiſantem. 3. producentem formas. Nutritivæ attractricem, expultricem, retentricem, concoctricem, alteratricem, digeſtivam & diſcretivam alimenti. Augmentativæ demum vim continuativā alimenti cum alito ſeu vivente & rarefactivam quantitatis appoſitæ: Sed de his omnibus vide Valer. l. 1. ſuorum communium c. 13. Fernel. l. 5. phyſ. c. 4. Valeſ. 2. controverſ. &c.

Adverte autem hic, cum alimentū omnes partes corporis pervagari debeat, ſua tamen vi movere ſe non poſſit, dandam eſſe virtutem aliquam membris inſitam quæ alimentum illud ad ſe pertrahat. Deinde cum alimentum planè à natura viventis diverſum ſit, nec poſſit in ſubſtantiam illius niſi præcedente multiplici alteratione converti, ut tandem aliquam cū alendo cognationem adipiſcatur, opus etiam aliqua vi concoquente & alterante fuit. Adhæc cum hujuſmodi concoctio ſive alteratio quovis etiam tempore fieri non poſſit, neceſſaria eſt virtus retentiva. quæ alimentum tamdiu retineat, quouſque ſufficienter concoctum ſit. Poſtremò cum utilia ab inutilibus ſeparari & alimentum à ſordibus repurgari debeat, requiritur aliqua vis purgans per quam id fiat. Et ex his colligitur, ſufficere has 4. fa-

Vis attractrix.

Concoctrix.

Retentrix.

Separatrix.

facultates miniſtrantes ad animam vegetantem, quibus Authores communiter pro organo tribuunt villos ſeu fibras, longitudinales quidem attractivæ & obliqua retentivæ, transverſales autem expulſivæ & digeſtivæ ſeu concoquenti vaſa in quibus fiat concuctio. Cæterùm ſi de priotitate, dignitate & perfectione quæras, Reſpondeo &

DICO 3. ordine naturæ & originis 1. facultas eſt nutritiva, quia vivens 1. nutritur. 2. Augmentativa, quia vivens ex aſſumpto alimento augetur. 3. Generativa quæ adultis jam accedit. Ordine autem perfectionis prima eſt generativa, qnia habet objectum præſtantiſſimum, bonum ſcil. totius ſpeciei. Secunda nutritiva, quia habet bunum individuale tantum. 3. Augmentativa, quia ordinatur taurum ad quantitatē, priores autem ad ſubſtantiam.

DIFFICVLTAS III.

Quomodo differant inter ſe omnes iſtæ facultates.

ANima vegetativa communiter explicari ſolet quod ſit actus primus ſeu principium quo vivens creſcit & ſibi ſimile gignit. An autem ipſius facultates tam principales quam miniſtrantes inter ſe differant, Authores litigant. Nam

Opinio 1. eſt multorum apud Rub. 1. de anima q. 2. & aliorum modernorum, has facultates ſi non omnes ſaltem præcipuas diſtingui realiter; fundamentum eorum eſt, quod habeant diverſos actus, terminos & objecta; quod in viventibus poſſint invicem ſeparari ut pater de nutritiva & generativa; qund habeant diverſa organa ut pater de concoctione quæ fit in ſolo ventriculo, &c. Et hujus opinionis eſt etiam Fern. 5. Phyſiol. cap. 3.

Opinio 2. eſt, has omnes facultates eſſe unam omninò quoad rem, & habere ſolum diverſa nomina & officia ob diverſos effectus & operationes: Ita præter antiquiores Valeſ. 2. controv. Medic. c. 20. Conn. 2. de anima c. 4. quæſt. unica c. 2. & plerique alii ex recentioribus: Et cum his

DICO, probabilius eſt has 3. facultates principales non differre inter ſe, & conſequenter nec miniſtrantes. Prob. 1. nulla eſt neceſſitas faciendi ullam diſtinctionem, ergò antec. Prob. quia ſunt actus inter ſe neceſſariò conjuncti & ſubordinati, qui poſſunt optimè fieri ab eâdem facultate, ſicut videmus fieri ab una virtute mixti quod calefacit, rarefacit, exiccat, &c. Et eſt impoſſibile fieri nutritionem abſque accretione, non in quantum eſt actus quantitatis majoris, ſed in quantum per eam aliquid corpori accedit. Prob. 2. ex Ariſt. 2. de anima c. 4. ubi ait eandem eſſe vim animæ & nutriendi & generandi. 3. Ab eadem facultate oriri poteſt generatio partialis & totalis; Sed nutritio eſt generatio quædam partialis, ergò etiam ab eadem anima poteſt illa oriri à qua hæc oritur, maximè cum utraque, ut habent Conn. materiam ſimilibus accidentibus diſponat, formam uniat & introducat, una in totum, altera in partem; Et omninò ſimiliter producitur ignis à calore & adgeneratur poſtea per converſionem materia combuſtibilis in ipſius ſubſtantiam, ergò & vivens per eandem facultatem poterit ex integro produci & nutriri poſt productionem, quia eadem eſt facultas nutriens in vivente, quæ eſt vis caloris in igne.

DICES 1. 3. illæ facultates habent formalem diſtinctionem ut pater ex earum definitionibus; Nam nutritiva dicitur vis animæ ad conſervandam ipſius viventis ſubſtantiam; augmentativa vis animæ ad acquirendam debitam viventi quantitatem; generativa vis animæ productiva ſeminis ad conſervationem viventis in eâdem ſpecie, ergò non ſunt realiter idem. Reſp. non ſufficere hujuſmodi ad formalem diſtinctionem, quia tantum ad diſtinctionem termini vna tendit ad ſubſtantiam, altera ad qualitatem & quantitatem, quæ extrinſeca ſunt & accidentalia; Conveniunt in hoc eſſentiali, quod vitam homini conſervent. Res manifeſta eſt in intellectu, qui unus & idem intelligit univerſale & ſingulare, accidens & ſubſtantiam, adeoque exercet actus inter ſe diſtinctos.

Quid ſit vis nutritiva, augmentativa & generativa.

Intellectus elicit diverſos actus.

DICES 2. facultas nutritiva poteſt ſeparari ab augmentativa, ergò. Prob. antec: quia vivens ſemper nutritur, non autem ſemper augetur. Reſp. neg. antec. & ejus probationem, quia vivens ſemper acquirit novam quantitatem ſive majorem ſive minorem ſive æqualem cum deperdita.

DICES 3. facultas nutritiva habet pro objecto alimentum ut eſt ſubſtantia, augmentativa ut eſt quantum; Sed ſubſtantia & quantitas differunt realiter, ergò. Reſp. hos actus licet ferantũr in objecta toto genere diverſa, non inferre tamen realem diſtinctionem inter ipſas facultates, ideò quod inter ſe conjuncti ſint & ſubordinati.

DICES 4. facultas generativa & nutriens ſunt invicem ſeparabiles, v. g. in ſenibus in quibus perſeverat nutriens alterâ deficiente. Reſp. neg. antec. quia etiam in ſenibus eſt vis generativa, licet non exerceat ejuſmodi actum ob varia impedimenta; Ita etiam in cæco & in dormiente eſt vis videndi, etiamſi uterque non videat.

Etiam ſenes habent vim generativam.

DICES 5. facultati generanti convenit forma membrorum quæ non competit nutrienti, ut patet cum alicui abſcinditur digitus vel manus, quam nutriens non poteſt reſtituere, ergò. Reſp. facultatem partis reſtitutivam etiam competere nutritivæ ut pater in arborũ ramis abſciſſis qui per nutrientem reſtituuntur. Quòd autem in homine manus aut digitus reſtitui non poſſit, non fit præciſe propter diſtinctionem harum facultatum, ſed quia, ut notat etiam Gal. l. de ſemine c. 17. virtus membra efformans non eſt amplius adeò efficax in prole genita ad reficienda membra ſolida præ-

Quare manus abſciſſa non poſſit amplius reſtitui vel regenerari.

ſertim ad ea quæ plus operæ requirunt, ut eſt manus, brachium, quam dum extitit in ſeminead illa de integro coagmentanda. Et hinc colligitur, duplicem eſſe vim generativam, unam vitalem, quæ eſt diffuſa per totum corpus, quæque realiter non differt à nutriente, alteram non vitalem, quæ eſt in ſemine inanimato, quæq; realiter differt à nutritiva; hic autem eſt diſputatio de vitali. Colligitur deinde, attractionem fieri à calore quem adjuvat ſimilitudo ſubſtantiæ, vacuum & continuitas; Et ab hoc eodem calore eſt retentio; nec eſt alia vis quæ ferrum ad magnatem attrahat, eidem affigat & afflixum retineat; Expulſio etiam fit tandem à calore concoquente, quia dum coquit, ſejungit & expurgat partes utiles ab inutilibus. Vide Conn. Valeſ. & Fernelium citatos.

Duplex vis generativa.

DIFFICVLTAS IV.

Quodnam ſit ſubjectum facultatum vegetabilium.

ADverte, potentiam attractivam non dici tantum eam, quæ ab ore trahit alimentum ad ſtomachum, ſed quæ etiam à ſtomacho ad omnes quaquaverſum partes illud diſtribuendum allicit; & hæc eſt tam communis toti quam ſingulis membris partialis. Expultrix ſic appellatur quod excrementa & inutiles partes alimenti jam prius attractas rejiciat. Retentrix eſt, quæ attractum alimentum retinet ne diffluat, antequam illud quod ad nutritionem aptum eſt, concoquatur. Concoctrix denique illa dicitur, quę alimentum attractum & retentum concoquit ut convertatur in ſubſtantiam viventis.

Opinio Ariſtotelis eſt, facultates vegetantes reſidere in corde, vel ab eo oriri, & in reliqua membra corporis influere, quia videl. docet omnia vaſa derivari à corde.

Opinio Galeni eſt, vim ſanguinis confectricem exiſtere in epate à quo venæ omnes deſcendant, ideoque ab hoc ceu principali membro facultates naturales in totum corpus dimanare.

DICO 1. potentia generativa ſanguinis eſt in variis partibus diſperſa, ſeminis verò in una parte determinata. Prob. primum, quia conſtat ſanguinem ubiq; in venis coqui & perfici, & non ſolum in epate vel corde; De ſpiritibus vitalibus certum eſt quod generentur in corde, de animalibus autem quod in anterioribus cerebri ventriculis. Prob. ſecundum, quia ibi tantum eſt vis generativa ſeminis ubi ſemen conficitur; Sed hoc fit in aliqua parte determinata, ergò. Minor Prob. 1. ex arborum plantis & fructibus, in quibus certa ſunt loculamenta pro ſeminibus deſtinata. 2. Ex certis vaſis quæ in hunc uſum à natura data ſunt. 3. Videtur incredibile ſemen in digito v.g. manus vel in auricula vel inter dentes confici, eſto ſanguis hinc & inde affluat. Qui tamen hanc vim cum Ariſt. in corde collocant, de influxu ſolū intelligendi ſunt, quia videl. à corde influit calor & ſpiritus vitalis, qui mirificè juvat concoctionem ſanguinis, ſeminis, &c.

DICO 2. potentia nutritiva, idem intellige de augmentativa, eſt in toto corpore, & quidem ejuſdem rationis. Prob. 1. quia in ſingulis partibus fit nutritio & accretio, ergò in iis eſt potentia nutritiva & augmentativa. Prob. 2. quia actus uterque eſt in toto corpore ejuſdem rationis. Ergò & utraque potentia. Prob. antec. quia uterq; tam nutritionis quam augmentationis actus eſt converſio alimenti in ſubſtantiam viventis; ſed hæc converſio eſt ubiq; ejuſdem rationis, ergò & nutritio; quod autem in una parte producatur caro, in alia os, &c. Non facit diſtinctam potentiam nutritivam, quia terminus principalis à quo nutritio ſuam deſumit ſpeciem, non eſt caro, aut os, ſed caro & os viventis. Prob. 2. potentia immediatè ſecundum quoſdam inhæret animæ; ſed hæc in toto corpore eſt ejuſdem rationis, ergò & potentia, quod argumentum præcipuam vim habet in anima rationali quæ omnium judicio eſt indiviſibilis.

DICES, potentiæ diſtinguuntur per actus; ſed actus potentiæ nutritivæ v.g. in oſſe eſt diſtinctus ab eo qui eſt in carne, quia os & caro differunt ſpecie per ſuas formas ſubſtantiales partiales, ergò. *Reſp.* neg. majorem; ſicut enim eſt eadem potentia viſiva quæ elicit viſionem albi & nigri tanquam actus diſtinctos; Ita etiam eadem eſt facultas nutritiva, quæ convertit alimentum in os & carnem: ſimiliter diſtinguenda eſt minor; Nam ſi intelligatur productio carnis quà caro eſt, diſtinguitur ejus productio à productione oſſis; ſi autem intelligatur quà eſt animata, non diſtinguitur, quia hujus terminus eſt anima per quam producitur caro animata; Et hic eſt propriè actus facultatis nutritivæ.

DIFFICULTAS V.

An facultas vitalis & naturalis ſit una & eadem quæ ad animam vegetantem ſpectet.

TRes in animali conſtituunt Medici facultates ex Gal. 1. natural. Facult. c. 5. & 6. & 8. Meth. c. 10. aliisq; in locis, ut naturalem, vitalem & animalem. Primam collocant in Epate, ſecundam in corde, tertiam in cerebro. Animalem non diſtinguunt à ſenſu, naturalem faciunt principium operationum animæ vegetativæ, vitalem autem volunt eſſe inter has mediam: Ajunt enim hanc neque eſſe principium ſenſus eò quod etiam reperiatur in plantis, neq; etiam eſſe tantum animæ vegetativæ, ſed conſiſtere vim ipſius in eo quod ſit 1. principium pulſus in arteriis. 2. Audaciæ & excandeſcentiæ quæ fiant in corde. 3. Spirituum vitalium qui ſint in corde & arteriis. 4. Motus cordis, quem ſyſtolen & diaſtolon vocant. De his itaque omnibus hic difficultas eſt, an facul-

facultas vitalis admittenda ſit tanquam diſtincta à naturali prout hæc nutritivam, augmentativam & generativam comprehendit; Nam quod facultas vitalis in corde ſedem habeat, id manifeſtum eſt; Quod etiam ſit quædam facultas vitalis, cujus officium ſit gignere calorem & ſpiritum vitalem in corde, eoque in totum corpus ad ſuſtentandam vitam influere, nemo negat.

Suppono, hanc facult. ad quam ſpectat cõfectio ſpirituum vitalium, motus cordis & arteriarum, diffuſio caloris vitalis in univerſum corpus, conſervatio humidi & calidi nativi vitæque & virium quibus eliciuntur omnes actiones vitales, & proinde deſcribi ſolet quod ſit principium proximum ſeu cauſa pulſus & vivificationis, vel melius, quod ſit princ. per quod anima accedente ſanguinis ebullitione & calore perennique cum cordis tum arteriarum agitatione ſpiritum vitalem conficit eumque in totum corpus ad conſervandum ſanitatem vitamque diffundit, principaliter reſidere in corde juxta medicos, philoſophos & Ariſt. 3. de part. c. 4. tum Gal. 7. de plac. c. 9. l. 1. de loc. affect. c. 7. & alibi: 1. quia eſt fons & princ. vitæ. 2. quia læſo corde ſubitò perit animal, non autem læſis aliis partibus. 3. quia in corde gignuntur ſpiritus vitales &c. Et huc ſpectant omnia argumenta, quæ pro dominatu cordis alibi dimicabunt. Vide Ariſt. l. 3. de part. an. c. 4. l. de ſpiritu aliisq; in locis. Alb. M. l. 13. de animal. c. 1. & tr. 1. de ſede cordis. Gal. l. 5. de loc. affect. c. 1. l. 3. de uſu part. c. 3. Conn. 7. phyſ. c. 1. q. 1. a. 4. & in parvis moralibus, ubi fusè de virtute caloris in operibus naturæ & de vi pulſifica diſputant. His poſitis

DICO breviter, facultas quam Galenus vitalem vocat, non eſt diſtincta à vegetante ſive naturali, prout hoc nomine facultas nutriens, augens & generans comprehenditur. Eſt Plembii, Fernelii & omnium Philoſophorum contra Galenum & quoſdam medicos, & prob. quia nulla eſt operatio vitalis ſeu vegetans quæ ſuperet activitatem facultatis nutrientis, ergò poteſt omnis ab illa fieri fruſtràque fingitur alia; Antec. prob. ſi quæ eſſet, maximè eſſet motus cordis & confectio ſpirituum, quia has ponit Galenus; ſed propter has nulla eſt neceſſitas ponere aliam facultatem: Nam quod imprimis ad ſpiritus, cum non differant ſpecie à ſanguine, ſicut hunc facere poteſt facultas nutritiva, ita & illos. Neque dicas, nutritivam conſiſtere tantum in hoc, quod convertat alimentum in ſubſtantiam viventis; quia reſpondetur, adhuc latius ſe diffundere, niſi tamen generativæ, cujus propriũ eſt cõficere ſemen, hoc idem officium aſſcribere velis quod parum refert, cũ in re una & eadẽ ſit facultas. Quod ad motum cordis, fateor apud philoſophos diverſas eſſe opiniones, & pleriq; æſtimant eum fieri ab anima per facultatem motricem quæ ſedem habet in corde: Huic autem potentiæ ſubſervit calor qui maximus eſt in corde propter ſanguinem & ſpiritus ebullientes quorum ſubſtantia calidiſſima eſt,

Fac. naturalis non eſt alia à vitali.

unde fit ut cor exemptum aliquamdiu adhuc palpitet, propter calorem ſcil. & vim à facultate motiva ſpiritibus impreſſam, de quo vide Dand. l. 2. de anima com. 61. Conn. l. de reſpir. c. 6. & alios. Quod deniq; ad audaciam & excandeſcentiam, earum principium non eſt facultas vitalis, quia hujuſmodi motuum principium eſt appetitus, qui tamen etiam utitur ſpiritibus. Quod autem altera vocetur naturalis & altera vitalis, ideò eſt, quia dum occupatur anima circà nutritionem & accretionẽ viventis, quæ ſimpliciter dici ſolent actiones naturales, conſtituit facultatem naturalem, & vitalem dum circà conſervationem vitæ per calorem, quem undiq; ſubminiſtrat, & quo tanquam legitimo vitæ theſauro anima fovet, licet utraque operetur abſque ulla cognitione & recipiatur in vegetabilibus, in quibus una tantum eſt facultas vegetativa, ut habet Ariſt. 2. de anima c. 3.

DICES 1. officium facultatis nutritivæ eſt convertere alimentum in ſubſtantiam viventis; ſed hoc non facit potentia vitalis, quæ tantum convertit illud in ſpiritus ut inſtrumenta viventis, ergò R. neg. minorem abſolutè, quia utrumq; præſtat, ſed ſub diverſis officiis & diverſis actibus, ne opus ſit multiplicare Entia ſine neceſſitate.

DICES 2. ſpiritus etiam generantur in cerebro, ergò non ſolùm in corde. R. ſpiritus nõ generari in cerebro, ſed qui ſunt vitales & vehementer calidi, ideoq; minus idonei ad functiones ſenſuum, temperari & ita modificari in anterioribus cerebri ventriculis, ut ſenſibus uſui eſſe poſſint: De utriſq; autem ſpiritibus vide infra diſp. 19. diffic. ult.

DIFFICVLTAS VI.

An facultas nutritiva ſit diſtinctum quid à calore naturali ſive temperamento.

NOn pauci ſunt qui putant, nõ opus eſſe alia qualitate diſtincta ad nutritionẽ perficiendã, ſed animã ſolo calore & temperamẽto inſtrumentaliter elevato ſufficere, quicquid facultas diſtincta præſtare poteſt. Verum ſicut non negatur calorem eſſe inſtrumentum neceſſarium tam in præparando & conficiendo alimento quam etiam in reliquis vitæ actionibus eliciendis; Ita etiam

DICO, facultas nutritiva, idem intellige de aliis vegetativis, eſt qualitas diſtincta à calore ſive temperamento & utroq; nobilior. Ita communis eſt doctrina, & prob. 1. anima eſt altioris ordinis quam cæteræ formæ naturales ergò etiam facultates & potentias requirit quæ ſint majoris dignitatis, ergò calor & temperamentum non ſufficit; Nam calor emanat & conſequitur naturaliter rerum elementarium & non viventium formas, adeoq; poteſt eſſe facultas ſive potentia animæ. 2. Certum eſt apud plurimos, facultatem nutritivam hominis ſpecie diſtingui ab ea quæ eſt bruti, idẽ intellige de utriuſque generativa; ſed calor in

iſtis non eſt diverſus natura & ſpecie, ergò nec eſt facultas nutritiva. Confirmatur à ſimili, ars quò nobilior eſt, eo etiam nobilioribus utitur Inſtrumentis ut patet inductione, ergò anima cum ſit nobilior formis elementorum rerumque non viventium, habebit etiam facultates & inſtrumenta nobiliora quam ſit calor. Quod autem de facultatibus hominis & brutorum, idem etiam de virtutibus mixtorum ſive animatorum ſive inanimatorum eorumque calore & temperamento intellige.

DICES, inter qualitates non eſt ulla nobilior quá calor, 1. quia eſt maximè activus teſte experientia. 2. Quia eſt omnium actionum vitalium Inſtrumentum ut patet in viventib⁹. 3. Quia fæcunda facit ſemina ideoque divinus appellatur. 4. Quia præcipuum eſt Inſtrumentum in generationibus & corruptionibus rerum ſublunarium. 5. Quia res penè emortuæ revocantur ad vitam per calorem ut patet in plantis omnibusque vegetabilibus, quæ redeunte calore ſolis ferunt flores folia, ſemina, fructus, &c. Ergò falſum eſt quod facultates præſtent nobilitate & dignitate. Reſp. neg. antec. ſimpliciter, quia nobilior qualitas eſt lumen, habitus infuſus, virtus ſupernaturalis, omniaque virtus rerum ſive viventium ſive vita carentium. Ad probationem Reſp. ex his effectib⁹ caloris nihil aliud concludi aut convinci, quam ipſum eſſe Inſtrumentum, quo facultates in eliciendis ſuis actionibus utuntur, quo ſolo jam conſtat, præſtantiâ & dignitate cedere.

DIFFICVLTAS VII.

Quid ſit nutritio.

Facultas nutritiva quid.

NUtritiva facultas definitur ab Ariſt. 2. de anima c.4. quod ipſa transmutet ſubſtantiam alimenti in corpus rei viventis ad individui conſervationem; Cum verò alimentum antequam in ſubſtantiam corporis convertatur, multis opus habeat immutationibus, ad quas non ſufficiat vis ſola nutriens; idcircò natura ancillantis ſubminiſtravit, quæ ad conficiendum alimentum conferant: Ita enim attractrix facultas ab ore alimentum trahit ad ſtomachũ & ab hoc ad Epar, &c. Et attrahitur non tantum alimentum, ſed etiam excrementum, ut experientia in diverſis corporis partibus convincit, ad quas frequenter inutiles & excrementoſæ ſubſtantiæ deturbantur; Non enim tam provida ſemper natura eſt, quin cum partibus nutritiis aliæ quoq; recrementitiæ colligantur, & ad interiora viſcera cum diſpendio ſanitatis & vitæ non rarò defluant. Expultrix rejicit excrementa & corruptas alimẽti ſubſtantias per fibras transverſales. Retentrix alimentum attractum membris affigit & tamdiu retinet donec in ſubſtantiam deperditam immutetur. Concoctrix demum attractum & detentum alimentum coquit & ita perficit, ut à nutritiva intrà poros partium viventium adgeneretur. Et de hac

DICO, nutritio eſt actus ſubſtantialis, quo adgeneratur in materia alimenti intrà poros ſuſcepti viventis forma vel unio vel utrumque. Nam in hominis nutritione non producitur forma quæ creatur, ſed unio; In aliis autem viventibus purè materialibus producitur forma & unio. Ita cum plurimis docet Hurt: Soarius, Conn. 1. gen. c.4 q.13. a. 2. & alii: Ex quo patet nutritionem formaliter conſiſtere in productione unionis partialis, quâ unitur vel anima rationalis parti novæ, vel nova pars alimenti animæ materiali alicujus bruti, quia dicitur nutriri planta, homo vel brutum niſi quando convertitur alimentum in ſubſtantiam viventis; Quamdiu enim eſt alimentum in venis aut ventriculo, non fit nutritio, & arbores, quæ verè & propriè nutriuntur, non habent aliam nutritionem niſi converſionem alimenti in ſuam ſubſtantiam, cum careant chylo & ſanguine: Diſtinguitur autem ſecundum nonnullos nutritio à generatione non eſſentialiter ſed tantum ſecundum connotatum, quia nutritio ſupponit id exiſtere quod nutritur; Generatio verò non ſupponit nec connotat id quod generatur; Alii diſtinguunt nutritionem ab ipſa generatione tam animatorum quam inanimatorum, & quidem eſſentialiter 1. quia generatio eſt productio totius, nutritio verò ſolius partis, ergò nutritio ſupponit generationem. Ut enim quippiam nutriatur, neceſſe eſt ſit antegenitum, ergò diſtinguitur ab utrâque generatione nutritio tam animatorum quam inanimatorum. Terminus generationis inanimatorum eſt ſubſtãtia inanimata, nutritionis verò animata. 3. Nutritio fit quamdiu ſubſtantia conſervatur, quia neceſſaria eſt ut conſervetur vivens quod perpetuo eget alimento; Ut verò conſervetur ſubſtantia inanimata, non eſt neceſſum ut alia atq; alia ſemper generetur, quod de igne manifeſtè liquet, qui ut conſervatur, non eſt neceſſum, ut maneat ſemper idem ignis cui aliæ atque aliæ partes adjungantur. 4. Nutritio propriè dicta acquirit certum modum ſubſtantiæ; Generatio verò animatorum procedit in infinitum, ſi addatur illi materia. Sed quia hujusmodi differentiæ ſunt accidentales, neceſſum non eſt affingere iis diſtinctionem eſſentialem.

Nutritio quid.

Nutritio conſiſtit formaliter in unione.

Nutritio an differat à generatione.

Colligitur autem, in hac nutritionis definitione vel deſcriptione 4. cauſarum genera concurrere. Materialem imprimis quæ eſt ipſum vivens in quo recipitur nutritio: formalem deinde, quæ eſt ejus ipſa eſſentia in definitione expreſſa. Tum efficientem quæ eſt anima vegetans cum facultate nutritiva & altrice caloreque naturali. Denique finalem quæ eſt ipſa individui conſervatio.

DIFFICVLTAS VIII.

Quæ diſpoſitiones fiant ante nutritionem, & imprimis quomodo fiat prima concoctio in ventriculo.

COnſtat nutritionem formaliter conſiſtere in ultima converſione alimenti in ſubſtan-

Nutritio in quo formaliter conſiſtat.

Digitized by Google

ſtantiam viventis, vel ſi mavis dicere, in ea actione qua producitur unio ſola vel unio cum forma in compoſitis materialibus. Cum verò alimentum non tam citò neque tam facilè convertetur in ſubſtantiam viventis, niſi variæ ejusdem præcedant mutationes & alterationes; Itaq; hac difficultate quæritur, quot & quænam mutationes præcedant ultimam nutritionem quæ eſt actus ſubſtantialis, & imprimis quomodo fiat prima concoctio quæ eſt opus ventriculi.

Adverte 1. in fætu matris non fieri primam concoctionem, quia dum hic utero adhuc clauditur, nullum ore capit cibum, ſed ſugit ſanguinem maternum per vaſa umbilicalia, eumque immediatè ad Epar attrahit, ut cum ibi tam in venis magis ad nutritionem futuram decoquatur. De fætu itaque matris non eſt hic ſermo, ſed tantum de homine extrà uterum conſtituto, apud quem quomodo fiat concoctio prima in ventriculo vel ſtomacho, quæritur. 2. Cibum antiquam in viventis ſubſtantiam convertatur, eſſe alterandum ut fiat ſimilis viventi; Alteratio autem debet eſſe perfectiſſima cum ſit ad perfectiſſimam formam; Et nunciantur apud Ariſtot 4. meteor. c.3. & 4 3. ſpecies coctionum, videl. maturatio, elixatio & aſſatio, quibus opponitur cruditas, inquinatio & aduſtio ſive toſtio ut patet ex antecedentibus Diſp. 6. de miſtione, hujus autem loci eſt coctio quæ fit in ventriculo. 3. Non unam ſed tres in diſtinctis locis fieri alimenti concoctiones. 1. Eſt converſio cibi vel alimenti crudi in chylum, & hæc fit in ſtomacho, 2. Eſt converſio chyli in ſanguinem, & hæc fit partim in Epate partim in corde. 3. Eſt converſio ſanguinis in ſubſtantiam aliti, & hæc fit in venis ſingulisque membris corporis. Jam

DICO, concoctio 1. fit hoc modo; Primò omnium cibus in ore dentibus comminuitur & motu linguæ velut manu in gulam dejicitur. Sunt hic duo in ore meatus notandi; unus gula dicitur eſtque via potus & cibi per œſophagum ad ventriculum, alter guttur vocatur ſive aſpera & vocalis arteria, & eſt via reſpirationis ad pulmones ſeſe extendens; Ne autem in guttur cibus incidat, occludit illud epiglottis ſive larynx; Quod ſi quid potus aut cibi eò caſu feratur, oritur tuſſis graviſſima, difficilis reſpiratio, & ſæpè ſuffocatio: Eſt autem ventriculus infrà diaphragma ſeu ſeptum transverſum quod eſt membrana lata dividens regionem totam cordis à ventriculo & inteſtinis. Ventriculus eſt ſubſtantia nervoſa, membranea & fibris intertexta ut dilatari & contrahi poſſit, figuræ rotundæ, quia ſic eſt capaciſſima. Poſito cibo in ventriculo inferius orificium quod pilorum ſeu Janitorem vocant, occluditur, & nihil ad inteſtina admittitur, donec cibus in chylum convertatur; peractâ concoctione quæ fit à coctrice facultate ſtomachi, inſitoque calore & ſpiritu, chylus aperto piloro ad inteſtina deſcendit & trahente Epate per venas meſaraicas quicquid utile eſt, per venam portæ aſcendit, reliquum velut excrementum in alvum dejicitur. Meſenterii autẽ venæ non ſolùm cum inteſtinis, ſed etiam cum ventriculo continuantur, per quas ſubtilior ſubſtantia ſtatim attrahitur ut patet ex vino generoſo quod ſtatim ſentitur.

DIFFICVLTAS IX.

Quomodo fiat ſecunda concoctio.

Triplex eſt circà hanc difficultatem doctrina & opinio. Prima omnium totius penè antiquitatis Medicorum, qui Epati ſecũdam concoctionem deferunt, ut videre eſt apud Andr. Laur. c. de officio & uſu Epatis. 2. Philoſophorum, quibuscum conſentiunt nõnulli Medicorum, hanc videl. concoctionem accipere rudimentum in epate, perfici autem & abſolvi in corde, adeoque à prioribus diſcrepantes quod cordi tanquam primario corporis viſceri potius quam Epati eam actionem adſcribant, ut videre eſt apud Dandinum, &c. paret ea dignitate cordis, tum iis quæ Diſp. 4. hujus l. Diffic. 10. aliisq; in locis dicta fuere. 3. Deniq; inventa eſt à paucis abhinc annis per lynceios quosdam Anatomicos, quos à circulatione ſanguinis circulatores appellare licet; Hi ob inventas venas quasdam lacteas ſanguificationem ſoli cordi ne mentione quidem facta Epatis, quod abſolutè neceſſarium eſſe negant, tranſcribunt: Nam terminatâ concoctione primâ ajunt chylum lactis formam referentem ea ſui receptaculo intra meſenteriũ à natura formato per duas venas lacteas ſpinæ dorſali annexas in ramos venæ cavæ ſubclavios utrinque ferri & ſanguini permiſtum ad dextrum cordis ventriculum, hinc per venam arterioſam in pulmones, & mediante arteria venoſa in ſiniſtrum ac tandem in arteriam magnam & conſequenter in cæteras arterias, ubi in ſubſtantiam partium effuſus à venis capillaribus relictâ ſui cuique parti aliendæ portione reſorbeatur, & ad cor remeat, hacq; continua circulatione ventilatur, & ſic ſecunda concoctio abſolvatur. Ego qui rebus anatomicis utpote valdè dubiis & incertis me iñiſcere nolim, adeoq; nec uni nec alteri parti litem movere cupiam, dicam quid communitas bactenus tota dixerit antiquitas & quod etiam vero ſimilius eſſe videtur. Itaque breviter quod ferè prima & ſecunda ſententia docet.

DICO, 2. concoctio habet præparationem in venis antequam ad Epatis ſubſtantiam pertingat, & in hac aliquam ſanguinis perfectionem accipit. Poſtquam enim chylus à ventriculo in venas meſenterii, indeque ad venas Epatis attrahitur, in iis incipit attenuari, rarefieri, incidi, miſceri, coqui, & cum ſimul ab epatis calore & ſubſtantia carnoſa parcatur, in veri ſanguinis rudimentum immutari, quod juxta Medicos hoc modò fit. Venæ quæ per Epatis ſubſtantiam diſtribuuntur, tenuiorem

habent tunicam quam in reliquo corpore ideò ut virtus ſubſtantiæ Epatis, id eſt, vis concoctrix eas penetret, & ſanguinem intrà tunicas contentum calore ſuo elaboret, quia facilè aliàs à tunica craſſa impediretur; Anguſtiſſimæ autem ſunt venæ, ne ſanguis facilè diffluat ſed moram trahens facilius loquatur & perficiatur. Cum verò chylus hoc ſanguinis rudimentum hauſit, venam cavam ingreditur indeq; dextrum cordis ſinum, ubi planam perfectionem adipiſcitur, cujus quidem pars in ſiniſtrũ cordis ſinũ, ad gignẽdos ſpirit⁹ vitales effunditur, pars verò eandẽ quâ venit viam regreditur, & per univerſam corporis ſubſtantiam diſtribuitur: ſucci inutiles & excrementitii ut bilis utraq; pituita & ſerum quod ex opinione multorum ab initio eſt vehiculum chyli, in Epate à reliquo ſanguine laudabili & futuro corporis alimento ſecernuntur, & naturæ ductu ad ſua receptacula protruduntur ut norunt Anatomici, quorum curioſæ indagationi hæc omnia defero & ſubſcribo; Nam omnes & ſingulæ hæ actiones, quod idem de mille aliis animæ operationibus in corpore animato intellige, quæ in præparatione & diffuſione ſanguinis accidunt, ingenioſius quam verius deſcribuntur; quia inſenſiles ſunt & creduntur ita fieri, cum juxtà organorum diſpoſitiones aliter fieri nec facilè poſſint nec debeant. Cæterùm ſolent hanc concoctionem nonnulli Medicorum non malè explicare per ſimilitudinem muſti, in quo 4. ſunt ſubſtantiæ; Primò enim eſt aerea quæ eſt flos vini ſupernatans cui flava bilis reſpondet, quæ in ſanguinis ſuperficie aureo fulget colore. 2. Eſt ſubſtantia vini quæ ſanguini reſpondet. 3. Humor quidam aqueus & crudus qui pituitam refert, quique nihil eſt aliud niſi ſanguis media ex parte coctus. 4. Demum fex vini, impura & terrea ſubſtantia, cui atra bilis ſive melancholia reſpondet.

DIFFICULTAS X.

Quomodo fiat tertia concoctio tandemque nutritio.

HIc rurſum Circulatores in modo explicandi tertiam concoctionem à recepta veterum opinione deflectunt, quamvis fortè in reipſa conveniant: Cum enim ajunt nutritio & accretio aſſimilatione alimenti quæ corpus nutriendum, perficiatur & hoc abſq; ſucceſſiva alteratione fieri non poſſit, duplicem à natura inſtitutam eſſe coctionem; unam privatam, quæ etiam 3. dicatur ob uſum partis in qua fit; & alteram publicam, quæ ob commune totius bonum in ventriculo & corde peragatur, & ventriculum quidem conficere ex cibo chylum, cor verò ex hoc chylo per venas lacteas ad ſe delato ſanguinem, & mediantibus arteriis communicare ſingulis partibus ſuum nutrimentum. Verùm ut in via à multis jam ſeculis trita rationabiliter pergam.

DICO, tertia concoctio fit hoc modo: poſtquam ſanguis in Epate corde concoctus eſt, ducitur per tenues ductus in venam omnium maximam quæ cava dicitur & tam per ſuperiora quâ per inferiora quaquaverſum dilata ſurculis propagatur, variisque ramulis diffuſa hinc in ventriculum, ſplenem, inteſtina, meſanterium, inde in pulmones, cor, muſculos pectoris aliasque partes excurrit & iis alimentum ſuppeditat; Sicut autem eadem potentia ſive facultas coctrix in ventriculo cibum & in Epate ejusque venis chylum, ita quoque in venis toto corpore diſpertis ſanguinem conficit & perficit, quousque in ſingulis partibus, quæ ubique amicum ſibi alimentum attrahere norunt, productis mollitie duritie aliisque diſpoſitionibus, tum formâ priori abjectâ in veram ſubſtantiam viventis convertatur, quæ converſio vera nutritio vocatur, ut pulchrè explicant Conn. 1. de gen. c 5. q. 3. a. 3. Adverte, nutritionem iſtam eſſe quidam ſolis animalibus perfectis quæque ſanguinem habent, communem; Nihilominus tamen fieri ſimile quid etiam in plantis & arboribus, quæ ſuas quoque habent alimenti concoctiones quousque hoc ipſo ut animalia nutriuntur. In plantis enim fit 1. concoctio in radice, 2. in trunco, & 3. demum in ramis, in quibus omnibus venarum loco fibræ quædam exiſtunt cum altricis facultatis adminiſtris virtutibus; ſic in iis omnibus nõ minus eſt humor terreus qui eſt alimentum quique è partibus infimis ad ſuperiores aſcendit, & per vim attractricẽ in omnia membra diffunditur; Sic non diſſimilis eſt hujus alimenti alteratio & concoctio, donec in ſubſtantiam arboris convertatur; ſic denique juſta eſt excrementorum ad loca exteriora propulſio ut manifeſtè docent cortices, ſcabies, lanugo & ſi quæ ſimilia deprehenduntur.

DIFFICULTAS XI.

Quid ſit hæc concoctio, an univoca cum concoctione aliarum rerum naturalium, v. g. mineralium, vegetabilium, &c.

SEnſus difficultatis eſt, an actio illa, quâ alimentum in homine convertitur in chylum & ſanguinem, humores abſceſſuum in pus &c. & quam concoctionem vocamus, differat ab ea, quâ mineralia & fructus terræ, caro item & comeſtibilia per aquam ebullientẽ creſcunt, perficiuntur, matureſcunt & concoqui dicuntur; Eſt autem ratio dubitandi, quia imprimis ubique fit alteratio prævia per calorem, tum perfectio ejus quod concoquendum eſt; Deinde quia alia in concoctione corrumpuntur, alimentum & ſanguis, dum hic in ſubſtantiam purulentam, & illud in ſanguinem convertitur; alia verò perficiuntur, ut dum mineralia, fructus terræ, vinum in vaſe, &c. alteratione coquuntur.

Sup-

Digitized by Google

Suppono 1. concoctionem ſemper fieri per calorem tam internum quam externum; 2. tendere ſemper ad ſubſtantiam. 3. vel ſumi pro alteratione prævia, vel pro termino, qui eſt perfectio ejus quod coquitur, excluſa tamen ultimâ formâ ſubſtantiali, quæ eſt extrinſeca & non concoctionis quà concoctio eſt. His poſitis

Concoctio est etiam corruptio.

DICO 1. concoctio alimenti v. g. non eſt ſolùm alteratio, ſed etiam corruptio; Eſt contrà Plembium de fund. medic. l. 2. c. 4. ubi definit corruptionem alimenti alterationem, ut evadat cognatum & ſimile ei, in cujus ſubſtantiam eſt convertendum. Ratio concluſionis eſt, quia alimentum, v. g. panis, caro, pomum &c. non poteſt tranſire in ſanguinem, niſi prius corrumpatur ſecundum totum, ergò ſola alteratio non ſufficit, niſi tamen intelligatur concoctio 1. modo, id eſt, pro alteratione prævia.

Concoctio unius differt ab alia.

DICO 2. Concoctio unius non differt à concoctione alterius, niſi ſecundum varietatem modi tendendi in finem, & caloris agentis, adeoque concoctio ſanguinis ex alimento ex ſe eſt univoca cum concoctione omnium rerum aliarum. Ratio tota deſumitur à calore diverſimodè in ſubiectis variis agente, & probatur inductione eorum in quibus calor ex ſe ſemper eodem modo, diverſo autem ex accidente operatur; Nam imprimis alimentum tranſit in chylum & ſanguinem in ventriculo, epare, corde, & venis ab eodem calore, à quo vinum in vaſa conſumptâ ſubſtantiâ aqueâ vel ſubactâ purificatur, & penetrantibus ſeſe partibus ſuam conſequitur perfectionem. Similiter metalla, lapides, gemmæ cæteraque mineralia per calorem tam internum quam externum ſubactâ variè & concoctâ materia aqueâ & terreâ concreſcunt. Fructus terræ tam ſuo quam ambiente calore ſuccum terræ quam pro alimento habent, lentè digerunt & in ſubſtantiam propriam convertunt; Et ab hoc eodem calore omnis generis alimenta ſive per elixationem ſive per aſſationem fiunt delitiæ hominum, dum famelicum ſtomachũ ſatiant. Ut autem repertis prioribus quæ diſp. 6. diffic. 12. habentur, conſtet quid propriè ſit concoctio.

Concoctio quid.

DICO 3. concoctio eſt perfectio à naturali & proprio calore ex oppoſitis paſſivis. Ita Ariſt. 4. meteor. c. 2. bona eſt hæc definitio & convenit omnibus rerum concoctionibus quæ fiunt à calore proprio & nativo. Ratio eſt, quia conſtat genere & differentia optimeque explicat naturam definiti; Nam loco generis eſt perfectio vel actio perfectiva, videl. concoctio qua alteratur nutrimentum in ventriculo vel res quævis alia quæ immutanda eſt, & acquirit aliam formam ſive perfectionem accidentalem, à proprio & nativo calore ponitur ad differentiam putredinis quæ eſt interitus proprii & naturalis caloris; Et hic calor qui inſitus eſt, proxima cauſa concoctionis ſtatuitur, per oppoſita paſſiva intelligitur humiditas & ſiccitas, quæ oppoſita ſunt tum inter ſe tum etiam quodammodo illi quod efficit concoctionem, nimirùm toti quod agit, cui per coctionem debent ſuo modo reddi ſimilia, quando nimirùm ex alimento debet fieri os, caro, nervus &c. de quo vide diffic. 12. diſp. 6. de miſtione.

DICES 1. coctio eſt ab anima, ergò non à calore. Antec. patet, quia nutritio eſt ab anima, ergò & coctio. Reſp. tam nutritionem quam coctionem eſſe ab anima tanquam à principio principali, ab ipſo calore tanquam à principio inſtrumentali & minus principali.

DICES 2. aſſatio & elixatio quæ ſunt ſpecies concoctionis, fiunt à calore extrinſeco; Deinde alimentum in ventriculo coquitur à calore non proprio ſed animalis, adde poma matureſcunt calore ſolis, ergò hujusmodi cõcoctiones non fiunt à calore proprio. Ante reſponſionem advetre, per calorem proprium & naturalem non intelligi ab Ariſt. ſolum calorem innatum v. g. pomi, ſed etiam extrinſecum, ipſi tamen rei loquendæ connaturalem, quo modo etiam calor ſolis licet ſit extrinſecus, ipſis tamen frugibus & fructibus coquendis eſt connaturalis. Jam Reſp. ad primum, ſecundum & tertium neg. conſeq. quia imprimis elixatio & aſſatio fiunt à calore debito & ad hanc actionem requiſito; Deinde nutrimentum coquitur in ſtomacho à calore animalis qui in ordine ad hanc coctionem naturalis eſt & proprius. Et idem de frugibus & fructibus terræ intellige, quia non tantum per calorem intrinſecum ſicut & cibus in ſtomacho, perficiuntur, ſed etiam per extrinſecum, ſive ab eo principaliter ſive per modum adjuvantis decoqvantur. Itaque concurrit ad concoctionem imprimis color rei coqventis v. g. animalis ad eoquendum panem, ſolis ad maturendas fruges; Deinde calor rei coquendæ, v. g. panis, pomi, vini &c. qui uterque naturalis eſt & proprius.

DICES 3. multa coqvuntur à frigore ut conſtat in quibusdam frugibus quæ pruina perficiuntur. Deinde ſententia Medicorum & ipſius Gal. 2. de tempore eſt, pinguedinem fieri à frigore membranarum. Adhæc in coquenda bile utimur ſyrupis reſrigerantibus ex Endivia, acetoſa, ſucco granatorum &c. ergò falſum eſt coctionem ſemper fieri à calore. Reſp. hæc omnia fieri indirectè & per accidens, non autem per ſe quemadmodum coquit calor. Nam quod multi fructus frigore maturentur, ideò ſit, quod vel per antiperiſtaſin calor internus magis roboretur, vel per conſumptionem humidi ſuperflui reliqvus à calore interno facilius vincatur, vel quod calor externus aliquando nimius contemperetur &c. pinguedo in animalibus non fit à frigore actuali ſed è calore moderato ut eſt communis doctrina medicorum: Nam actuale frigus in corpore animalis per ſe nullam habet actionem. Alteratio bilis per ſyrupos refrigerantes non eſt concoctio ſed temperatio, ne vel nimio calore viſcera incendat, vel vi

mordaci eredat, vel nimiâ liquiditate diffluat & principalia viſcera offendat.

DICES 4. quaodo fit coococtio cibi in ſtomacho, cibus corrumpitur, ergò ejus concoctio non eſt perfectio. Reſpond. eſſe corruptionem io ordine ad præcedentem formā vel diſpoſitiones, perfectionem verò in ordine ad ſequeotes, quo modo iotelligenda eſt definitio,

DICES 5. illa concoctio in qua ſubjectum corrumpitur, differt ab ea in qua fit perfectio; ſed hoc fit in concoctiooe alimenti in ventriculo & in vino, fructibus &c. Reſp. ſufficere quod materia illa quæ eſt in fructibus & in vino, ita alteratur ut tranſeat in ſubſtantiam fructus & vini, quod etiam fit in pane, carne, pomo, quæ per alterationem corrupta tranſeunt in ſanguinem.

Colligitur coctioni opponi incoctionem taoquam rationem vegetativam illius, & reſultare ex deficientia caloris oaturalis, proinde eſſe imperfectionem eò quod coquibile relinquat incoctum; vide pluribus Diſp. 6. diff. 12. hujus libri.

DIFFICVLTAS XII.

Quænam in ſingulis concoctionibus reperiantur excrementa, & an abſolutè ſint neceſſaria.

SI alimentum poſſit ſecundum ſe totum converti in ſubſtantiam viventis, jam ſoluta eſſet quæſtio ſicut etiam ſi id implicaret.

Adverte autem, omnia alimenta eſſe mixta & præter 4. primas qualitates babere etiam materias & ſubſtantias diverſorum Elementorum, quæ aliquando crudæ & imputæ, aliquando contrà calore ſolis maturæ optimèq; concoctæ Deinde vim & calorem cooeoquentem aliquando eſſe debilem, aliquando fortem beneque conſtitutum. Denique excrementa non eſſe uniusmodi, ſed juxtà triplicem concoctionem varia, adeoque nec eadem in fætu uterino, quæ in homine adulto ob defectum concoctionum, ut infrà diſp. diffic. dicetur. Iam

DICO 1. concoctionis primæ in ventriculo excrementa ſunt fæces, quæ per inteſtina expelluntur. Ita communis opinio Medicorum, & ratio eſt, quia cum non conveoiat, ut craſſiores & magis terreæ ſubſtantiæ, quæ ad futuram nutritionem ſunt inutiles, è ſtomacho ad profundiores corporis partes cum ſauitatis detrimento protrudantur, natura provida eas factâ primâ concoctiooe per rectam viam ad inteſtina è ventriculo propellere indeque per alvum rejicere ſolet, præſertim cum in 1. ſtatim concoctiooe fiat ſeparatio craſſiorum excrementorum à liquidioribus ſubſtantiis, qoæ ſolæ ſunt habiles ad nutritionem & per angoſtos & anfractuoſos meatus ad 2. concoctionis viſcera facilè nobiles.

DICO 2. Concoctionis 2. excrementa ſunt utraque bilis & ſerum; Et horum fit ſeparatio ex communi Medicorum conſenſu in epate, tum receptio in locis propriis, ut bilis flavæ in veſicula fellea, atræ in ſpleoe, & ſeri io renibus, uode factâ colaturâ ad vreteres & veſicam protruditur, quod idem accidit in reliqua eiusdem portione, quæ vehiculi loco cum ſanguine ad venas excurrit indeque. remeans per eandem viam expellitur, ut fusè & ingeoiosè deſcribunt Medici Anatomici.

DICO 3. concoctionis tertiæ excremeota ſunt, quicquid per poros ſive ſenſibiliter ſive inſenſibiliter tranſpirat, iisdem adhæreſcens cutem defædat, & per ejusdem exulcerationē quocunque modo factam ſtillare ſolet. Plembius ſolas ſordes & fuligines, quæ ſunt halitus per calorem aduſti, & è ſingulis corporis partibus, ſed & è ſanguine calidiſſimo exſpiraotes loco citato numerat: Dum verò has ſolas dicit, non opinor excludit ſeroſas ſubſtantias, quæ potius aquoſæ ſunt & vaporoſæ ejusdemque naturæ cum ſero prioris coococtionis, quia parum eſt cujuscunque ex his duabus concoctionibus excrementum dicas cum ſanguioi ad nutritionem uſqoe, quò ſeſe hæc tertia concoctio exteodit, ut individualis comes immixtum aſſocietur, ubi demum exoluto ſuo officio & quia ad nutricatum eſt inhabile, io vaporem abit vel alio quovis modo ab alimeoto ultimo ſeparatum abſumitur. Si quæras jam, An hæc umnia excrementa oeceſſariò & abſolutè repetiantur in bomine? Reſp. &

DICO 4. probabile eſt, io corporibus etiam perfectiſſimis qualia habuerunt primi parentes & Chriſtus Salvator noſter, reperiri omnis generis excrementa, quamvis uoo æquali ſemper portione. Ratio eſt, quia alimēta omnia mixta ſunt, habentque partes aliquas terreas ſive aqueas & impuras & ad nutritionem inutiles, quæ proinde à natura evinci nō poſſint, ſed taoquam excrementitiæ à reliquis ſeparandæ ſint & è corpore excernendæ: Dixi tamen probabile eſſe, quia reverà non implicat, dari poſſe aliquod alimentum tam purum & tam perfectè calore ſolis excoctum, v. g. in locis calidioribus, ut eſt Hiſpania, Aſia, Apbrica &c. ut ſecundum totam materiam ſolidam poſſit totum converti in ſanguinem puriſſimum, ſi præſertim accedat complexio bominis perfectiſſimè cooſtituti, quemadmodum haud dubiè fuit Chriſtus Salvator noſter, de quo incertum eſt, an unquam hujusmodi ſordes exercuerit, niſi tameo in omoibus, & etiam in hujusmodi impuritatibus corporis voluerit oobis eſſe ſimilis. Dixi ſecundum materiam ſolidam, cujus excrementa ſunt fæces inteſtinorum à 1. concoctione ſuperflua; quia hæc maximè videtur tota ad nutritionem poſſibilis; unde etiam dixi, quamvis oon æquali ſemper portione, qoia imprimis alimenta non ſunt æqualia, ſed aliquando magis aliquando mious pura & excocta, ipſa etiam vis concoctrix varia magisque vel minus fortis; Deinde concluſio magis puguat pro materia

ter-

terrea quam aquea aut ignea, quæ Elementa minus vinci poſſunt, ut fiant alimentum reſtaurativum corporis. Hæc tamen cum ex parte paradoxa ſint, ita dicta velim, ut ex iis quisque materiam arripiat & cauſam hæc aliaque præſtantiori ſuo ingenio & iudicio diſcernendi & explicandi.

DIFFICVLTAS XIII.

An & quare concocta ſint calidiora, dulciora, craſſiora & ſicciora.

NOn tantum coqvuntur cibi & alimenta in ſtomacho, ſed digeruntur etiã metalla, gemmæ & lapides in viſceribus terræ, fructusque in arboribus, plantis &c. in quibus ad perfectionem matureſcunt: De vegetabilibus poriſſima eſt hic difficultas, quare ex coctione ſit ſapor dulcis &c.

Adverte, coctionem dici perfectam, quando calor naturalis humidum cum ſicco benè copulavit, utile ab inutili ſeparavit adeoque omnem cruditatem domuit, id quod in urina & excrementis apparet quæ ſi cocta ſint, præbent ſignum ſanitatis, quia oſtendunt dominium caloris naturalis in coctione vigere, & ſeparare omne utile ab inutili.

DICO 1. cocta ſunt dulciora & calidiora non coctis. prob. per coctionem reſolvitur humidum aqueum intimeque miſcetur cum humido, unde calor & ſapor, ergò quantò magis concoquitur, tantò plus de humido deperditur fitque mixtum ſapidius & calidius. Adverte autem 1. quando dicitur cocta eſſe calidiora non coctis, non eſſe id abſolutè & inter res diverſas intelligendum, ſed inter eas quæ ſunt ejusdem ordinis, v. g. inter ſanguinẽ benè concoctum & crudum, non autem inter prunum maturum & vinum non defecatum. 2. intelligi quæſtionem & concluſionem de calore rei coctæ non coquentis. 3. non intelligi in re cocta omnem calorem ſed ſolum illũ, qui ex terminatione humidi reſoluti in re cocta manet, quique ex vi & natura concoctionis reſultat. Plura patebunt ex objectionibus earumque reſolutione.

DICES 1. pueri ſunt calidiores quam viri, & tamen minus maturi, ergò non ſemper verum eſt concocta & matura eſſe calidiora. R. antec. abſolutè falſum eſſe, quia pueri ideò ſunt calidiores quia habent plus humidi calidi, ob quam cauſam etiam creſcunt, non autẽ quod calorem intenſiorem habeant; Deinde calor ille in pueris eſt innatus non influens qualis reperitur in viris, quibus ille tanquam coctis & maturis jam additur: Maturatio concernit tantum vegetabilia & mixta inanimata ut conſtat.

Quomodo pueri ſint calidiores viris

DICES 2. experientia docet 1. ulcera & apoſtemata ſemper plus calore ante quam poſt maturationem. 2. vinum recens eſſe calidius quam concoctum & defecatum. 3. ſanguinẽ eſſe calidiorem lacte, quod tamen eſt magis concoctum. 4. poma, pira cæterosque fructus quando ſunt immaturi, eſſe amaros, ergò calidos, quia omnia amara ſunt calida juxtà Medicos propter aduſtionem. Reſpond. ad primam experientiam, illum calorem, qui eſt in apoſtemate immaturo maior, non eſſe materiæ coqvendæ, Sed alium extrinſecum qui ſe habet ut cauſa concoqvens, unde dum pus fit ſemper calor major eſt, quia videl. eſt à calore extrinſeco & putrefaciente; Ad ſecundum Reſp. muſtum non eſſe ſimpliciter calidius vino cocto & defecato, ſed ideò quia eſt craſſius habetque ſpiritus craſſiores, tum etiam quia ebullit adhuc & efferveſcit coquiturque per calorem cum humido necdum benè terminatum, ideoque magis calefacit & inflammat corpus. Ad tertiam Reſp. lac non eſſe ejuſdem ſpeciei cum ſanguine ut multis placet, unde etiam male dicitur ſanguis benè coctus; Quod ſi tamen non differant ſpecie completa, incertum eſt an lac ſit per ſe calidius an verò frigidius ſanguine, quia in hoc copioſi ſunt ſpiritus, in illo autem copioſum ſerum & humidum aqueum, quo ipſi natura benè providit, ne ſtatim extra locum naturalem ſicut ſanguis fibroſus concreſceret & grumeſceret. Ad quartam Reſp. poma, pyra & alios fructus immaturos non eſſe amaros ſed acidos & auſteros ideoque frigidos, quia adhuc ſunt crudi & immaturi, id eſt, quia nulla adhuc eſt facta terminatio inter ſiccum & humidum: Dulcedinem ejusque cauſam intellige à contrario, quia videl. calor benè concoxit, intimeque miſcuit humidum cum ſicco, unde etiam omnia dulciora in locis calidis quam in frigidis, ut docet experientia in fructibus meridionalibus & ſeptentrionalibus.

Vnde amaror & dulcedo.

DICO 2. per concoctionem omnia fiunt craſſiora. Ita Ariſt. 4. met. c. 3. & conſentiunt tam medici quam reliqui philoſophi. Prob. 1. calor per coctionem vincit humidum & illud cum ſicco perfectè terminat, ergò quantò rem magis coquit, tantò magis reddit craſſam, quia conſumit multas partes humidas quæ ſuperfluæ ſunt faciuntque rem crudam & immaturam. Prob. 2. ab experientia, quia pus ulcerum, ſordes aurium, excrementa quævis corporis, lac, ſemen, ſanguis &c., quò magis coqvuntur, eò craſſiora ſunt, ergò. Intellige tamen imprimis de concoctione propriè dicta non de præparatione humorum ut educantur, aut contemperatione, ut ſi ſicciores, humectentur: Deinde humidum non eſſe coquendum, quia hoc propriè non coquitur: Adhæc per craſſitudinem vel per humidi decoctionem aliquem lentorem, qui producitur ex reſolutione tenuium partium & perfecta mixtione ſeu terminatione earum cum ſicco terreo.

Mixta quomodo craſſeſcant coctione.

DICES 1. contrarium multis experimentis evinci: Nam 1. chylus eſt ſubtilior alimento, ſanguis chylo, ſangnis arterioſus venoſo, bilis concocta minus concoctâ, ergò concoctione

co-

cocta fiunt ſubtiliora. Reſp. chylum coctum eſſe ſubtiliorem alimento, verum eſſe, chylo non cocto, falſum, quia debent res non conferri cum aliis ſed eædem inter ſe & præſertim inter coctum & non coctum. Et idem intellige de ſanguine arterioſo & venoſo, quo ille ſubtilior eſt, quia eſt purior & à recrementis magis expurgatus, tum quia calidior eſt & plenior ſpiritibus. Bilis non propriè coquitur, ſed alteratur.

DICES 2. poma, pyra immatura ſunt tenuiora & duriora quam matura. Muſtum etiam eſt craſſius quam vinum defecatum. Apoſtemata cruda ſunt dura, concocta autem molliora, ergò cocta ſunt molliora incoctis. Reſp. in pomis & pyris ante coctionem eſſe commixtas quaſdam ſubſtantias terreas & frigidas, quæ adhuc per coctionem conſumendæ ſunt; Et in hiſce cruditatibus eſt humor valdè tenuis, qui per coctionem paulatim cum reliqua materia coquibili incraſſandus: Et hoc idem de Apoſtematis intellige, quia tenuitas intelligitur tantum de humore naturali cum ſicco naturali & non cum quovis frigido terreo commiſcenda. Nam per cruditatem humor eſt tenuis & non benè cum materia ſua terminatus, contrà verò craſſior per concoctionem & perfectam commixtionem. Muſtum ideò eſt craſſius vino, quia excrementis plenum eſt, à quibus repurgatum non eſt craſſius, quod fieri debet per longam coctionem.

DICES 3. caloris eſt attenuare & rarefacere, ergò per coctionem, quæ caloris eſt opus, mixta non craſſeſcent. Reſp. hujusmodi attenuationem & rarefactionem non eſſe propriè coctionem, quia fiunt hæ per evaporationem aut reſolutionem tenuium partium.

DICES 4. concocta ſunt medicanda, ut habetur ex aphor. Hipp. & rurſum alibi, corpora purganda debent fieri fluida, ergò per coctionem excrementa attenuantur & incraſſantur. Deinde humores crudi ſunt craſſi, viſcoſi & tenaces, proinde per coctionem fiunt habiles ad excretionem, ergò non incraſſantur, quia ſic forent ſicciores minusque idonei ad expurgationem. Reſpond. hæc omnia non eſſe propriè coctiones ſed præparationes & alterationes cum ſyrupis, decoctis aliisque ſive incraſſantibus ſive attenuantibus, de quibus conſulendi ſunt Medici.

DIFFICVLTAS XIV.

Quæ partes corporis nutriantur.

RAtio dubitandi eſt, quia cum nutritio fiat in inſtanti, & ſemper ad deperditionem prioris ſubſtantiæ, ſi omnes partes viventes nutriantur, videtur omninò ſequi, quod omnes partes viventes prius fuiſſent deperditæ & novæ per nutritionem productæ proindeque totus homò.

DICO, omnes partes viventes in humano corpore nutriuntur. ante probationem nota, in animali reperiri poros & meatus qui per calorem fiunt dum humidum attenuatur, non ſolum ut excrementa, v. g. ſudor &c. evaporent, ſed etiam ut per eos alimentum intus ſuſcipiatur, & tales non tam in carne quam in oſſe eſt reperire. Jam prob. concluſio, quia calor naturalis diffuſus eſt per omnes partes viventes; ſed omnes conſumuntur calore, ergò etiam nutriuntur ut reſtauretur id quod fuit deperditum, quia in hoc conſiſtit nutritio. Ad rationem dubitandi. Reſp. per partes intelligi ſenſibiles & notabiles, vel ut alii partes omnes viventes quæ nutriuntur, non autem proportionatas. Sed inſtabis, ſecundum illas partes diſſolvitur homo, ſecundum quas nutritur; ſed ſecundum ſenſibiles & notabiles nutritur, ut patet ex dictis, ergò etiam ſecundum illas diſſolvitur, ergò totus homo quoad ſenſum prius diſſolvitur. Reſp. etiamſi hæc omnia vera ſint, non tamen ad ſenſum ita minuitur & augetur ſubſtantia hominis, quia duæ hæ actiones nutritio ſcil. & conſumptio ſe immediatè contingunt, nutritio autem continuata ſucceſſione durat ut infrà dicetur.

DICES 1. ſi quælibet pars nutritur, ergò vivens in omnem partem augebitur, conſequenter creſcet tam in longum quam in latū. ℞. diſtingēdo ſequelā; augebitur in omnē partē æquali dimenſione negatur, inæquali cōceditur; deinde tranſeat quod tā in longū quā in latū augeatur, quia quæ ratio totius eſt, portia nutritiva ſequitur virtutem formatricem, quæ hominem procerā figurā vel potius ſecundum altiorem quam latiorem dimenſionem formavit; proinde eundem nutrit in omnem partem ſervatā primâ figurâ. cum ſemper materia alimentoſa recipiatur & viventi per modum recipientis adaptetur.

DICES 2. quæ partes corporis decreſcunt, non nutriuntur; ſed multis ſæpè hoc accidit, ut patet in morbis conſumptivis v. g. febre hectica, ergò non nutriuntur. Reſp. 1. hæc fieri in partibus morboſis vel in alimento vitioſo & inutili, vel in obſtructionibus vaſorū quò minus alimentum ad nutritionem hauriant. 2. neg. majorem, quia poteſt corpus nihilominus nutriri etiamſi decreſcat ut patet in corporibus ſiccis & magnis caloribus, ubi ſemper plus ſubſtantiæ deperditur quam per novam nutritionem adgeneretur.

DIFFICVLTAS XV.

An ſemper & continuò nutriatur homo.

SUppono, viventi nutritionem eſſe ſummè neceſſariam, quia vita non conſiſtit niſi in humido & calido, accommodatā ſibi qualitate & quantitate correſpondentibus, quæ tamen

men proportio cum diu durare non poſſit, eò quod humidum caloris pabulum ab ea continua actione conſumatur, requiritur neceſſariò nutritio per quam alimentum ſuppeditetur, humidique jactura & fluxus materiæ reſarciatur.

NOTA, nutritionem vel ſumi complerè & perfectè prout comprehendit omnes concoctiones ipſamque alimenti converſionem in rei viventis ſubſtantiam, vel incompletè pro aliqua tantum actione qua alimentum præparetur ut deinde in ſubſtantiam viventis transmutetur. Jam

DICO, ſi nutritio 1. modo ſumatur, certum eſt illam non ſemper fieri, quia cum alimentum non ſemper ſit aptè diſpoſitum & præparatum, ut in ſubſtantiam viventis transmutetur, manifeſtum eſt, non ſemper nutriri animal aut hominem: ſi verò ſumatur ſecundo modò, verum eſt ex Ariſt. 1. de gen. animal. c. 5. & 2. de anima c. 4. ſemper fieri nutritionem, quia facultas nutritiva ſemper incumbit in aliquam nutritionem, ſive in eam qua convertitur alimentum in ſubſtantiam viventis, ſive in eam qua attrahitur, ſive qua deficiente alimento calor naturalis in humidum radicale depeſcendum deflectit; nam calor naturalis qui eſt inſtrumentum facultatis nutritivæ, naturaliter & neceſſariò ſemper operatur, ergò ſemper laborat vel in decoquendo alimento, vel ſi nullum ſuppetat, in depaſcendo humido, vel denique in convertendo alimento in ſubſtantiam viventis.

DICES 1. oſſa & aliæ partes ſolidiores extrinſecus tantum madeſiunt, quia alimentum propter duritiem ad interiora pervenire non poteſt, ergò non ſemper nutriuntur. Reſp. cum Dand. l. 1. de temper. corporis animati c. 25. neg. antec. quia nihilominus hæ partes per omnem vitam nutriuntur; Nam calorem habent continuò diſſipantē humidum, quod proinde per nutritionem reſarciendum eſt. Neque impedit hoc ſoliditas, quia & oſſa poros habent & meatus, intrà quos ſubſtantia alimentalis recipi poteſt.

DICES 2. Gal. 3. de ſan. tuenda & alibi ſæpius refert, animalia quæ laborant atrophia, id eſt, defectu nutritionis, diu ſæpè alimentū non ſumere: Deinde qui accedunt ad mortem diu non nutriuntur & tamen vivunt, ergò nutritio non eſt adeò neceſſaria. Reſp. ſenſum eſſe quod niſi perpetuò fiat nutritio, illâ intermiſsâ vivens non poſſit diu vitam tollerare, non autem quod exiguo temporis ſpatio non poſſit ceſſare à nutritione & tamen vivere, quia vivunt hectici in menſes & annos, in quibus ſemper plus deperditur quam reſtauratur, ergò etiam illi aliquamdiu vitam ſuſtinebunt qui planè non nutriuntur. Quod ad eos qui atrophia laborant, etiam ſi non ſumant cibum nutriuntur tamen ſanguine quam adhuc habent jam concoctum; Convertunt autem parum ſanguinis in ſuam ſubſtantiam eò quod calor ſit debilitatus vel quod frangatur ab humore pituitoſo. Deinde poteſt fieri, ut alicui membrum atrophia ita laboret ut prorſus non nutriatur & tamen aliquamdiu vivat teſte experientia, quamvis ut plurimùm ſaltem aliquid alimenti hujuſmodi partibus à locis vicinis apponatur. Ægri qui morti ſunt proximi, paulatim deſinunt nutriri, quia incipit calor naturalis deficere aut humidum radicale abſumi; Verum tamen eſt, quod ſemper duret aliqua actio facultatis nutritivæ, quia quamdiu vivit animal, aut nutritur, aut calor abſumit humidum, quod etiam eſt officium facultatis nutritivæ.

Quomodo multi vivant ſine nutritione.

DICES 3. multa animalia longo tempore ab omni cibo abſtinent & tamen vivunt, ergò nutritio non ſit ſemper. Antec. prob. ex Ariſt. 8. hiſt. animal. c. 17. ubi refert urſum circiter dies 40. latere ſine cibo & tamen eo tempore ita pingueſcere ut vix movere ſe poſſit. Et paulò ante, videl. c. 15. narrat ſtelliones, Crocodilos, quoſdam ſerpentes & glires per hyemem nihil alimenti ſumere. Huc ſpectant quædam memorabilia hominum, qui juxta probabiles narrationes multis ſæpè annis nihil alimenti aſſumpſerunt. Reſp. licet nō fiat nutritio quoad externam alimenti aſſumptionem, fit tamen quoad internam, qua calor naturalis deficiente alimento extrinſeco agit in humidum radicale, proinde negatur conſequentia. Et quæ referuntur, oſtendunt quidem ſæpè vivere quædam animalia ſine omni cibo quoad extrinſecus in ſtomachum ingerant, non tamen ſine ulla coctione vel actione qua calor pingues craſſos & viſcoſos humores v. g. pituitam & alterius cujuſdam concreti & indigeſti humoris colluviem concoquit. Exempla quæ narrantur, vel fabulæ ſunt & figmenta vel deceptiones Dæmonis & illuſiones, vel certè ejuſmodi conditiones corporum & diſpoſitiones ob quas homo pauciſſimo alimento multis etiam annis vitam protrahere poteſt. Et hinc colligitur, quæ alibi de ſucceſſione generationis dicta ſunt, eadem etiam hic ad ſucceſſionem nutritionis accommodari poſſe, quia utrimque fiunt præviæ diſpoſitiones & alterationes tam ad novam formæ ſubſtantialis productionem quam ad converſionem alimenti in veram ſubſtantiam viventis.

Vivunt quædam animalia ſine cibo.

DIFFICULTAS XVI.

Quid ſit fames & quid ſitis.

FAmes & ſitis convenit ſolis animalibus ex Ariſt: 2. de anima c. 3. Cum enim hæc duo ſint animæ ſenſitivæ, & ipſa animalia ad ſui conſervationem egeant humido & frigido, calido & ſicco, ex quibus ab initio compacta fuerant, hæc autem mutua actione diffluant, ne omninò pereant, indidit natura appetitum & ſollicitudinem ut tam famem quam ſitim mediis neceſſariis & congruis depellerent: Stirpes quamvis etiam ipſæ egeant alimento,

non tamen famem & ſitim pstiuntur eò quod ſenſu & cognitione careant quod non habeant eam organorum diſpoſitionem quæ hic requiritur, quod habeant alimentum conjunctum, ſuccum ſcil. terreum quam ſuis radicibus attrahunt: Animalibus autem ſæpè à longo petenda eſt alimonia, unde cruciantur fame & ſiti, ut per utramque excitentur & applicetur facultas motiva ad quærenda victui neceſſaria; Ex quo patet, famem & ſitim eſſe actionem quandam cujuſcunque tandem facultatis, unde etiam magna difficultas eſt, in quanam actione propriè conſiſtant.

Ad famem quæ concurrant. NOTA 1. ex Gal. l. 1. de cauſ. ſympt. c. 7. & ex Conn. 1. de gen. c. 5. q. 5. a. 2. ad famem quinque concurrere, & ſimiliter ad ſitim ſervata proportione. 1. inanitionem membrorum ob defectum alimenti. 2. tractionem membrorum trahentium ad ſe undecunque poſſunt alimentum. 3. divulſionem ventriculi cum acri morſu. 4. ſenſionem ejus divulſionis & dolorem, qui maximè in ejus ventriculo & orificio percipitur eò quod ultimò omnium membrorum ſuctio illuc terminetur. 5. appetitio cibi vel actus appetitus ſenſitivi *Appetitus cibi quomodo fiat.* optantis extrinſecum alimentum, qui ad hoc à phantaſia excitatur, Hæc enim poſtquam percipit dolorem illum ſeu divulſionem ventriculi, velut quoddam naturæ malum proponit appetitui, qui non poteſt non velle mederi commovendo potentiam motivam ut pergat ad inquirendum alimentum, Nunc quæritur in quanam ex his actione præciſè conſiſtat eſſentia famis & ſitis; de quarta & quinta controvertitur.

NOTA 2. nihil cauſæ eſſe cur potius ille dolor ventriculi ex corrugatione ortus vocari debeat fames quam appetitio cibi & contra, ſed utrumque licet; Nam & qui appetit cibum dicit ſe famere & qui ſentit inanitum ſeu latrantem ſtomachum, idem dicit. Hinc benè Valeſ. 5. Controv. c. 7. inanem quæſtionem vocat ſuaque nihil referre, modo res intelligatur, quo loco etiam oſtendit Galenum nunc actionem illam vocaſſe famem nunc hanc. Ne igitur ſit de nomine quæſtio

Definitio cauſalis famis & ſitis. DICO 1. fames definitur rectè ab Ariſt. 2. de anima c. 3. quod ſit appetitus calidi & ſicci; ſitis autem quod ſit appetitus humidi & frigidi, quaſi dicat, fames eſt actus appetitus ſenſitivi quo deſiderat alimentum calidum & ſiccum; ſitis actus ejuſdem facultatis qua appetit humidum & frigidum ut animal nutriatur. Potus enim quà talis non nutrit ſed prout habet ſubſtantiam craſſiorem & pinguiorem adiunctam, qualis in vino aliiſque reperitur. Probatio hujus concluſionis petenda eſt ex conſenſu variorum Authorum qui ita interpretantur Ariſtotelem, tum etiam ex rei ipſius natura & modo concipiendi & loquendi ut in *Fames quid cauſaliter & quid formaliter.* notabili ſecundo patet. Adverte autem hanc definitionem non eſſe formalem per appetitū, quia fames formaliter eſt dolor ſeu triſtis ſenſio, ergò definitur per appetitum tanquam per cauſam finalem, videl. ut per triſtem ſenſum appetitus excitatur; idem de ſiti intellige. Contra definitionem famis.

DICES 1. multa alimenta ſunt frigida & humida, ergò fames malè dicitur appetitus calidi & ſicci. Reſp. famem definiri per appetitum ſicci non quod abſolutè ſicci reparandi cauſa data ſit ſed potius humidi pinguis quod idem ſiccum vocatur, quia ſi cum humido aqueo cujus appetitio ſitis eſt, conferatur, ſiccum vocari poteſt; Adde quod cum ſubſtantia humida aliquantulum ſiccæ conjungatur, quæ per alimentum reſtitui debet.

DICES 2. alimentum debet eſſe humidū, ut infrà conſtabit, ergò malè dicitur fames eſſe appetitus ſicci; Autem verum eſt, quia vita noſtra conſiſtit in humido & calido quo utroque etiam conſervatur, ſiccitas autem eſt qualitas mortis. Reſp. alimentum quod ad famem cohibendam appetitur, eſſe quidem poſſe humidum, ſed tamen ſemper magis exiſtere ſiccum ad reſtaurandam ſubſtantiam deperditam, quod non facit humidum ſimpliciter, quia hoc determinatur ſiti extinguendæ, Et hinc ſi dicatur alimentum debere eſſe humidum, dicitur hoc in ordine ad vitam conſervandam quod etiam fieri poteſt ab alimento ſicco.

DICES 3. alimentum debet eſſe dulce, ergò non ſolum calidum & ſiccum. Reſp. dulcedinem non pertinere per ſe primò ad famē, cum ſit qualitas ſecunda, ſed eſſe condimentum cibi, unde ſapor eſt calcar excitans appetitum ut habet Ariſt. citatus,

DICES 4. Appetitiones ſunt in noſtra poteſtate, fames autem non, ergò fames non eſt appetitus. Reſp. neg. antec. quia objectum plerumque vel ponere poſſumus vel removere; objecto tamen poſito & à phantaſia apprehenſo appetitus nequit cohiberi, quin erumpat in actum: poteſt tamen cohiberi per rationem, ſi inordinatè appetat cibum, quod ſatis eſt ut dicatur ſubeſſe etiam rationi.

DICES 5. fames eſt dolor; ſed dolor non eſt appetitus, ſed potius fames, ergò fames nō eſt appetitus, Reſp. hinc ſolum inferri quod fames non ſit formaliter appetitus ſed dolor quod conceditur; dolor enim excitat appetitum ad actum duplicem; unum quo averſatur talem dolorem, & alterum quo proſequitur objectum expellendo dolorem, Contrà ſitim

DICES 6. ſi ſitis eſſet appetitus frigidi, quò animal eſſet calidius eò ſitiret magis, quod tamen falſum eſt, quia aves è grege rapacium quæ ſunt calidiſſimæ, non ſitiunt nec bibunt. Reſp. ejuſmodi avibus conſultum eſſe magnitudine pulmorum quibus plus aeris frigidi attrahunt.

DICES 7. humidum aereum fovet calorem naturalem, aqueum extinguit, ergò ſitis non eſt ſimpliciter appetitus humidi, ſed humidi convenientis. Reſp. humidum aqueum ſi immodicum ſit, perimere calorem naturalem; ſi verò moderatum, prohibere ne ſubitò humidum radicale abſumatur.

DI-

DICES 8. frigus ad opera vitæ per ſe non coofert, ergò ab animali per ſe non appetitur. Reſp. frigida ideò experi, 1. ut calorem moderentur; 2. ut juvent nutritionem; Eſt enim potus quaſi vehiculum alimenti; & tenuitate ſua per meatuum anguſtias & venarum flexus viam apetit. 3. ut juvet concoctionem quæ fit in ventriculo; Illa enim cum ſit elixatio, nõ poteſt petagi ſine multo humore. 4. appetitur potus, ut chylum attenuet, ſuccum ſalutarem ab alimento trahat & à ſecibus ſecernat eo modo quo aqua ſuperfuſa preſſis uvis vini reliqvum ſuccum à ſcopis ſejungit.

DICO 2. noo malè dicitur famem conſiſtere in ſenſu divulſionis ventriculi, melius autem in hoc ſenſu ſine dolore & appetentia inde reſultante. 1. pars eſt Con. 1. de gen. c. 5. q. 5. a. 2. à quibus etiam ita deſcribitur. Fames eſt ſenſio divulſionis ventticuli orta ex attractiooe alimenti, vel eſt triſtis ſenſio in ventriculo ob deſectum alimenti. Sitis verò dolor ex vellicatione facta in ventriculo & œſophago proprer defectũ humidi potabilis vel propter intemperiem partium exiccatarum. 2. pars eſt Valeſ. citati, ubi commodè litem dirimit & opiniones conciliat, dum ait eſſe multas res quæ non habeant ſimplicem eſſentiam ſed ex pluribus conflatam, ita ut nullum aſſignetur præcisè, in quo conſiſtat talium natura ſed in omnibus; Et hoc manifeſtum eſſe iu corpore naturali, quia v. g. corpus organicum non eſt ſola materia neque ſola forma ſed utrumque ſimul, quod idem de cæteris compoſitis phyſicis intellige: Et ſic nomen famis & ſitis impoſitum eſt ad ſignificandum & dolorem ventriculi & appetitum alimenti ſimul ita ut alterutrum incompletè, utrumque verò ſimul completè faciant unum quid, quod famem vocamus vel ſitim.

Fames in quo cõſiſtat

Quid fames & ſitis formaliter.

Neque hic de nomine litigandum eſt, cum & Medici & Philoſophi id variè uſurpent, & partim ex arbitrio partim ex uſu pendeat, penes quem eſt res & norma loquendi. Et ex dictis

Colligitur 1. hanc utramque definitionem eſſe formalem, prior autem quæ per appetitum deſcribuntur, eſſe tanquam per cauſam finalem. 2. famem oriri ex defectu alimenti, & ſitim ex ordinaria & conſueta humidi conſumptione factâ diſſolutione ab æſtu, intemperie viſcerum, cibo falſo, balneo &c. unde patet, cur quò plus ſunt potæ, plus ſitiantur aquæ, quia ſcil. frigus aquæ per antiperiſtaſin auget calorem ventriculi & fauces ardere facit; ſimiliter cur pueri plus fameant quam ſitiant quia abundant humore. 3. famem & ſitim eſſe triſtem ſenſionem habentem aliquod objectum qood percipiant, cum omnis actus verſetur circà aliquod objectum; Sicut autem objectum utriusque quateous per appetitum definiuntur, ſunt alimentum & polus; Ita etiam ejusdem famis & ſitis ſub ratione doloris objectum nihil aliud eſt niſi ſiccitas & ariditas præternaturalis ſtomachi conſumpto humido radicali, ut ait Fern. 6. phyſ. c. 10.

DIFFICVLTAS XVII.

In qua parte corporis ſit fames & ſitis.

NOTA 1. famem eſſe duplicem, unam naturalem, & alteram præternaturalem. Illa eſt quæ fit ſervato ordine oaturali certisque legibus. Hæc, eum ſit contrarium. 2. duas eſſe cauſas primarias eſuritionis, reſolutionem ſeu inanitionem partium & ſuccum acidum ſeu melancholicum, qui infuſus in ventriculum maximè ipſis os vellicat. Quod ſi ergò eveniat ut nimia ſit inanitio. vel oimia atræ bilis copia, naſcitur fames non naturalis, cujus ſunt duæ ſpecies, una dicitur fames canina, hoc eſt, nimia & inſaturabilis appetitio cibi; alteram Medici picem vocant, quæ tunc exiſtit, cum ex redundantia pravorum humorum ventriculos ſimilia appetit iis quæ in ſe habet; vide de his Valeſ. 5. quæ veri. c. 5. Ariſt. in probl. ſ. 28.

Cauſa famis.

Adverte, in fame & ſiti hæc obſervanda eſſe; 1. intemperiem ſive inanitionem & vellicationem; 2. ſenſionem hujus ſive actum doloris. 3. appetitum, quo animal hanc inconvenientiam ſiſtere deſiderat: His poſitis

DICO 1. ſi fames & ſitis 1. modo accipiantur, jam conſtat exiſtere in ipſo ventriculo, quia hic ſolus patitur, ut conſtat ex dictis.

DICO 2. ſi fames & ſitis definiantur appetitu, pooendæ ſunt in ea parte in qua ipſe appetitur: An verò io corde vel cerebro, id alibi habetur.

DICO 3. ſi fames & ſitis pro ſenſione ſive actu doloris ſumantor, ad appetitum ſpectant, quia actus doloris recipitur in appetitu ſenſitivo, & quia ibi eſt actus, ubi ejus poteotia; ſed fames & ſitis ſunt actus quidam, ergò. Ita Conn. 2. de anima c. 11. q. 2. a. 2. & plerique alii, qui docent ſive fames & ſitis accipiaotur pro ſenſione doloris ſive pro appetitu ſive pro utroque, ſemper collocandas eſſe in ea parte, in qua eſt appetitus ſenſitivus. D. Thom. in. 3. diſt. 15. q. 2. a. 2. docet quidem dolorem eſſe in ſenſu tactus, triſtitiam in appetitu, cum videatur ibi eſſe dolor ubi eſt læſio ſive intemperies, & hæc ſit in omoi parte ubi eſt ſenſus tactus; ſed hanc ſententiam alibi retractavit & cooclusit, dolorem eſſe etiam in appetitu, & oriri à læſione facta in corpore, & ſic famem prout dolorem ſignificat, eſſe in appetitu. Sunt tamen & alii; qui velint dolorem in tactu conſiſtere & in eo recipi in quo recipitur intemperies qualitatum; probant primo quia in ſententia contraria dum pungitur oculus non

Fames ubi?

Dolor ubi.

ſentiret oculus dolorem ſed cor vel cerebrũ, cujus tamen contrarium ſuadeat experientia. 2. ſi manus dormienti aduritur, dolor percipitur ante omnem apperitum &c. ſed de his plura de ſenſibus externis, ubi de ſenſu tactus & dolore agetur.

DIFFICVLTAS XIIX.

Quamdiu poſſit vita naturaliter absque cibo & potu tolerari.

HUjus difficultatis non eſt par ratio inter hominem & bruta, ſed nec ead. inter hæc, quia cum quædam ſint calidiora, quædam frigidiora, minus ſuſtinebunt illa famem, quæ calorem habent efficaciorem. quia quò plus ſubſtantiæ hic diſſipat, eò plus de alimento illa reſarcienda eſt. Vt autem de ſolo homine vel etiam de homine & brutis quædam ſine ordine & in confuſo conſtent.

DICO, ſi homo lentum habeat calorem, & multum de pituita ſive de frigido & viſcoſo humore, probabile eſt eum aliquot menſes ſi non annos ſine cibo & potu vivere poſſe. Probatio ſumitur ex variis hiſtoriis & experimentis; Nam Concil. ſect. 10. probl. ultimo refert, ſuo tempore fœminam 30. annorum in Normannia ſine cibo & potu 13 integris annis vixiſſe; ſic ſacerdos quidam Gallus tempore Nicolai quinti pontificis biennium totum à cibo & potu abſtinuit, & ultrà quadriennium puella Spitenſis, quam Ferdinandus primus Imperator anno 1540. veritatis explorandæ gratiâ per ſuos medicos aſſervari & obſervati juſſit: Plura vide apud Volaterr. l. 32. de fragilitate, quorum omnium cauſa eſt ut ait Delr. diſquiſ. magic. l. 2. q. 21. vel morbus præcedens vel reſiduus humor in corpore crudus lentus & viſcoſus, quo calor naturalis pro alimento utitur donec totus abſumatur, animal i vel homine interea ſano forti nec ulla macie tentato, quod idem intellige de urſis quibus tota dormitur hyems ex Ariſt. 8. animal. c. 15. ut humores crudos quos prius in corpore ex nimia voracitate collegerant, jam ſenſim digerant. Sicut autem hæc naturaliter fieri poſſunt, ita & alia ope Dæmonis, cui non difficile eſt diutiſſimè hominem absque cibo & potu conſervare, quia poteſt omnia illa perficere, quæ viribus naturæ legeque ordinaria perfici ſolent, ut videre eſt apud D. Proſperum l. de promiſſione Patrum, ubi refert puellam obſeſſam 70. dies jejunaſſe. Quod ſi itaq; diuturna inedia cauſam nullam manifeſtam habeat, & ſubinde hujusmodi memorabilia accidant, ea vel peculiari Dei beneficio fieri vel artibus magicis & deceptionibus malorum ſpirituum credendum eſt, quia hi æſtivitatem caloris vitalis in humidum radicale neſciunt aliter impedire niſi ſubminiſtrando novum humidum & alimentum. Cæterùm probabiliter judicant Medici cum Hipp. inediam 7. dierum homini eſſe mortalem, unde etiam vix infirmos ex tot dierum abſtinentia curant, quæ tamen ordinaria ſunt, ne quis putet id nunquam aliter atque aliter fieri contrà experientiam & rationem, quæ docet corpora quoad internas viſcerum, humorum & complexionum diſpoſitiones plurimùm variare: Hinc enim plerique ad inæquale tempus inediam homini citrà interitum extendunt ut patet de Cognaro qui l. 1. de continentia c. 7. terminum humanæ naturæ ultrà dies 11. ponit. Nam certum eſt pueros & juvenes quique calidiores ſunt, minus tolerare inediam quam ſenes quique multo phlegmate abundant, eò quod in iis calor multum conſumat, quod proinde cibo & potu reſtaurandum eſt,

Quæres, cum per inediam tam cibi quam potus tolerantia intelligatur, an homini facilius ſit abſtinere à cibo vel potu, ſepoſito etiam omni potu alimentali, quemadmodum de multis experientia docet, quod ſe in annos & menſes ſolo potu vel certè paucisſimo alimento ſuſtentent. *An cibi vel potus inedia facilius tolerari poſſ.* Reſp. quamvis pueri & pituitoſi facilius à potu, juvenes autem & cholerici à cibo abſtineant; ordinariè tamen difficiliorem eſſe tolerantiam potus, quia hic potentius vires frangit & ſpiritus diſſipat, non ideò quod eo deficiente nutritio aut generatio ſanguinis & ſpirituum ceſſet; quia conſtat hanc in defectu alimentorum ceſſare, ſed quia calor cordis nimium intenſus & vires frangit & ſanitatem lædit, potu autem frigido in ventriculo ejusque orificio quod cordi proximum eſt; contemperatur.

DI-

DISPUTATIO DECIMA-QVARTA.

De alimento hominis Orientis.

EX materia ſementiva factum eſt corpus organicum, & per acceſſum animæ rationalis vitâ omnibusq; facultatibus dotatus homo: Et licet puſillus adhuc intrà matris viſcera recumbat, vivit tamen vitam perfectiſſimam, adeò etiam ut cum paulatim nutritione accreſcat, omnibusque membris abſolutiſſimus exiſtat, jam alimento opus habeat: Hoc nimirum facultatis naturalis objectum eſt de quo egit Ariſt. 2. de anima c. 4. aliisq: in locis, imò de quo ſpecialem librum fertur ſcripſiſſe, qui tamen ad noſtras manus&ad noſtra tempora non venit: Eſt autem apud omnes in confeſſo, alimentũ id dici quod converti poteſt in ſubſtantiã viventis, quam reſtaurat & conſervat, unde juxtà Gal. l. 1. de fac. alim. c. 1. & l. 3. de temper. c. 2. & 4 alimentum à medicamento diſtinguitur, quod hoc ſubſtantiam noſtri corporis alterat ejusq; temperiem vel in melius vel in deterius immutet, quamvis in illius ſubſtantiam non tranſeat, cum ſuſcipiatur tantum vel ad noxia eliminanda vel ad qualitatem aliquam deperditam recuperandam; Alimentum verò in activis qualitatibus totâq; ſua ſubſtantia ita hominem reſpicit, ut ejus ſubſtantiam deperditã reſtauret, vires reſarciat, qualitatum harmoniam conſervet ſingulisq; partibus robur addat: In delitiis ſcil. eſt animali, à quo etiam tantoperè expetitur, ut ab eodem quantum intrinſeca fert natura, reſtaurari & conſervari poſſit; Nam ideò datur alimentum viventi ut nutriatur, & ideò nutritur ut vitam conſervet. De hoc itaque eſt

DIFFICULTAS I.

Quid ſit alimentum.

DUplex eſt facultatis nutritivæ objectum; unum materiale & alterum formale. Objectum materiale in iis potentiis quæ aliquid efficiunt, dicitur eſſe materia aliqua, in quam potentia ſeu facultas inducit formam, ſicut lignum, lapis, metallum dicitur objectum materiale ſtatuarii, Et hoc modo alimentum dicitur objectum materiale facultatis nutritivæ, quo Ariſt. 2. de anima c. 4. ait objectum hujus facultatis debere concoqui, & turſum, omnes hujusmodi facultates uti alimento, & ibidem, debere eſſe contrarium. Objectũ verò formale dicitur finis ſive forma, quã facultas per ſuam actionem conſequitur, ut ſtatua eſt objectum formale artis ſtatuariæ; Et ita ſubſtantiæ ſive partes viventis ſunt objectum formale facultatis nutritivæ à quibus ſumit ſuam ſpeciem. Hac ergò difficultate agetur de objecto materiali, nimirùm de alimento, de cujus natura dum quæritur,

Objectum facult. nutritivæ.

DICO, alimentum à variis variè deſcribitur: Nam vocatur à quibusdam corpus mixtũ conſtans non tantum ſubſtantiis ſed etiam qualitatibus 4. Elementorum. Ab aliis dicitur quod poteſt augere ſubſtantiam noſtri corporis teſte Gal. l. de natural. facult. c. 11. vel univerſalius ab Ariſt. cit. circà finem quod poteſt converti in ſubſtantiam viventis; Nam primũ ad ſolum hominem, hoc ad omnia viventia aſtringitur: Alii ſunt qui vocant corpus non omninò ſimile nec omninò diſſimile rei quæ alitur. Alii denique ajunt eſſe corpus quod ideò à vivente appetitur ut in ejus ſubſtantiam convertatur, Explicantur ſingula Vocatur 1. corpus mixtum, quia hoc ſolum habet aptitudinem nutriendi, in quo differt ab Elementis; & ideò non tantum requiruntur in alimento ſubſtantiæ diverſorum Elemenrotum, ſed etiã 4. primæ qualitates inter ſe ad quandam connaturalem cum vivente proportionem reductæ; Non enim quodlibet mixtum quod omnium Elementorum ſubſtantias & qualitates participat, ad alitionem valet, ſed illud tantum quod in his debitam & connaturalem cũ vivente proportionem habet. Dicitur 2. quod poteſt augere ſubſtantiam corporis, intellige ad exigentiam rei viventis; Non enim omne quod auget corpus, eſt ejus alimentum ſed illud tantum quod naturaliter ſubſtantiam deperditam reſarcit; ſic cibi vitioſi & aquei ſive peregrinis qualitatibus infecti viſcera interna potius inflant, in tumorem attollunt, corrumpunt, alienisque à viventibus qualitatibus imbuunt, unde laudabili nutrimento & nutritione opus eſt, quæ ſubſtantiam corporis augmentet. Dicitur 3. quod poteſt converti in ſubſtantiam viventis, intellige plantas, bruta & hominem, quia in his dum vivunt, requiritur alimentum, & quidem tale quod ſemper deperditam ſubſtantiam corporis reſtauret. Dicitur 4. quod nec omninò ſit ſimile nec omninò diſſimile rei quæ alitur ut infrà patebit. Dicitur ultimò quod ideò à vivente appetitur ut in ejus ſubſtantiam convertatur; nam licet non ſit primus finis viventis ut alimentum quod appetit, convertat in ſubſtantiam, eſt tamen ſecundarius. Et hinc

Alimentũ quid.

DICES 2. ideò viventia appetunt cibum præſertim animalia perfecta ut famẽ tollant, ergò non ideò ut nutriantur & augmentantur. Ante reſponſionem adverte, diverſum eſſe appetitum in viventibus, quia quædam appetunt obſcuriſſimè & ſine ulla cognitione ut plantæ; alia cum cognitione imperfecta ut bruta; alia denique cum cognitione perfecta ut homo; Jam Reſp. quamvis in brutis non ſit finis primarius, multò minus in vegetabili-

Plin. 25. Hiſt. natural, c. 2. Canitque Matt. 5. Epigramm. profecit poto mithridates ſæpè veneno, toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi. Reſpond. eum hac adverſione, ſæpè fieri ut res quædam uni ſpeciei ſint alimentum & alteri venenum ob diſcrepantiam naturarum & complexionum. Deinde accidit, ut vegetabilia in quibusdam regionibus naturam ſuam & conditionem propter diverſas diſpoſitiones terræ cælorumque influxus mutare ſoleant, ſicut in malo perſico certum eſt quæ in perſide ſata & plantata toxicum eſt homini, in Europa verò alimentum & cibus gratiſſimus. Adhæc tantum facit conſuetudo, ut tandem etiam illud fiat naturæ conveniens quod prius contrarium fuerat. Et hoc docet Ariſtot. 21. probl, 14. & Hipp. 2. de ratione victus in acut. t. 33. ubi ait ununquemque eos cibos quibus frequenter utitur, facilè tolerare, quamvis natura ſua non ſint boni, & è contrà ægrè ferre inſuetos licet mali non ſint. Struthio non coquit ferrum, ut patet ex alibi dictis, licet digerat crudiora ob certam ſtomachi conſtitutionem, quod idem de cæteris animantibus intellige. Quod quidam homines innocuè venenum hauſerint, id in conſuetudinem referendum eſt, tum quia tales ad initium in parum quantitate illud aſſumpſerunt, ejusque vim epoto alexipharmaco paulatim præoccuparunt adeoq; ſenſim aſſuefecerunt naturam, ut de Mithridate ſcribit Galenus. Adhæc quod uni eſt venenum, id alteri dulce poteſt eſſe nutrimentum & contra ob diſcrepantiam naturam, ut conſtat in ſturnis & homine, quorum huic cicuta eſt toxicum, illis gratum nutrimentum.

DIFFICVLTAS III.

Quæ ſint conditiones alimenti.

Alimentum eſt ſubſtantia, eſt mixtum, eſt alterabile, eſt viventi nec omninò ſimile nec omninò diſſimile &c. Iam quæritur an hæc ſufficiant, vel an adhuc aliæ requirantur conditiones ad verum & legitimum hominis alimentum.

DICO, alimentum imprimis debet eſſe ſubſtantia ex 2. de anima c. 4. quia aliàs non poſſet angere vivens. Secundò debet eſſe ſubſtantia corporea, alias non poſſet ſubſtitui in locum ſubſtantiæ deperditæ. 3. debet eſſe contrarium ei quod alitur, intellige quoad qualitates eò quod ſimile non agat in ſibi ſimile. Quartò, non debet eſſe omninò diſſimile quoad qualitates & materiæ diſpoſitionem, quia ſi eſſet adeò diſſimile, animal abhorreret illud nec poſſet concoquere ut patet in faſtidientibus, metallis, venenis, lapidibus, nimis calidis, frigidis, duris, taris &c. Nam qui faſtidiunt, tantum abeſt ut alimentum in bonum & laudabilem ſanguinem convertant, ut potius cum pernitie magnoque corporis incommodo illud in depravatam corruptamque materiam commutent. De lapidibus; metallis aliisque ſolidioribus ſubſtantiis maniſeſtum eſt, quod propter nimiam reſiſtentiam, quæ ex terrea ſubſtantia provenit, non poſſint à vivente quod temperatè humidis & calidis nutriri cupit, evinci. Quare venena non poſſint eſſe homini aut bruto alimentum, eadem eſt ratio cum iis quæ propter vitioſas & peregrinas qualitates non nutriunt, quod infrà dicetur. 5. alimentum debet eſſe humidum & calidum; Nam communiſſimum eſt illud, quod vita in humido & calido conſiſtat, quæ proinde ſimilibus conſervanda eſt. Neque dicas, qualitates debere diverſas eſſe ab iis quæ ſunt viventis, quod ſimile non agat in ſimile; quando enim dicitur, quod alimentum debeat eſſe contrarium viventi in qualitatibus, intelliguntur omnes qualitates tam activæ quam paſſivæ cæteræque materiæ diſpoſitiones, quod tamen in alimento humido & calido v. g. in carne & ſimilibus aliis falſum eſt. Sexto debet eſſe mixtum ex Ariſt. 2. de gen. c. 8. hinc nullum elementum per ſe & in ſtatu ſuo naturali poteſt eſſe ordinarium alimentum viventi; Ratio quia elementum vel eſt nimis activum ut ignis, qui omnia corrumpit; vel nimis fluidum & rarum ut aer & aqua; vel nimiùm reſiſtens ob ſoliditatem & ſiccitatem ut terra. Ut enim aliquid ſit animalis alimentum, debet magis pati ab ejus facultate & potentia nutritiva quam illi reſiſtere vel agere in illud. Septimò, alimentum debet eſſe ſapidum & dulce; Nam ut ait Ariſtot. de ſenſ. & ſenſ. omnia nutriuntur dulci vel mixto cum dulci, quod videtur ſic eſſe intelligendum ut ſit conveniens & congruum viventi ex 8. Hiſtot. animal. cap. 1. & Gal. l. 4. ſimpl. Medic. cap. 9. ſiquidem omnia quæ in humido & calido conſiſtunt, quæque benè per calorem concocta ſunt, gratum & ſuavem habent ſaporem.

Elementa quare non nutriant.

DIFFICVLTAS IV.

An & quomodo alimentum debeat eſſe calidum, humidum, ſapidum, dulce &c.

Ratio dubitandi eſt, quia alimentum debet eſſe diſſimile viventi quoad qualitates; Si autem eſſet humidum & calidum, jam non eſſet diſſimile. Deinde multa ſunt alimenta tam virtualiter quam formaliter calida aut frigida ut vinum, piper, lactuca, pepones, Endivia, py-

pyta, poma, fructus ribium &c. hanc itaqne controvetſiam ut intelligas

Adverte 1. qnando dicitut, quod alimentum debeat eſſe humidum & calidum, vel iurelligendum eſſe, quod ſit formalitet tale, id eſt, actu humidum & calidum ut ſuut juſeula calida; vel virtualitet, id eſt, habeat virtutem humectandi & calefaciendi, etiamſi actu frigidum ſit & ſiceum, ut vinum quod calefacit etiamſi formalirer ſit frigidum, ſemen melonum bumectat, quamvis ad ſenſum non ſit humidum ſed ſiecum. 2, alimentum hominis & viventis aliquando ſumi pro eo quod remotè dicitur eſſe alimentum, & quod adhuc alteraudum eſt antequam in ſubſtantiam viventis rranſmutetur, cujusmodi in animalibus ſunt comeſtibilia & potabilia, iu plantis ſuccus aqueus; aliquando verò pro eo qnod ptoximè poteſt nutrire, nec amplius multum alteranduin eſt, ut ſanguis & humores ſecundarii in animalibus, & ſuecus aqueus benè digeſtus in plantis. 3. nou eſſe neceſſarium, ut alimentum in eodem gradu eum vivente ſit virtualiter aut formaliter calidum, quia ſufficit, ut à calore animalis ad eum gradum ſibi connaturalem redigatur ut patet in ſanguine qui licet ſit ex cibis virtualiter etiam frigidis, accipit tamen ab animali calorem optimè eonducentem. His poſitis

DICO 1. verum eſt, quod alimentum debeat eſſe contratium rei quæ alitur quuad qualitates. Patet ex dictis, quia alias ceſſaret omuis actio. Per qualitates autem intellige non tantum activas, ſed etiam paſſivas & cæteras omnes materiæ diſpoſitiones; Nam in juſculo v.g. vel vino ealente quamvis ſit humot & ealot utpote viventi conformes qualitates, deficiunt tamen reliquæ diſpoſitiones quæ ad proximè nutriendum corpus requiruntur, imò & in ſanguine, licet proximum ſit viventis nuttimentum & habeat calorem cum nomine animali non abſimilem, deficiunt tamen adhue aecidentia quæ ante nutritionem in aliam ſubſtantiam variis alterationibus introducenda ſunt, ut patebit infrà diſp. de bumoribus.

DICO 2. quamvis non ſit neceſſarium ut alimentum remotum ſive formaliter ſive virtualiter humidum & calidum exiſtat, debet tamen ptoximum ita eſſe affectum. Primum prob. in endivia, cichorio & aliis quam plutimis, quæ in laudabilem ſanguinem convertuntur, licer formalitet & virtualiter ſint frigida. Prob. ſecundum, quia vita animalis conſervatur calore & humore, non frigore autem & ſiccitate quæ ſunt qualitates mortis etgò alimentum proximum quo animal nuttitur & conſervatur, debet eſſe non tam humidum quam calidum, hoc quidem cauſaliter, illud autem materialiter, quia in humido optimè fundatur calor, calidum verò eſt tanquam principium & fundamendum vitæ.

DICES 1. ſi immediatum alimentum quale eſt ſanguis, neceſſariò ſemper eſt calidum, ergò cibi frigidi nnnquam poſſunt nuttite, quia ex ipſis nuuquam gignitur ſanguis calidus; ſed hoe falſum eſt, ergò & illud. Reſp. neg. ſequelam majoris, quia licet ex cibis frigidis gignatur ſanguis ſtigidior quam ex calidis, proptet ea quod hi jam prius calorem contineant; nihilominus tamen etiam ſanguis ex cibis ftigidis decoctus calet ſi non calore proprio ſaltem alieno, qui videl. in concoctionibus è vivente datus eſt: Nam etiam cibus frigidus materia capax eſt, iu qnam animal & vivens de novo calorem introducat. Itaque aliquando totus ealot qui eſt in ſanguine, eſt à corpore, pauciſſimus à propria natura alimenti.

Vnde calor in ſanguine.

DICES 2. ſæpè opus eſt dare homini cibos frigidos & ſiccos, præſertim quando exiccationem requirimus. Reſpoud. primo, id fieri per accidens, quando videlicet calor & humor excedit, ideòque ad utrumque contemperandum contraria cogimur adhibere. Secundò, quamvis demus cibos ftigidos & ſiccos, hi tamen in ſanguinem calidum & humidum converti poſſunt, aeeepto uimirùm utroque à corpore viventis. Inſtabis, ſi etiam ex cibis frigidis & humidis generabitur ſanguis calidus & humidus accepto calore & humore ab animali, ergò periude eſt dare cibum frigidum vel calidum, ſicenm vel humidum, & conſequenrer nulla fiet contemperatio humoris & calotis exeedeutium; Reſpondetur negando aſſumptum, quia ſanguis ex eibis frigidis & ſiecis productus minus habet caloris & humoris, quam qui eſt ex calidis & hnmidis; nam hic eſt ex qualitate propria, illa ex aliena.

DICES 3. fames definitur appetitus calidi & ſicci, ergò alimentum non debet eſſe humidum. Reſpond. neg. ſeq. quando enim definitur appetitus ſicci, non eſt ſenſus, illud quod appetitur, debere eſſe per ſe & virtualiter ſiccum, eſto ſit per accidens & formaliter tale. Nam corpus ut reſtauretur, cupit humectari per ſe & non ſiccari, quod etiam faciunt cibi formalitet ſicci ut panis, caro aſſa, quibus præter ſubſtantiam ſolidam quæ ad nutritionem requiritur, etiam humiditas ineſt, unde etiam alimento potius convenit ſiccitas propter bonam ſubſtantiam quâ corpus nutriat. Deinde reſpondetur, alimentum poſſe eſſe imò debere exiſtere calidum & ſiccum, illud quidem ad conſervandam vitam, hoc verò quia ſiccum eſt ſi conferatur cum humiditate abſolutè ſumpta, ideſt, cum humido aqueo quale non debet eſſe alimentum ut corporis ſubſtantiam reſtauret, ſed potius ſiceum, id eſt, ſolidum & ſubſtantioſum. Denique reſpondetut, dum fames definitur appetitus calidi & ſicci, intelligi alimentum remotum, v.g. cibos comeſtibiles; quando enim dicitur, alimentum debere eſſe calidum & hnmidum, intelligi alimentum ptoximum & immediatum, videl. ſanguinem.

DICO 3. ut ſit aliquid alimentum, non eſt abſolutè neceſſarium ut ſit dulce aut benè ſapidum. Probatio ſumitur ab experientia, quia multa eſculenta nec dulcia ſunt nec palato ſuavia quæ tamen nutriunt. Sed nec opus eſt ut dulcedo aut quivis alius ſapor gratus in quolibet alimento reperiatur, quia ſequuntur illi primatum qualitatum commiſtionem quæ ubique multùm variat; Eſt tamen dulcedo gratus ſapor qui appetitum excitat ut patet in omnibus quæ quò ſuaviora ſunt & palato gratiora, eò magis appetuntur; faciuntque ad nutritionem & ſanitatem. Deinde etiam alimentum proximum, id eſt, ſanguis concoctus & benè elaboratus, dulce eſt, quia eſt opus caloris, habet in ſe ſemper benigniſſimum calorem, quo viventi aſſimilis eſt.

DICES, multos eſſe, qui non appetunt alium cibum quam acidum vel ſalſum, ergò ſalſum eſt, dulcedinem adeò eſſe neceſſariam. R. ad hanc objectionem Ariſtot. lib. de ſenſu & ſenſili, alimentum ex dulci ſuppeditari & reliqua ſaporum genera ad uſum alimenti eodem modo commiſceri, quo acidum & ſalſum pro condimento cibi & ejus commendatione. Itaque negatur conſeq. quia ſalſum & acidum ita ſunt loco condimenti in cibis, ut niſi ad ſint, natura utplurimum nuttimentum averſetur, licet ad illud per ſe & ſimpliciter non pertineant. Et hinc colligitur ex Ariſtot. citato, arborem & dulcedinem alimenti intelligenda eſſe de proximo non remoto. Nam ſolus ſanguis quieſt proximum alimentum animalis, humidus eſt, calidus & dulcis, non item alimẽtum remotum ut patet experientia; vel certè q[illegible] dicitur quod alimentum debeat eſſe dulce, intelligen[illegible], naturæ utplurimùm dulcia magis convenire propter bonitatem ſubſtantiæ & propter benignitatem caloris qui in dulcibus dominatur.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo differant inter ſe alimentum, medicamentum & venenum.

ADvette 1. medicamenta vel eſſe alterativa tantùm ut endivia quæ refrigerat, vel alterativa & motiva ſimul ut Rhabarbarum aliaque purgantia, quę præter vim motivam ſimul calefaciunt, aſtringunt, &c. 2. Ex medicamentis tam alterativis quam motivis alia fortius agere, alia mitius, alia validiſſimè ut dicetur l. 2. Diſp. 20. de qualit. virtualibus. 3. Non omnibus tam ſpeciebus quam individuis eandem rem eſſe medicamentum vel venenum, ut conſtat, quia quod aliis delirioſum eſt, id aliis vel individuis ejuſdem ſpeciei vel diverſis ſpeciebus ob naturas diverſas & diſpoſitiones contrarias eſt ingratum. 4. Venenorum maximam eſſe latitudinem, ut patebit Item l. 2. Diſp. 15. de Venenis.

DICO 1. non ideò diſcriminantur alimentum & medicamentum, quod unum agat alterum patiatur. Ratio eſt, quia utrumque agendo repatitur, eſt unum debilius, alterum fortius, ergò. Confirmat hoc experientia, dum videmus multorum purgantium v. g. vires nonnunquam ita in viventium corporibus obtundi ut vel patum vel nihil operentur. Deinde certum eſt inter qualitates contrarias dari reactionem non tantum eodem tempore ſed etiam in eadem parte & ſecundum eandẽ contrarietatem, quia aliàs non daretur mixtio ex Elementis ut probant Phyſici; Nam dum ad generationem mixti omnia 4. Elementa concurrunt, ſi nullum reagat & unum ita agat ut reliqua corrumpat, non generabitur mixtũ. Adhæc videmus guttam aquæ conjectam in ignem, hunc nonnihil extinguere, rum paulatim ipſam abſumi; videmus etiam duos gladios hebetari, duas pilas reſilire, duas ambullas inter ſe culliſas frangi, ergò omnia non poſſunt fieri abſque actione & reactione, de qua tamen pluribus vide phyſicos. *Inter omnem actionem phyſicam an detur.*

DICES, Gal. lib. de ſimpl. Medic. Facult. docere, naturam alimenti hanc eſſe ut à vivente patiatur, & medicamenti ut in illud agat. Reſpondeo &

DICO 2. alimentum & medicamentum differunt in hoc quod illud plus patiatur hoc fortius agat, quo modo & ſenſu intelligendus eſt Galenus. Concluſio & probatio ejus deſumitur ab utriuſque natura & differentia eſſentiali, quam ſequitur alius modus operandi; Nam alimentum habet hanc cum noſtro corpore familiaritatem & cognationem tam in activis quam in paſſivis, ut per concoctionem illi fiat ſimile, quod in medicamentis non eſt; hæc enim quia toto genere à natura corporis humani diſſentiunt, in illud cui per actionem caloris aſſimilari non poſſunt, potentiſſimè ad corruptionem operantur, licet unum plus alterum minus ob cujuſque vires & facultates proprias, cum & medicamenta ſuas habeant ſubſtantias, quibus hominem nutriant.

DICO 3. tantum differt venenum à medicamento quantum hoc ab alimento & proinde maximè hoc à veneno. Ratio eſt, quia maximè diſtat venenum in qualitatibus totaque ſua natura ab homine ejuſque corpore, ergò cum plus & efficacius in illud operetur quam medicamentum, minus quidem ab hoc, plus autem ab illo diſtabit. Et confirm: quia ideò venenum hoc nomen obtinuit, quia tota ſua ſubſtantia ut ajunt Medici, contrarium eſt animali & imprimis homini, cujus vitam & calorem vitalem ſummis ſemper viribus oppugnat.

DIFFICVLTAS VI.

An medicamenta & venena nutriant animal.

VIdetur quod ſit, quia videlicet habent ambo conditiones alimenti, quod ſint ſubſtantiæ corporeæ, mixta, quod ſint naturis ſuis humida, calida, ſapida, dulcia &c.

Adverte, mixta poſſe dupliciter ſpectari, 1. ſecundum ſe tota; 2. Ut ex variis ſubſtantiis ſeu partibus elementaribus coagmentantur, quarum quælibet ſuam habet vim & facultatem operativam, ut patet in lactè cujus partes acteæ & pingues moderatè ſunt calidæ & nutriunt, aliæ verò ſeroſæ quia ſunt frigidæ & teſpondent elemento aquæ, minus convertuntur; Eadem intellige de mille aliis. Jam.

DICO 1. ſi medicamentum primo modo, id eſt præcisè ſecundum ſe ſpectetur, non poteſt eſſe nutrimentum animalis. Prob. medicamentum ut ſic, ordinatur ex natura ſua ad hoc ut vel alteret vel moveat, atque ita in corpus agat minusque ab eo patiatur, ergò ex natura ſua non reſtaurabit ejus ſubſtantiam deperditam. Antec: patet ex ipſis terminis, quia ideò dicitur medicamentum, quia corpori ægro medetur non alimentando aut nutriendo, quia ſic eſſet alimentum, ſed movendo, alterando & noxia expellendo. Nam quod advertendum, medicamenta dum ſecundù quasdam partes benigniores humano corpori ſunt familiaria, non operantur corruptivè ſed conſervativè illud, quia convertuntur in ejus ſubſtantiam ideòque non medicamenti ſed alimenti rationem habent. Mixta itaque ſub ea ratione, qua refrigerant, humectant, emolliunt, aperiunt, ſtringunt, rarefaciunt, &c. Idq; in ordine ad ſanitatem ſimpliciter & non ad nutritionem, ſunt medicamenta non alimenta; Dico in ordine ad ſanitatem ſimpliciter, quia poteſt lactuca v. g. lac, vinum aliaque quamplurima priusquā convertantur in ſubſtantiam viventis, nonnihil partes animalis alterare, non tamen 1. in ordine ad ſanitatem reſtituendam ſed ad nutriendum corpus, quod absque hujusmodi præviis alterationibus perfici non poteſt. Et hinc

DICO 2. ſi medicamentum 2. modo ſpectetur, id eſt, pro certis quibusdam partibus & ſubſtantiis alimentalibus, nutrire poteſt vel plus vel minus. Prob. medicamentum eſt ex variis elementorum ſubſtantiis coagmentatum, habetque ut plurimùm partes quæ confines ſint & reſpondeant corpori humano, ergò probabile eſt per varias alterationes & concoctiones converti poſſe in ſubſtantiam deperditam viventis, in quo vera nutritio conſiſtit. Quod autem alia plus, alia minus, eſt earum intrinſeca natura, qua inæqualiter corpus viventis reſpiciunt. Et hinc non convenit omnibus medicamentis habere rationem nutrimenti, quia habent quædam multas partes alimentales, quædam paucas vel etiam nullas, dum videl. longius à vivente diſtant & proximè ad naturam veneni accedunt.

DICO 3. nec venena ut ſic nutriunt. Ratio eadem eſt quæ prior, imò efficacior, quia venena torâ naturâ totâque ſubſtantiâ ut ajunt Medici, ab animali differunt, in eujus etiam corruptionem ab intrinſeco magis intendunt. Dico tamen ut ſic, quia probabile eſt etiam habere ſubinde quasdam ſubſtantias alimentales, & quia animalibus quibus cedunt in nutrimentum, non ſunt venena ſed alimenta, ſicut conſtat quod ſturni comedant cicutam, gallinæ araneas, &c. Iisq; nutriantur. Et huc ſpectant omnia mixta, quæ dum aliquam ſpeciem integram vel in aliqua ſpecie quædam ſolùm individua nutriunt, ſolius alimenti rationem habent, quamvis ex ſe virulenta ſint.

DIFFICVLTAS VII.

An elementa poſſint nutrire.

Senſus difficultatis eſſe poteſt an Elementa vel in ſtatu naturali poſita vel prout nunc ſunt, poſſint eſſe nutrimentum animalis.

DICO 1. nullum Elementum per ſe ſolum ſive ſeorſim ſumptum & in ſtatu naturali poſitum poteſt eſſe alimentum viventis, poteſt tamen eſſe aliquo modo & remotè. Primum eſt Ariſtot. 2. de gen. c. 8. & l. de ſenſ. & ſenſ. tum aliorum Philoſophorum communis, & prob. ex eo quia Elementum in ſtatu ſuo naturali conſtitutum non habet eam cognationem & ſimilitudinem cum vivente, ut ab eo ad mediocritatem aliquam reduci & in ſuam ſubſtantiam converti poſſit, ergò non poteſt eſſe alimentum. Antec. patet inductione, quia ignis in ſtatu ſuo naturali nimis ratus eſt & activus combureretque & deſtrueret animal; ſimiliter aer per ſe non poteſt cedere in alimentum propter raritatem & qualitates activas. Aqua, quia ſicut & aer nimis rarus eſt vel potius nimium fluidus. Terra denique ſua ſiccitate qua nullibi cohæret, reſiſtit omni digeſtioni & converſioni in ſanguinem, quia in ſubſtantiam humidam converti non poteſt, cum eandem nec formaliter habeat nec virtualiter. Prob. ſecundum, quod nempè elementum poſſit eſſe remotè ſaltem alimentum, quia viventia nutriuntur ex mixtis; ſed mixta conſtant ex Elementis, ergò dum viventia ex mixtis nutriuntur, dicuntur etiam nutriri ex Elementis, ſi non proximè ſaltem remotè.

DICO 2. Elementa extrà ſtatum naturalem poſita & inter ſe commixta & confuſa poſſunt eſſe alimentum viventium. Prob. 1. in herbis, arboribus, plantis, ſtirpibus, quorum omnium alimentū eſt terra & aqua cum aere confuſa & permixta ut patet ex Ariſtot. citato. Prob. 2. in talpis, ſerpentibus & aquatilibus quæ non terra aut aqua puris ſed inter ſe commixtis nutriuntur; Et conſtat quod Elementa nusquam apud nos in ſtatu puro reperiantur. Quod ſi tamen

DICAS 1. Chamæleonem ſolo aere veſci, ut tradit inter alios Plin. l. 8 c. 33. imò teſtatur Rondel. l. 1. de Piſcibus cap. 13. Romæ quendam hominem 46. annis nunquam comedisse, ſed ſola inſpiratione aeris vixiſſe. R. ſi quando obſervatum fuerit ſolo aere vixiſſe aliquod animal, intelligendum eſt aere non puro, qui vix uſlibi habetur, ſed impuro & aliis corpuſculis aut animalculis undique pleno. Nam ut de chamæleonte pauca dicā, refert inter alios

Scalig.

Scalig. exerc. 196. in Card. hoc aoimal muſcas capere & vorare, quod maniſeſtum ſignum eſt, non ſolo aere vivere. Quid de homioe illo, quem Rondeletius ait tot annis ſola aeris inſpiratione vixiſſe, dici poſſit aut debeat, incertum eſt, niſi fortè hoc quod naturaliter factum non ſit, ſi tamen verum eſt quod narrat. Ad hæc ſi

DICAS 2. Ex Ariſtot. 5. hiſt. animal. c. 19. & Plin. l. 11. c. 35. In ærariis fornacibus Cypri vivere quasdam beſtiolas muſcis paulò grandiores intermedios ignis; quod autem his ipſis veſcantur, ſignum eſt, quia ſtatim emotiuntur, quamprimum extrà ſornaces & ignem volatu ſe abripiunt. Reſp. 1. falſum eſſe, pyrauſtas aut aliud quoddam animal in igne vivere, ut benè docet Ariſt. l. 5. biſt. animal. c. 19. 2. Si verum eſt ita contingere, dici poteſt non igne ſed quibusdam exhalationibus lapidum, qui ibi comburuntur, veſci. 3. Putant multi cum Conn. in ſuis probl. ad finem librorum de cælo, Ariſtotelem id referendo tantum non affirmando ſcripſiſſe.

DIFFICVLTAS VIII.

An odor vinum aliaque liquida nutriant.

DICO 1. Odor ut eſt qualitas, non nutrit. Prob. alimentum debet eſſe ſubſtantia corporea ut conſtat ex ejus conditionibus; ſed odor ſic ſumptus non eſt ſubſtantia, ergò non poteſt eſſe alimeotum. An autem odor nu-
Odor non nutrit. triat prout comprehendit fumoſam exhalationem, incertũ eſt, & videtur probabile poſſe hoc modo ſumptum nutrire, quia ſunt quædam mixta alimentoſa plena hujusmodi odoriferis exhalationibus quæ cum ſint ex optima ſubſtantia, nil prohibet earum converſionem in laudabilem optimumque ſanguinem. Neq; dicas, caput petere & ferire; quia non omnes feruntur ad caput, ſed quædam digeruntur cum ſuppoſito & transmutantur io ſanguinem. Quod ſi

Odor quomodo reficiat. QVÆRAS, quomodo odor tantoperè reficiat animo delioquentes, aut in extremis poſitos aliquanto tempore nonounquam ab interitu conſervat. Reſp. quicquid de ultimo & Medici & hiſtorici fabulentur, primum ideò fieri ſolet, qoia odor gratus percellit organa præſertim cerebri, quibus cor maximè conſentit, tum reficit ſpiritus quibus tenuitate ſubſtantiæ & calore ſimillimus eſt ut videre eſt apud Ariſtot. citatum.

DICO 2. Vinum, mulſum, cerevisia, juſcula aliaque liquida verè nutriunt. Ratio eſt, quia mixta ſunt, habentque multas ſubſtantias craſſiores, quæ ob naturæ benignitatem io ſanguioem mutari poſſunt, quod confirmat experientia non tantum in ægris ſed etiam in ſanis, quorum vitam conſervant & ſubſtantiã deperditam ſæpè multis diebus & menſibus reſtaurant hujusmodi ſoli liquores, quia ſubſtantioſi ſunt facilèque digeſtibiles, ut patet dè cerevisia mediocri, qua homines mirè oon tantum ſaturantur ſed etiam creſcuot. Et quid non videmus io plantis & arboribus, quarum alimentum eſt aqueos humor pauco terreo commixtus, quo tamen in centenos annos nutriuntur & præ cæteris viventibus in ingentem altitudinem & latitudinem excreſcunt.

DIFFICVLTAS IX.

An metalla, lapides, terræ &c. poſſint converti in ſubſtantiam viventis.

VAria ſunt genera mioeralium & foſſilium ut conſtat apud eos qui hæc ipſa ex profeſſo tractarunt. Et de his omnibus quæritur, an ſive à calore viventis ſive ab aliquo agente extrinſeco poſſint diſſolvi & in ſubſtantiam viventis converti.

Suppono, per ſolutionem non tantum intelligi, cum metallum v. g. liqueſcit, ſed etiam cum in aliam formam v. g. in cioeres, &c. tranſit. Jam

DICO 1. Omnia corpora dura & ſolida poſſunt diſſolvi ſive per artem ſive per naturã. Prob. 1. quia conſtat nihil hactenus fuiſſe rerum ſublunarium, quod noo fuerit à cauſis naturalibus transmutatum & in aliam ſubſtantiam converſum. 2. Omnia mixta ab intrinſeco ſunt corruptibilia, ergo ſicut ſeipſis per naturam, ita etiam per artem diſſolvi & corrumpi poſſunt. Hoc confirmatur in metallis qoæ igne liquantur, & in lapidibus quia aqua igne aliisque èxtrinſecis corrumpuntur, in ferro quod rubigine exeditur, in reliquis mixtis inanimatis, quæ vetuſtate per extrinſecas cæli & elementorum injurias pereunt. Quare autem quædam mineralia ſint liquabilia ut aurum, argentum, plumbum, &c. Quædam non ut lapides, vide Diſp. 8. Diffic. 10. hujus libri de productione rerum non viventium. Sed an mineralia ut metalla & lapides etiam à calore animalis ita decoqui poſſint, ut in ejus ſubſtantiam convertantur? Reſp. &

DICO 2. quamvis non ſit probabile, metalla & lapides poſſe à calore animalis ſolvi & digeri, probabile tamen eſt, poſſe unà cum terris jam ſoluta vel in minutiſſimos pulveres trita ſecundum certas ſubſtantias eſſe ejus alimentum licet difficulter. In hac concluſione tria dicuntur, primum quod terræ poſſint eſſe alimentum viventis & animalis; ſecundum, quod metalla & lapides non poſſint & animali digeri & in ſtomacho ſolvi; tertium quod jam prius ſoluta difficulter poſſint in ſubſtantiam animalis converti. Jam prob. primum èx concluſ. 2. Diffic. 7. accipiendo terram non puram ſed mixtam, ejusmodi ſunt bolus armenus, terra lemnia, ſamia, cretica, ſal, ambra gryſea, &c. Prob. ſecundum, quia metalla & lapides vix poſſunt à vehementiſſimis caloribus

aliis-

Digitized by Google

aliiſque validiſſimis agentibus ſolvi, ergò minus à calore temperato viventis. Neque dicas multa poſſe per calorem ſtomachi digeri, quæ per calorem igneum non poſſunt, v.g. uniones in gallinis, ferrum in ſtruthione, &c. quia Reſp. hæc commenta eſſe & fabuloſa, ut ex alibi dictis habetur. Deinde metalla & lapides vel ſunt ſubſtantiæ terreæ, vel ſi aquam habeant admixtam aut aliquid humidi unctuoſi, illud miſtione tam perfectè coagmentatum eſt, ut à calore viventis nullo modo ſit ſolubile, quod etiam liquidiſſimè teſtatur & confirmat experientia. Quod pro tertio difficulter metalla & lapides poſſint eſſe alimentum viventis; Deſumitur ab eorum ſubſtantia nimis ſolida & perfectiſſimâ unione humidi pauci cum multo terreo & ſicco, quæ digeſtivæ facultati reſiſtit; Nam ſicut difficile eſt metallum aliquod v. g. aurum ab agente extrinſeco liquari, difficillimû verò quò minus per receſſum ſoluentis & liquantis ad priſtinam ſoliditatem & conſiſtentiam redeat; Ita quoque difficile eſt hunc nexum à calore vitali ſolvi, vel eo ſublato benignæ viventis ſubſtantiæ aſſimilari, cum præſertim inter digerendum in ſtomacho fiat ſeparatio omnium ſubſtantiarum Elementarium ipſumque alimentum ſub novam formam paulatim abeat, ac proinde & illud acceſſorium quod aurum ſoluerat, deperdatur. Quod cæterùm probabile ſit, metalla quædam & lapides poſſe cedere in alimentum viventis, ſi in minutiſſimos pulveres terantur, eadem eſt ratio, quæ de terris, quia videlicet ſunt mixta habentque multas ſubſtantias viventi proportionatas, quæ etiam à calore vitali poſſint ſufficienter digeri.

Quare metallum liquatum non facilè poſſit eſſe alimentum.

Et hinc colligitur quid de auro potabili chymicorum æſtimandum ſit, cujus tanti effectus ubique ſparguntur. Si enim verum ſit, ſub hac mixtura quidquam auri contineri, tantum abeſt ut nutriat, ut potius lædat & corrumpat. Nam imprimis calor ſtomachi aurum decoquere non poteſt; niſi fortè ſecundum minutiſſimas ſubſtantias ſive particulas. Deinde ſi ſolutum ſit ab aliquo acceſſorio, manet ſolùm ex hujus præſentia in ſtatu ſibi præternaturali ſolutum & liquatum, eoque recedente præcipitatur & redit ad ſoliditatem priſtinam, quod fieri neceſſum eſt in ventriculo, ubi fit ſeparatio partium elementarium ejus quod in alimentum cedere oportet; Denique aurum nullam habet virtutem medicam quæ corpori ſit proficua, adeòque falſum eſt quæ de ejus effectibus in animo linquentes & agoniſantes ſparguntur.

DIFFICULTAS X.

An animalia perfecta ſolo ſanguine nutriantur.

POſt alimentum remotum ſequitur proximum, quo nutriuntur animalia tantùm quæ ſanguinem habent: Nam conſtat quæ hoc carent, non alî niſi corpore quodam quod proportione quadam ſanguini reſpondeat; An itaque hoc immediatum alimentum ſit ſolus ſanguis, an inſuper aliquid aliud, magna ſemper controverſia fuit inter Medicos.

Obſerva, alimentum proximum in animalibus perfectis aliquando ſumi pro ipſo ſanguine qui immediatè ab Epate vel corde venas ingreditur & conſtituit maſſam illam ex 4. diſtinctis humoribus conflatam; aliquando pro ſanguine in venis habituque corporis perfectiſſimè decocto, quo ſolo à priori differt; Aliquando denum pro ipſis humoribus ſecundariis, qui proximè & ultimatè in ſubſtantiam viventis adgenerantur. Quæſtio eſt de quo ſanguine ſermo ſit; Nam Gal. Hipp. aliique Medici docent corpus nutriri ſanguine prout complectitur cæteros 4. humores; Ariſt. autem a. de Part. animal. c. 3. lib. de ſpiritu aliiſq; in locis ſolo puroque ſanguine nutritionem fieri ſcribit, eumque ſequuntur Concil. differ. 30. Jac. forol. q. 30. in a. p. Thom. de Garb. q. 24. ſummæ Medic. aliique viri magni.

DICO 1. ſanguis qui continetur in venis, eſt alimentum quaſi proximum animalium perfectorum. Eſt communis doctrina, & Prob. 1. proximum alimentum animalium perfectorum eſt, quod decoctione eſculentorum conficitur, quodq; natura ſua humidum eſt & calidum; Sed hoc ſanguis eſt & præterquam nihil aliud, ergò. 2. In defectu ſanguinis deficit nutritio ut patet in atrophia, inedia aliiſque hujusmodi affectibus, ergò hic objectum eſt, circà quod in animalibus perfectis occupatur vis & facultas nutritiva. 3. Quotieſcunque ſanguis venarum vitioſus eſt & corruptus, animal vitiosè nutritur, ergò manifeſtum ſignum eſt hunc ſolum eſſe alimentum proximum. 5. Alimentum debet eſſe dulce; ſed ſanguis in venis dulcis eſt, ergò. Major eſt Ariſt. l. de ſenſ. & ſenſ. Gal. 1. de alim. facult. &c. Dixi quaſi proximum, quia licet nulla ſit alia ſubſtantia quæ animal nutriat, multa tamen adhuc decoctione opus habet, donec convenienter in ſubſtantiam animalis convertatur, ut ex dicendis patebit.

DICES 1. unumquodque membrum nutritur alimento ſibi ſimili ut docet Ariſt. lib. 1. de gen. cap. 5. aliiſque in locis. Sed ſanguis non eſt omnibus membris & partibus ſimilis, ergò, minor Prob. Nam quædam membra ſunt calida ut cor, quædam frigida ut cerebrû, quædam ſicca ut oſſa, quædam humida ut ſpinalis medulla, &c. Quædam referunt naturam ſanguinis ut Epar & caro, quædam flavæ bilis ut pulmo, quædam melancholici ſucci ut lien, quædam pituitæ ut cerebrum. Reſp. ſanguinē eſſe ſimilem omnibus membris & viſceribus virtualiter, & habere potentiam ad omnes formas partium ſicut materia prima ad omnes formas compoſitorum phyſicorum, ideòque poteſt à facultate nutritiva per prævias alterationes in omnium naturam & ſubſtantiam facilè converti non ſecus ac quilibet ſuccus ter-

tæ à plantis, quæ dum eum ſuæ ſubſtantiæ diſſimilem attrahunt, per multam digeſtionem ſibi aſſimilant; Neque enim oportet alimentum eſſe viventi omnino ſimile, ſed nec penitus diſſimile, ut conſtat, quia in illo ceſſaret actio, & in hoc deficeret virtus aſſimilatrix.

DICES 2. Si viventia ſolo ſanguine nutriuntur, ergò reliqui 3. humores ſunt inutiles; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud. Reſp. neg. ſeq. majoris, quia ſunt ipſæ partes ſanguinis venoſi quem conſtituunt, & quo cum faciunt veram maſſam ſanguineam quæ in venis exiſtit; Neque enim humores hi aliud ſunt quam ſanguis aut blioſus, aut pituitoſus, aut melancholicus ut infrà patebit de humoribus. Vel reſpondetur commodius, ſi ſanguis ſumatur pro maſſa quæ conſtituitur in venis ex 4. diſtinctis ſuccis, falſum eſt tres illos eſſe inutiles, quia ſunt proxima materia ex qua loquitur ſanguis perfectus ſicut ex pane chylus & ex hoc ſanguis. Si autem ſanguis accipiatur pro ea ſubſtantia quæ in ultimis venis perfectè decocta proximè ad humores ſecundarios & nutritionem diſponitur, tunc deſinit denominatio vel natura trium humorũ, quia jam perfectè in ſanguinem vel blioſum, vel pituitoſum vel melancholicum multa decoctione converſi ſunt.

DICES 3. Ventriculus alitur chylo, veſicula fellis bile, inteſtina pituita, &c. Ergò non ſolo ſanguine. Reſp. neg. antec. abſolutè, quicquid etiam multi ex Medicis infirmiter opponant. Nam ſolo ſanguine omnia membra & viſcera univerſi corporis nutriuntur, nulla bile aut pituita. Quod autem quædam partes hunc aut illum humorem excrementalem attrahant & recipiant, ideò fit ut natura quæ ubique provida eſt mater, ſanguinem ab inutilibus repurget.

Solo ſanguine nutriuntur omnia membra animalis.

DICO 2. Non totus ſanguis venoſus alimentum eſt animalis. Ratio, quia ſanguis qui in venis eſt, multas habet partes excrementitias & ad nutritionem inhabiles, præſertim apud ſeptentrionales, ubi alimenta ex defectu caloris min' quam apud meridionales concocta & ab excrementis repurgata ſunt, ut patet dum vena aperitur & ſanguis concreſcit; Nam videmus tum partem aliam omnino aqueam & inſipidam, aliam amaram, aliam nigram & feculentam, &c. Ergò non totus eſt alimentum animalis.

DICO 3. Sanguis eſt quidem alimentum proximum viventis ſed non immediatum. Ratio eſt, quia ſanguis qui continetur in venis, adhuc variè decoquitur, multaſque ſubit immutationes antequam in ſubſtantiam viventis convertatur, ergò non eſt immediatum alimentum. Confirmatur authoritate Ariſtotelis, Galeni & Medicorum, qui docent diverſas eſſe ſubſtantias à ſanguine, quibus immediatè animal nutriatur, de quibus infrà videbitur.

Sanguis non eſt immediatum alim. animalis.

DICO 4. immediatum alimentum viventis ſunt 4. humores ſecundarii non amplius in venis majoribus, ſed vel in capillaribus, vel potius in ipſis membrorum & viſcerum poris exiſtentes. Prob. immediatum viventis ſive animalis alimentum non eſt ſanguis venarum ut conſtat, ergò humores ſecundarii, in quos abiit ille ultimò, quia nihil aliud ſupereſt. Et confirmatur, quia alimentum immediatum non debet amplius converti in aliam ſubſtantiam quam ſolius viventis, quod de ſanguine venarum dici non poteſt, quia antequam hic tranſeat in ſubſtantiam viventis, omnem bilis utriuſque & pituitæ naturam exuit adeoque multipliciter concoquitur & immutatur, quouſque tandem in humores ſecundarios, id eſt, in ſubſtantiam quandam roridam albam & glutinoſam evadat, quæ ſit proximè & immediatè potens in ſubſtantiam corporis converti.

Sed 4. humores ſecundarii.

Colligitur, etiam pituitam & utramque bilem quæ alimentales ſunt & venis inexiſtunt, dici poſſe alimentum proximum viventis, quatenus ſcilicet in verum & legitimum ſanguinem ſunt convertibiles.

DIFFICVLTAS XI.

An reverà omnia membra ſolo ſanguine nutriantur.

NOn eſt hic quæſtio, an omnia membra proximè & immediatè nutriantur ſanguine, quia conſtat ejuſmodi alimentum eſſe humores ſecũdarios ultimò decoctos & ad ſummam perfectionem redactos de quibus Hipp. l. de alim. & omnes cum Galeno ſuo Medici. Quæſtio itaque eſt an etiam ventriculus, cyſtis fellea, pulmones, lien aliæque partes corporis viventis nutriantur hoc eodem ſanguine variè decocto, an verò etiam bile, chylo aliiſque humoribus ut multis tam hujus quam priorum ſeculorum Authoribus placuit. Nam Gal l.3. de fac. alim. cap. 13 & 6. de plac. c. 14. Valet. 2. controv. c. 3. & alii multi abſolutè affirmant, ventriculum chylo nutriri. Averrh. 2. collig. cap. 9. docet, ſuperiorem partem ventriculi chylo, inferiorem autem tranſmiſſo ab Epate ſanguine nutriri. Avic. 1. p. doct. 5. ſumm. 5. c. 2. ait, extremam tunicam ventriculi ſanguine, internam chylo quem tangit, enutriri. Dinus in ſuis quæſtionibus ait, ventriculum vi quadam inſita convertere chylum in ſanguinem eoque nutriri. Sic ex modernis non pauci ſunt, qui cyſtin felleam bile, & lienem ſucco melancholico alimentari docent. Sed

DICO omnes partes animalis nutriuntur ſolo ſanguine decocto, nullæ chylo, nullæ bile, melancholia aut alio ſucco: Eſt contra multos Medicos, ſed & contra Conn. qui l. 1. de gen. c. 5. q. 8. art. 2. docent, quod ventriculus aliquam chyli portionẽ ſibi vendicet eamque in ſubſtantiam propriam convertat, quæ opinio non multum abſimilis eſt illi quam Dinus habet. Sed Concluſionis argumentum efficaciſſimum & ex Ariſtot. deſumptum eſt, quod videlic. univerſim omnia membra ſolo

Nulla pars corporis alitur bile &c.

iſto

Google

iſto humore qui calidus humidus & dulcis, tanquam amico, familiari, congruo & convenienti alimento, cujuſmodi nullum penitus aliud eſt, præter ſanguinem gaudeant. Neq; dicas alimentum debere eſſe diſſimile rei alendæ; quia reſpondetur, hoc ipſum eſſe, quod chylus non poſſit alere ventriculum, nec bilis cyſtin felleam, quia videl. diſſimiles nimiùm ſunt hi ſucci nec affinitatem ullam habent ut ſanguis, qui dum ſimilis cum re nutrienda non eſt, nec eſt omninò diſſimilis. Et hinc ad corroborandam concluſionem non fruſtrà obtinuit ventriculus venas multas ſatis conſpicuas ex Epate ad ſe deflectentes ut demonſtrat Fern. l.6. Phyſiol. c. 1. ſed ideò ut nutriantur ſanguine. Veſica fellea duas accipit à porta venulas non aliam ob cauſam, quam ut ſanguine per eas adducto nutriatur. Lien attrahit quidem ſuccum melancholicũ, ſed non ut eo reficiatur, quia ſanguinem in multiplicibus ſuis venulis pro nutritione ſufficientem habet, ſed potius ut eum inde expurget, quod idem de renibus & eorum ſero expellendo intellige. Hoc eodem modo cerebrum non nutritur pituita quæ tamen longè melior eſt quam utraq; bilis, ſed ſanguine quem plurimæ venulæ deferunt: Sic veſica non nutritur urinâ, ſed ſanguine in venis ſuis ſatis conſpicuis contento. Sic inteſtina omneque genus membranarum aluntur ſanguine quem in maxima copia ſuarum venularum habent. Sic oſſa alimentantur ſi non ſanguine formali, ſaltem aliquo humore alto ex ſanguine benè decocto, quem eundem in omnibus reliquis viſcerum nutritionibus intellige, tum quia oſſium medulla parum excrementum eſt, tum quia oſſa nudiq; poris plena ſunt per quos hujuſmodi glutinoſum & albidum hauriant alimentum. Eſt autem ratio totius concluſionis, quia humor quo immediatè nutriuntur oſſa, nervi omneſque partes corporis, eſt calidus, humidus, dulcis & ſubſtantiâ ſuâ proximè conformis ſubſtantiæ partium viventis ſive animalis, cujuſmodi affectiones nec habet bilis nec pituita nec melancholia niſi remotè, quia videlicet mixta ſunt, quorum aliquæ fortè particulæ in ultimos humores converti poſſunt, ſicut & in purum ſanguinem & hic in ſubſtantiam immediatam. Itaque falſum eſt quod Sennertus aliique Medicorum non pauci ſcribunt, ideò videlicet partes corporis diverſum requirere alimentum, quia & ipſæ diverſæ ſunt. Nam etiam in arboribus & plantis diverſæ ſunt partes, ut radix, truncus, folia, fructus, ſemina flores, &c. Et tamen aluntur eodem ſucco terreo & aqueo, quem omnes partes noverunt convertere in ſuam ſubſtantiam. Confirmatur denique concluſio, quia non poteſt fieri ulla nutritio, niſi ab ejuſmodi ſubſtantia, quæ paulatim aſſimiletur partibus nutriendis, quod nec de chylo nec de pituita & utrâque bile dici poteſt, niſi prius convertantur in ſanguinem & humores ſecundarios, quod tamen nullibi niſi in ſolis venis viſcerumque poris accidit.

DICES 1. oſſa nutriuntur medullâ, & nervi humido albido & glutinoſo ut habet Ariſt. 3. Hiſt. animal cap. 3. aliiſque in locis, ergò non omnes partes nutriuntur ſolo ſanguine. Reſp. neg. antec. quia oſſa non nutriuntur medulla quæ eorum excrementum eſt, ſed ſanguine in humores ſecundarios converſo, quod idem de nervis intellige: Nam ſanguis quando jam ultimò decoctus eſt proximèque ad ſubſtantiam viventis accedit, albidus eſt, glutinoſus humorique ſeminali ſimilis ut voluit Ariſtoteles.

DICES 2. Ventriculi nutrimentum eſt chylus, bilis veſicæ felleæ, lienis ſuccus melancholicus, ſerum renum, pituita cerebri, &c. ergò falſum eſt quod totum corpus nutriatur ſanguine. Reſp. licet multis videatur probabile, quod ventriculus aliqua portione chyli nutriatur, verius tamen ſed & veriſſimum eſt ſolo ſanguine id agi tum propter conditiones alimenti & rationes jam allatas, tum quod neceſſe non ſit fingere nutritionem à chylo, qui materia & ſubſtantia cruda eſt & indigeſta, ideòque multiplici digeſtione opus habet.

DICES 3. Gal. 3. de natural: fac: c. 9. ait, ſicut canibus ſuaviſſima ſunt excremẽta humana, ita quoq; vẽtriculo, lieni, veſicæ felleæ, &c, jucunda & ſuavia eſſe chylum, bilem, ſuccumque melancholicum. Reſp. parum eſſe quid Galenus per hanc ſuavitatem intelligat; Et poteſt eſſe ſenſus, quod quædam partes corporis à natura ad hoc inſtitutæ ſint, ut excrementa in ſe aliquandiu recondant, quouſque paulatim expellentur, non autem quod iis nutriantur, quia ad hoc nullam omninò habent aptitudinem: Et conſtat cuivis ſpeciei viventium eſſe res certas gratas & ſuaves, quæ loco alimenti aſſumant & in ſanguinem convertant, quod nihil ad evertendam concluſionem facit.

DIFFICULTAS XII.

An ſanguis ſit primum fœtus alimentum in utero matris.

NUtrimentum haurit infans & corpus organicum eo tempore intrà matrem, quo animatur & vivit, jam quæritur an hoc nutrimentum ſit ſanguis an aliquid aliud.

Adverte malè à Cajetano & aliis poni duplicem ſanguinem, unum qui ſit purum nutrimentum, alterum qui pertineat ad conſtitutionem corporis tantum; Nam ſanguis ille qui ſecundum Cajetanum conſtituit corpus, vel eſt pars corporis animale vel non eſt; Non primum ut infrà dicitur, ergò ſecundum, & habebit rationem non excrementi quod abſurdum foret, nec Agentis quia non eſt calor ut ſpiritus, ergò nutrientis.

DICO, ſanguis eſt primum & ſolum alimentum fœtus in utero. Ita docent Medici. Ante probationem Adverte 1. fœtum in utero materno per membranas & vaſa variè alligatum

tum eſſe de quo videri poſſunt Anatomici. 2. Tunc primum nutritionem incipere in fœtu, cum anima acceſſit. 3. Sanguine ali non ſuo quo caret ſed matris per venam umbilicalem fluente. Hæc propagatio, eſt venæ portæ, qua mediante ad fiſſam Epatis fertur & per hanc funditur à matre ſanguis in Epar tenelli fœtus ubi magis coquitur: Pars hujus craſſior & crudior per radices portæ in ventriculum, lienem, inteſtina aliaque alenda diſtribuitur, ejusque reliquiæ veluti excrementa per ramum ſplenicum & meſentericum in inteſtina protruduntur, ubi demum longa mora & calore exiccantur; Purior verò in truncum cavæ à qua in ſingulas partes defertur. 4. In fœtu non fieri primam concoctionem in ventriculo, nec ſecundam in Epate, ſed tertiam in venis habituque corporis, hauriri autem ſanguinem à matre jam prius in ipſa decoctum. His poſitis Prob. concluſio 1. illo ſolo nutritur fœtus, quod à matre trahit & haurit; Sed hoc nihil eſt aliud quam ſanguis, ergò. Major eſt omnium Medicorum & præſertim Anatomicorum, qui fusè deſcribunt & explicant modum & vias quibus fœtus à matre trahat alimentum: Quod autem hoc nihil ſit aliud quam ſanguis, inde patet, quia mater nihil aliud in ſe ſuisque vaſis præter hunc ſanguinem continet, quo & ipſa tanquam communi animalium perfectorum alimento nutritur. 2. Prob. Authoritate Gal. de ſympt. cauſ. cap. 7. ubi ait fœtus puſillus & tenellus primis menſibus ſanguinem puriſſimum trahit, ſed grandior ſimul purum & impurum. Hipp. mulier inquit uterum gerens tota ſit pallida, quia ſincerus ejus ſanguis quotidiè à corpore detrahitur, & ad nutritionem fœtus deſcendit; Intellige tamen ſanguinem matris ſincerum qui in ejus venis continetur & nondum ultimatè perfectum, in fœtu autem magis adhuc perfectibilem; Sicut enim in adultis, ita quoque in parvulis & in fœtu ſanguis eousque calore vitali coquendus eſt, donec ultimam in venis capillaribus ipſisque ſingulis membris perfectionem qua ad nutriendum habilis ſit, adipiſcatur.

DICES, apud Gal. reperiri diviſionem in ſanguinem purum & impurum; habet enim ipſe quod fœtus primis menſibus trahat ſanguinem purum &c. Ergò diſtinctio illa Cajetani non eſt falſa. Reſp. Galenum non conſtituere duas ſingulares ſpecies ſicut Cajetanus qui purum ab impuro videtur eſſentialiter diſtinguere: Quod autem ſanguis unus ſit altero purior aut impurior, ex ſe manifeſtum eſt habeturque ex morbis, venarum ſectionibus, complexionibus, natura alimentorum, variis corporum diſpoſitionibus & ex ipſa natura ſanguinis vel magis vel minus concocti variisque humoribus & ſubſtantiis commixti.

DIFFICVLTAS XIII.

An ſanguis quo alitur fœtus in utero, differat à menſtruo.

QUi ſanguinem menſtruum vitioſum faciunt, venenoſum totoque genere contrà naturam, hi negant eum eſſe alimentum fœtus in utero materno. Cum enim hic tenellus ſit & delicatus, fieri non poſſe ajunt ut à ſucco vel alimento maligno nutriatur: Quod autem ſanguis ille ſit malignis qualitatibus imbutus, probant experientiâ, quia terram fermentare facit corrumpitque ſingula quæ tangit: Ex quo concludunt alium eſſe ſanguinem quo fœtus nutriatur, ſinceriorem nempè, puriorem & ex aliis venis quam ex uterinis affluentem.

Suppono, omnem ſanguinem in corpore animalis exiſtentem eſſe ſibi continuum & ubique ejusdem rationis, nec differre niſi quod in uno loco ſit purior, in altero impurior, hic magis ibi minus decoctus, idque iisdem de cauſis, ex quibus fit ut idem animal diverſis temporibus diverſum coquat ſanguinem, videlicet ſinceriorem, crudiorem, calidiorem, frigidiorem, &c. Tam propter diverſum cibum & potum quam propter diſcrepantes interioris corporis qualitates & diſpoſitiones.

DICO, omnis ſanguis maternus, etiam menſtruus poteſt eſſe alimentum fœtus. Ita docent Medici, & probatur 1. ſanguis maternus ubique eſt ejusdem rationis, ergò alimentalis. 2. Mulier gravida nunquam aut varò patitur menſtruas purgationes, ergò ſignum eſt, eum ad nutritionem fœtus determinari. Neque dicas, fluere quidem ad fœtum cum ſincerior, ſed tum à natura ut excrementum ſecerni; Quia reſpondetur, hoc commentum eſſe, cum fœtus exiguum toto ſuæ perfectionis tempore colligat excrementum, & majori ex parte aquoſum ut docet experientia in parturientibus. 3. Galenus expreſsè dicit, quod fœtus primis diebus ſinceriorem ſanguinem ad nutricatum attrahat, quia ſcilicet pauco indiget, ſequentibus autem menſibus purum ſimul & impurum eò quod copioſius jam deſideret alimentum. 4. Ideò patiuntur fœminæ menſtruas expurgationes, quia abundant ſanguine, quem totum ob caloris imbecillitatem decoquere non poſſunt & in ſubſtantiam ſuam convertere niſi tempore geſtationis, quo & ſe & fœtum nutriunt, ergò quisquis ſanguis eſt in fœmina, is fœtui alimentum eſt; Si dicas eſſe aquoſum & ſeroſum, reſpondetur, nihilominus comprehendere multas partes & ſub-

ſubſtantias, quæ viventi alimento eſſe poſſint, ut ſimiliter patet in cachecticis, in hydropicis & quibuscunque ſanguis vitioſus aut ſeroſus exiſtit, ubi ſemper natura trahit quod eſt optimum. 5. Nullæ ſunt fœminæ, quæ vel rarò vel certè parum ſanguinis expurgant, ſed totum illud in corporis ſubſtantiam convertunt, ergò ſignum eſt, eſſe alimentum ſicut proprium ita alienum. 6. Sanguis maternus non eſt excrementum, ut norunt Medici, ergò alimentum. 7. Parvuli nutriuntur lacte, quod gignitur ex ſanguine menſtruo, ergò hoc eodem nutriendur, dum ſunt intrà uterum. 8. Si hic ſanguis tam virulentus & nocivus eſſet, quo nec parvuli nutriri poſſent, ſequitur, fœminas gravidas nunquam benè ſentire, quia nocumento eſſet utero iisque viſceribus, quibus detineretur; Sed hoc falſum eſt & contra communem experientiam, ergò & illud.

DICES, ſanguis hic menſtruus vocari ſolet excrementum alimenti ultimi partium carnoſarum & ſolidarum, ergò ad nutricatum inutilis eſt. *Reſp.* neg. conſeq. quia non ideò ab alimento ultimo membrisque ſolidis repellitur, quod tanquam inutilis ab utili ſecernatur, aut quod vitioſis & malignis qualitatibus ſit imbutus, ſed quod abundet nimia copia & quantitate; Hinc enim natura nullo remedio meliori providere potuit quam à copioſo ſanguine partem aliquam ſecernere & per convenientes meatus expellere, ut reliquam commodius evincat & concoquat. Et eadem eſt ratio in lacte & ſemine, quod utrumque ex ſuperabundanti ſanguine progignitur.

Ad Argumenta initio propoſita reſpondetur, poſſe quandoque fieri ut ſanguis menſtruus ſit vitioſus, corruptus, malignus, vel quia in utero longâ morâ corruptionem & noctuas quantitates contraxit (illuc enim omnis generis humores tanquam ad communem excrementorum locum confluunt), vel quia eſt fœminæ morboſæ vitioſiſque humoribus abundantis; Et hujuſmodi ſanguis non alit fœtum, vel certè fœminæ quæ ejuſmodi impuritatibus abundant, rarò ingravidantur: Confluit autem ſanguis ad uterum, non ut ibi vitioſas & malignas qualitates ex ſe contrahat, ſed ut poſt ſolitam decoctionem in nutrimentum ejus cedat. vel ut à reliquo ſanguine cum ob copiam totus nutrire non poſſit, ſecernatur, & per uteri meatus excernatur, de quo vide Caſp. Hoffmannum l. 1. de generat. hominis, c. 25.

DIFFICVLTAS XIV.

An & quomodo vegetabilia nutriantur.

PEr vegetabilia intellige plantas, herbas & quicquid ſolam habet animam vegetativam: Et de his omnibus cum conſtet augeri, quæritur hic an & quomodo per veram proprieque dictam nutritionem, id eſt, per intus ſuſceptionem præiis alterationibus & concoctionibus alimenti augeantur. Ratio dubitandi eſt, quia in vegetabilibus non eſt talis organorum ſtructura, in quibus alimentum ad futuram nutritionem ſatis decoquatur.

Suppono, hæc eſſe prima corpora, quæ propriè per intus ſuſceptionem nutriuntur & augentur, quia habent primam & maximè diviſibilem animam, ſcil. vegetativam quæ eſt formale principium actionum vegetabilium; ſecus in mineralibus & foſſilibus, quæ cum careant anima vegetativa ſed habeant ſolam formam mixti, etiam per juxtapoſitionem augentur contrà Cardanum & alios qui lapidibus, metallis &c. vitam nimis imprudenter aſſcribunt.

DICO 1. Alimentum, quo vegetabilia nutriuntur, eſt ſuccus aqueus, id eſt, aqua cum terra commixta. Prob. vegetabilia debent nutriri ſubſtantia aliqua corporea & mixta; ſed hæc nihil aliud eſſe poteſt, quam terra & aqua inter ſe commixtæ, ergò minor patet inductione rerum omnium mixtarum quæ in terra repetiuntur; Nam ſola aqua eſſe non poteſt, quia eſt nimis fluida; nec ſola terra, quia eſt nimis ſicca, ergò utraque mixta, ſimiliter lapides, & cætera foſſilia eſſe non poſſunt, quia præterquam quod penes plantarum & arborum radices, hæc rarò reperiantur, etiam non poſſunt eſſe vegetabilium alimentum, quia ex defectu caloris & organorum illud digerere non poſſunt: Reſtat ergò ut ſit ſuccus quædam aqueus & terreus, qui eſt alimentum congruum vegetabilibus; Quod ſi

DICAS, alimentum viventis debet eſſe humidum & calidum; ſed ſuccus hic terreus eſt humidus & frigidus, ergò non poteſt eſſe alimentum. *Reſp.* alimentum animalium ſanguine præditorum debet eſſe humidum & calidum, conceditur, quia ipſa ſunt formaliter calida & humida, non autem vegetabilium, quia hæc ſunt tantum virtualiter calida. Inſtabis, vita conſiſtit in humido & calido, ergò etiam vegetabilia erunt humida & calida, ergò eorum alimentum debet eſſe humidum & calidum, quale non eſt ſuccus aqueus ſive terreus. *Reſp.* 1. quando dicitur quod alimentum debeat eſſe humidum & calidum, intelligitur alimentum animalis proximum non remotum, quia etiam cibus formaliter & virtualiter frigidus poteſt eſſe alimentum, in quo tamen per concoctionem producatur intrà corpus novus calor. 2. etiam vegetabilia ſunt humida & calida; de humiditate imprimis nemo dubitat, quia quamprimum hanc amittunt fiuntque arida, amittunt etiam paulatim vitam ut vide-

videmus in herbis aridis & ſiccis. De calore dubium eſt, quia nullum in iis advertimus ſed potius frigus, & hoc non tantum in arboribus & plantis, ſed etiam in aquatilibus, quæ licet ſanguinem habeant, formaliter tamen ſunt frigida. Reſp. tamen, nihilominus in hujusmodi viventibus ſufficientem eſſe calorem ut ab eo quamdiu debito immiſcetur humido, non tantum in ratione mixti, ſed etiam in ratione viventis conſerventur. 3. Quamvis ſuccus terreus ſit frigidus, aliquid tamen caloris habet ſive à ſole & aſtris ſive à reliquis elementis quia mixtum eſt, ideoque ab anima vegetativa ejusque calore ſufficienter ad novam formam & ſubſtantiam diſponitur.

Etiam arbores habent ſua organa per quæ anima veget. operatur.

DICO 2. Etiam arbores & plantæ ſua habent organa & potentias quibus alimentum attrahant & coquant. De organis probatur, quia habent radices, truncum & fibras penè infinitas, in quibus alimentum variè elaboratur & perficitur. Quod etiam habeant ſuas potentias, patet ex animæ præſentia; Vbicunque enim eſt anima vegetativa, ibi etiam ſunt potentiæ, quæ ab ejus eſſentia fluunt, videlicet nutritiva, augmentativa, generativa cum adminiſtrantibus: Sed in plantis & arboribus eſt anima vegetativa, ergò etiam omnes ejus potentiæ, quibus alimentum attrahant, digerant, retineant & in propriam ſubſtantiam convertant.

DIFFICVLTAS XV.

An aliqua nutrimenta poſſint ſecundum ſe tota converti in ſubſtantiam viventis.

COmmune eſt, quod non omnia alimenta ſecundum ſe tota poſſint animal nutrire, cum pleraque vitioſas & corruptas ſubſtantias habeant, vel terreas & aquoſas quæ ad nutritionem non conducunt; Quæritur ergò de aliquibus tantum, quæ meliora ſunt & puriora: Et quia non unam ſed varias ſuſtinent concoctiones, ut primam in ſtomacho, ſecundam in Epate, tertiam in venis & ultimam in ſingulis partibus in quibus fit alimenti adgeneratio; Difficultas eſt, an in una tantum ex his decoctionibus, an verò omnibus reperiantur certa quædam excrementa.

DICO 1. Omne alimentum ſive proximum ſive remotum habet aliquod excrementum in converſione. Prob. 1. authoritate Ariſtot. l. de ſpiritu ſtatim ad initium, ubi ait quod omnis alimenti ſit aliquod excrementum. Prob. 2. experientia, quia omnia animalia habent ſuas excretiones per alvum, veſicam, poros cutis, &c. Solùm eam ob cauſam, quia alimenta ſunt impura habentque ſubſtantias ad nutriendum minus idoneas, Num omne nutrimentum eſt mixtum habetque varias Elementorum ſubſtantias & qualitates, quæ non omnes ad nutritionem valent, ut patet in partibus terreis, fluidis ſive aqueis.

DICO 2. Non tantum alimentum remotum, quale cibus eſt, qui dentibus conteritur & maſticatur, ſed etiam proximum, quale chylus eſt in ventriculo, chymus in Epate, ſanguisque in venis, ſuum habet excrementum. Ita docent omnes Medici & Prob. experientia, quia chylus non defertur totus ad Epar, ſed pars ejus terreſtrior quia minus eſt ad nutriendum habilis, deſcendit ad inteſtina, à quibus per alvum excernitur. Similiter chymus in Epate coctus non integer aut totus effunditur in venas, niſi prius à fecibus expurgetur, quarum pars ſeroſa ad renes & veſicam defluit, pars altera bilioſa ad veſiculam felleam, ſuccus melancholicus ad ſplenem, & pituita demum ad caput, ventriculum, inteſtina aliasque partes detruditur ut experientia & tota Medicorum ſchola docet: Sanguis denique in venis concluſus cum perfectius adhuc coquitur & ad ultimum nutritionis actum maturatur, ſuis quoque eluitur impuritatibus, quæ vel inſenſibiliter è poris corporis evaporant, ſi videlicet rariores ſint & meatus ampliores; Vel in ſudores, ſcabiem aliasque ſorditates abeunt, ſi craſſiores, acriores; Vel à natura per cæcos ductus & meatus ad inteſtina aliaque loca excrementis deſtinata propelluntur; Vel Medicinis expurgantibus à puriori ſanguine ſecernuntur & per meatus convenientes dejiciuntur. Et confirmatur concluſio, quia præterquam quod alimentum proximum ſuis adhuc excrementis opus habeat ut benè notant Medici, præſertim ſero tanquam ſanguinis vehiculo, videtur etiam valdè probabile, nunquam ita cibum in 1. 2. vel 3. concoctione digeri poſſe, ut ab omnibus impuritatibus perfectè expurgetur, id quod natura & cruditas ſive imperfectio totius alimenti confirmat, antequam ad ultimam decoctionem perveniat; Nunquam enim ad hanc aſcendit, niſi cum in 4. illos humores ſecundarios de quibus Infrà, mutatus eſt & jam ſubſtantiæ viventis adgeneratur, ubi nec tum viventi ſecundum ſe totum ita eſt ſimilis, ut non relinquat poſt ſe certa quædam recrementa, quæ vel inſenſibiliter tranſpirent vel in ſudorem reſolvantur. Hoc tamen adverte, alimenta in partibus ſeptentrionalibus magis abundare excrementis, minus in meridialibus locisque calidis, idque propter diſpoſitionem caloris, qui magis minusve coquit fructus terræ; Quò enim perfectius cocti ſunt, eò puriorem gignunt ſanguinem, quia carent multis cruditatibus, ut accidit in Hiſpania aliisque locis meridionalibus, ubi etiam Medici in curandis morbis longè alium obſervant modum & ordinem quam in Germania, ubi corpore multo viſcoſo crudoque humore abundant.

DICES, poſſe reperiri alimentum tantæ bonitatis & puritatis, ut ab homine qui eſt optimæ complexionis & conſtitutionis, poſſit ſecundum partes ſolidiores totum converti in ſubſtantiam corporis, quia nulla hujus utriuſque datur implicantia, ergò non opus eſt ut in quavis concoctione ſua remaneant excrementa. Reſp. Concluſionem loqui ſolùm de modo ordinario, quem obſervet hactenus quodcunque animal, non autem, quod id præcisè & abſolutè neceſſarium ſit, quandoquidem nulla de contrario datur implicantia, ut patet ex Diſp. anteced. Diffic. 12. hujus libri.

DIFFICULTAS XVI.

An & quomodo bonitas alimenti faciat ad nutritionem.

ADverte, in alimento conſiderati à Medicis 1. ſubſtantiam, 2. qualitatem, 3. quantitatem, 4. neceſſitatem ſumentis, 5. denique opportunitatem temporis quo ſumendum eſt. Jam

DICO 1. Subſtantia cibi plurimùm facit ad nutritionem. Ratio eſt, quia ex hac fit nutritio, ergò ſi bona eſt & laudabilis, bona quoque erit nutritio. Eſt autem ſubſtantia cibi & potus varia; Nam alia eſt craſſa, ſolida & concoctu difficilis licet plurimum alimentalis, ut panis, caſeus, caro bovina, amygdalæ, &c. Et hujusmodi cibus conducit validioribus naturis quique ſanitate gaudent & laboribus ſive exercitiis aſſueti ſunt; Alia facilè digeritur gignitque ſanguinem copioſum ſed non conſtantem multumque alimentalem, quia ſicut citò coquitur, ita quoque citò diſſolvitur, unde etiam naturis delicatioribus quique multo ſtudio occupati ſunt conducit; Alia denique eſt maligna, vitioſa, venenoſa & corrupta, quæ non nutrit ſed corpus lædit & ſanitatem infringit. Et quia hæc alimenti ſubſtantia eſt talis à qualitatibus ſive accidentiis; idcircò

DICO, Etiam ad bonitatem alimenti facit bona qualitas. Ratio eſt, quia hæc eſt inſtrumentum ſubſtantiæ habetque ſe ut vera cauſa efficiens, per quam eſt & agit ſubſtantia; Non enim minus agit in corpus animalis quam hujus calor in alimentum, proinde ſi alimentum moderatè humidum ſit & calidum, nec in frigore, ſiccitate, odore, ſapore, duritie, &c. Excedat, vitam conſervat & ſanitatem; Contra ſi in iis excedat, utramque opprimit; Et hinc cibus moderatè calidus & humidus quique in ſecundis qualitatibus proportionem habet, cenſetur concoctu facilis & bonus, contrà verò qui crudus eſt & in quo calor deficit humidumque aut ſiccum dominatur, ut videre eſt in fructibus recentioribus imperfectèque mixtis, in caſeo duro, ſicco, &c. Quia ab his gignitur ſanguis craſſus, crudus, ſeroſus, &c. Et huc ſpectant alimenta venenoſa quæque vitioſis & alienis qualitatibus ſunt imbuta.

DICO, 3. In alimento requiritur etiam debita & conveniens quantitas. Ratio, quia gravat illa quæ nimia eſt, diſtendit, implet, obſtruit, obruit calorem generatque humores craſſos & crudos, quia deficit calor digerens. Pauca verò vel intendit calorem, vel extinguit, corpus conſumit, maraſmum inducit, quia corpus inanitum relinquit, de quo vide Hipp. Aphoriſmos ſect. 1.

DICO 4. Non omnibus viventibus idem convenit alimentum. Ratio, quia non eadem eſt omnium conſtitutio quoad ætatem, tempus anni, ſexum, morbum & ſanitatem, complexionem cæteraſque circumſtantias. Sic alius cibus convenit infanti, alius puero, Juveni, Viro, ſeni, debili, forti, ſano, morboſo, laboranti, quieſcenti, nobili, ruſtico, fœminæ, alius denique plantis, alius animalibus terreſtribus, alius aquatilibus, &c.

DICO 5. Etiam ad nutritionem multum facit non tam corporis quam temporis conſtitutio. Ratio eſt, quia calor in hyeme eſt vigoroſior ideoque plus cibi digerit & conſumit, in æſtate verò debilior, ideoque minus alimenti deſiderat, quia minus digerit, plus autem excrementi colligit. Itaque copioſus cibus iis convenit, qui calorem multum habent ut pueris, Juvenibus, laborantibus, &c. Parcior verò quique facilis eſt concoctionis, ſenibus, quieſcentibus, valetudinariis, &c. Quia in his ob defectum caloris minus digeri & in ſubſtantiam viventis converti poteſt.

DICES, ſicut in cibo puro nihil nutrit niſi quod à calore in ſanguinem purum convertitur; Ita quoque in cibo impuro illud tantum à natura attrahitur quod bonum eſt, ergò non multum de puritate vel impuritate cibi laborandum eſt, modo ſapiat. Reſp. neg. conſeq. Ratio autem diſparitatis eſt, quia in alimento impuro natura magis inter coquendum debilitatur, minuſque corpus nutritur; Deinde vitioſæ qualitates hujus alimenti agunt in corpus magis corruptivè; Ad hæc ſemper aliquid impuri cum alimento puro rapitur ad Epar, venas & viſcera, in quibus corruptiones morboſque & alterationes progignit.

DIFFICULTAS XVII.

An & quomodo verificetur dictum illud quod ſapit, nutrit.

QUæſtio ſola eſt de alimento remoto, quia hoc ſapidum eſt in ore & palato; Et de hoc controvertitur an toties nutriat & conveniat animali, quoties illi ſapit.

Adverte 1. Sapidum non eſſe idem quod dulce, ſed quod cuivis palato gratum eſt. 2. Non quodvis alimentum cuivis viventi ſapidum eſſe ob cujuſque vel ſpeciales vel individuales corporis paſſiones & proprietates. 3. Animal vel hominem ſumi non tam naturaliter quam p. n. ſeſe habentem, id eſt, in ſtatu vel ſano vel ægro poſitum. 4. Etiam ſa-

pido

pido compatibile eſſe venenoſum & nocivum. Hispoſitis

DICO 1. Non ſemper verum eſt, quod ſapit, nutrit, licet utplurimùm. Ratio hujus poſterioris eſt, quia ſapida utplurimùm habent benignam ſubſtantiam, ſunt perfectè miſta, benè decocta, moderatè calida & humida, ideoque viventis naturæ & complexioni proportionata, ergò utplurimum nutriunt. Ratio prioris eſt, quia non eſt tantà connexio inter rem ſapidam & vim nutritivam in alimento, ut ubi unum ſit, etiam alterum reperiatur, ergò non eſt neceſſium, ut ſemper in re ſapida ſit quoque vis alimentalis. Antec. patet, quia poteſt in aliquo mixto cum bona primarum qualitatum complexione & ſapore qui eam ſequitur, aliqua exotica & venenoſa ſimul qualitas exiſtere quæ laudabili temperamenti dominetur, totamque ſubſtantiam venenoſam & viventi lethalem faciat, ut videre eſt in mercurio dulci, in antimonio, &c. Quæ ſunt ſapidiſſima & tamen tota ſua natura & ſubſtantia homini contraria, eſto ab extrinſeco accedat illis ſapor dulcis & gratus. Neque dicas Mercurium ea parte quà dulcis, eſſe alimentum, quia tota ſua ſubſtantia dulcis eſt, eâque parte quâ indiviſibiliter etiam dulcis, eſt quoque malignus & exoticus, ergò tota ſubſtantia eſſet alimentum quod falſum eſt.

DICES 1. Primæ qualitates inter ſe beoè temperatæ non poſſunt coëxiſtere alicui venenoſæ, ergò falſum eſt in mercurio aliove toxico eſſe bonam qualitatum complexionem & ſaporem. Reſp. neg. antec. ob rationem jam prius datam, quia poteſt coexiſtere alicui mixtorum proprietati optima primarum qualitatum temperies, ſi non in ordine ad nutriendum hominem vel animal, ſaltem in ordine ad ſe.

DICES 2. Aqua ſapidiſſima eſt & tamen non nutrit, quamvis non ſit venenoſa. Reſp. aquam aliquando eſſe ſubſtantiam partibus terreis perfuſam & immixtam, & tunc eſſe ſapidam & nonnihil nutrire; Aliquando puram & ab omni corporis alieni acceſſu liberam, & tunc eſſe inſipidam, vel habere ſaporem ſimplicem, non ex aliis ſaporibus qui ex varia corporum mixtione oriuntur, conflatam, nihilque nutrire.

DICO 2. Nec ſemper in corpore p. n. conſtituto nutrit quod illi ſapidum eſt. Ratio, ſæpè in hoc ſtatu appetitus eſt vitioſus, ipſa etiam organa guſtus alieno & vitioſo humore ſunt imbuta, & ea quæ appetuntur, ſunt vitioſa ex natura ſua, ergò in hoc ſtatu non ſemper alit quod ſapidum eſt, confirmatur experientiâ in fœminis gravidis, quibus aliquando in maximis ſunt deliciis carnes crudæ, carbones, cineres, quamvis non nutriant ſed viſcera multis obſtructionibus oppleant, ut noverunt Medici fieri in fœminis quoque cachecticis morboque virgineo laborantibus. Et hinc colligitur, in corpore ſano omnia ſapida nutrire, ſi abſint peregrinæ & improportionæ viventi qualitates; Nam ſapidum eſt compatibile liquido, ſolido, terreo, aqueo, aëreo, virulento, &c.

DISPUTATIO DECIMA-QUINTA.

De augmentatione hominis Orientis.

Augmentatur non tantum homo qui non ita pridem intrà matrem cepit alimentum aſſumere, ſed etiam pleraque inanimata, ut conſtat in lapidibus, auro, argento cæteriſque metallis quæ augeri videmus; In fluminibus item, fontibus, totoque mari, quæ omnia ſubinde in tantum intumeſcunt, ut civitates, oppida & integras regiones inundent; Hæc tamen ab incremento, quo puſillus homo intrà maternum uterum gaudet, & ad naturalem perfectionem properat, excluduntur, quia extendunt ſe ſolùm ad majus per juxtapoſitionem, ut fieri ſolet, cum ad cumulum lapidum plures adiiciuntur, & ad aurum nova materia cum novis auri diſpoſitionibus accedit, vel cum per meram confuſionem & imperfectam miſtionem aquæ vinum & quævis materia liquida affunditur. Nam in illa mutatione quæ eſt ad quantitatem per veram nutritionem & intus ſuſceptionem alimenti in ſubſtantiam viventis converſi, 3. hæ conditiones obſervantur; Prima, ut augmentatio fiat in ſingulis partibus ejus quod augetur. 2. Vt quod augetur, ſemper maneat idem in fine augmentationis quod erat in principio. 3. Vt illud quod augetur, in ſingulis partibus aliquid novi accipiat: Et hoc incrementum accidit homini Orienti in utero, qui hactenus tot conſtitit laboribus & difficultatibus, donec ab anima rationali, quamnuper inſpiravit Conditor Deus, inciperet vivere, tum nutriri, & jam omnium membrorum incrementum aſſumere. De omnibus igitur quæ circà hanc augmeotationem occurrunt, & inter Authores tum Philoſophos tum Medicos diſputari ſolent, eſt.

DIFFICULTAS I.

An augmentatio fœtus in utero ſit generatio vel alteratio vel quid aliud.

ADverte dum fœtus in utero creſcit, multos concurrere motus de quibus in ſequentibus patebit; Nam primus eſt tractio ſanguinis materni ad Epar, ſicut in adultis tractio alimenti ad ſtomachum. Secundus eſt alteratio quæ fit in Epate, Venis, totoque corpore. Tertius eſt generatio partialis ſubſtãtiæ quæ dicitur adgeneratio. Quartus eſt nutritio quæ eſt reparatio ſubſtantiæ deperditæ. Vltimus eſt major extenſio ſubſtantiæ & acquiſitio majoris quantitatis. Juxtà hoc itaq; motus quæritur, an augmentatio ſit generatio vel alteratio vel aliquid ab his diſtinctum.

DICO 1. augmentatio fœtus in utero eſt unus motus ſimplex. Prob. unius termini unus eſt motus ſimplex; Sed in augmentatione unus eſt terminus, videl. augmentum aliti, ergò etiam unus motus. Deinde unitas motus non deſumitur ab iis quæ ad ipſum vel antecedenter vel conſequenter concurrunt, ſed ab ejus ratione formali quâ ab aliis diſtinguitur, ergò nec augmentatio quamvis habeat multos motus antecedentes & concomitantes ipſam, ut patet ex notabili, ab iis ut ſic conſtituitur ſub ratione ejus formali, ergò per ſe & propriè eſt unus tantum motus, unde etiam conſequenter.

Augmentatio eſt unus motus ſimplex.

DICO 2. Augmentatio in fœtu differt ab ejus generatione, alteratione aliisq; motibus. Ratio, quia termini horum ſunt diſtincti; nam terminus generationis eſt ſubſtantia, alterationis qualitas, augmentationis quantitas. Deinde augmentatio eſt motus de ſubjecto in ſubjectum, quod de generatione dici non poteſt, ergò ab ea diſtinguitur; Antec. patet, quia quod augetur, debet mutari & moveri; quod verò generatur, non dicitur mutari aut moveri, ergò inter generationem & augmentationem datur diſtinctio,

Quod generatur, non mutatur.

DICES 1. augmentatio eſt generatio majoris partis ſubſtantiæ, ergò non differunt. Reſpond. augmentationem eſſe generationem majoris partis ſubſtantiæ formaliter nego, cauſaliter concedo, quia ex nutritione & accretione generatur nova pars ſubſtantiæ.

DICES 2. In accretione eſt corruptio alimenti, ergò ibi eſt generatio. Reſp. concedendo, ubi eſt accretio, ibi eſſe corruptionem alimenti, quæ videl. præceſſerit, ſed negatur ipſam accretionem eſſe generationem.

DICES 3. Augmentatio eſt motus ad ſubſtantiam, ergò non differt à generatione. Antec. Prob. 1. quia quando fœtus augetur in utero, accedit aliquid ſubſtantiæ. 2. In augmento hoc eſt adgeneratio partis ſubſtantiæ. 3. Eadem eſt potentia nutritiva & augmentativa; Sed illa ordinatur ad nutritionem, id eſt, ad adgenerationem, ergò & hæc. 4. Augmentatio eſt generatio ſimpliciter, quia augmentatio ignis non eſt niſi nova generatio ignis, ergò. Reſp. ad primum argumentum, neg. antecedens ad probationem primam antecedentis dicitur, aliud eſſe, accretionem eſſe ipſam ſubſtantiæ productionem, & aliud per accretionem accedere aliquid ſubſtantiæ, quia hoc ultrò conceditur: Et idem ad ſecundam probationem reſpondetur, quia accretio illa quantitativa ordine intentionis non eſt conſequens ſed terminans. Ad tertiam Reſp. neg. majorem, quia licet ſint ejuſdem animæ ſive ſubjecti, differunt tamen quoad rem ut alibi patet. Ad quartam Reſp. accretionem ignis in ligno vel è ligno non eſſe propriè dicendam augmentationem eò quod hæc propriè viventibus conveniat fiatque per intus ſuſceptionem, illa autem ſit juxtapoſitio, id eſt, aggregatio unius ignis ad alium, vel certè vera generatio, quando per actionem naturalem è potentia materiæ combuſtibilis educitur. Augmentatio itaque nec eſt generatio ſubſtantialis nec alteratio, ſed ab utraque eſſentialiter diſtincta, quam ut melius intelligas, ſequitur

Augm. non eſt motus ad ſubſtantiam.

DIFFICVLTAS II.

Quæ ſit natura augmentationis.

SVppono, dari augmentationem in viventibus, quia rami terræ implantati creſcunt in ingentes arbores, & puſio in virum quadratum, &c.

Adverte, nomen augmentationis apud varios variè accipi: apud Conn. 1. de gen. c. 5. q. 12. a. 1. accipitur 1. latè pro quacunque acquiſitione quantitatis in re naturali. 2. Pro acquiſitione majoris quantitatis quam ſit ea quæ in ſubjecto deperditur. 3. Pro acquiſitione quantitatis quæ fit in vivente per intus ſuſceptum & digeſtum alimentum virtute animæ, ſive hæc quantitas ſit minor, ſive æqualis cum ea quæ periit. 4. Pro ea mutatione qua vivens ampliorem quantitatem reparat quam quæ dilabitur. 5. Pro mutatione qua vivens in ampliorem molem excreſcit, quamvis ſubjectum ſecundum formam ſemper idem omninò permaneat. Alii aliter accipiunt hoc nomen augmentationis, communiter tamen & propriè pro ea aggregatione quæ reperitur in viventibus certo tempore creſcentibus & deinde creſcere deſinentibus; Fit enim aliquando accretio per continuationem quantitatis majoris quam fuit deperdita, aliquando minoris, aliquando æqualis; Prima dicitur augmentatio ex uſu communi & convenit viventi ſolùm usque ad ſtatum conſiſtentiæ, v. g. homini usque ad annum vigeſimum quintum: Aliæ duæ accretiones ſunt etiam veræ augmentationes & conveniunt viventi toto vitæ tempore; Verè enim illud augetur, quod novam acquirit quantitatem, quo modo etiam ſenes & qui in latum pingueſcunt, augeri di-

Digitized by Google

ri dicuntur; Ex quo patet, has augmentationes inter ſe tantum differre ratione connotati. Cæterùm quot modis accretio, totidem etiam decretio ſed in contrarium ſumitur. Jam

Augmentatio quid.

DICO, Augmentatio dicitur imprimis motus à quantitate minori ad majorem ex Ariſtot. 1. gen. c. 5. Deinde dicitur mutatio ſecundum quantitatem qua idem non vivens ex minori & imperfecta quantitate producitur ad majorem naturæ ſuæ debitam. Denique dicitur motus viventis factus ab anima vegetativa per calorem naturalem, quo ſecundum omnes partes ſumpto foris alimento debitam magnitudinem aſſequitur, ut ſuis operationibus ritè fungi poſſit: Hanc definitionem plerique pleniſſimam eſſe docent, quod contineat omnes conditiones ad augmentationem requiſitas, quarum 1. eſt ut maneat idem non vivens toto accretionis tempore. 2. Ut ſecundum omnes ſui partes augeatur. 3. Ut augeatur acceſſione novæ materiæ, id eſt, alimenti extrinſecus aſſumpti: Eſt etiam bona hæc definitio, quia pulchrè diſcriminat accretionem propriè dictam ab ea quæ eſt non viventium, per illas ipſas conditiones, & quia complectitur omnes cauſas quæ ad augmentationem concurrunt, unde etiam explicatur hoc modo; Dicitur 1. motus viventis ut rejiciantur motus & accretiones aliarum rerum quæ vita carent. Dicitur 2. factus ab anima vegetante, quia cum ſit actio vitalis, neceſſariò fieri debet à principio vitæ quod eſt anima. Dicitur 3. Per calorem naturalem, quia hic eſt inſtrumentum animæ. 4. Dicitur quo ſecundum omnes partes aſſequitur debitam magnitudinem, quia ſicut omnium partium eſt debita nutritio, ita etiam augmentatio, & quidem talis quæ debetur viventi quod nutritur. Dicitur 5. ſumpto foris alimento, quia hoc ipſo aſſequitur vivens magnitudinem majorem quà tale eſt. Et hinc colligitur 1. accretionem eſſe motum ad quantitatem adeoque differre à generatione quæ eſt motus ad ſubſtantiam, & ab alteratione quæ eſt motus ad qualitatem. 2. Ad augmentationem concurrere 1. cauſam materialem quæ eſt partim vivens in quo, partim alimentum ex quo fit accretio. 2. Formalem quæ eſt ipſa accretio ut eſt motus. 3. Efficientem quæ eſt anima vegetans cum potentiis ſubſervientibus. 4. Denique finalem quæ eſt debita magnitudo ſive acquiſitio terminorum quantitatis in ordine ad operationem.

DIFFICULTAS III.

Quænam actiones præcedant accretionem hominis tam intrà quam extrà uterum.

DICO 1. In fœtu uterino attrahitur ſanguis maternus per venam umbilicalem ad Epar, in homine verò extrà matrem conſtituto maſticatur cibus dentibus, trajectusque in ventriculum transmutatur in chylum, quæ actio à Medicis prima dicitur concoctio. 2. Hic chylus per inferius orificium detruſus & ſeparatis craſſioribus partibus, quæ feces ſunt inteſtinorum transfertur ad Epar usque per venas meſenterii, ubi in aliam ſubſtantiam quæ chymus dicitur, quæque in ſe continet 4. humores infrà dicendos convertitur. 3. Fit humorum ſeparatio; Flava enim bilis excrementitia includitur in veſiculam fellis epati adjacentem, atra ad ſplenem demandatur, pituita nullo loco certo ſed ubique diſperſa per corporis meatus diffunditur. 4. Sanguis vi animæ & caloris in extremis venulis ſingulisq; partibus transmutatur ſubſtantialiter in carnem, oſſa, aliasque partes & abjectà ſanguinis ſive alimenti naturà accipit formam viventis cujus partibus unitur; Et hæc mutatio ſubſtantialis nutritio ſive adgeneratio vocatur nihilque eſt aliud quam mutatio ſive converſio per quam alimentum primâ formâ abjectâ formam alterius ſuſcipit & eidem continuatur. 5. Quia quantitas à materia inſeparabilis eſt, eodem momento quo fit converſio alimenti, etiam quantitas, quæ fuerat ſub forma alimenti, unitur viventi ſive rei alitæ. 6. Hanc denique unionem, ſi quantitas major fuerit acquiſita quam deperdita, ſequitur extenſio viventis, quâ & majorem locum occupat per poros novos, quibus novum ſanguinem ad novam nutritionem neceſſarium excipiat, & novos quantitatis terminos acquirat: Si autem quantitas acquiſita non fuerit minor quam deperdita, ut contingit in iis qui non amplius creſcunt, non fit quidem dicta extenſio membrorum, novi tamen ſubinde pori naſcuntur, in quibus novus ſanguis pro nutritione excipitur.

Quando actio ſit vera adgeneratio.

DIFFICULTAS IV.

In quanam ex his actionibus præcisè conſiſtat accretio, an in nutritione.

QUæritur an in omnibus iſtis mutationibus ſimul ſumptis conſiſtat eſſentia augmentationis, & ſi non in omnibus, in quibus vel in qua præcisè inveniatur: Nam certum eſt, neque in omnibus ſimul ſumptis neque in una aliqua ex primis tribus conſiſtere, quia 1. reperitur etiam augmentatio in plantis, in quibus tamen nulla eſt confectio chyli aut ſanguinis; 2. Augmentatio eſt motus ſimplex, qualis non eſſet, ſi contineret omnes illas mutationes. 3. Augmentatio eſt motus ad quantitatem & non ad qualitatem vel ſubſtantiam, cujusmodi ſunt nonnullæ prædictarum mutationum. De reliquis ita tribus actionibus major eſt dubitandi ratio, de quibus

DICO 1. Augmentatio non conſiſtit formaliter in ea actione, qua alimentum conver-

Nutritio differt realiter & eſſentialiter ab augmentatione.

titur in ſubſtantiam viventis & quæ nutritio vocatur. Prob. 1. nutritio diſtinguitur realiter & eſſentialiter ab augmentatione, ergò hæc non poteſt conſiſtere formaliter in illa. 2. Augmentatio eſt motus & fit ſucceſſivè, nutritio autem eſt motus qui fit in inſtanti, ergò illa non poteſt formaliter eſſe nutritio ſive adgeneratio. 3. Per augmentationem creſcit vivens in majorem molem & plus loci occupat ſecundum omnes ſui partes, quod in nutritione non fit, quia ſenes non minus nutriuntur & acquirunt quantitatem alimenti quam pueri, licet nô acquirant majorem molem. 4. Non eſſet neceſſaria potentia augmentativa diſtincta à nutritiva, quia per nutritionem convertitur alimentum in ſubſtantiam viventis, ergò per illam etiam acquirit quantitatem alimenti, ergò per illam etiam augetur, ergò non eſt opus augmentativa, quod abſurdum eſt.

DICO 2. Illa actio qua quantitas alimenti jam converſi unitur & copulatur viventi, non eſt præcisè augmentatio. Prob. 1. quia illa unitio quantitatis non eſt motus ſucceſſivus ſed inſtantaneus, augmentatio verò eſt formaliter motus ſucceſſivus. 2. In omni nutritione eſt additio quantitatis ad quantitatem, & tamen non fit ſemper augmentatio, ergò illa actio non conſtituit formaliter eſſentiam augmentationis. 3. In augmentatione acquiruntur majores termini quantitatis; Sed per illam nutritionem non producuntur præcisè majores termini quantitatis, ergò. Et hinc colligitur, augmentationem differre realiter à nutritione ut habent Conn. 1. de gen. c. 5. q. 13. a. 2. quia termini illarum ita differunt, & quia ſeparari poſſunt ſaltem divinitus; Nam ablata quantitate adhuc poſſet in materia alimenti forma eâdem actione conſervari, vel certè novâ actione & miraculoſâ produci, & tamen non eſſet accretio, licet eſſet nutritio, ergò differunt.

Accretio & nutritio differunt realiter.

DIFFICVLTAS V.

In quo ergò conſiſtat formaliter augmentatio.

DICO, augmentatio conſiſtit formaliter in illa extenſione quæ fit poſt nutritionem: Diſtinguenda tamen eſt duplex extenſio, una qua ita extenditur quantitas ut in ea fiant multi pori multæque partes inter ſe diſcontinuentur, ſicut videmus fieri quando extenditur ſpongia, qua extenſione non producitur nova quantitas, ſed partes à ſe invicem tantum diſtrahuntur, alia extenſio eſt, qua quantitas minor fit major abſque poris novis ut quando aqua creſcit ex alterius affuſione: Senſus ergò concluſionis eſt, augmentationē conſiſtere in quadam extenſione poſteriori modo non priori facta, quod Prob. 1. augmentatio diſtinguitur ab omnibus aliis motibus ut patet; ſed extenſio priori modo facta nihil differt à motu locali, ergò. 2. In extenſione priori modo facta non fit nova quantitas; Sed accretio eſt ad quantitatem, ergò. 3. Talis quantitas reperitur etiam in ſenibus, qui tamē non augentur. Obſervandum autem eſt præterea, factâ nutritione cum alimentum necdum habeat raritatem vel denſitatem requiſitam ad formam viventis, extendi adhuc donec aſſequatur quantitatem debitam eo ferè modo quo rarefit lignum quando in ignem convertitur; Cum verò ignis requirat majorem raritatem quam lignum, ideò prius hoc rarefit & acquirit raritatem ignis; Sic etiam forma viventis requirit certam figuram & quantitatem, ac proinde alimentum debet acquirere quantitatem illi proportionatam. Quod itaque augmentatio non conſiſtat in quavis extenſione, ſed in illa tantum quæ fit poſt nutritionem, per quam acquiritur debita quantitas viventis, Prob. 3. quia hæc extenſio eſt motus ad quantitatem & non eſt nutritio neque alteratio neque motus localis neque generatio neque pura rareſactio, ergò non poteſt aliud eſſe quam augmentatio. Quod hæc extenſio non ſit alteratio, patet, quia hæc eſt per ſe 1. ad qualitatem; Sed extenſio non eſt primariò ad qualitatem, quia habet ſe ſicut rarefactio quæ primariò tendit ad quantitatem, ergò & hæc extenſio tendit primariò ad quantitatem, ſecundariò ad raritatem quæ eſt modus quidam quantitatis: Confirmatur ex communi opinione Philoſophorum, dari videlicet motum ad quantitatem, qui alius eſſe non poteſt præter hanc extenſionem; Quod deinde non ſit motus localis, manifeſtum eſt ex hoc, quia hic tendit ad ubi; Similiter generatio & nutritio ſunt ad ſubſtantiam. Prob. 4. Augmentatio multipliciter differt à rarefactione inanimatorum 1. quia augmentatio ſupponit & connotat nutritionem & converſionem alimenti quod rarefactio non facit. 2. Augmentatio eſt ad certum aliquem terminum viventis, quia quando vivens ſemel obtinet ſuam quantitatem ſibi debitam, non amplius creſcit; Rarefactio autem non habet certum terminum. 3. Augmentatio viventis eſt ad certam aliquam figuram, quod de rarefactione dici non poteſt. 4. Augmentatio proportionaliter fit ſecundum longum & latum; Sed rarefactio non fit hoc modo, & quidem in omni parte, in una tamen major quam in altera. Prob. ultimò ex Ariſt. 2. de anima c. 5. ubi ait, quando ex aqua fit aer, quâvis aer acquirat quantitatē aquæ, non eſt tamen augmentatio, quia inquit vel augetur aer qui de novo productus, vel aqua ex qua productus eſt; Sed neutrū dici poteſt, ergò. Id enim quod augetur non eſt illud ſolum quod advenit extrinſecus, neq; id cui advenit, ſed compoſitum ex utroque; Si ergo augeretur aer quando ex aqua producitur, deberet eſſe aliquod corpus commune aquæ & aeri, quod diceretur actu; At tale corpus nullum datur, ergò. Et ex hoc diſcurſu Ariſtot. tale argumentum formari poteſt, non augetur id quod additur, ſcilicet quantitas alimen-

In qua actione conſiſtat verè augmentatio.

menti, neque id cui advenit alimentum, id eſt, quantitas viventis, ſed augetur id quod componitur ex utraque quantitate; ſed non poteſt ſimul aliter augeri quantitas alimenti & quantitas viventis niſi per extenſionem explicatam, ergò in ea conſiſtit accretio.

DICES 1. Adoleſcentes poſt diuturnos morbos ſolent vehementer excreſcere, & tamen non videntur acquirere majorem quantitatem ex alimento, quia parum comedunt, ergò. Reſpond. converſionem illam alimenti non eſſe propriè augmentationem ſed quandam rarefactionem: Cum enim vi humores noxij abſumantur, calor naturalis oſſa, carnes, nervos & tendines extenuat, cum ejus activitas à nullo impediatur; Itaque fit ut per modum aquæ calidæ tenuiores & majores evadant.

DICES 2. pingues etiam poſt annum 25. qui putatur ultimus terminus excreſcentiæ, acceſſu majoris quantitatis dilatantur, & tamen non cenſentur augmentari. Ergò. Reſpon. nihil dici propriè creſcere niſi ſecundum omnes partes augeantur; obœſi igitur licet extendantur in latum, non tamen cenſentur creſcere, quia non ſimul extenduntur in latum, cujus rei cauſa eſt frigus duities & ſiccitas oſſium qui ſimul impediunt, ne quis poſt annum 25. amplius elongetur.

DICES 3. Quantitas tantum videtur conſecutivè acquiri, & non per ſe. Nam prius acquiritur ſubſtantia per adgenerationem, ad quam deinde ſequitur additio quantitatis. Reſpond. neg. antec. quia omne illud dicitur acquiri pro ſe, quod ſequitur ex vi alicujus actionis per ſe à natura inſtitutæ ad illud acquirendum, quod fit in augmentatione. Hinc ſi intentionem naturæ ſpectes, prior eſt acquiſitio majoris quantitatis quam adgeneratio ſubſtantiæ.

DICES 4. Nunquam fit accretio niſi prius fiat nutritio; ſed hæc fit in inſtanti, ergò & illa. Reſp. augmentationem eſſe inſtantaneam ratione ſubjecti & ſucceſſivam ratione termini ut infra dicetur.

Augm. quomodo inſtant. & ſucceſſiva.

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo differat diminutio ab augmentatione, & à quibus cauſis fiat.

COnſtat in homine ita ſæpè carnes totumque corpus iminui, ut vix amplius ſui ſpecies retineat, quemadmodum videre eſt in hecticis, tabidis, ſenibus, varioque morborum genere laborantibus. Jam quæritur, an hæc diminutio ſit motus poſitivus an privativus. Quod autem augmentatio ſit motus realis & poſitivus, manifeſtum eſt ex ejus termino qui eſt poſitiva quantitas, dubium tamen eſt, an homo in decretione pro termino etiam acquirat veram realem ac poſitivam quantitatem, quod nonnulli probabiliter judicant.

Adverte, diminutionem variè ſicut augmentationem accipi; Nam 1. accipitur latè pro jactura & amiſſione quantitatis indifferenter ſumptæ. 2. pro abjectione quantitatis majoris quam ſit illa quæ prius ſubjecto acceſſit, quocunque modo & in quocunque ſubjecto facta ſit. 3. pro amiſſione quantitatis factâ virtute animæ per alimentum intus digeſtum, &c. Jam

DICO 1. quamvis probabile ſit, decretionem eſſe motum poſitivum, probabilius tamen eſt, quando v.g. carnes ſive muſculorum ſive viſcerum in homine abſumuntur, eſſe motum eſſentialiter negativum, quod idem de remiſſione qualitatis intellige. Ratio eſt, quia ſicut augmentatio eſt eſſentialiter acquiſitio quantitatis & intenſio qualitatis; ita diminutio & remiſſio ſunt eſſentialiter abjectiones ſeu corruptiones quædam earundem formarum intrinſecè terminatæ ad ipſum non eſſe illarum; unde unus tantum videtur eſſe realis motus ad quantitatem, nempè augmentatio, quâ videli: quantitas ſecundum ſe nullo habito reſpectu majoris minoris vel æqualis quantitatis acquiritur; Decretio verò quâ quantitas deperditur, motus ex ſe eſſentialiter negativus. Itaque

Decretio eſt motus negativus.

DICO 2. Decretio quatenus ſumitur pro amiſſione quantitatis & non pro acquiſitione quantitatis minoris (ſic enim eſt quid poſitivum) differt ab accretione quocunque modò ſumpta. Prob. negativum & poſitivum in nullo genere conveniunt, cum alterum ſit ens, alterum non ens; ſed decretio pro amiſſione quantitatis ſumpta eſt quid negativum, & accretio, quid poſitivum, ut patet ex termino in quem tendit, ergò differt ab ea; ſed & magis differt à nutritione propter eaſdem cauſas propter quas differt accretio.

DICO 3. cauſa decretionis multiplex eſt; Materialis enim eſt corpus quod minuitur; formalis ipſa diminutio & imperfectio molis; Efficiens vel eſt præternaturalis cujus generis ſunt omnes cauſæ morborum de quibus fusè medici, vel naturalis ut defectus humidi & calidi, imbecillitas potentiæ nutritivæ, ſoliditas membrorum in ſenibus &c. Finalem denique non habet per ſe decretio tanquam terminum proprium ſed tanquam alienum, quia habet ſe ut corruptio cujus terminus eſt alterius generatio, eſtque eadem ratio quæ cum morbo, qui etiam per ſe non habet cauſam finalem tanquam terminum proprium.

Diminutio ſicut & morbus non habet cauſam finalem per ſe.

DICO 4. Si decretio ſive diminutio fiat naturaliter, tunc conſiſtit vel in denſatione partium quæ fieri ſolet poſt ſtatum conſiſtentiæ, cujus ratio eſt, quia tunc animalia habent membra magis craſſa, denſa, ſolida & firma, quæ condenſatio ac ſolidatio vocatur diminutio, eſtque ejuſdem penè rationis cum condenſatione inanimatorum; vel conſiſtit in defectu carnis partiumque humidarum qualis cernitur in ſenibus, qui ſolent habere carnes conſumptas & pellem rugoſam, eò quod humidum paulatim conſumatur; in hac enim po-

ten-

tentia nutritiva non reſtaurat tantum quantum deperditur adeoque carnes marceſcunt & corrugantur. Eſt itaque decretio ex ſe quid negativum, quando negat adjectionem quantitatis, poſitivum verò dum ſumitur pro acquiſitione quantitatis minoris.

Decretio quando eſt negativum quid, & quando poſit.

DIFFICVLTAS VII.

An fœtus in utero continuò creſcat.

HOc intelligitur etiam de augmentatione cujuſque viventis, an ſic continua, quia negarunt id jam dudum nonnulli, qui conſequenter docuerunt, eam fieri interruptè & interpolatè; non accipitur autem hic augmentatio pro ſola acquiſitione quantitatis majoris, ſed etiam pro deperditione cujuslibet quantitatis qui fit in re vivente.

Nota 1. Augmentationis continuitatem de qua hic ſermo eſt, non eſſe eandem cum ea qua vivens tota vita durat, quia de hac nulla eſt cõtroverſia: Neque etiam eſt quæſtio, an augmentatio ſit ita continua ut abſque interruptione fiat toto tempore quo vivens augetur, quia manifeſtum eſt, hominem tantum uſque ad annum 25. circiter creſcere & poſtea ceſſare. Quæſtionis itaque ſenſus hic eſt, an augmentatio, quæ in qualibet parte corporis vel in quovis poro exercetur, per ſe ſumpta ſit continua & ſucceſſiva an verò interrupta, id eſt, fiat per inſtantia temporis: pro qua re

Nota 2. Augmentationem aliam eſſe materialem, quæ nihil eſt aliud niſi converſio alimenti in ſubſtantiam viventis, aliam formalem quæ eſt extenſio facta poſt nutritionem.

Nota 3. Augmentationem poſſe conſiderari vel in ordine ad ſubjectum vel ad terminum: Illud eſt membrum corporis vivens, quod totum ſimul augetur; hic eſt quantitas in corpore viventis producta. Jam

DICO 1. Augmentatio materialis, id eſt, converſio alimenti in ſubſtantiam Viventis eſt continua, id eſt, ſucceſſiva ratione ſubjecti. Ratio quia alimentum ſucceſſivè diſponitur ad recipiendam formam viventis; Nam prius in parte propinquiori diſponitur quam in remotiori, ſicut quando Ventriculus calefit, prius in parte propinqua tum in remota incaleſcit.

DICO 2. Augmentatio formalis ſive extenſio eſt ſucceſſiva ratione termini non ratione ſubjecti. Prob. Primum 1. quia per augmentationem acquiritur quantitas; ſed hæc eſt diviſibilis, ergò & illa, quia partes motus reſpondent partibus ſubjecti. 2. Augmentatio eſt quædam rarefactio quæ eſt ſucceſſiva, quia ſive à calore ſive à motu locali fiat, ſemper producitur ſucceſſivè. 3. Per augmentationem acquirit vivens & occupat majorem locum; At nihil quantum poteſt extendi ad majorem locum niſi ſucceſſivè. Prob. Secundum, quia ille motus dicitur ſucceſſivus ratione ſubjecti, quando prius eſt in una parte ſubjecti quam in alia: ſed hoc dici non poteſt de augmentatione formali, quia totum vivens ſimul extenditur, quod probatur ex eo, quod quando mutatio fit à principio intrinſeco, fiat ſimul ſecundum omnes partes; ſed totum informatum eſt prius anima quam extendatur, ergò extenditur à principio intrinſeco. Et hinc colligitur contrario modo ſe habere augmentationem & nutritionem, quia illa eſt ſucceſſiva ratione termini non ſubjecti, hæc contra ſucceſſiva ratione ſubjecti non termini, qui in nutritione eſt forma ſubſtantialis indiviſibilis, illius autem quantitas diviſibilis, Deinde nutritio fit à principio extrinſeco, augmentatio ab intrinſeco.

DIFFICVLTAS VIII.

An omnes partes fœtus in utero ſicut & cujuſque viventis creſcant.

QUatuor ferè modis poteſt hæc difficultas intelligi, 1. an fœtus & quodlibet aliud vivens augeatur ſecundum omnes partes quantitatis. 2. an ſecundum omnem dimenſionem. 3. an ſecundum omnes partes ſubſtantiæ. 4. an ſecundum omnes partes materiæ.

Adverte, partes in vivente eſſe duplices, poroſas & non poroſas: Porus nihil aliud eſt quã cavitas quædam ſeu foramen aptum ad recipiendum aliquid: fit à calore naturali reſolvente & conſumente interius humidum, & quidem propter duos fines; 1. ut excrementa per illos ejiciantur; 2. ut alimentum ſuſcipiatur.

Porus quid.

DICO 1. fœtus & quodlibet aliud vivens in augmentatione acquirit majorem quantitatem ſecundum omnes partes notabiles vel ſenſibiles. Prob. 1. non poteſt ulla pars notabilis aſſignari, quæ poſt accretionem non ſit major, quando ſecundum omnes partes augetur vivens, modo ſint notabiles vel ſenſibiles, quia minimæ partes quæ poris carent, non extenduntur immediatè, ſed tantum poroſæ, quæ intus recipere poſſunt alimentum. 2. in nutritione quælibet pars notabilis nutritur, ergò in accretione quælibet pars notabilis augetur, quia eſt ubique par ratio. Additur hic particula notabilis vel ſenſibilis, ne quis putet omnem partem nutriri vel augeri, quia alias debuiſſet prius totum corpus fuiſſe conſumptum.

DICO 2. in quovis vivente fit etiam accretio ſecundum omnem dimenſionem, non tamen æqualiter. Prob. Primum, omnibus viventibus à natura eſt præſcripta certa figura, ergò ſecundum illam debet creſcere, & magna foret deformitas, ſi v.g. in longum tantum creſcerent & non in latum vel contra, ergò, non poſſunt autem conſequi certam illam figuram ſeu terminum quantitatis niſi creſcendo ad omnes differentias poſitionum. Prob. ſecundum, certa organa & operationibus

bus ſuis proportionata requirit vivens, quando neceſſe eſt creſcere & augeri proportionaliter, non tamen æqualiter; ſi enim homo creſceret æqualiter, efficeretur omninò rotundus & conſequenter ineptus ad ſuas functiones.

DICO 3. Etiam accretio fit ſecundum omnes partes ſubſtantiæ notabiles vel mediatè vel immediatè. Ratio eſt, quia per aſſiduam pugnam 4. Qualitatum continuò defluunt partes, ergò ne omninò deficiat vivens, in earum locum aliæ debent ſuccedere adeoque omnes reſtaurari. Dico mediatè vel immediatè, quia partes poroſæ tantum par intus receptum alimentum immediatè augentur, non poroſæ autem augentur tantum mediatè, hoc eſt, mediantibus partibus poroſis quod aliqui volunt augeri per juxta poſitionem, cum poroſæ tantum augeantur per intus ſuſceptionem.

DICES 1. Pori in fœtu Uterino & quovis vivente non poſſunt eſſe vacui, ergò pleni, quomodo ergò alimentum abſque penetratione ſuſcipient. Reſpond. Aliquando vacuos eſſe aliquando plenos; Cum vacui ſunt, compreſſi ſunt ſicut folles ſine vento; ſuperveniente autem alimento dilatantur; Cum pleni ſunt, ejectis ijs humoribus quibus implentur, ſubit alimentum.

DICES 2. Si quælibet pars viventis augetur, ergò vivens in omnes dimenſiones æquè augebitur, fietque etiam rotundus quod tamen falſum eſt. Reſpond. Neg. conſeq: ut patet ex concluſ. 2. quia facultas altrix dum membra viventium quaquaverſum porrigit, ſequitur regulam formatricis virtutis, quæ hominem procera corporis figura decoravit & in ſublime evexit; unde homo ſic verſus omnes partes incrementa recipit & in prædictam figuram ſemper conformatur.

DICES 3. Partes tabidæ non augentur, ergò falſum eſt quod omnes partes creſcant. Reſpond. Etiam illas partes, quæ adhuc vivunt, nutriri, unde etiam novam alimenti portionem ſuſcipiunt, & aliquando majorem quam ſit ea quæ defluit: Quod ſi autem calor præternaturalis ſit in membro, tunc mirum non eſt quod tantum alimenti non adglutinetur quantum deperditur, quia fit hoc à cauſa morboſa & extraordinaria.

DIFFICULTAS IX.

An augeantur partes materiales an formales.

QUando Ariſt. l. 1. de gen. c. 5. docet augmentationem fieri ſecundum omnes partes formales & non materiales, magnam inter Authores excitat diſſidium quid per formam & quid per materiam intelligat, Nam quidam per materiam intelligunt partes homogeneas, per formam heterogeneas, quod tamen facilè refellitur; Ipſe enim Ariſt. ait augeri partes heterog: eò quod augeãtur homogeneæ; ſi autem per homog: intelligit materiam, ergò homogeneæ non manent & conſequenter nec heterogeneæ: Deinde non ſolveret Ariſt dubium, quod hic propoſuerat, non dari videl: penetrationem corporum, ſi enim partes heter: nullo modo mutantur, ergò quantitas convenientis alimenti eas penetrabit. Alij negant, Ariſt. ex propria ſententia loqui. Alij dicunt per partes formales intelligi organicas, per materiales inorganicas; ſed hoc etiam falſum eſt, quia omnes res naturales conſtant partibus materialibus & formalibus, non autem organicis & inorganicis; Deinde etiam organicæ mutantur ut patet in oculo, qui ſemper in viro major eſt quam in puero. Alij per partes formales intelligunt primogeneas; ſed non ſunt in omnibus rebus partes primogeneæ diſtinctæ à cæteris, quia non omnia naturalia aluntur acceſſu alimenti. Alij dicunt fieri augmentationem ſecundum omnes partes formales eò quod maneat eadem anima, nõ autem ſecundum omnes partes materiales eò quod anima informet primò cor deinde reliqua mẽbra. Sed Ariſt. dicit fieri ſecundum omnes partes ſenſibiles, qualis non eſt anima; deinde non ſolvitur dubium de penetratione corporum. Alij per partes formales intelligunt eſſentiam, per materiales Individua, ſed non augetur univerſale quale eſt eſſentia prout diſtinguitur ab Individuis, ergò non poteſt augeri eſſentia, cum tamen Ariſt. velit augmentationem fieri ſecundum omnes partes formales, ergò per has non poteſt intelligere eſſentiam: His itaque miſſis

DICO, quando Ariſt. ait, augmentationem fieri ſecundum omnes partes formales & non materiales, per partes formales intelligit figuram quantitativam, per materiales eas quæ fluunt & pereunt eâdem formâ ſemper manente. Prob. 1. Ex ipſo ſcopo & diſcurſu Ariſtotelis; quærit enim quando fit augmentatio ſecundum omnes partes ſenſibiles aliquo extrinſecus adveniente, quomodo non detur penetratio dimenſionum neque vacuum; ſi enim alimentum ingreditur omnes partes viventis, videtur neceſſario, aut illas debere penetrare, aut intra eas eſſe aliquod vacuum quo recipiantur. Reſpondet, fieri augmentationem aliquo extrinſecus adveniente ſecundum formam quidem eſſe poſſibile, id eſt, ſecundum figuram, quia adveniente alimento ſemper eadem manet forma manus, digiti, capitis &c. Et ex hoc diſcurſu apparet, Ariſtotelem per partes formales intelligere figuram, per materiales materiam accedentem & recedentem, quod confirmatur, quia hactenus nulla melior expoſitio vel magis idonea explicatio ſuper hunc locum allata fuit ut patet ex omnium opinionibus ad initium allatis, ergò hæc eſt omnium optima. Quod ſi

DICAS, Ariſt: loco cit. dicere quod caro & os conſtent materia & forma ſicut res omnes

nes quando habent formam in materia, ergò per formam intelligit formam ſubſtantialem. Reſp. Etiam hoc loco ſumi formam pro figura; res verò immateriales non habent ullam figuram ſicut materiales omnes, ex quibus aliquæ ex ſe ut animalia & plantæ, aliæ autem ex ambiente ut aqua aer & ſimilia.

DIFFICULTAS X.

Quare homo non creſcat toto vitæ tempore.

DOcet Ariſt. cap. cit. ad finem, & oſtendit etiam experientia, viventia ubi aliquousque creverint, deinceps ceſſare & non amplius creſcere. Jam quæritur hujus rei cauſa & præterea, cur in eadem ſpecie v. g. inter homines unum individuum citius & ad maiorem quantitatem perveniat quam alterum.

DICO 1. Non ceſſat augmentatio in viventibus, quia iam acquiſita eſt debita quantitas. Ratio eſt, quia non omnes aſſequuntur quantitatem maximam quam poteſt habere forma ſuæ ſpeciei, cum videamus alios homines maiores alios minores, qui ideò non poſſunt dici habere ſufficientem quantitatem, quia non habent maximam convenientem ſuæ ſpeciei. Deinde viventia uno tempore magis creſcunt quam alio, licet forma ſemper ſit eadem.

DICO 2. nec ceſſat augmentatio defectu potentiæ augmentativæ: Ratio, quia manet illa æque in viro atque ſene: Quemadmodum enim ait Ariſt. 1. de anima. c. 4. ſi ſenex haberet oculum ut juvenis, videret ut juvenis, quia nimirum ſeni nun deeſt potentia viſiva, ſed organum rectè diſpoſitum; Ita etiam potentia augmentativa æquè eſt in Sene ac Juvene, ſed deeſt aliquid aliud quod operationem illius potentiæ impedit, de quo quæritur quid ſit.

DICO 3. non deſinit vivens augeri defectu caloris qui eſt inſtrumentum animæ vegetativæ. Ratio, quia calor eſt major in Juvene & viro materiæque magis proportionatus quam in puero, ergò vir deberet magis creſcere quam puer; Deinde in ſenectute tantum eſt caloris, ut poſſit convertere alimentum in ſubſtantiam viventis, imò ſæpè poſſunt ſenes alimenta etiam diſſimilia facilius convertere quam pueri, quia multos cibos digerunt quos pueri digerere non poſſunt, ergò in ſenectute non deeſt calor ſufficiens ad augmentationem, quandoquidem etiam pueri cum minori calore creſcunt.

DICO 4. Cauſa cur viventia non niſi uſque ad certum tempus creſcant, eſt quod partes quæ deberent extendi & augeri, vel rarefieri, ita obdureſcant & exiccentur, ut amplius extendi non poſſint.

Quare viventia aliquando ceſſent creſcere. Ratio, quia calor naturalis ſemper agit in humidum & abſumit partes viventis, ergo partes qui magis reſiſtunt actioni caloris, neceſſariò diuturna actione fiunt ita duræ, ut amplius non poſſint extendi; Et quamvis partes alimentales, quæ de novo adduntur, ſint molliores, tamen cum augmentatio debeat fieri ſecundum omnes partes, quæ extendi non poſſunt, ipſæ etiam uon extenduntur, atque ita tandem ceſſat augmentatio, patet hoc in plantis, ergò quamdiu creſcunt, molliſſimæ ſunt & in omnes partes flexiles, ubi autem venerint ad ſtatum conſiſtentiæ, ita ſunt duræ ut frangantur potius quam flectantur.

DICO 5. Cur in eâdem ſpecie unum individuum magis, & aliud minus creſcat, cauſa eſt materiæ diſpoſitio, ac primo quidem quæ ſunt complexionis frigidæ, non creſcunt ob defectum caloris; Contrà verò qui ſunt valdè calida & quaſi aduſta, etiam minus creſcunt, quia eorum membra citius obdureſcunt & exiccantur: Naſcitur autem defectus hic à cauſis externis ſicut etiam membrorum induratio, ſæpè etiam à morbis qui calorem vehementer debilitant; ſæpè nimius labor calorem intendit & exiccat membra. Quod autem dicitur de viventibus & animalibus ejuſdem ſpeciei, referri etiam poteſt ad ea quæ ſunt diverſæ ſpeciei quorum alia magis alia minus pro varia diſpoſitione materiæ creſcunt.

DICO 6. Animalia quæ citò adoleſcunt, ſunt brevioris vitæ, quæ tardè, tardioris. Prob. experientia, quia equus qui paucis annis valdè creſcit, citò moritur, & homo qui 20. & amplius annis creſcit, vivit diutius, idque veriſſimum quoque in plantis eſſe teſtatur Plinius.

Quare qui citò creſcunt citò pereant. Ratio, quia qui citò creſcunt & adoleſcunt, debent eſſe valdè calida, quia vehemens calor facit ut partes citò obdureſcant; abſumit etiam citò humidum radicale, quo abſumpto pereundum eſt, ergò qui ſunt ejuſmodi, diuturnæ vitæ eſſe non poſſunt.

DICES 1. Hinc ſequitur, quod illa animalia quæ tam citò creſcunt, ut Equus, Bos &c. Sint calidioris naturæ quam homo quod tamen eſt falſum; deinde rapaces volucres ſunt calidiſſimi, & tamen diu vivunt ut referunt hiſtorici. Reſp. Quare quædam animalia tam citò creſcant, non eſt in cauſa ſolus calor, ſed præterea etiam ſiccitas totius ſubſtantiæ aut paucitas humidi aerei ſive radicalis, quod utrumque de Equo, Bove aliiſque grandioribus brutis magis quam de homine dici poteſt, quia hic non tantum calore ſed etiam humore præſtat ut ejus cerebrum manifeſtè indicat. Itaque non ſoli caloris dominio tranſcribi oportet, quod quædam animalia citò creſcant, ſed calori in certo humido quod evincere poteſt, magis in brutis, minus in homine.

DICES 2. Quantò maior eſt calor, tantò magis etiam creſcit vivens, ſed calor in homine maior eſt poſt adoleſcentiam, ergò etiam magis creſcet. Reſp. Antecedens abſolutè falſum eſſe ut ex dictis patet, ad quod & illud accedit, naturam ſpecificam aliquando requirere vel majorem augmentationem vel minorem, & vel celeriorem vel tardiorem. An & quomodo in juvene ſit maior calor quam in puero,

pueto,patet ex alibi dictis; Certè ad augmentationem facit qui coojunctus eſt cum copioſo humido radieali, qualis potior eſt in puero.

DICES 3. Fœmina citius creſcir quàm mas & tamen non eſt tam ealida, etgò calor non ſemper facit ad multam augmentationem; oee defectus eſt in humido, quo fæminæ potius abundant. Reſp. Quod fæmina citius creſcat & perficiatur, cauſam eſſe, quia humidior eſt viro, habetque corpus rarius & mollius unde etiam facilius humorem in ſe coovertit; vir autem eſt ſiccior & ſicciras eſt minus activa, eget etiam diuturniori tempore ad exiccandum alimentum illudque convertit io corpus robuſtius: ſed quia hæc ſuperioribus contradicere videntur, ideò verius reſpondendum eſt negando abſolutè antecedens, vel eſſe problemata, in quibus magnæ multæque repetiantur difficultates ob individuales quaſdam circumſtantias, diſpoſitiones & proprietates.

Fœmina cur citius creſcat.

·DIFFICVLTAS XI.

An vivens ſit & maneat idem poſt augmentationem.

SUb hac difficultate 3. controverſiæ in quæſtionem venire poſſunt. 1. An maneat idem numero vivẽs in quavis augmentatione particulari, quia non ſemper fit augmentatio, ſed convertitur prius alimentum in ſubſtantiam viveotis, deinde extenditur, poſtea turſum ceſſat exteodi, tum iterum nutritur & poſtea iterum exteoditur, atque ita deinceps donec animal ad juſtam perveniat magnitudinem. Quæſtio igitur eſt, an qui v.g. poſt cibum heri ſumptũ crevit, ſit hodie idem numero qui erat heri ante cibum ſumptum. 2. Eſt, an maneat idem vivens toto omniò vitæ tempore. Cum euim perpetuò fiat nutritio, aliæque partes abſumantur, aliæ reſtaurentur, meritò dubitatur, an ita abſumi poſſint omnes partes viventis, quas habebat puer, ut in ſenectute nullæ earum omninò temaneant, ſed omnes partes ſint novæ. 3. Eſt, an maneat idem oumero vivens toto tẽpore augmentationis, id eſt, uſque ad ſtatum conſiſtentiæ; Cum enim uſque ad illud tempus majorem & majorẽ acquitat quantitatem, quæritur an ille acceſſus novarũ partium non mutet ipſum vivens, ita ut vir nõ ſit idem qui erat puer, & hæc poſtrema quæſtio peodet à priori; ſi euim tota vitæ manet idem, manebit etiam idem quamdiu cteſcit.

DICO, Homo & quodvis vivens non ſolum poſt unam augmentationem ſed etiam toto tempore quo augetur, atque adeò toto vitæ tẽpore manet idem numero. Quod poſt unam augmentatiouem maneat, difficultatem noo habet, quandoquidem manet idem compoſitum ſubſtantiale, nec accedit quicquam aliud quam pars aliqua quantitatis, quæ non ſufficit ut dicatur idem ſubjectum jam planè eſſe mutatũ. Quod etiam maneat idẽ oumero de reliquo & augmentationis & vitæ tẽpore, probatur, quia tunc dicuntur animalia eſſe perfecta, quando habent debitam quantitatem; ſed ſi non manerent eadem numero poſt augmentationem, malè dieerentur, perfecta, quia id quod non maoet idem, non dicitur rectè perfici; Quando eoim fit aliud, unum eorrumpitur & aliud producitur; Quod autem corrumpitur, non perficitur, ergò dicendum eſt, manere idem numero animal toto vitæ tempore; Neque in hac re eſt magna controverſia; ſed tota difficultas pendet ex modo explicandi, quo maneat idem vivens; hinc ad majorem ejus cognitionem ſequitur

DIFFICULTAS XII.

Quomodo maneat ſemper idẽ numero fœtus in utero & quodlibet aliud vivens poſt augmentationem.

ALiud eſt hie quærere an partes materiales an formales augeantur, de quo ſupra, & rurſum aliud an totum compoſitum v.g. Leo, homo, planta, proles in utero, poſt augmentationem maneat idem numero viveos ſeeundum partes formales an verò ſeeundum materiales. Nam

Opioio 1. Eſt, idẽ oumero vivens ſemper manere reſpectu formæ nõ materiæ quæ perpetuò fluit. Nam Authores hujus opinionis putant, cum deperduntur partes materiæ, oon deperdi ſimul partes formæ, neque generari, cum materiæ partes aceedunt, ſed contrahere ſeſe in deperditione & exteodere ſeſe in generatiooe, quod tameo de formis materialibus dici non poteſt.

Opinio 2. Aſſerit, in omnibus viveutibus excepto homine defluere materiam & formam, & non remanere idem numero vivens, niſi quoad apparentiam & æquivalentiam.

Opioio 3. Eſt, In vivente reperiri duplices partes; quaſdam ſeminales quæ ab initio formantur, & quaſdam alimentitias, quæ ex alimento generantur; dicunt ergò partes ſeminales ſeu primogeneas plerumque manere, alimentitias verò acquiri & deperdi; Et ſecundum priores rectè dici manere idem numero vivens, non autem ſecundum poſteriores. Alias opiniones vide apud Conn. citatos.

DICO 1. Non manet ideò vivens idem oon, quia peteunte paulatim materia & aliâ atque aliâ producta manet eadẽ fotma ſubſtantialis. Ratio 1. eſt, quia individuum animalis includit & formam & materiam tanquam partes eſſeotiales, ergò ut maoeat totũ vivens idẽ numero debet & forma & materia manere, quod eſt contra ptimam opinionem. 2. Ratio eſt, quia fotmæ animalium imperfectorum ſunt minimum diviſibiles, ergò accedunt pereuntque per partes cum ipſa materia, ergò ne formæ quidem talium animalium manent toto tempore, unde etiam in animalibus quarum animæ ſunt diviſibiles, abeunte materia neceſſariò etiam perit forma.

DICO 2. ideò manet idem numero vivens toto vitæ tempore & augmentationis, quia manet exterior apparentia & partes quædam ſolidiores & principaliores, quæ toto vitæ tempore nunquam abſumuntur. primam partem docet experientia, quia quam maculam vel cicatricem contraxit Infans, eandem etiam retinet toto vitæ tempore: ſimiliter bruta animantia ut canes, quem noverunt adoleſcentē, etiam multis annis poſtea cognoſcunt, & hæc cognitio non poteſt aliunde eſſe quam ab exteriori apparentia. 2. pars Prob. in 1. ortu animalis quædam partes ſunt terreſtres & craſſæ quæ obdureſcunt & conſolidantur, aliæ verò ſunt molliores & fluxæ quæ facilè abſumuntur eò quod illæ facilè reſiſtant actioni caloris naturalis, hæc non item; reſpectu priorum parium dicitur vivens manere idem numero toto vitæ tempore, quia retinet partes quaſdam ſolidiores quæ nunquam abſumuntur niſi ſecundum id quod humidum eſt; Cum enim de eſſentia viventis ſit materia & forma, & individuum requirat hanc materiam & hanc formam, dummodo maneant aliquæ partes materiæ jā ſatis eſt, ut dicatur vivens manere idem & ſecundum materiam & ſecundum formam.

DICES 1. Ariſt. cit. ait, vivens non manere ſemper idem ſecundum partes materiales ſed ſecundum formales, ergò tota materia defluit. Reſp. 1. omiſſis multis explicationibus aliorū, Ariſtotelem intelligere per partes formales ut videtur, eandem eſſentiam & rationem ſpecificam, quę in accretione ſemper manet eadem, per materiales verò integrantes compoſitum, quare aliquæ licet pereant, aliæ tamen perdurant ut jam patuit. Reſp. 2. non eſſe improbabile, per formam ſeu per partes formales ſignificari formam exteriorem ſive apparentiam, non quod neget Ariſtoteles aliquid aliud permanere, ſed quia iſta evidentiſſimè remanent, unde etiam illorum præcipuè mentionē facit.

DICES 2. certum eſſe, hominem antequam veniat ad annum 40. nequicquam amplius habere de natura quam habuit in Infantia, proindeque eandem eſſe tantum ratione formæ, quod de iis viventibus dici non poteſt, quorū & formæ & materiæ pereunt. Reſp. probabiliter non abſumuntur partes ſeminales & ſolidæ toto vitæ tempore ſecundum totam ſubſtantiam, ſed manent ſecundum id quod eſt terreum, vel ſi demus omninò per actionem caloris defluere, manet nihilominus ſubjectum idem continuatione partium materialium, quia ſemper nova & nova materia per nutritionem adgeneratur, quæ facit ut ſubjectum idem dicatur.

Quomodo ſemper maneat idem homo.

DICES 3. vivens principio ſuæ vitæ habet exiguam ſubſtantiam cui deinde longè major per adgenerationē accedit, v.g. in quercu, quæ initio parva paulatim in vaſtiſſimam arborem excreſcit, ergò non videtur dici poſſe idem vivens reſpectu tam paucarum partium quæ ex illa prima ſubſtantia remanent. Reſp. parum referre, quantacunque ſubſtantia addatur, modo prioris aliquid maneat: Nā etiā in plātis primogeneæ partes remanent ut in animalib⁹ & accedunt novæ ex alimento, unde ſic quædam indureſcunt ut nunquam abſumantur. Colligitur itaque vivens ſemper manere idem numero ſecundum partes ſolidiores & terreſtriores, vel ſi & hæ dicantur abſumi, ratione continuationis qua alimentū adgeneratur, & ſubſtantia deperdita ſub eadē forma, qualitatibus, figura cæteriſque accidentiis reſtauratur.

DIFFICULTAS XIII.

An animæ diviſibiles maneant eadem toto vitæ tempore.

SUppono, animas vel eſſe diviſibiles vel indiviſibiles; de hic nulla eſt controverſia, cum nulla earum pars per augmentationem decedat neque per diminutionem decedat cum non habeant partes; Tota igitur difficultas eſt de prioribus, quomodo videl: poſt augmentationem maneant.

DICO breviter, in Viventibus quæ habent animas diviſibiles, non manet toto tempore augmentationis eadem numero anima ſecundum omnes partes, ſed in nutritione generatur in materia alimenti pars animæ, in augmētatione accedit alia pars, & quando corrumpitur aliqua pars materiæ, corrumpitur etiam pars animæ. patet ex dictis & deſumitur ex natura hujuſmodi animatum; Nam quia animæ diviſibiles ita informant ſubjectum ut earum pars parti materiæ & tota toti ſubjecto reſpondeat, neceſſum eſt, quotieſcunque perit & abſumitur aliqua pars ſubjecti, etiam abſumi partem illam animæ, quæ informabat partem ſubjecti: Idem intelige de inſectis ſive animalibus imperfectis & ut plurimi Doctorum ſentiunt, etiam de perfectis, in quibus ſicut pereunte materiâ perit anima, ita etiam eâdem per nutritionem augmentatâ adaugetur creſcitque cum ſubjecto.

Anima diviſ. non manet eadem numero toto vitæ tempore.

DICES 1. anima eſt actus corporis organici; at ſi quando convertitur alimentum, produceretur aliqua pars animæ, non eſſet actus corporis organici, quia corpus organicum eſt heterogeneum; ſed quando v.g. nutritur lumbricus, producitur anima in parte homogenea lumbrici, ergò falſa eſſet definitio Ariſtotelis, Reſp. neg: ſequelam; quia licet anima producatur de novo in una parte homogenea, non tamen illam ſolam partem informat, ſed etiam alias heterogeneas, idcircò rectè dicitur tota anima & non pars ejus actus corporis organici,

DICES 2. anima eſt forma magis elevata ſupra materiam quam reliquæ formæ; At ſi daretur aliqua anima, cujus partes de novo producerentur, nihil haberet eximium præ reliquis formis; Nam etiam hæ ſunt totæ in tota materia habentque partes in partibus materiæ, Reſ. eſſe formam indiviſibilem, eſſe totam in toto &c. non eſſe privilegium omnis animæ, ſed ſolius animæ rationalis & ut ſentiunt multi, animalium

malium perfectorum; dignitas autem animæ in communi conſiſtit in perfectioribus operationibus, quia eſt principum operationum vitalium quæ multò ſunt digniores operationibus cæterarum formarum,

DIFFICVLTAS XIV.

Quid ſit raritas & denſitas.

HÆc difficultas neceſſariò præmitti debet, ut ex ea conſtet an quod infrà ſequetur, in augmentatione ſemper producatur nova quantitas. Et hinc

DICO 1. rarum non dicitur quod habet multos poros novos & inanes inſtar ſpongiæ, neque denſum quod nullos poros habet vacuos ſed omnes partes plenas. Eſt contrà Card. l. 12. de ſubtil; ſed refellitur ab Ariſt. 4. Phyſ. c. 9. ubi antiquos Philoſophos reprehendit qui ſuadebant corporibus ineſſe vacuum, ideòque Prob. primò, non poteſt naturaliter dari vacuum ut conſtat apud Phyſicos; ſed ſecundum hanc ſententiam daretur intra poros corporis rari vacuum, ergò. 2. aer & aqua ſunt corpora rara & tamen non habent poros vacuos, 3. quælibet minima etiam pars corporis rari eſt rara; ſed talis pars minima non poteſt habere poros vacuos, ergò,

DICO 2. nec raritas nec denſitas eſt naturalis potentia & impotentia. Prob. 1. quia ad raritatem & denſitatem eſt motus; ſed ad naturalem potentiam & impotentiam non eſt motus ex 7. Phyſ. c. 1. & 3. ſtatim ad initium, ergò. 2. naturalis potentia eſt principium alicujus operationis; ſed raritas & denſitas non ſunt principia operationis, ergò.

Raritas & denſitas quid.

DICO 3. raritas & denſitas ſunt qualitates quibus quantitas terminatur ut tali modo ſit vel eſſe poſſit in materia; ſicut enim quantitas habet figuram quæ ponitur in prædicamento qualitatis & tamen non oritur ex natura ipſius quantitatis; ita etiam habet raritatem & denſitatem quæ oriuntur à quantitate & ſunt in prædicamento qualitatis; Et ſicut quantitas poſt nunc hanc nunc illam habere figuram; ita etiam eadem quantitas poteſt nunc raritate nunc denſitate eſſe affecta. Prob. 1. quantitas ſeparata à materia eſt rara vel denſa, ergò raritas vel denſitas ſunt qualitates ſuperadditæ quantitati; Prob. ſequela, quia alioquin raritas nihil eſſet aliud quam certa quantitas in certa materia, ergò præter quantitatem & materiam debet aſſignari tertia quædam entitas quæ non poteſt ad aliud quam ad prædicamẽtum qualitatis pertinere, Prob. 2. quantitas v. g. hujus pomi vel pyri, ſi poneretur à Deo in minori materia, vel eſſet æquè denſa vel non; ſi primum, non eſſet in tanta materia in quanta nunc eſt, ergò denſitas non eſt parva quantitas in magna materia, quia tunc eſſet magna quantitas in parva materia, & tamen remaneret denſitas, ſi ſecundum, ergò fieret rara, & hoc per aliquid ſuperadditum vel non; ſi hoc; ergò omninò nihil eſt raritas, ſi prius, ergò vel eſt materia ſola vel modus aliquis quantitatis: non poteſt eſſe ſola materia, quia ſine materia non eſſet rara quantitas; ſed conceſſum eſt manere raritatem, ergò reſtat ut raritas & denſitas ſint modi quantitatis ſpectantes ad prædicamentum qualitatis.

Raritas & denſitas ſunt modi quantitatis.

DICES 1. aliud docere Ariſt. 4. Phyſ. c 9. ubi proponit argumentum antiquorum, qui probabant dari vacuum in poris cujuſque quantitatis, quia dicebant, ſi in corporibus non eſſent pori inanes & vacui, nullus fieret motus abſque fluctuatione totius univerſi; quando enim movetur lapis v. g. impellit ille aerem proximam; ſi jam non datur vacuum, quocunque ſe ille aer receperit, impellet ille alium, & hic alium uſque ad cælum, ergò propter tam exiguum lapillum movebitur univerſum; oportet ergò in quantitate eſſe poros inanes, qui comprimantur & repleantur quando fit motus; ſimiliter quando ex aqua fit aer, ex uno palmo aquæ fient 10. aeris, illi 9. palmi de novo facti debent habere locum, quem non haberent ſi non eſſent pori vacui. Reſp. Ariſtotelem his argumentis velle, quod quantitas educatur è potentia materiæ ſicut calor & frigus, & ſicut quod erat potentia calidum fit actu calidum; ita etiam quod erat potentia quantum fit actu quantum, idcircò non eſſe neceſſarium vacuum: quando enim fit aliqua quantitas de novo, alia condenſatur & corrumpitur, habetque nova quantitas locum, etiamſi non penetret aliam quantitatem; Et quando movetur lapis, condenſatur aer ille cedens proindeque non fluctuat univerſum; Et paulò infrà ait raritatem & denſitatem fieri congregatione & conſtrictione ejuſdem materiæ. Verum ex hoc loco oritur alia objectio; ſi enim

DICAS 2. quando eſt parva quantitas in magna materia, eſſe denſitatem ex eodem Ariſtoteles, & contrà quando magna quantitas in parva materia, eſſe raritatem; unde ſequitur non eſſe qualitates diſtinctas à quantitate. Reſ. quotieſcunque mutatur raritas vel denſitas, produci etiam vel corrumpi quantitatem, & cum raritas faciat, ut magna quantitas ſit in parva materia, denſitas autem ut parva quantitas in magna materia, ideò ſic locutus eſt Ariſtoteles, non quod denſitas vel raritas ſit ipſa quantitas, ſed quod denſitas ſit qualitas quædam quæ facit ut parva quantitas ſit in magna materia, & contra raritas ſit qualitas quæ facit ut magna quantitas ſit in parva materia, ſequitur itaque neceſſariò, quod ubicunque eſt magna quantitas in parva materia, ibi ſit raritas, cujus contrariũ ſimiliter de dẽſitate intellige.

DICO 4. raritas & denſitas non poſſunt ita ſeparari à quantitate, ut detur quantitas quæ neque rara ſit neque denſa. Prob. 1. eadem eſt ratio denſitatis & raritatis quæ figuræ; at nulla eſt quantitas quę nullam habeat figuram, ergò neque poteſt dari quæ neque raritatẽ habeat neque denſitatem. 2. ſi poſſet ſeparari denſitas & raritas à quantitate, poſſet poni modus rari-

Digitized by Google

tatis in quantitate quæ eſſet parva in magna materia, contrà denſitatis in quantitate, quæ eſſet magna in parva materia; ſed hoc etiam falſum eſt in ſententia illorum qui contrarium tuendo docent rarum eſſe, quod eſt aptum eſſe in parva materia; Et ſi verum eſſet hos modos poſſe ſeparari, poſſet aliquid eſſe rarum & habere parvam quantitatem in magna materia, atque ideò non eſſet rarum quod haberet magnam quantitatem in parva materia.

DIFFICULTAS XV.

An quando rareſit ſanguis v. g. caro &c. nova acquiratur quantitas.

OPinio 1. eſt, in rareſactione acquiri novam quantitatem & priorem non amitti; Ita cum Caietano multi qui Scotum & D. Thomam ſequuntur.

Opinio 2. eſt, in rareſactione non tantum novam quantitatem acquiri, ſed etiam priorem amitti, quod priori contrarium eſt, ut docent nônulli apud Conn. 1. de gen. q. 17. c. 5. c. 2.

DICO 1. in rareſactione ſanguinis, carnis &c. nec perit prior quantitas, nec acquiritur nova quæ ſit ſubjectum accidentium: Ita docent cum D. Thoma, Greg: Arim: Capreolo, Ægidio, Soncinate, quos allegant Conn: citati, ipſi & plerique moderni contrà Scotum, Caietanum & quoſdam Thomiſtas, Prob. 1. pars, omne accidens abſolutum corrumpitur vel ſubtractione cauſæ conſervantis, vel actione contrarii vel deſtructione ſubjecti; ſed quantitas nullo horum petit in rareſactione ſanguinis, carnis &c. ergò, hoc probatur, quia neque in conſervatione ſui pendet à cauſa producente, neque habet contrarium, neque ipſius ſubjectum deſtruitur, cum ſemper maneat idem toto tempore rareſactionis. 2. ſi periret prior quantitas, perirent omnia accidentia, quæ in illa ſubjectantur, vel certè migrarent de ſubjecto in ſubjectum quod eſt abſurdum. Confirmatur, quando ſpecies ſacræ apud Catholicos rareſiunt, nullum datur agens naturale quod producat novam quantitatem, quia deberet ſimul producere ſubjectum, id eſt, creare; ſed nec deſtruere eam poteſt, cum careat contrario, ergò. Prob. 2. pars 1. nova illa quantitas vel accipitur in tota materia vel in parte; ſed neutrum dici poteſt, ergò. minor patet, quia utraque jam habet quantitatem, ergò non poteſt aliam recipere. 2. apud Catholicos in SS. Euchariſtia poteſt quantitas rareſieri, & tamen in ea non poteſt eſſe novæ quantitatis productio, quia ſi quantitas produceretur. non niſi è potentia materiæ educeretur, quæ tamen ibi non eſt: Neque valet dicere eam educi è quantitate veteri, quia ſic deberet in ea velut in ſubjecto recipi, & daretur penetratio.

Accidens abſolutum quot modis corrumpatur.

DICO 2. per rareſactionem ſanguinis, carnis &c. acquiritur novus modus quantitatis. Prob. quando corpus aliquod totum rareſit, omnes illius partes quantumvis exiguæ extenduntur; ſed hoc non poteſt fieri per novas partes quantitatis ſuperadditas, ut probatum eſt, ergò tantum fit per additionem novi modi quantitativi, quo quantitas eadem numero manens nunc dicitur ſe aliter habere, quam prius, videl: occupando majus ſpatium locale: Et ſic colligitur, duplicem in rebus animalibus eſſe extenſionem; unam radicalem ſive in ordine ad ſe, quæ eſt ipſa quantitas ſubjectum accidentium; alteram localem qua res quanta majus ſpatium per rareſactionem occupat. Si quæras, an productâ novâ extenſione locali prior corrumpatur. Reſp. affirmativè, quia fieri nequit ut eadem res habeat formaliter majorem & minorem commenſurationem cum majori & minori loco; ſed extenſio eſt quædam commenſuratio rei mobilis cum loco, ergò. Confirm: non poteſt eadem res ſimul & ſemel in eodem loco duas figuras, ſubſtantias, uniones & ſimiles alios modos habere; atqui extenſio eſt ſimilis modus, ergò.

Rareſactione acquiritur

Novus modus quantitatis.

DICES 1. quantitas unius cubiti per rareſactionem afficitur duorum cubitorum, ergò acquiritur nova quantitas, nimirùm ſecundus cubitus, Reſp. neg. Conſeq: quia non accedit nova quantitas entitativa, cum ſit res duorum cubitorum, ſed quantitas prior eadem manens realiter acquirit aliam extenſionem localem ſeu modum exiſtendi ampliorem.

DICES 2. quando ſanguis vel caro rareſit, tunc accipit novam extenſionem, quia extenſio eſt quantitas, & ubicunque major producitur extenſio, ibi etiam major producitur quãtitas. Reſp. neg: Conſeq. quia illa extenſio non eſt nova quantitas entitativa, ſed tantum eſt novus quantitatis modus ſeu extenſio localis, id eſt, quantitas jam majorem locum occupans quam antea.

DICES 3. ſi quantitas nunc major nunc minor eſſe poteſt, ſequitur etiam intendi & remitti quod tamen non eſt dicendum, quia hic ad ſolam qualitatem pertinet. Reſp. tametſi quantitas ſuſcipiat magis & minus, non tamé propterea debet remitti & intendi, quia neceſſarium non eſt. Nam hoc ultimum ſpectat ad ſolas quantitates, quæ per veras actiones & paſſiones ſubjectum perficiunt. Quod ſi tamen dicas, Ariſtotelem in categoriis negare quod quantitas ſuſcipiat magis & minus. Reſ. eum loqui de quantitate finita & terminata, quæ ut ſic non ſuſpicit magis & minus.

Non eſt idem magis & minus, & intendi & remitti.

Quo quantitas non ſuſcipiat magis & minus.

DICES 4. in intenſione qualitatum acquiritur nova qualitas, ſeu minimùm novus gradus, ergò in extenſione quantitatis nova quantitas. Reſp. neg: Conſeq. quia non eſt utrobique par ratio; Nam in intenſione accedit aliquid reale & poſitivum, ſcil. nova qualitas; in extenſione verò vel rareſactione tantum producitur novus modus.

In rareſactione nihil reale accedit.

DIFFI-

DIFFICULTAS XVI.

Quot motus fiant in ſanguine, carne &c. quando rareſit.

DICO 1. ſanguis, caro, vel quodvis aliud corpus, quando rareſit, variis motibus afficitur, quotum primus eſt calefactio ordinariè. Ptob. 1. corpora quantò ſunt calidiora, tantò etiam ſunt rariota ut patet in aëre & igne, imò in aqua & corporibus mixtis, quæ omnia calore tarefiunt; Nam hic eſt aptiſſima diſpoſitio ad producendam raritatem, ut cujus effectus eſt 1. calefacere. poſtea attenuare, diſcutere & tatefacere, ut patet in pulvete tormentario, qui per calorem ignis adeò ratefit, ut in momento quaſi ingentem occupet locum, qui prius exiguum capiebar. Dico tamen ordinariè id fieri, quia per calelactionem etiam mixta cōdenſantur ut paret in luto quod extractis per calorem humiditatibus & partibus tenuioribus indureſcit & condenſatur, quod tamen fit per accidens.

DICO 2. ſecundus motus qui calefactionem perpetuò comitatur, & quidem neceſſariò, eſt latio ſive motus localis. Ratio, quia non poteſt corpus aliquod rarefieri, quin ſemper majorem quam prius occupet locum; Nam ſemper diſtenduntur partes ideò, quia rarefiunt pet calorem, majorique ſpatio indigent, unde ſe mutuò diſtendunt & ex minoti loco protendunt. Quod ſi

DICAS, ex inſtanti quo v.g. ex aqua gignitur aër, aqua acquirit ratitatem; ſed in inſtanti non eſt motus localis, etgò aliquando erit rarefactio ſine motu locali. Reſp. neg: minorem, quia aqua non acquirit raritatem in inſtanti ſed ſucceſſivis & continuis altetationibus, quæ productionem formæ aëris in materiam aquæ præcedunt & diſponunt.

DICO 3. ut ſanguis, caro &c. rarefiant, requiritur prævia actio, quæ faciat illa tarefieri, & talis actio vocatur tarefactio, quæ eſt motus tendens ad raritatem, prout eſt qualiras quædam ſub ſenſum cadens & ad tertiam ſpeciem qualitatis pertinens. Quod autem ſit talis motus ad raritatem dandus, colligitur ex 4. Phyſ. t. 48. & ſequentibus, & conſtat ex Conn. l. 5. Phyſ. c. 2. q. 1. a. 3. ubi ponunt omnes conditiones quæ ad veram ptopriamque motus rationem requiruntur.

DICO 4. quartus motus eſt ille quo acquiritur quantitas terminata ſive major extrinſeca in ordine ad locum ejuſdem quantitatis, quæ extenſio ſi fiat per addirionem majoris quantitatis, eadem eſt realiter cum augmentatione, diſtinguitur tamen à motu locali, quod ex eò patet, quia poteſt Deus facere ut ſanguis, caro, vel aliud corpus Phyſicum exiſtens in puncto rareſiat & extendatur in ordine ad ſe non variatâ diſtantiâ neque ſitu in ordine ad locum & ſpatium ſive verum ſive imaginarium. Sed hæc Philoſophis maneant.

DIFFICVLTAS XVII.

An dum augetur caro, nervus &c. producatur nova quantitas.

QUantitas duobus modis conſiderari poteſt; primò abſolutè ſine ullo certo termino. 2. quatenus hoc aut illo termino circumſcribitur: priori modo interminata dicitur, poſteriori terminata.

Quantitas interm: ingenerabilis eſt.

DICO 1. quantitas interminata ingenerabilis eſt, utpote coæva materiæ & conſequenter incorruptibilis. Ratio 1. ſi produci poſſet ab agente naturali, vel produceretur ab univoco vel ab æquivoco; neutrum fieri poteſt, ergò non ab univoco, hoc eſt, à quantitate alia, quia hæc non eſt activa cum ſequatur naturam materiæ; non ab æquivoco, quia non à ſubſtantia, neque à qualitate (de cæteris prædicamentis nulla eſt difficultas) quia hæc ſemper ſupponit ſubjectum primum in quod operetur, ergò quantitas non fit à qualitate, ſed præſupponitur illi. Conn. l. 5. Phyſ. c. 2. q. 1. a. 4. reſpondent efficià quovis Genitore compoſiti, non quod quævis ſubſtantia vel qualitas immediatè attingat productionem quantitatis, ſed quatenus à tali genitore efficitur compoſitum, cujus tum formam tum materiam ſequitur quantitas. Contra eſt, quia quantitas emanat à materia eâque ſolâ, ergò eſt coæva illi, quod hic intenditur; Nam à forma non poteſt, ſaltem in homine, & ſi in homine ſola materia ſufficiens eſt ut per emanationem producat & ſuſtentet quantitatem, nulla neceſſitas eſt in aliis quoque compoſitis hoc ei negandi.

Quantitas emanat à materia.

Quantitas terminata producitur.

DICO 2. quantitas terminata poteſt de novo produci, & in cujuslibet corporis Phyſici ut carnis, nervi &c. augmentatione producitur. Prob. quia termini quantitatis ſunt producibiles; ſed quantitas terminata nihil eſt aliud quam quantitas ipſa prout certis terminis circumſcribitur. Major conſtat ex dictis de taritate & denſitate. Et confirmatur ex 5. Phyſ. e. 1. in fine ubi docet Ariſtoteles, ad tria prædicamenta, videl: ad qualitatem, quantitatem & ad ubi eſſe motum, quia ſicut per motum producitur ubi & pet alterationem qualitas, ita per augmentationem & rarefactionem producitur quantitas terminata. Neque benè ſequitur, qualitas & ubi de novo ſimpliciter producitur, etgò & quantitas quod entitatem ſuam ſimpliciter de novo produci debet, quia non eſt in omnibus par ratio. Verùm de his plura vide apud Philoſophos.

Digitized by Google

DIFFICVLTAS XVIII.

An ſint certi termini magnitudinis & parvitatis in homine cæteriſque viventibus.

ALii quæſtionem hanc ita proponunt, an ſcil: animata & inanimata in infinitum augeri poſſint: Agetur 1. de snimatis, tum de inanimatis quæ omnia copiosè tractsntur à Conn. 1. Phyſ. c. 4. q. 1. a. 1. & ſequentibus, Toleto ibidem, Pererio & aliis.

Adverte 1. reſpectu Dei poſſe dari minimo minus animstum & maximo majus, niſi aliud de animalibus perfectis videatur eſſe ſentiendum; Certum eſt autem, de facto dari aliquod corpus maximum, quo non eſt majus, ejuſmodi eſt cælum, & minimum quo non eſt minus, cujuſmodi ſunt pulviſculi & atomi.

Adverte 2. in hac difficultate 4. eſſe terminos obſervandos, quorum duo vocantur termini magnitudinis, duo parvitatis, & ex jiſdem duo intrinſeci, duo extrinſeci eodem ferè modo quo termini deſitionis & inceptionis apud Philoſophos explicari ſolent, & de quibus alibi. Terminus intrinſecus magnitudinis eſt, ſub quo res eſſe poteſt ita, ut terminet quantitatem ex parte magnitudinis, & hic terminus vocatur maximum quod ſic diciturque etiam terminus quantitatis, ſub qua res eſſe poteſt ſub majori eſſe non poteſt, v. g. ſi homo poteſt eſſe & exiſtere ſub quantitate 12. palmorum, dicetur maximum quod ſic hominis. Terminus extrinſecus magnitudinis eſt terminus ſub quo res eſſe non poteſt terminans quantitatem ex parte magnitudinis & dicitur minimum quod non; Et hic terminus eſt, ſub quo res eſſe non poteſt, ſub qualiber autem minori eſſe poteſt, v. g. ſi homo non poteſt exiſtere ſub quantitate 15. palmorum, ſub qualibet autem minori eſſe poteſt, magnitudo 15. palmorum eſt minimum quod non hominis. Terminus intrinſecus parvitatis eſt, ſub quo res eſſe poteſt terminans quantitatem ex parte paruitatis, & dicitur minimum quod ſic, eſtque terminus ſub quo res eſſe poteſt, ſub minori autem eſſe non poteſt, ut ſi poſſit dari homo dimidiari cubili, ſub minori autem eſſe non poſſit, dimidium cubiti eſt minimum quod ſic hominis. Terminus extrinſecus paruitatis eſt, ſub quo res eſſe non poteſt terminans quantitatem ex parte paruitatis, & dicitur maximum quod non, ſub quo ſcil. res eſſe non poteſt, & ſub quolibet majori eſſe poteſt, v. g. ſi homo non poteſt eſſe ſub quantitate unius palmi, ſub quantitate autem quavis majori eſſe poteſt, unus palmus dicitur maximum quod non hominis. His explicatis quæritur, an viventia habeant aliquos terminos magnitudinis & paruitatis, an verò indifferenter exiſtere poſſint ſub qualibet magnitudine vel paruitate.

Terminus intrinſecus magnitudinis.

Terminus intr. parvitatis.

DICO breviter, viventia habent certos terminos magnitudinis & paruitatis, & hoc tam in conſervatione quam in productione. Eſt doctrina communis & Prob. 1. inductione, quia nunquam attingit mus magnitudinem Elephantis, & homo magnitudinem muris vel turris, 2. calor naturalis paulatim debilitatur per reactionem alimenti, ipſæque partes ſenſim induteſcentes fiunt incapaces materiæ per nutritionem ſuſcipiendæ, ergò non poteſt corpus extendi in quamcunque molem, ergò tandem venitur ad terminum magnitudinis, ultrà quam non excedatur. 3. omnia organa habent certam tam magnitudinem & paruitatem, aliàs non poſſent commodè exercere munia vitæ. Confirm. ex Ariſt. 2. de anima c. 4. ubi ait, nihil repugnare quò minus amplius & amplius augeatur ignis, quod verò de animslibus negat; Et idem haber 4. de gen. animal. c. 4. & 7. politic. c. 4. ubi oſtendit civitates habere modum in magnitudine & paruitate ſicut animalia & ſtirpes. plura vide apud Phyſicos.

DIFFICULTAS XIX.

Quid de terminis rerum inanimatarum ſentiendum.

RES inanimatæ vel ſunt heterogeneæ ut cadaver, vel homogeneæ ut eleméta, metalla, lapides &c. De corporibus heterogeneis hic non eſt quæſtio enim illa vel ſint viventia vel eorum partes, vel certè ſi ſint homogenea, ut caro, & nervus &c. conſtituāt nihilominus heterogeneum; Quod autem in his detur maximum & minimum, patet, quia ſi caro, os, non haberent certum terminum, neque ipſa viventia haberent, & ſi poſſent excreſcere in quamcunque magnitudinem, etiam homo poſſet, quod tamen non eſt dicendum. De homogeneis itaque hic tantum videtur quæſtio eſſe, de quibus inter Philoſophos diverſæ ſunt opiniones, quibus autem omiſſis

DICO 1. probabile eſt, inanimsta homogenea habere terminum certum ſuæ parvitatis. Ita Conn; cit: & alii. Prob. 1. ſi in heterogeneis datur minimum parvitatis, etiam datur in homogeneis, neque videtur eſſe diſpar ratio 2. res non poteſt eſſe, ſi non poteſt operari, quia finis ipſius eſt operatio; ſed non poteſt res operari in quavis minima quantitate, ergò nec eſſe ſub illa. Eſt autem hic terminus paruitatis rerum inanimatarum in generatione intrinſecus & in cōſervatione extrinſecus, quia etiam inanimata incipiunt intrinſecè & deſinunt extrinſecè, cum non habeant ullam potentiā augmētativam ſicut vivētia; ſed de his vide Toletum, Conn. alioſque recentiores Philoſophos.

Non viventia homog. habent certum, terminum parvitatis.

DICO 2. elementa sliaque homogenea, ſi ſpectetur terminatio certæ materiæ, habent aliquem terminum magnitudinis, non autem ſi illa terminatio non ſpectatur. Prob. argumento Ariſt; 2. de snima c. 4. ubi sit, ignem, ſi alia atque alia materia ei datur, in infinitum poſſe creſcere, ergò ſi non terminetur materia ignis, nullum habebit terminū magnitudinis; ſi au-

Ignis in infinitum poteſt augeri ſi adatur & materia.

ſi autẽ determinetur, habebit; ſicut enim additâ materiâ augetur ignis, ita ſubtractâ minuitur, ergò ſi deſinat addi materia, deſinet etiam creſcere. Si quæras, unde petenda ſit illa terminatio materiæ. Reſp. determinationẽ in viventibus & iis quę ex ſe habent certum terminum magnitudinis, peti ab ipſa forma, quæ ejus eſt naturæ, ut certã aliquam copiam materiæ informãdam cupiat & requirat. Alia verò ut elementa, non habent ejuſmodi formas quæ pręſcribant certum aliquem modum materiæ, ſed additâ novâ materiâ ſemper etiam pars novæ formæ producitur; atque hęc habent determinationem materiæ ſuæ ab extrinſeco, nimirum à ſtatu ipſo mundi & definitis ipſius terminis atque etiam à circumſtãtibus corporibus. manifeſtum eſt hoc in igne, qui ſupra mũdi hujus molem excreſceret ſi ſemper illi nova materia adderetur, cum hęc ejus formæ non repugnet: primò autem ipſi cæli obſtabunt, in quorum materiam nunquã poterit induci forma ignis, deinde etiam alia elementa, quæ cum habeant alienas & cõtrarias qualitates, ei reſiſtent neq; patientur ſuam materiam ab eo invadi, & ita fiet ut ignis ſemper certam & determinationem materiæ occupet.

DICES, Ariſtotelem loco cit. habere, omnia natura conſtantia habere terminum & rationẽ magnitudinis; atqui etiam ignis & cætera elementa conſtant natura, ergò. Reſp. varias eſſe Authorum ſuper hoc dicto explicationes, potiorem tamen & probabiliorem illam, quæ dicit quod Ariſt. tantum intelligat viventia: hoc Prob. ex eo, quod idem Ariſt. dicat ignem poſſe augeri in infinitum, naturâ autem conſtantia habere certum terminum magnitudinis. Cur autem viventia appellaverit naturâ conſtantia, cum etiam reliqua conſtent naturâ. Reſp. quod cum natura ſit principium motus intrinſeci, id maximè appareat in viventibus quæ ab intrinſeco moveantur; quamvis etiam non incongruè dici poſſit, viventia ideò conſtare natura, quod conſtent forma, quæ ſit principium augmentationis intrinſecus, quo principio carent elementa.

DISPUTATIO DECIMA-SEXTA.

De humoribus in homine Oriente.

AD hos poſt nutritionẽ & accretionem deſcenditur, quia ſunt ſubjectũ ex quo utraque puſillũ non tantum perficit, quando extra uterum liberiori jam fruitur aura ſuoque ſe fovet alimẽto, ſed etiam cum adhuc intrà matrem concluſus ejus ſanguine ſuſtentatur; pertinent hi ad perfectionem & integritatem corporis humani, vitamque per continuam nutritionem in individuis conſervant. Eſt autem potiſſimũ ſermo de iis, qui in venis continentur, & qui ab animalium natura tantopere deſiderantur, ut eorum ſubſtantiam deperditam reſtituant; hos enim aſſumpſit etiam verbum divinũ immediatè tanquam neceſſario humanæ naturæ cõcomitanter annexos; hos tempore paſſionis doloroſè effudit, triduoque mortis exacto reaſſumpſit filius Dei cum iis æternum in feliciſſima ſua cæli poſſeſſione regnaturus; His ipſis triginta & amplius annis inter mortales enutritus & in formoſam ſibique condecentẽ ſtaturam auctus vixit; Hi denique toto terrarum orbe ſingulis horis & diebus in SS Euchariſtia vi verborum ſub ſpeciebus panis & vini ponũtur, ut nimirũ illud ſanctiſſimum & auguſtiſſimum corpus, cui primũ intrà viſcera beatiſſimæ Virginis dati ſunt in complementum, perficiunt, Et mirum profectò, quanta ſedulitate naturæ generentur, quantaque dexteritate intra venas concluſi totum perCurrent corpus, tãtum ut calorem qui vitæ principium & in omnibus actionibus animæ inſtrumentum eſt, tueantur. Hunc calorem partim ipſi intulêre corpori, partim accepêre à corpore, illud quidem quia ſunt mixtorum quorum calor non periit, ſed in prima ſtomachi concoctione qua data porta erupit; hoc autem quia calor ſtomachi ſive animalis eam habet efficaciam, ut aliũ ſibi ſimilem producat, & cibus dentibus jam contritus novum in ſe recipiat; Et hæc eſt continuatio caloris influentis qui exiſtit in humoribus, & qui à corde mediantibus vaſis quaquaverſum in omnes partes effunditur. Ut idque conſtet, qui de ſanguine & humoribus dici & ſciri debeat, ſit

DIFFICULTAS I.

An in homine oriente præter ſanguinẽ dentur alii humores alimentales.

ADverte 1. Per ſanguinem intelligi vel ſubſtantiam illam puram, quæ ex meliori, id eſt, humida & calida ſive aerea ciborum portione cocta dicit quartam ſanguinis partem, abſtrahitque à reliquis tribus humoribus, alimentalibus vel illam quæ conjunctim ex cibo & potu confecta venas intra concluditur, ut ex ea nutriatur & reſtauretur animal; Hæc autem ſubſtantia vel eſt pura miſtumque perfectum, quia multa decoctione in venis habituque corporis proximè ad nutritionem habilitatur, vel contra impura miſtumque imperfectum, quia cruda adhuc eſt multâque alteratione in venis opus habet. Nam factâ coctione ſecundâ tota ſanguinis maſſa continet adhuc multas cruditates & ſubſtantias cum ſuis qualitatibus confuſis, quouſque paulatim vi caloris aliena & impura ſeparentur, humidum cum ſicco intimè miſceatur, oriaturque certa & debita miſti terminatio. *Quid per ſanguinem intelligatur.*

Adverte 2. per humores alimentales (de excrementitiis agatur in fine) intelligi ejuſmodi ſubſtantias, quæ vel ſeparatim vel conjunctim ſumptæ à dominio ſuorum elementorum, quorum naturas æmulentur, calidæ ſunt, humidæ, frigidæ aut ſiccæ, quæque invicem confuſæ totum illud quicquid in venis continetur, conficiunt, & non modò ſanguis bilioſus, melancholicus, pituitoſus dicuntur, quia differunt qualitatibus & accidentiis à ſanguine puro, cujus tamen naturam ſucceſſivè per multam decoctionem induunt. *Quid per humores alim:*

Advertes, vel ſermoné eſſe de homine orié te, qui adhuc in utero matris eſt, ejuſque ſolo nutritur ſanguine per venas umbilicales hauſto, vel de eo qui extrà uterum proprio fruitur alimento eoque per concoctionem in ſanguinem converſo nutritur. Et de utroque difficultas eſt, an habeant ſanguinem alimentalé prout comprehendit reliquos tres humores.

Cæterùm non malè fecit Gal. l. de atra bile, & l. de facult. c. 8. & 9. dum Eraſiſtratum reprehendit ideò, quod ſcripſerit humorem cognitionem eſſe Medico prorſus inutilem: Nam reverà ad Medicum ſpectat ut habeat humorum naturas & facultates ſibi cognitas, & quid ſinguli in humano corpore præſtent, quomodo in ſe invicem commutentur, quæ ſit cujuſque præcipua ſedes, quomodo corrigi poſſint & emendati aut temperari, ſi vel quantitate peccent vel qualitate & ſanitatem offendant. Quod autem ad veritatem vivi corporis & perfecti animalis ita ſpectent, ut hoc ſine illis integritate debita careat, receptum eſt apud omnes tam Medicos quam Philoſophos & Theologos; Hinc

Homo in utero habet ſanguinem.

DICO 1. homo oriens, qui adhuc in utero matris exiſtit, habet ſanguinem cum reliquis humoribus alimentalibus, habet etiam humores excrementitios, ſed eos tantum qui ſunt tertiæ concoctionis. Quod habeat ſanguinem, manifeſtum eſt, quia eſt animal ſanguineum & perfectum, quod ſolo ſanguine nutritur: Deinde quia ſpectat hic ſanguis ad ejus integritatem; Denique toto eo tempore quo fæmina geſtat uterum, nulli ſunt fæminæ menſes, nullam aliam ob cauſam, quam quod ſanguis cedat in nutricatum prolis. Quod præter ſanguinem habeat etiam 3. humores alimentales, patet quia ſunt hi partes ſanguinis integrales per quas ipſe conſtituitur; Nam ſanguis nihil eſt aliud quam ſubſtantia vel miſtum cõſtans diverſis partibus & qualitatibus, quas ab alimentis digeſtis & in corpore concoctis participat, & quod demum calore vitali in ſinceriſſimum ſanguinem, qui proximum viventis nutrimentum eſt, tranſiit. Quod 3. etiam ſua habeat excrementa, eſt rationis & experientiæ; illius quidem, quia nec ſanguis in venis habituque corporis ita ſincerus eſt, ut careat omni prorſus impuritate, à qua eum natura continuù, etiam in adultis mundificat; hujus verò, quia totus ſæpè fœtus aquæ in utero innatat, ipſiſque inteſtinis materia quædam picis inſtar adhæreſcit, ut pluribus infrà diſp. 18. diffic. 5. dicetur. Quod denique non omnia habeat excrementa, ſed ea tantum quæ ſunt 3. concoctionis, patet ex eodem loco, quia 1. & 2. concoctio factæ ſunt in matre, adeoque omnis ſeparatio humorum inutilium ab utilibus; Hæc vide diſput. cit. diffic. 19.

Et extrà uterum.

DICO 2. datur etiam verè ſanguis in homine, dum eſt extrà uterum, utroque modo acceptus, qui ſit ipſius alimentum proximum. Ratio patet ex jam dictis, quia videl. pertinet ad integritatem vivi corporis, eſtque ejuſmodi pars integrans, ſine qua nec anima informare poſſit nec ſupereſſe; Deinde habetur ex multis locis ſacræ ſcripturæ, ut Levit. 17. ubi anima dicitur eſſe in ſanguine, & rurſum ex illo Judæorum, ſanguis ejus ſuper nos & filios noſtros. Adhæc vi verborum ponitur ſanguis in auguſtiſſimo Sacramento, quod non fieret, niſi pertineret ad perfectionem & integritatem corporis Chriſti. Denique confirmat hanc concluſionem communis experientia, dum quotidiè ſanguinem ex quibuſcunque partibus corporis effluere cernimus; ſed hic ſanguis partim purus eſt beneque coctus partim contra, ergò exanguis eſt ille, qui eum vivo perfectoque animali ineſſe negat, ergò & reliqui humores alimentales in eo concedendi ſunt; Hoc infrà pluribus patebit, & confirmatur hic experientia, dum ruptis aut inciſis venis ſubſtantiæ, quædam confuſæ & heterogeneæ varias elementorum naturas referentes profluunt. Hoc tamen ſemper intellige de ſanguine crudo & indigeſto quique vix ſecundam concoctionem exceſſit. An tamen ex alimentis tam diverſæ ſubſtantiæ per calorem vitalem neceſſariò gignantur, & quare non immediatè in ſanguinem purum concoctione tranſeant, quomodo invicem diſcriminentur, tranſmutentur &c. Vide in ſequentibus.

DICES, nihil alit hominem & animal præter ſanguinem purum & ſincerum, ergo ſuperflui ſunt humores reliqui, quia crudi ſunt & impuri. Reſp. neg. Conſeq; quia ſunt hi in via ad perfectionem, ſicut cibus dentibus maſticatus in via ad chylum, & hic ad ſanguinem, in quem etiam tranſeunt humores alimentales, dum crudi adhuc ſunt; ſed nec ſanguis quantumvis perfectus alit hominem & animal, niſi dum prius in humores ultimos ſive ſecundarios infrà dicendos abiit. Quod ſi

QUÆRAS, an ſanguis purus prout abſtrahit à reliquis humoribus, ſit verè mixtum; ratio dubitandi eſt, quia conficitur ex ſola materia aërea. Reſp. affirmativè, quia ita participat ſubſtantias reliquorum Elementorum, ut aërea quæ nunquam pura eſt & elementaris, dominetur, quo eodem modo bilioſus eſt ſanguis, ſi calor igneus prævaleat, pituitoſus, ſi frigus & humor aqueus & denique melancholicus, ſi terra cæteris præſtet: Differt autem hic ſanguis ut eſt 4. ſubſtantia totius maſſæ ab eo qui omnes humores continet & in venis per decoctionem purus quoque evaſit, quod ſemper plus de ſubſtantia aërea, minus de reliquis elementis participet, hic verò vel de omnibus æqualiter vel inæqualiter.

DIFFICULTAS II.

An firmiter probentur 3. cum ſanguine perfuſi humores.

QUando alimentum in chylum & hic in ſanguinem opera & miniſterio tum epatis

Digitized by Google

tis tum cordis eſt cõverſum, indeque mediante vena cava & portæ in omnes partes corporis diſpergitur, difficultas occurrit, an & quibus rationibus efficaciter demonſtrati poſſit, hunc ſanguinem 4. diſtinctis ſubſtantiis compleri. Certum enim eſt ex communi Medicorum conſenſu, factâ humorum ſeparatione in Epate, ubi feculenti, terrei, aquoſi & impuri humores quique nihil utilitatis aut ad nutricatum habilitatis habent, ad diverſa propriaque receptacula, ut bilis ad cyſtim felleam, melancholia ad lienem & pituita ad varias corporis cavitates ablegantur, ſolum ſanguinem reſervari, & tanquam vitæ theſaurum, ex quo humidum & calidum cum univerſa corporia ſubſtantia ſit reſarcienda, ad genus venoſum diffundi.

Suppono, impropriè tres humores alimentales dici bilem, melancholiam & pituitam, quo nomine appellantur excrementa, ſed verius bilioſos, melancholicos & pituitoſos, quod etiam competit ſanguini quem bilioſum, melancholicum & pituitoſum appellare ſolent Medici; Cum itaque humores alimentales propriiſſimè nihil aliud ſint quam ſanguis intrà venas contentus, & humor alim: melancholicus vel bilioſus nihil aliud quam ſanguis melancholicus, bilioſus, ſive hie perfectè ſive imperfectè ſit concoctus.

DICO, dentur 3. humores in venis cũ ſanguine perfuſi, qui maſſam ſanguineam conſtituunt & alimentales appellantur, ut bilioſus, melancholicus & pituitoſus; Dico alimentales ad differentiam excrementalium qui extrà venas ſunt. Probatur hæc concluſio authoritate, ratione & experientia. Nam imprimis ita docet Hipp. 1. de natura hominis cum ait, corpus hominis in ſeipſo ſanguinem habere & pituitam & duplicem bilem, flavam & nigram; Et hæc quidẽ eſſe naturam ipſius corporis, & ob hæc dolere & ſanum eſſe. Huic conſentit Gal. 2. de Elem. ubi ſtatuit hominem nõ nutriri ſolo ſanguine ſed 4. humoribus, quod idem 8. de decr: Hipp. & Plat. c. 5. aliiſque in locis paſſim repetit; hoc etiam docent omnes Medici, qui venas non unius ſanguinis, intellige puriſſimi & ſinceriſſimi, ſed 4. humorum alimentalium receptacula appellant. Deinde Prob. hæc concluſio ratione 1. in quovis alimento ſunt 4. primæ qualitates in certam temperiem redactæ, ſuntque totidem etiam ſubſtantiæ 4. Elementis reſpondentes, quæ in digeſtione tam prima quam ſecunda alimenti invicem ſeparantur & confuſam quandam maſſam ſub forma ſanguinis corpori alimentalem & intrà venas contentam faciunt, ergò præter ſanguinem qui eſt ex materia temperatiori ſunt 3. Inſuper humores nutritivi ut pituitoſus & uterque bilioſus. Antecedens verum eſt, quia alimenta ſunt mixta, ex 4. primis qualitatibus totidemque materiis Elementaribus. Prob. Conſeq. quia ex alimentis quæ mixta ſunt, non poteſt per concoctionem fieri ſolus ſanguis purus, ſed & reliqui humores, qui Elementorum naturis reſpondeant. Neque dicas contineri in ſanguine virtualiter ſicut prius in alimento remoto, v.g. in piro, pomo, carne, pane &c. quia reſpondetur pira, poma, carnem aliaque alimenta remota eſſe mixta perfecta, ſanguinem verò cum humoribus liquorem confuſum, ſicut dum vino aqua, mulſum, cereviſia &c. affunditur, ubi non omnes adhuc ſubſtantiæ ſe intimè penetrant miſtumque perfectum conſtituunt, niſi cum in venis habituque corporis perfectè ſunt concoctæ, miſtumque abſolutum, quod proximè in ſubſtantiam corporis viventis convertendum, efficiunt, quia quicquid in hoc partium continetur, ſanguis perfectus & abſolutus eſt, eſto aliquando melancholicus, aliquando bilioſus aut pituitoſus, quia totus talis eſt, non pars una bilioſa altera melancholica &c. Cæterum quod ſanguis & humores alimentales ſequantur naturam alimentorum quæ extrinſecus aſſumuntur, ex ſe manifeſtum eſt; Nam in piro, pomo, carne &c. eſt imprimis ſubſtantia terrea, quæ frigida eſt & ſicca, & ex qua gignitur humor feculentus & melancholicus; Deinde eſt in iis materia aquea ſive frigida & humida ex qua fit pituita; Adhæc habent ſubſtantiam aëream, pinguem & benignam, quæ cum ſit calida & humida, tranſit in verum & ſincerum ſanguinem. Denique eſt ſpiritus ſeu vapor igneus, qui propter calorem, ſiccitatem & raritatem fit bilis flava. Et certè, ſi ſolus ſanguis abſtrahendo à reliquis 3. humoribus exiſteret in venis, ſequeretur nullum alimentum eſſe corpus perfectè mixtum, quia ſemper eſſet ſolius naturæ aereæ, unde ſanguis gignitur; vel ſi immediatè poſt ſecundam concoctionem purus & ſincerus exiſteret, quemadmodum conſtat exiſtere in venarum extremitatibus habituque corporis, ubi tota ſubſtantia ſanguinis ſub una forma miſti perfectiſſimè cocta eſt, ſequeretur, ſuperfluam eſſe concoctionem tertiam; ſed nec per hoc tolleretur natura reliquorum humorum alimentalium, qui ſub una forma ſanguinis exiſterent, ſicut materiæ & ſubſtantiæ Elementares ſub una forma miſti. Si quæras quare non omne alimentum in ſecunda concoctione convertatur ſecundũ ſe totum in ſanguinem purum & perfectum. Reſp. hoc totum dependere à natura alimenti & conſtitutione ſive temperamento animalis; Nam ſi alimenta ſint naturæ aëteę faciliſque digeſtionis, convertuntur in ſanguinem laudabilem, ſi præſertim complexio animalis correſpondeat; ſi verò ſint ignea, aquea aut terrea, in ſimiles humores vel ſanguinem per coctionem degenerant; Ex quo manifeſtè liquet cauſa, cur aliquando ſanguis purus, aliquando bilioſus, melancholicus aut pituitoſus generetur: Deinde conſtat quod natura ſemper incipiat ab eo quod imperfectum eſt, donec ad perfectionem perveniat, in qua quieſcat, intellige tamen in rebus ſucceſſivis & mutabilibus. Prob. denique concluſio ob experientia, dum videt ſanguia

Vnde converſio alimenti in puriorem ſanguinem

ex

ex apertione vaſorum effunditur; Nam eum primùm hic in aere refriguit, apparet in fundo materia feculentior & terreſtrior quæ frigida eſt & ſicca terræque reſpondet; ſimiliter in medio & ſuperficie ſubſtantiæ aliæ, quæ vel naturam aeris, vel ignis vel aquæ referunt, ut eſt præter nutritivum phlegma ſerum illud flavum, quod plerumque in ſuperficie apparet & cui etiam aliquando totum reliquum innatat, perperam autem à nonnullis Medicis bilis æſtimatur.

DIFFICVLTAS III.

Quid reſpondendum ſit argumentis contrariis

DICES 1. alimentum proximum, quod videl: in venis continetur, eſt calidum, humidum & dulce; ſed bilis, melancholia & pituita non habent hoc, ergò non continentur in venis. *Reſp.* 1. alimentum quod in venis eſt, eſſe humidum, calidum & dulce ſumptâ denominatione à potiori, nimirùm à ſanguine, à quo etiam reliqui humores has qualitates & affectiones participant, licet in ſe non habeant eam dulcedinem; Nam calorem habent partim à ſe partim à corpore, dulcedinem verò à potiori ſanguine & meliori decoctione qua paulatim fit intrà venas. 2. pituitam & utramque bilem ſanguini mixtas, quando vix ſecundam concoctionem exceſſerunt faciuntque cum ſanguine mixtum imperfectũ non eſſe alimentum proximum, nec habere affectiones illas, quæ ſanguini debentur niſi cum multâ decoctione ad purioris ſanguinis naturam accedunt, exutiſque ſuis & immutatis accidentiis, quibus corpori nutriendo ſunt inhabiles, magis & magis perficiuntur, quo ipſo primam deſerunt naturam eâque parte qua ſunt alimentales, dulcedinem acquirant. 3. humores alimentales non habere eas affectiones, quas habent pituita & utraque bilis, quæ purè excrementa ſunt, ſed accedere paulatim ad naturam ſanguinis, imò nihil aliud eſſe aut connotare quam ſanguinem pituitoſum, bilioſum & melancholicum.

3. Humores alimentales nihil ſunt aliud quam ſanguis.

DICES 2. etiam in venis reperiri lac quod nutrit, ergò non ſolos tres illos nominatos humores. *Reſpond.* lac nihil aliud eſſe niſi ſanguinem benè coctum; Deinde non nutrire corpus proprium ſed alienum, quod de tribus humoribus alimentalibus dici non poteſt.

DICES 3. præter humores etiam ſanguini miſceri ſerum, ergò. *Reſpond.* ſerum non inexiſtere ſanguini & humoribus ut animal nutriat, ſed ut ſua tenuitate devehat illos ad venas remotas & exiguas. Deinde quando dicitur humores illos ſolum miſceri ſanguini, intelligitur eos ſolos eſſe, qui corpus nutriant, aut nutrire poſſint, quod de ſero negatur, de cujus uſu & excretione vide Medicos.

DICES 4. ſanguis intrà venas ſemper eſt dulcis; ſed ſi bilis illi admiſceretur etiam in minima quantitate, jam non dulcis ſed amarus foret, ergò falſum eſt, eam ſanguini eſſe admixtam. *Reſp.* Imprimis, ſanguinem non ſemper in venis majoribus & ubi adhuc crudior minuſque decoctus, æquè eſſe dulcem, ſed vel ſubacidum, ſi melancholicus ſit, id eſt, de natura terrea participet, vel ſubamatum, ſi bilioſus, vel ſubdulcem ſi pituitoſus; Deinde amaritudo in bilioſo ſanguine non eſt ea, quæ in bile excrementitia, cujus vix aliqua portio ſanguini miſcetur, ſed longè benignior, multumque infringitur à dulcedine ſanguinis qui ut plurimum exuperat; Nam cum ſanguis ſive is bilioſus ſit ſive melancholicus, paulatim magis & magis decoquitur, jam omnem amaritudinem amittit. In ſanguine itaque impuriori, quique bilioſo humore perfuſus, non ea exiſtit dulcedo, qualis eſſe ſolet in puriori magiſque decocto & elaborato, quod ſignum eſt cum eo miſceri alios humores.

DICES 5. In ſanguine nunquam poteſt oſtendi pituita ut ait Plembius de fund. medic. l. 2. c. 1. & ſi quædam appareat excrementitia eſt, ergò falſum eſt cum ſanguine miſceri reliquos 3. humores. *Reſp.* neg: antec: quia apparet frequenter in emiſſo ſanguine, etiam in ſaniſſimis corporibus pituita, quæ humor craſſus viſcoſus & lentus eſt, ſoloque calore per decoctionem in purum & ſincerum ſanguinem immutatur. Quod ſi itaque vix ullus reliquorum humorum aliquando compareat, ideò fit quia perfectius cum ſanguine permixti ſunt, adeoque in ſanguinem purum jam degenerant, vel certè quia ex puriori alimento & in viſceribus temperatis concocti ſunt; Conſtat enim ſanguinem aliquando crudum & impurum eſſe, aliquando contra, ut in hominibus calidioribus, quales ſunt meridionales quique cibis purioribus utuntur ut Hiſpani: Et parum eſt non apparere pituitam, quia nec apparet bilis, cum hæ particulæ eâ parte quâ ſunt alimentales, nihil aliud ſint quam ipſe ſanguis.

DICES 6. ſi cum ſanguine perfuſi eſſent alii humores, ſequeretur, eos aliquando in ſanguinem calore mutandos & convertendos eſſe, quia alias inhabiles eſſent ad nutricarum; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud. Prob. minor, quia ſingulorum qualitates eſſent corrumpendæ aliæque producendæ, v. g. frigus & ſiccitas ſucci melancholici immutandæ in calorem & humorem, quod idem de calore & ſiccitate bilis, de frigore & humore pituitæ intellige. *Reſp.* neg: minorem; ad probationem dico, non eſſe imprimis actuale frigus & ſiccitatem in melancholia, nec ejuſmodi ſiccitatem in bile aut ſimile frigus in pituita, ſed reſpectiva ſolùm & ſecundum quid. Deindè neceſſum non eſt, ut qualitates bilis, melancholiæ & pituitæ omninò deſinant, ſed ſufficit eas

non-

nonnihil alterari & contemperari; ſic enim nimius calor bilis contemperat ſanguinem à quo & ipſa contemperatur; ſic melancholiæ ſiccitas humorem ſanguinis inſtringit ejuſque frigus calorem hujus modificat, ſic omnes in ſe mutuò ita agunt, ut in unam ſubſtantiam perfectam coeuntes intimè & perfectiſſimè miſceantur. Adhæc ſanguis non ita calidus eſt & humidus, ut non participet ſimul aliquid de frigore & ſiccitate, quia corpus mixtum eſt; Nam cum ex his tribus humoribus per concoctionem accreſcit, ita juxta eorum naturas inflectitur, ut prædominantis temperamentum ſequatur, atque ita ſi frigus & ſiccitas exuperet, ipſe frigidus & ſiccus evadat, & ſic de cæteris; Denique parum eſt, qualitates pituitæ & utriuſque bilis deſinere vel potius alterari, quia tranſeunt in ſanguinem cui alia debentur accidentia.

DICES 7. Sanguis ex natura ſua corpus mixtum eſt, ergò per ſe habet partes terreas, aqueas, aereas, igneas, ergò fruſtrà aſſignantur illi humores alij. *Reſp.* neg. ultimam conſequentiam, quia ſanguis antequam perfectè coquatur, eſt aggregatum quoddam, ut ex dictis patet, nunquam verò ita homogeneus, ut non diverſis cooſtet ſubſtantiis.

Sanguis non eſt homogeneus.

DICES 8. Ariſt. 2. de part. animal. c. 3. ſcribit venas eſſe vaſa ſanguinis nulla facta mentione reliquorum humorum, ergò ſolus exiſtit in venis, *Reſp.* Ariſtotelem loqui de tota maſſa ſanguinea quæ in venis continetur, quam ipſe ſæpius alimentum animalium appellat & nos communiter propriéque ſanguinem; Deinde ut conſtat, etiam humor bilioſus eſt ſanguis, eſtque idem cum ſanguine bilioſo, quod idem de melancholico & pituitoſo intellige. Quamvis itaque ſanguis purus & ſincerus habeat 4. primas qualitates, totidemque elementorum ſubſtantias, ita tamen eas ſibi conjunctas & permixtas habet, ut totus homogeneus, miſtumque perfectum æſtimetur, contra verò dum impurior eſt minuſque decoctus.

QUÆRES, an in ſolis venis & non etiam in arteriis contineatur, hic ſanguis prout 4. humores alimentales comprehendit. *Reſp.* contineri, in utriſque in arteriis autem magis ſpirituoſum, quia è vena cava in ſiniſtrum cordis ſinum effuſus per intenſum ejus calorem evadit in ſubſtantiam ſubtiliſſimam calidiſſimam & tenuiſſimam, quique ſuo calore & ſpiritu omnes actiones vitales fovet, perficit, ſimulque calidum & humidum radicale conſervat; De hoc autem vide pluribus Anatomicos, & maximè circulatores ſanguinis.

Colligitur, ſanguinem differre à pituita & utraque bile, ſive quod idem eſt, ſanguinem purum à bilioſo, pituitoſo & melancholico non tantum qualitatibus primis, ſed etiam ſecundis, ut colore, ſapore, raritate, denſitate, &c.

DIFFICULTAS IV.

An omnibus viventibus inſint 4. humores alimentales.

DE omni viventium genere fusè & exactè ſcripſit Ariſtoteles, ut mirum, quod vir tantus, qui multis aliis occupationibus & ſtudiis deditus, in tantam tamque variarum & multiplicium ſpecierum, quæ in plantis & animalibus ſive perfectis ſive imperfectis reperiuntur, devenire potuerit cognitionem, præſertim cum ante ipſum de his nemo dignam fecerit mentionem. Quod autem multa & præclara de omnibus ſcripſerit, ita ut vix quicquam in iis deſiderari poſſit, teſtantur imprimis libri duo, quos in fine & velut ultimos ſuorum voluminum conſcripſit & de plantis indigitavit; teſtantur deinde 10. integri libri, in quibus hiſtoriam omnium animalium etiam imperfectorum amplè complexus eſt; Et denique teſtatur id tota ejus doctrina & ſcientia, quam de hominis animalium perfectiſſimi natura, moribus, affectionibus, qualitatibus & præſtantia ſuprà omnium ferè hominum captum, qui tam ante quam poſt ipſum fuerunt, ingenioſiſſimè oſtendit. Et de his omnibus viventibus quæritur, an ſanguinem & reliquos 3. humores alimentales habeant.

DICO 1. arbores, plantæ omniumque vegetabilium genera non habent ſanguinem nec 3. reliquos humores alimentales, Ratio eſt, quia nutriuntur ſola aqua & terra invicem miſtis, quæ non poſſunt mutari in ſanguinem & humores alimentales; Deinde quia vegetabilia non habent eum calorem, à quo poſſint duriora digeri & in ſanguinem converti; ſed nec habent eos meatus, receptacula & organa in quibus id fieri poſſit; Et accedit denique, quia arbores & plantæ non indigent peculiari organorum apparatu, nec exercent varietatem actionum ſenſitivarum, ad quas proinde nec ſanguine nec ſpiritibus nec calore actuali multum indigent, ſed ſolis quibuſdam meatibus & ductibus oblongis contentæ vivunt, quibus aquam ſuom nutrimentum è terræ gremio per radices & truncum attrabunt. Cæterum quæ Ariſt. l. 1. de plantis habet, expreſsè colligitur, plantam habere quidem animam, non tamen dolorem aut voluptatem, non dormire, nec vigilare &c. Ait enim loco cit. exactè deprehendimus, nec dormire plantas nec vigilare; vigilia enim non aliunde quam ex affectu ſenſus eſt, ſomnus autem eſt ejuſdem debilitas; Et dum alitur animal, aſcendit vapor ad caput ab alimento, indeque prorſus ipſum dormire contingit: Et infrà, planta inquit ſomno non indiget ob multas cauſas, quia in terram poſita eſt eique alligata, nec motum in ſe nec terminum finitum in ſuis partibus habet, & nec ſenſum nec motum voluntarium, nec animam perfectam ſed magis portionem animæ &c.

DI-

DICES, Ariſt. eodem libro ad initium ait, quicquid alitur, id etiam duci appetitu & affici voluptate per ſaturitatem, dolore autem per famem; ergo ſi plantæ quæ aluntur, habent appetitum, habebunt etiam ſenſum, ad cujus actiones eliciendas pertinent calor, ſanguis & humores alimentales. Reſpond. Ariſt. ibi narrare veterum Philoſophorum opiniones, quas ex arborum affectionibus deſumi poſſe judicaverint; Deinde ait dolore ac voluptate affici, duci appetitu & pollere ſenſu, impropriè plantis & ijs omnibus attribui. Tandem cum Anaxagoram, Democritum & Empedoclem falſitatis arguiſſet, quod mentem quoque & cognitionem plantis ineſſe exiſtimaverint, ipſe affirmat quod plantæ nec appetitum habeant nec ſenſum; appetitus enim inquit non aliunde quam è ſenſu eſt; Neque igitur ſenſum in iis deprehendimus, neque partem quæ ſentiat, neque ejus ſimilitudinem, & nec ſpeciem definitam, nec quicquam ad hanc conſequens, nec motum localem, neque viam ad ſenſibile aliquod; ſed neque ſignum, quo judicari poſſit iis ſenſum ineſſe &c.

Quæ animalia ſanguinem habeant. DICO 2. Non habent etiam inter animalia ſanguinem niſi perfecta, cætera imperfecta eo ſicut & cæteris 3. humoribus carent, patet ex Ariſt. 3. de part. anim. c. 4 & 5. ubi ait omnia animalia quæ perfecta ſunt, cor habere, & hoc eſt principium caloris & ſanguinis, nulli autem exanguium animali viſcus ullum, cum ſanguineis omnia ſint; Unde patet perfectionem animalis in hoc conſiſtere, quod habeat viſcera illa principaliora, in quib^9 gignitur ſpiritus, calor & ſanguis, quorum beneficio adminiſtrantur omnes actiones vitales. Et hoc probatur denuò ex Ariſt. l. 1. de hiſt. animal. c. 4. ubi docet animalium alia ſanguinem habere ut equus, homo & omnia quæ perfecta aut pedibus carent, aut binis quaterniſque conſtant; alia exanguia eſſe ut apes & veſpæ, & inter marina ſepiam & locuſtam, & omnia quæ pedibus plus quam quaternis innituntur: Et hoc idem colligitur ex l. 4. de hiſtor. animal. c. 1. ubi ſcribit, ſe prioribus 3. libris egiſſe de partibus animalium ſanguine præditorum, nunc verò actum de iis quæ ſanguine careant, ut ſunt cruſtata, mollia, teſtacea & inſecta, de quorum omnium diviſionibus vide eund. l. 4. & 7. l, 5. c. 15. & l. 9. c. 37. rurſum 2. de patt. animal. c. 8. & l. 4. ejuſd. operis c. 5. & 8. Aldrovandum l. de exanguibus c. 1. & 16. & l. 3. c. 1. Cardanum de occult. nat. l. 3. Gal. l. 3. de aliment. facult. ubi habet mollia eſſe quæ neque ſquamam habent ut piſces, neque cutem aſperam ſeu teſtaceam ut cancri, neque teſtaceum tegumentum ut conchilia, ſed velut homo, ut polypus, ſæpia, loligo, de quibus vide Ariſt. totis ſuis libris de hiſtor. & de partibus animalium.

DICES, muſcas & id genus ex putri nata habere ſanguinem; ſed hæc imperfecta ſunt, *An omnia animalia* ergò etiam imperfecta animalia habent ſanguinem. Reſp. 1. non omnia quæ ex putri naſcuntur, eſſe animalia imperfecta, quia habent viſcera ſanguini generando dicata, ut mures &c. Dico non omnia, quia quædam non habent, ac proinde ad eorum cenſum ſpectant, ut vermes, erucæ, &c. 2. quædam generantur ex putri & ſunt imperfecta, habentque nihilominus ſanguinem, ſed ut plurimum quem aliunde ſugunt, ut pulices, Cimices &c. *Imperfecta ſanguine carent.*

DIFFICULTAS V.

Quid ſint humores & qui eorum effectus.

NOmen humoris non ſumitur hic pro affectione animi quas ſequitur complexionem vel temperamentum, quomodo dicimus læti, triſtes, iracundi, melancholici &c. nec etiam pro qualitate quæ eſt contraria ſiccitati; ſed pro ſubſtantia illa quæ intrà venas pro corpore nutriendo & reſtaurando continetur, & ab excrementis ſine ſuperfluitatibus diſcrepat. Itaque

Humor alimentalis. DICO 1. humor alimentalis eſt ſubſtantia liquida è cibariis in ventriculo, Epate, corde & venis corporis in hanc formam digeſta, ut nutritione in viventis naturam convertatur. Hæc eſt communis deſcriptio apud medicos ſi cor exceperis, & explicatur: Nam dicitur 1. eſſe ſubſtantiam ut contradiſtinguatur accidenti. Dicitur ſecundo eſſe ſubſtantiam liquidam, ut videl. per omnes meatus corporis defluere illudque nutrire poſſit; Et hinc omnia oſculenta quæ ſunt duriora & ſolidiora, ut panis biſcoctus, carnes aſſæ, poma, pira &c. debent in ſubſtantiam liquidam converti, ſive hanc in ſe jam prius habeant, ſive aliunde accipiant; An autem in hanc ſubſtantiam aurum aliaque ſolidiora ita tranſmutari poſſint, ut corpus nutrire & cordi vim aliquam ut gloriantur chymici, conferre poſſint, penes viros bonos & doctos, & non quos Regius Pſalmiſta pſalmo 31. deſcribit, eſto judicium; aurum enim nunquam melius confortat, niſi cum loculos replet & poſſidentem à creditoribus redimit. Dicitur 3. è cibariis decoqui, quia omnis humor alimentaris fit ex alimento, quod ore excipitur, dentibus conteritur, & in ſtomachum ſive capacitatem ventriculi demittitur; Nam fiunt humores omnes alimẽtales per multã & continuam caloris actionem, quia hic omnem cibum contritum rarefacit, humidum à ſicco terreumque ab aqueo ſeparat, tandemque per ſegregationem inutilium ab utilibus, quod partim in ventriculo, partim in venis meſaraicis epatis, cordis & totius corporis fieri ſolet, in hanc formam redigit. Dicitur 4. in ventriculo, epate, corde & venis corporis, quia partes hæ ſunt officinæ in quibus fiunt concoctiones adeoque omnis ſanguis humorque alimentalis rudimentum primum ultimamque perfectionem conſequitur. Dicitur 5. ut in viventis ſubſtantiam convertatur, quia hic

finis

finis ultimus eſt quem natura intendit, quando ideò per multiplices concoctiones alimentum digerit, ut in locum deperditæ ſubſtantiæ corporis tandem convertat. Adverte, deſcribi hic humores alimentales tam ſeparatim quam confuſim ſumptos, prout ex variis eſculentis aut etiam potulentis per continuas alterationes in ventriculo, epate, venisque totius corporis hanc formam & naturam conſequuntur. Quod ad effectus humotum,

DICO 1. ſanguis facit carnoſum, hilarem, jucundum, facilem, promptum ad riſum, venuſtum, benè coloratum, ingenioſum &c. pituitâ pigrum, ſomnolentum, frigidum, ingenio tardum, malè celeratum, minus promptũ ſed ineptum ad actiones vitales. Flava bilis promptum & colorem, agilem corpore & ingenio valentem, flaveſcentem colore aut etiam rubeum, ſed macilentum, impatientem, mente levem, iracundum. Atra bilis pigrum, tardum, ſomnolentum, moroſum, timidum, ingenio hebetem; ſi vero permiſta ſit choleræ, prudentem, ingenio memoriâque inſtructum, & ad omnes artes ſcientiasq; aptiſſimum, quia melancholia eſt frenum bilis, motusque nimium celeres cohibet, & ſpiritus ſubtiles, qui aliàs facilè in auras evolant, condenſat; Vnde maximè ingenioſi ſunt tales melancholici; De varia permiſtione idem intellige.

effectus humorum.

DIFFICVLTAS VI.

Vbi generentur humores.

ARiſt. multis in locis, præſertim verò l. 3. de part. anim. c. 4. & 5. & l. 2. de gen. anim. c. 4. l. de ſeneƈt. Iuvent. c. 1. & c. docet, ſanguinem, id eſt, totam maſſam ſangnineam fieri in corde. Gal. autem & cum eo tota Medicorum ſchola ſentit, ſanguinem omnesque humores alimentales gigni in Epate, tanquam in principio Venarum. Hip. l. 4. de morbis ſcribit, humores produci in ventriculo, qui exinde in caput, cor, epar, lienem & reliquas partes deriventur. De his itaque ut conformia dicantur, quæ jam prius diſp. 4. diff. 12. de origine venarum tum alibi patent.

DICO 1. Verum eſt, humores alimentales juxtà ſententiam Hipp. aliquo modo generari in ventriculo. Ratio eſt, quia in hoc accipiunt primum rudimentum. Deinde in chylo continentur omnes humores confuſè, quia hic fit prima ſeparatio ſubſtantiarum elementarium; ſed chylus gignitur in ventriculo, ergo & humores. Neque

DICAS, etiam humores contineri in quovis alimento remoto v. g. in pane, in carne &c. Neque etiam chylum fieri ex Rhabarbaro aliisque rebus miſtis quæ non nutriunt, quibus in caſibus non generari humores alimentales in ſtomacho, Quia Reſp. ad primum, humores contineri in alimento remotè & quaſi virtualiter, in chylo autem proximè & cum ſigno manifeſto eorum accidentium quæ iis debentur, quia in hoc factâ prius comminutione & maſticatione cibi diſſolvitur miſtum fitque ſeparatio diverſarum ſubſtantiarum, quæ extrà ſtomachum adhuc integrè & perfectè ſub ſua forma naturali commiſcebantur. Ad ſecundum Reſp. ſenſum eſſe ſolùm de chylo, qui fit ex alimentis non ex medicamentis, quæ non habent vim & potentiam ut convertantur in ſubſtantiam viventis.

DICO 2. Verum etiam eſt, humores gigni in Epate, id quod Gal: cum tota Medicorum & philoſophorum ſchola ſentit; Nec eſt contrà Ariſt. ejusque defenſores ut ex omnibus utriusque partis argumentis & rationibus liquet: Dum enim Ariſt. docet ſanguinem generari in corde, non negat primam ejus decoctionem & rudimentum fieri in Epate. Iam prob. concluſio 1. humores alimentales accipiunt colotem & rubedinem in ipſo epate; quod Anatomicis credendum, ergo reverà in eò gignuntur. 2. In Epate fit ſeparatio humorum utilium ab inutilibus, videl: bilis, melancholiæ, pituitæ & ſeri, diffunditurque ſanguis in omnes partes alendas, ergò. Et confirmatur hoc ab innumeris penè venarum propaginibus circà ſubſtantiam Epatis ſparſis, tum ex ipſa epatis carne, quæ maximè videntur ad generandos & perficiendos humores & ſanguinem eſſe appropriata. An autem ab ipſis potius venis, an verò ab ipſa carne epatis fiat hæc decoctio, quærunt & litigant inter ſe medici, dum hi ad venas, illi ad epar recurrunt; ſed ſufficit ſi dixeris, utramque partem præſtare id, quòd una ſeparatim ſumpta præſtare nequit. Quod autem in venis ſit facultas coquendi ſanguinem, patet inde, quia non in Epate ſed in ipſis venis decoctione ad nutriendum habilitatur: Quod etiam Epar habeat vim conficiendi ſanguinem, patet ex ejus inſigni calore, ſubſtantia & colore, tum ex intemperie ejus frigida, quâ ob defectum caloris qui ſanguinem coquit & perficit, is crudus & ſeroſus gignitur, ut videre eſt in cachecticis & hydropicis.

humores gignuntur in hepate.

DICO 3. ſed & verum eſt, ſanguinem fieri in corde; hæc concluſio habetur ex iis quæ pridem de origine venarum dicta ſunt, & probatur 1. concoctio ſanguinis & humorum calori vitali debetur; ſed hic maximè viget in corde, ergo. 2. totus ſanguis, qui in epate primam accipit perfectionem, refunditur in venam cavam & dextrum cordis ventriculum, indeque per eandem viam in venam portæ, cuius propagines ſunt à cava, & in totum corpus regreditur, & hoc tantum eum in finem, ut in ipſo corde magis perficiatur, ergo verum eſt ibi fieri ſanguinem. Et confirmatur, quia præterquam quod ſit rationis, omnes actiones vitales, cujusmodi etiam ſunt concoctiones ſanguinis & humorum alimentalium, tranſcribendas eſſe calori vitali ejusque principio & origini, conſtat etiam experientia, adminiculo ſpirituum vitalium & arteriarum, quibus illi undique per corpus deferuntur,

omnia viſcera foveri, roborari & calefieri, totum alimentum coqui & in ſubſtantiam viventis converti, ſemen generari, & omnes totius hominis facultates actionesque ab uno corde regi & adminiſtrari. Ergo verum eſt ſanguinem magis coqui & perfici in corde.

DICO 4. tandem gignitur etiam ſanguis in venis & habitu corporis. Patet ex dictis, quia in his fit tertia concoctio, & per hanc perficitur omnis ſanguis, ergo in venis quoque gignitur; Et confirmatur, quia tertia concoctio extendit ſe ad ipſam usque alimenti adglutinationem & reſtaurationem in locum ſubſtantiæ deperditæ; Sed hæc in ſolis fit venis habituque corporis, eſtque ultima ſanguinis perfectio, ergo in venis & habitu corporis quoque gignitur.

DIFFICULTAS VII.

Quomodo generentur humores & à qua cauſa.

DE concoctionibus nuper actum eſt, hic quæritur de modo quo ſanguis & humores generentur, quænam videl. actiones interveniant, dum cibi & quævis alimenta per decoctiones in ſanguinem convertantur, & à qua item cauſa.

DICO 1. Vt fiat prima ciborum concoctio in ventriculo ſive rudis & indigeſta moles humorum, hæ ſequentes actiones interveniunt; primò cibus ore maſticandus & conterendus, tum ſalivâ humectandus, niſi tamen & ipſe ſit liquidus, tum in ventriculum demittendus quod fit per potentiam attractivam vel impulſivam. 2. per calorem ſtomachi attenuandus, rarefaciendus, & tota miſti ratio ita diſſolvenda, ut fiat ſeparatio humidi à ſicco & calidi à frigido, ita tamen ut nihilominus hæc confuſa maneant, quemadmodum in chylo manifeſtè patet, qui eſt aggregatum quoddam diverſarum ſubſtantiarum & qualitatum ſibi nullibi ſub una certa forma cohærentium.

DICES his actionibus non gignitur ſed corrumpitur miſtum, ergo quicquid in ventriculo fit, putrefactio eſt non concoctio. Reſp. eſſe verè corruptionem miſti ſed generationem ſanguinis, & vocari à Medicis ex communi modo loquendi concoctionem, quia tendit ad generationem ſanguinis, qui variis alimentorum mutationibus & digeſtionibus opus habet, ſicut dum caro cruda aſſatur, frixatur, quod idem intellige de pomis, piris, aliisque fructibus crudis, qui ex ſe quidem in ſtomacho corrumpuntur, à calore autem vitali per concoctionem in ſanguinem paulatim convertuntur.

DICO 2. Secunda concoctio vel alteratio quæ partim in venis epatis juxtà Galenum, partim in dextro cordis ſinu juxtà Ariſt. perſequentes fit actiones: Chylus dum ventriculum elabitur, è venis meſaraicis ea parte qua purior eſt, & à terreis excrementis ſeparatus, ad venas epatis & cor attrahitur, tum in iis per calorem magis ſecundum partes craſſiores attenuatur, fitque corpus & miſtum magis homogeneum, quod paulatim à vi concoctrice & ſubſtantia earum partium formam ſanguinis, ad quam ex natura ſua determinatur, acquirit: Quamvis enim flores, fructus & ſemina in vegetabilibus & in rebus etiam inanimatis metalla, lapides &c. habeant ſuas cauſas efficientes, à quibus ad perfectionem & maturitatem perducantur; habent tamen nihilominus etiam aliquod principium intrinſecum, ex quo ad formas ſuas tam ſubſtantiales quam accidentales & proprietates, ut ad colorem, ſaporem, odorem, raritatem, denſitatem &c. determinentur; Et ſic aurum habet principium internum quare in ſua perfectione flaveſcat, argentum quare albeſcat, & ſanguis quare rubeſcat, videl. formam & naturam internam; quia aliàs non eſſet ratio, quare calor in chylo producat rubedinem & non albedinem, cum ex ſe ad utrumque effectum æquè ſit determinatus; Nec juvat ſola epatis aut cordis ſubſtantia, quia etiam idem calor ſanguinem mutat in ſubſtantiam lactis, & quidem eo in loco, ubi carnes circumfuſæ non ad albedinem ſed ad ruborem potius calorem inflectere poſſent. Cæterùm quia alimenta ex diverſis elementorum ſubſtantiis & qualitatibus coagmentata ſunt, ideò dum in ſtomacho reſolvuntur, in diverſa abeunt principia, ita tamen, ut quamvis ſub unam in venis coëant formam faciántque aggregatum quoddam, ſuam tamen innatam propriamque retineant naturam. v. g. pars ſanguinis bilioſi igneam, pituitoſi aqueã &c. donec multa & continua caloris actione his omnibus exutis unam ſanguinis puriſſimi unamque viventis cariſſimi formam induant. habent itaque res naturales ſuas qualitates & proprietates à ſuis generantibus, ad quas enĩ a natura intrinſeca determinantur, ut patet in mineralibus & vegetabilibus, quæ eſſe ſuum habent à ſuo generante & proprietates à forma emanantes. *Vnde ſanguis rubeſcit.*

DICO 3. Tertia & ultima concoctio fit in toto corpore ejusque ſingulis venis, & ad eam ſequentes concurrunt actiones. ſanguis in Epate nonnihil concoctus & ab impuritatibus ſegregatus, delabitur in dextrum ſinum cordis, venam cavam & portæ, indeque in univerſas corporis venas diſtribuitur; Deinde in his vaſis continuata caloris actione magis magisq; coquitur & perficitur, & ab iis recrementis, quæ ſingulorũ ſunt humorũ & in veram ſanguinis viventisque naturam converti non poſſunt, depuratur; tum paulatim in extremitatibus minimarum venularum in eam formam & perfectionem redigitur, in qua per nutritionem viventi adgeneratur; Et *Converſio ſanguinis in venis.*

hæc

hæc eſt ultima veraque nutrimenti concoctio, quia eam formam & perfectionem conſequitur, quam intendit natura; Et quicquid eam præcedit, id partim corruptionis nomen obtinet, quia his omnis cibus, quem in ſanguinem & ſubſtantiam convertere intendit natura, in ventriculo corrumpitur, vide quæ de concoctione diſp. 6. diff. 32. hujus lib. dicta ſunt.

DICO 4. Cauſa effic. principalis ſanguinis eſt anima, tum potentia ſeu facultas concoctrix, & calor partim viventis partim ipſius alimenti. De anima ejusque facultate nemo eſt qui dubitet, quia omnium actionum quæcunque fiunt in humano corpore, agens principale eſt anima, in cuius obſequium ſuccurrit calor adminiſter ut habet Ariſt. 5. de part. anim. c. 3. ubi ait, quod omne alimentum non niſi per vim caloris digeratur, in quem finem etiam habent omnia animalia & vegetabilia calorem naturalem tanquam principium ſibi maximè neceſſarium. Dixi tamen quod concoctio fiat à calore partim ipſius viventis partim alimenti, quia uterque activus eſt habetque vim maturandi & coquendi; Et quamvis potior ſit viventis, nihilominus tamen juvat & illa qui alimento proprius eſt, & qui, dum prius virtualiter lateret in mixto, jam reſoluto, fuſo, liquato & actuato in formalem prodit: Hoc confirmatur in omni genere ciborum, quorum calidiores facilius, frigidiores & crudiores difficilius coquuntur, niſi tamen aliunde ſit defectus aut impedimentum, v. g. peculiaris calor ſtomachi & Epatis, tum denſitas, raritas, aliæque ſive primæ ſive ſecundæ qualitates, alimenti, quæ coctionem vel maturant vel retardant & impediunt.

DIFFICVLTAS VIII.

Quem locum ſibi vendicent humores alimentales in corpore.

QVæſtio eſt de ſanguine quem conſtituunt omnes humores alimentales, & de hoc

DICO 1. Sanguis continetur in corde & arteriis. prob. 1. Authoritate Ariſt. 3. de hiſt. anim. c. 19. ubi ait, ſanguinem non niſi in corde præter venas contineri. 2. Anatomicorum & Medicorum qui docent, ſanguinem è cava in baſin cordis effundi, quod etiam Philoſophi atteſtantur, & hoc eum ob finem, ut generentur ſpiritus vitales, qui unà cum ſanguine tenuiſſimo arterias ingrediantur & in univerſum corpus diſtribuantur, tum ut ipſe ſanguis ex ſententia Ariſt. attenuetur magis calore & perficiatur. Prob. 3. experientiâ, quia conſtat in diſſectis corporibus ſinum cordis tutum adhuc ebullientem ſanguine repletum eſſe; Nec immeritò, quia talis eſt conditio naturæ, ut nunquam deficiat in neceſſariis, quia videlicet neceſſarium erat in fonte caloris præparari ſanguinem & ſpiritus, quibuscum calor vitalis transferretur in omnia viſcera, & in iis omnia vitæ munia exerceret.

DICO 2. Non tantum in corde & arteriis, ſed etiam in venis & præterquam nubili continetur ſanguis in ſtatu ſibi connaturali. prob. ex Ariſt. citato imprimis, & deinde ex communi doctrina Medicorum, qui ajunt ſanguinem poſtquam formam ſuam ab epate acceperit, transferri in radices venæ cavæ, ſive fiat id per tranſudationem ſive per ſubingreſſum hiantibus earum oſculis, indeque in ſurculos & ramos undequaque diffuſos: docet autem Ariſt. loco cit. & 2. de part. c. 4. ſanguinem, quamprimum extra ſua vaſa, id eſt, venas profluit, concreſcere præterquam in paucis animalibus; Et ratio huius concretionis eſt, quia ſanguis extrà venas deſtituitur ſuo calore, à quo conſervabatur, ideoque etiam evaporante humido remanent fibræ craſſæ & terreæ. Quod autem hæ fibræ faciant ſanguinem inſpiſſari, teſtis eſt ipſe Ariſt. loco cit. ubi ait, Cervorum, Damarum & quorundam aliorum animalium ſanguinem extrà ſua conceptacula non concreſcere, eò quod careat fibris, imò nullum ſanguinem inſpiſſari, ſi ab eo detrahantur fibræ. *Cur ſanguis concreſcat.*

DICES 1. Sanguinem in homine etiam mortuo & frigido quamdiu manet intrà venas, liquorem & conſiſtentiam ſuam naturalem retinere, ergo non à calore ſed ab alia cauſa. Antecedens eſt multorum graviſſimorum Authorum, qui id ſæpius obſervaſſe teſtantur. Reſp. incertum eſſe, an hoc verum, quemadmodum Daudinus & alii affirmant, qui naturæ peculiari venarum id aſcribunt. Quod ſi tamen id aliquando obſervetur, dicendum eſt, id oriri à putrefactione ſanguinis, quâ humidum à ſicco ſeparatur, vel certè profluere ſanguinem ſeroſum & ſanioſum aqueum, qui nunquam concreſcit, & frequenter ex hydropicis aliiſque poſt mortem multis ſæpè diebus profluere ſolet. *Cur ſanguis profluat è cadaveribus.*

DICES 2. Quæcunque pars corporis pungitur aut ſecatur, illinc profluere ſanguinem alimentalem, ergo non continetur tantum in venis. Reſp. etiam hunc ſanguinem profluere è venis quas capillares vocamus, vel certè ab ipſa muſculorum carne, in quam è venulis exudans proximè in humores ſecundarios decoquitur & in ſubſtantiam corporis convertitur; Et hoc

confirmatur, quia ſanguis hic ſive è venulis ſive è carne profluat, ſemper puriſſimus eſt & maximè decoctus proindeque à fibrarum impuritate & crudelitate liber. Et hinc colligitur, ſanguinem antequam in ſubſtantiam viventis tranſeat, neceſſariò è venis tranſudare & in qualibet parte cui adglutinandus, conſiſtere, ut in humores ſecundarios mutatus reſtauret deperditum.

DIFFICVLTAS IX.

Quæ ſit natura ſanguinis.

POtiſſima difficultas eſt circà ſanguinis hujus calorem, an videl. ſit ab ipſa ejus forma, quæ talem requirat complexionem, an verò à principio extrinſeco. Nam Hipp. l. de corde ait, ſanguinem natura ſua non eſſe calidum, ſed calere ſpirituum permiſtione, quod an verum ſit, inquiritur.

DICO 1. ſanguis ex natura ſua eſt calidus, adeoque & virtualiter & formaliter. prob. 1. ſanguis in venis eſt calidiſſimus; ſed ſi natura ſua eſſet frigidus, calor quem ei tribuunt ſpiritus, eſſet ejus naturæ violentus eumque corrumperet quod eſt abſurdum, quia natura nunquam tribuit complexionem influxam quæ ſit innatæ contraria; Atqui ſanguis ex natura ſua eſt pars materiæ animalis ordinata ad nutritionem, & præcipuum inſtrumentum nutritionis eſt calor ut habet Ariſt. 2. de anima c. 4. ergo debuit ſaltem ab extrinſeco principio per complexionem influxam eſſe calidus; ſi autem ex natura ſua & complexione innata eſſet frigidus, hæ duæ complexiones pugnarent inter ſe, neq; idoneus eſſet ſanguis ad nutritionem. prob. 2. Ariſt. 2. de part. c. 4. aliiſque in locis docet animalia ſanguine prædita eſſe calidiora, ac proinde animoſiora, exanguia verò quia ſanguine carent, eſſe frigida & timida; ergo ſanguis ex natura ſua eſt calidus. 3. ſapor dulcis eſt à calore, ut docet Ariſt. 3. hiſtor. anim. c. 19. & l. de ſenſu & ſenſili; ſed omnis ſanguis ex natura ſua eſt dulcis, ergo & calidus. 4. cibi & alimenta potius ſunt calida quam frigida, ergo & ſanguis plus ex natura ſua habet caloris quam frigoris. 5. denique, id quod non tantum in ſe calorem habet, ſed etiam aliunde hunc accipit, id ex natura ſua calidum eſt, ſed & plus caloris habet quam frigoris; Atqui hoc de omni alimento ſive ſanguine verum eſt, quia habet calorem mixti quem in decoctione non perdit; deinde fit calidum à corpore, quem calorem etiam ut naturæ ſuæ competentem retinet, ergo ſanguis qui ex alimento gignitur, ex natura ſua calidus eſt. Et confirmatur, quia ſanguis ſuppeditat naturam ſpiritibus vitalibus qui calidiſſimi ſunt, ſubminiſtrat omnem calorem influentem, eoque fovet & conſervat humidum calidumque innatum, ergo reverà eſt natura ſua calidus.

DICES 1. ſanguis dicitur calere ſpirituum permiſtione, ergo non ex ſe. Reſp. negat. conſeq. quia ſpiritus nihil aliud ſunt, niſi ſubtilior pars ſanguinis & calidior, ac proinde potior eſt calor in ſpiritibus, qui à ſanguine non differunt, eſto calor diffuſus ſit per totam ſubſtantiam ſanguinis.

DICES 2. ſanguis poſtquam è venis effluxit, etiam in aëre tepido vel calido brevi concreſcit; ſed omnis concretio ſive congelatio eſt à frigore ut docet Ariſt. 4. meteor. Non autem fit hæc congelatio ab ambiente, ergo ab ipſa forma ſanguinis reſtituente ſe in ſuum ſtatum naturalem, ergo ſanguis naturaliter eſt frigidus. Reſpond. 1. hanc concretionem ſanguinis non eſſe propriè congelationem, quæ fieri ſolet à frigore, ſed eſſe ſeparationem tenuiorum partium, quemadmodum quando concreſcit lutum, evaporant tenuiores partes & remanent craſſiores; Ita enim cum ſpiritibus calidiſſimis tenuiores quoque partes ſanguinis erumpunt & craſſiores remanent; Deinde ſeparantur etiam reliqui humores à ſanguine è venis profluente, qui omnes ferè ſunt ſubtiliores ſanguine; Et hi diluebant ſanguinem ſicut aqua terræ admixta eam attenuat, unde iis recedentibus remanet ſanguis ſpiſſior ſicut terra extractâ aquâ. Reſp. 2. ſanguinem ut maneat calidus & retineat partes ſubtiliores in quibus potiſſimùm reſidet calor, conſervari à corpore ejuſque calore; quamvis incertum ſit an ſanguis extrà venas concretus & jam actu frigidus ſit propriè ſanguis, quia calor à quo tanquam à proprietate conſtituebatur in eſſe ſanguinis, evanuit. Si urgeas, quod Ariſtoteles 2. de part. c. 9. cum quæſiiſſet cur ſanguis extrà venas concretus non congeletur in venis, reſpondeat, impediri concretionem à calore, ergo hæc debet fieri à frigore. Reſp. optimè dixiſſe Ariſtotelem, vehementem illum calorem quem in venis ſpiritus tribuunt ſanguini, impedire concretionem, quia propter eum habet admixtos ſpiritus & humores, ergo non ſequitur eſſe propriè congelationem; Et quamvis id concederetur, non tamen ſequeretur, ſanguinem eſſe natura ſua frigidum; Nam etiam vinum, quod calidum eſt, interdum congelatur, & ad congelationem ſatis eſt priſtinum calorem amiſiſſe, ſi reliqua adſint quæ ad eum requiruntur; ſunt autem in ſanguine fibræ, quæ natura ſua terreæ ſunt, & partes terreæ facilè concreſcunt, unde etiam extractis fibris non concreſcit ſanguis, ſicut nec ſanguis Cervorum & Damarum, & tamen hæc animalia habent ſanguinem frigidum, quia naturâ ſuâ ſunt valdè timida, qua de re vide Ariſto-

telem

telem 2. de part. c. 4. & 3. hiſtor. anim. c. 6. & 19.

DICES 3. Calor ſanguinis vel eſt ab alimento, v. g. pane, carne &c. vel à corpore; ſi ab hoc, formalis quidem eſt, ſed qui extrinſecus advenit ſicut aquæ calefactæ, ideoque non debetur ejus naturæ. Si ab illo, poteſt is eſſe exiguus & ſuperari à frigore, v. g. à lactuca, cichorio &c. ergo ſanguis non eſt ſemper ex natura calidus. Reſp. ſanguinem habere calorem ab utroque; ab alimento ex natura ſive exiguum ſive potentem, à corpore formalem & ita impreſſum, ut absque hoc non habeat ſuam integritatem, neque alimentum corporis & materia ſpirituum vitalium, ſed nec ſanguis eſſe poſſit.

DICES 4. ſanguis effuſus & extrà corpus poſitus frigeſcit naturaliter, eſtque ipſi frigus naturale, quia eſt in ſtatu ſuo naturali; ſed ſi natura ſua eſſet calidus, frigeſceret violenter & eſſet in ſtatu violento quousque omninò corrumperetur, ergo natura ſua non eſt calidus. Reſp. 1. ſanguinem effuſum & concretum non eſſe amplius ſanguinem viventis, quia caret ſua integritate quam habuit in corpore, ſed eſſe miſtum quoddam confuſum tendens proximè ad corruptionem. 2. frigeſcere naturaliter, quia corruptio eſt illi tanquam in loco alieno poſito naturalis ſicut & omnibus rebus ſublunaribus, & violenter, quia infertur illi vis ab extrinſeco, eſtque illi contra inclinationem, ſicut & omnibus compoſitis, quæ ſe in perpetuum conſervare vellent. Itaque ſanguis effuſus & concretus nec eſt in ſtatu nec in loco naturali, nec habet calorem amplius, niſi eum qui debetur miſto; Cum verò exiſtit in venis, habet calorem virtualem & formalem ex natura ſibi competentem, ideò quia eſt pars integrans corporis viventis, quia eſt alimentum animalis; quod absque eo nec vivere nec conſervari poſſet.

DICO 2. Calor quem habet ſanguis in corpore, non eſt totus à propria forma, ſed magnam habet partem à principio extrinſeco. prob. 1. ex Ariſt. 2. de part. c. 3. ubi habet ſanguinem quodammodo calidum eſſe & quodammodo non. prob. 2. ab experientia, quia ſanguis quamdiu eſt in venis, multò calidior eſt quam extrà venas; quare cum egreditur, evaporare & fumare videtur, poſtea verò tepeſcit, quod ſignum eſt fervorem illum fuiſſe à principio extrinſeco quo remoto evaneſcat. prob. 3. ratione, quia ſanguis habet ſpiritus vitales, qui ſunt calidiſſimi, & quorum beneficio caleſcit; Et hoc eſt quod Ariſt. 2. de part. c. 9. docet, calor inquit, fluens ab origine venarum, id eſt, à corde facit ne ſanguis congelet. Quod autem eod. l. c. 3. dicat ſanguinem à corpore calere ſicut aqua calefacta, non vult ſanguinem natura ſua frigidum eſſe, ſed tantum fervere in venis & corpore ſicut aqua in olla. prob. 4. ſæpè ſunt cibi frigidi ut lactuca, cichorea, melones &c. qui nihilominus cum convertuntur in ſanguinem, calorem habent; ſed non habent hunc ex ſe, ergo aliunde, id eſt, à corpore à quo eum in ventriculo, epate, venis totoque corporis habitu acquirunt:

DIFFICULTAS X.

Quid de ſanguine menſtruo dicendum ſit.

DE hoc ſanguine, qui ſtatis temporibus apud fæminas ab utero repurgatur, multa ſcribunt Medici, ſed ſequenna Ariſtoteles. primò quod accidat lunâ decreſcente 7. hiſtor. anim. c. 2. & rurſum 2. de gen. animal. c. 4. ubi ait cauſam huius eſſe, quod corpora animalium ſicut & ipſa luna in fine ſint frigidiora. 2. quod ſicut luna lumine dum creſcit, ita & mulier ſanguine menſtruo repleatur, 7. hiſt. anim. c. 2. 3. quod fæmina ut plurimùm ſit ſterilis quæ menſibus careat, ibid. 4. Quod, licet ut plurimum mulier gravida menſtrua non habeat, tamen aliquæ ſint quibus ad ultimum usque tempus geſtationis menſes fluant; ibid. 5. quod menſtrua plurima inter animalium fæmellas accidant mulieri, ibidem. 6. Quod menſtrua non deſcribantur certo aliquo periodo 2. de gen. anim. c. 4. 7. quod menſtruum ſit excrementum 1. de gen. anim. c. 19. 8. Quod menſtruum ſit ſemen ſed non purum & excoctum &c. 2. de gen. animal. c. 3. & 4. 9. Quod id maribus ſemen ſit, quod fæminis menſtruum ex 1. de gen. animal. c. 19. 10. quod menſtrua non ſint omnibus animalibus 7. de hiſt. animal. c. 2. ſed ſanguineis tantum. 11. Quod menſtrua incipiant in fæminis circà annum 14. ex 7. hiſt. c. 1. & deſinant circa 40. vel 50. ibid. c. 5. ubi addit, etiam nonnullas circà hoc tempus concepiſſe, nullam verò ultra illud. Hæc & alia diverſis in locis habet Ariſtoteles, ſed & plura Medici; quibus tamen omiſſis.

DICO 1. ſanguis menſtruus eſt excrementum, ſed per accidens. Primum prob. ex 1. de gen. animal. c. 19. & 4. de part. c. 10. & confirmatur, quia non continuatur cum reliquo corpore; nec ullum præſtat uſum vel beneficium, ſed aliquando in ordine ad alind, excernitur verò tanquam inutilis quidam & ſuperfluus humor, qui naturam gravat & corpus. prob. 2. quia non *Sanguis menſtruus eſt excrementum per accidens.*

 poteſt

poteſt ſecundum ſe totum converti in ſubſtantiam viventis, idque ex defectu caloris in feſu fœminino & in corpore nimiùm humido, ergo pars illa quæ abundat, habet excretionem ſuam non ex natura propria & per ſe ſed per accidens, niſi tamen pars magis ſeroſa quæ aliquando ex defectu caloris abundat, à reliqua ſubſtantia ſinceriori ſegregetur & ad loca conferentia ſecernatur.

DICO 2. Idem eſt utplurimùm ſanguis menſtruus qui alimentalis, & ſolùm ſuperfluus ob debilem in fœminis calorem, complexionem nimis humidam, membrorumq; omniũ mollitiem & laxitatem. Ratio prioris eſt, quia ſanguis menſtruus eſt calidus, humidus & dulcis ex ſe, gignitur ex eodem alimento, poteſtque converti in eandem viventis ſubſtantiam, quemadmodum in multis videmus, quæ per menſes & annos nulla patiuntur menſtrua ideò quia totum ſanguinem convertunt, imò in ipſis lactantibus, in quibus hic ſanguis tranſit in lac puriſſimum, quod non fieret niſi eſſet ejusdem bonitatis cum alimentali. Ratio poſterioris eſt, quia cum calor in fœminis ſemper ſit debilior & majori humiditati junctus, ideò gignit ſanguinem magis aqueum & ſeroſum, facitque carnes magis laxas & poroſas, quæ proinde minus appetunt & plus rejiciunt. Et hæc eadem eſt cauſa, cur totus ſanguis in viro & non in fœmina cedat in nutritionem, quia videlicet ſanguis eſt in viro perfectior, purior & elaboratior, in fœmina autem crudior, frigidior, ſeroſior &c. Dixi initio utplurimùm, quia ut patet, non eſt improbabile, portionem ſanguinis magis ſeroſam & ad nutriendum inhabilem aliquando à reliquo laudabili ſegregari, & ad uterum aliaque conferentia loca demandari, quousque ſtato tempore & periodo excernatur; Et hinc

Sanguis menſtruus eſt idem qui alimentalis.

DICES, natura in fœmina attrahit partem ſanguinis puriorem, ad nutricatum & reliquam ſeroſam excernit, ergo ſanguis menſtruus differt ab alimentali; Anteced. patet in multis fœminis, quarum menſtrua ſunt aquæ carnis lotæ ſimilia. Reſp. etiam id quod in ſanguine purius eſt & magis decoctum, frequentiſſimè abundare, prout videmus in fœminis benè valentibus & multo ſanguine præditis; Ratio illa quod menſtrua ſæpè in fœminis ſeroſa ſint & pallida, nihil probat niſi ſignum ægritudinis, & quod corpus univerſum hoc aqueo & corrupto humore plenum ſit.

DICO 3. Tempus hujus excretionis vel eſt univerſale vel particulare: Vniverſale eſt partim initium quo fœminis menſtrua incipiunt, partim finis quo deſinunt; Initium eſt tempus pubertatis, quod Ariſt. pulcherrimè l. 7. de hiſt. anim. c. 1. deſcribit, finis autem vel annus quadrageſimus vel quinquageſimus, cuius mentionem facit eod. libro c. 5. Cauſa horum duorum terminorum eſt incrementum & defectus caloris, tum peculiaris membrorum & viſcerum diſpoſitio, Nã calor vaſa extendit & ampliat, ſanguinemque fundit, viſcera paulatim exiccat, ſanguinem & alimentum minuit &c. Quod itaque in infantia & ante pubertatẽ, id eſt, ante annum 14. menſtrua non appareant, ratio eſt, quia totus ſanguis in creſcentibus carnibusque mollioribus convertitur, nec plus gignitur quam natura & vaſa ſufferant; Quod etiam circà annũ quinquageſimum ceſſent, ratio eſt, quia nec tum propter membrorum exiccationem, ubi humidi tam copiosè recipiendi nullus eſt locus, nec ob defectum caloris ſanguis abundat; Quod autem medio hoc tempore menſes ex abundantia ſanguinis ordinariè fluant, primosque pubertatis annos excipiant, ratio eſt, quia calor jam paulatim perficit membra generationi dicata, extendit vaſa, fundit ſanguinem, & non tantum ſe dum partes à nimio humido liberat & confortat, acuit, ſed etiam ſanguini copiam facit, quò minus in corporis ſubſtantiam totus convertatur; Et hæc ratio quæ tot annis pro fœminis pugnat, in ipſos etiam cadit mares, quamvis his alia ſit conſtitutio corporis, alius operandi naturæ intrinſecæ modus, & alius denique finis. Tempus particulare, niſi meatuum anguſtia, humorum lentor, acrimonia, vaſorum debilitas aut aliud impedimentum interveniat, menſis unius aut 4. ſeptimanarum ſpatium eſſe ſolet, & nunc incidere in plenilunium, nunc in noviluniũ pro cuiusque natura, ætate aliisque circumſtantiis, quibus etiam omnibus accedit, quod mollioribus & otioſis uberius, nigellis verò & ſiccioribus moderatius fluant. Cæterùm viæ huic expurgationi dicatæ ſunt uterus ipſe, venæ uteri & quæ ab hypogaſtrico ramo ad uteri fundum & cervicem excurrunt. Sed

Tempus ſanguinis menſtrui.

QVÆRES, quid hanc ſanguinis excretionem moveat, quia conſtat naturam hanc non moliri ſingulis diebus, ſed ut eſt cõmunis Medicorum ſententia, refundere ſanguinem ſuperfluum in venas majores, tum certis & determinatis periodis vel temporibus eundem commovere & expurgare. Varii varia ſtatuunt, ut videre eſt apud Philoſophos & Medicos; Nam Ariſtot. confert cauſam in motum lunæ 2. de gen. anim. c. 2. & l. 4. ejusd. operis c. 5. Quod 2. lunâ decreſcente potiſſimùm purgentur, cauſam ait eſſe quod tũ humidior & frigidior ſit aër, unde etiam crudi & frigidi illius humoris major proventus. Contrarium ſentiunt alii, videl. menſtrua fieri in plenilunio, quod tunc omnia ſint humidiora ut patet in conchiliis. Arabes variæ ſtatuunt pro ætatis & naturæ varietates juvenesq; lunâ novâ, vetulas autem veteri vel decreſcente purgari juxtà illud, luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat. ſed his miſſis

DICO 4. Cauſa principalis huius excretionis eſt anima & facultas ejus expultrix, tum ſanguis aggravans & calor qui hanc expulſionem adjuvat; Et hoc idem eſt quod de partu aliisq; rebus quæ internis viſceribus moleſta ſunt naturamq; gravant, ut excrementa, mate-

Cauſa excretionis menſtruorum.

ria

ria morboſa &c. potabiliſſimum dici poteſt & debet. probatur antem hunc in modum, quotiescunq; habemus cauſam aliquam proximam & particularem, non opus eſt, ut ad remotam & univerſalem confugiamus; ſed talem habemus in purgationibus menſtruis, ergo. prob. hæc minor, quia habemus materiam quæ corpus gravat; videl. reſiduum materni ſanguinis, & habemus vim corporis à ſe omne malum gravativum, quocunque locò cæli ſtet luna & ſive pleno ſive obſcuro lumine, repellentem, quæ ambo ſine recurſu ad cauſas remotas pro hac excretione ſufficiunt omnesq; difficultates occurrentes facilè ſolvunt. Nam ut hæc concluſio magis confirmetur, nunquam purgantur fæminæ; niſi cum ſanguis in iis abundat aut corpus peregrinis & vitioſis qualitatibus gravat, quo facto primùm vis animæ, cuius eſt undique ad conſervationem ſui domicilii invigilare, eundem non expectato peculiari cæleſtium ſyderum imperio, niſi in quantum univerſales huius inferioris mundi ſunt defenſores & cuſtodes expellit. Et hoc manifeſtè patet ex ipſo Ariſt. l. 2. de gener. animal. c. 4. ubi ait, menſtrua nullo certo circuitu deſcribi. Et quot ſunt fæminæ, quæ ſtatis temporibus & periodis purgantur etiam dum ſanæ ſunt? profectò ex millibus vix paucæ reperiuntur quibus id accidat; his enim omnibus & dies & horæ incertæ ſunt, & determinantur à ſanguine gravante, & naturâ corporis pugnante, aliquando ſeptimanâ tertiâ & quartâ, aliquando quintâ, ſextâ, ſeptimâ &c. Quod ad Ariſt. citatum, probabile eſt, nunquam fuiſſe mentem tanti viri, ut hunc motum aliter in lunam transferret, quam quod ſuo acceſſu & receſſu per lumen & calorem tum per influentias varias in elementis & hiſce ſublunaribus impreſſiones efficiat, qua de re pluribus vide l. 2. diſp. 14. de occultis qualitatibus & influentiis calorum; Et quod de expurgatione ſanguinis menſtrui, idem de omnibus omninò humoribus, excrementis & quicquid naturæ moleſtiam parit, ideoque per eam expellitur, dicendum eſt.

DIFFICVLTAS XI.

Quæ ſit natura pituitæ & utriusque bilis alimentalis.

SVppono, per hos tres humores alimentales intelligi tres partes ſive portiones, quæ unà cum ſincero puroque ſanguine juxtà materiam & naturam Elementarem conſtituunt totum ſanguinem intrà venas contentum, & eſſe quidem nihil aliud niſi ſanguinem bilioſum, melancholicum, pituitoſum, ita tamen ut etiam aliquando totus ſanguis ſive crudus adhuc, cum videl. ab epare venas ingreditur, ſive perfectè decoctus, ſit bilioſus, pituitoſus, melancholicus, prout ſequitur naturam ſive complexionem alimenti & corporis. Nam ex alimento frigido & humido non gignitur ſanguis bilioſus, præſertim in corpore cachectico, nec ex cibis calidis pituitoſus in bilioſo &c. His poſitis

DICO 1. pituita alimentalis quæ gignitur ex aquea alimenti portione, eſt pars maſſæ ſanguineæ crudior, in qualitatibus primis frigida & humida, in ſecundis autem dulcis vel potius inſipida. Dicitur 1. quod generetur ex aquea portione alimenti, quia omne alimentum obtinet diverſas ſubſtantias & qualitates, ex quibus coagmentatū eſt, & in quas denuò in ventriculo & epate per coctionem reſolvitur; Et ſic è materia & ſubjecto aqueo gignitur pituita, quæ dum naturam ſui principii ſequitur, evadit humida & frigida. Dicitur 2. quod ſit pars ſanguinis crudior, quia eſt ſubſtantia, quæ non niſi paulatim & calore valido concoquitur; Nam quo magis tam in primis quam in ſecundis qualitatibus alimentum à principiis vitæ, humido ſcil. & calido diſtat, tantò difficilius in verum viventis nutrimentum tranſit, quemadmodū videmus in cibis craſſis duræq; digeſtionis, tum in pituita excrementali, quæ ut teſtantur Medici, per inediam & diuturnā concoctionē convertitur tandem in ſanguinē & nutrimentum viventis. Dicitur 3. quod in qualitatibus primis ſit frigida & humida, in ſecundis a. dulcis & inſipida, quia ſequitur naturam ſui principii. Hic tamen

Adverte, quando dicitur pituitam eſſe frigidam, non eſſe intelligendum de frigore formali, quia ſic nulli ſunt corporis humores actu frigidi, ſed de frigore naturali ſive virtuali, quod etiam reperitur in aqua calida; Nam ſicut hæc calorem formalem habet ab extrinſeco, frigus a. ex natura; ſic etiam pituita calorē ſuum ſi non omnem ſaltem potiorem obtinet à corpore, frigus a. ab intrinſeco, quia ſequitur naturam ſui principii, aquæ ſc. Et hoc idem intellige de frigore melancholiæ & ſiccitate bilis, quia nec illa frigida eſt actu, nec hæc ſicca, niſi reſpectivè & in ordine ad aliud.

DICES 1. cum Plembio l. 2. c. 2. ſuorum fundam. medicinal., pituitam eſſe alimentum partium corporis pituitoſarum, antequam convertatur in ſanguinem, ergo etiam eſt alimentum dum corpus ſanguine abundat. Reſp. anteced. ſimpliciter falſum eſſe, ut patet ex alibi dictis, quia ſolus ſanguis perfectè decoctus eſt nutrimentū corporis & omnium ejus partiū.

DICES 2. cum Argent. Comment. 2. in a. p. Gal. de ſignis, ideò pituitam non poſſe in ſanguinem mutari, quia aliàs deberet ex hac concoctione nova pituita cum utrâq; bile reſultare, quod tamen falſum eſt; Aſſumptū prob. quia etiā pituita miſtū eſt, & conſtat ex diverſis ſubſtantiis & qualitatibus, ergo ſicut ex quovis cibo generantur diverſi humores, ita etiam ex pituita. Reſp. neg. aſſumptum; Quamvis enim pituita ſit miſtum, hæc tamen miſtura non conſtat ex diverſis ſubſtantiis, ſed ex ſolis qualitatibus, vel certè ex ſubſtantia aquea, quæ ſit pauco terreo commiſta; Et ſic falſum eſt ex pituita generandos eſſe omnes reliquos humores, quia ſufficit generari eum, qui benigno calore ejusque moderata

decoctione intenditur, videlicet ſanguinem, de quo tamen infrà vide pluribus.

DICES 3. pituita eſt frigida & humida, ergo non poteſt converti in ſanguinem, quia deberet totum frigus corrumpi & produci novus calor. Reſp. neg. conſeq. quia etiam aqua convertitur in aërem, imò in ignem, non tantum mutato calore & humiditate in calorem & ſiccitatem, ſed etiam toto ſubjecto. Et quid quæſo difficile eſt lactucam, cichoreum, pirum, pomum, aliosque cibos frigidos ita in ſtomacho, epate & venis corrumpi, ut abjecta priori forma productisque novis qualitatibus & diſpoſitionibus in ſanguinem tranſeant? Hæc enim eſt via & hic modus quo fiunt rerum materialium generationes & corruptiones. Cæterùm hæc de pituita excrementali dicuntur, non de alimentali, quæ eſt portio ſanguinis; Nam hæc licet frigida quoque ſit & humida ex origine ſui principii, quia tamen magis decocta eſt, & accedit paulatim ad naturam veri & ſinceri ſanguinis, ideò non amplius innato frigore dominatur, ſed eo ſenſim exuto novum calorem viventi proportionatum induit.

bilis quid & quomodo gignitur

DICO 2. bilis quæ ex ignea ciborum ſubſtantia naſcitur, eſt pars ſanguinis tenuior & magis ſpirituoſa, temperamento calida & ſicca, & ſapore amara. Signitur 1. ex calidiori & magis vaporoſa ciborum portione, quia hæc naturam ignis ſequitur, unde etiam è cibis & alimentis calidioribus plus bilis quam è frigidioribus eſt, ſi præſertim cætera in ſubjecto calido correſpondeant. Eſt deinde pars tenuior & magis ſpirituoſa, quia videlicet ex ignea ciborum portione gignitur. Ad hæc eſt temperamenti calidi & ſicci, cuius omnia ſunt ab intrinſeco, quæ ignea ſunt. Tandem eſt ſaporis amari, quia eſt calida & ſicca, quam utramque qualitatem ſequitur hic ſapor; Nam calor ſiccitati junctus adurit, & aduſtione amarorem facit, ut teſtatur experientia in ſalibus, in cineribus, in abſinthio, aloë, meliſſa &c. Quod autem Hipp. l. 1. de morbis dicat, bilem eſſe ſanguinem frigidiorem, putandum eſt, hunc errorem aliunde irrepſiſſe, quia non eſt probabile, tantum virum ejusmodi abſurditatem unquam docuiſſe, vel certè de bile nigra, videlicet ſucco melancholico id intellexit.

DICES 1. ex melle, ſaccharo aliisque rebus dulcibus gignitur ſanguis & cum ſanguine bilis, melancholia pituita alimentalis; ſed in ejusmodi rebus & alimentis dulcibus non eſt amaror, ergo nec in bile &c. Et hoc argumentum valet etiam pro bile excrementitia. Quod ſi dicas, fieri amarorem in decoctione, quæro de modo. Reſp. nec bilem nec ejus qualitates ſive primas ſive ſecundas eſſe & præexiſtere in alimento niſi virtualiter, & produci omnes non diversâ ſed eâdem decoctione pro cuiusque ſubjecti interna diſpoſitione, v. g. ex materia aërea calorem, humorem & dulcedinem, ex igneâ ſiccitatem & amarorem, ad quæ omnia non tam efficienter concurrit calor vitalis qui eſt viventis, quam alimentalis. Itaque conceſſo majori diſtinguitur minor, videlicet per virtualitatem & negatur, per formalitatem & conceditur.

DICES 2. ex communi axiomata pinguia & dulcia facilè bileſcunt; ergo vehementer calida ſunt, multumque bilis habent contrà rationem, quia pinguia & dulcia moderatum habent calorem: Reſp. id verum eſſe in corporibus bilioſis & præter naturam calidis, falſum in ſanis & moderatè calidis & humidis, cujusmodi ſunt ſanguinea &c. Nam quando Medici prohibent dulcia ſive ægris ſive etiam ſanis ſubinde, quod facilè in bilem convertantur, id intelligendum eſt de iis quorum corpora plena ſunt corruptis & vitioſis humoribus, aut calore præternaturali æſtuant, ideoque ſtomachus alimenta potius corrumpit quam laudabiliter digerit; aliàs ſimpliciter falſum eſt.

quando dulcia convertuntur in bilem.

Melancholia quid

DICO 3. melancholia producitur ex terrea ciborum materia, eſtque feculentior nigrior & craſſior maſſæ ſanguineæ portio, qualitatibus primis frigida & ſicca, ſecundis autem acida & auſtera. Terram hic humor ſequitur, unde etiam frigida eſt & ſicca; habet autem ſaporem acidum vel auſterum, quia humor frigidus eſt & crudus, ideoque vel difficulter coctionem admittit vel omninò reſpuit, eâ præſertim parte quâ feculentior eſt & terreſtrior: Quod ſi amaror in ea deprehendatur, credendum eſt hunc fieri ex vehementiori aduſtione ſicut & aciditatem ex leviori. Effectus huius humoris fusè deſcribit Ariſt. ſect. 30. probl. 1. ubi ait, omnes qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis philoſophicis, vel in republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos fuiſſe; gignere autem flatus iliumque dolores, anxietates, mentis alienationem, ulcerum eruptionem, facere hominem attonitum, ſtupidum, taciturnum, timidum, audacem, temerarium &c. effectus ſunt melancholiæ p. n.

DICES 1. melancholiam teſte Gal. 2. p. c. 57. gigni in ætate conſiſtente, & quidem ab epate calidiſſimo, ergo non eſt frigida. Reſp. neg. conſeq. quia generatur melancholia à multo calore per accidens, dum videlicet nimius calor adurit & conſumit partes ſubtiliores & humidiores, reliquis in feces terreas abeuntibus, quemadmodum in rebus plurimis id accidere ſolet.

DICES 2. Si pituita alimentalis eſt frigida & humida, bilis calida & ſicca, melancholia frigida & ſicca &c. ergo non differt

ab

ab excrementali. Reſp. hos humores alimentales dici frigidos, calidos, ſiccos &c. non ſimpliciter ſed reſpectivè, quod etiam competit excrementitiis; Deinde qualitates primæ aliter conveniunt humoribus alimentalibus quam excrementitiis; Nam in iis per continuam decoctionem ſunt in via mutationis ad calorem & dulcedinem, quæ viventi competunt; in his verò ad diſpoſitiones contrarias ſive corruptivas. Denique ſicut ſuaviores & benigniores ſunt qualitates primæ tam in humoribus alimentalibus quam in excrementitiis, ita etiam gratiores ſunt ſecundæ, quia nec amaror tantus eſt in bile alimentali, nec aciditas in ſanguine melancholico, ſicut in excrementis eſſe ſolet, proinde negatur in argumento aſſumptum, quia alia eſt diſpoſitio materiæ & humoris alimentalis quam excrementitii, & rurſum alia ſive diverſa qualitatum conditio.

DIFFICULTAS XII.

Quiſnam iſtorum humorum exuperet in venis.

QVæritur an ſanguis, pituita & utraque bilis in venis eâ proportione exiſtant, ut ſe mutuò non ſuperent in copia aut quantitate, v. g. tantum ſanguinis ſit in venis, quantum pituitæ, & tantum melancholiæ quantum bilis.

Adverte 1. vel ſenſum quæſtionis eſſe de ſanguine, qui vix nuper ex ſecunda concoctione primas intrà & majores venas continetur & qualibet earum apertione profluit; vel de eo, qui in tertia digeſtione ſummam conſequitur perfectionem. 2. ſi quæſtio ſit de ſanguine puro & ſinceto, vel intelligi de exuperantia ſanguinis biliosi, qui tenuiſſimus eſt & calidiſſimus & competit naturis, bilioſis per ſe, vel pituitoſi, vel melancholici &c.

Suppono, ſanguinem impurum & qui vix ſecundam exceſſit concoctionem, eſſe aggregatum quoddam & conflatum ex diverſis ſubſtantiis; ſed vix ſanguinem purum quique in tertia concoctione maturuit, eſſe miſtum abſolutum & perfectum, eò quod adhuc habeat admiſtas ſubſtantias quaſdam excrementitias, & ſit in fieri ad majorem perfectionem, videlicet ad humores ſecundarios & formam viventis. Iam

DICO 1. ſi ſanguis 1. modo ſumatur, ſub eo non continentur omnes humores æquali portione aut pondere in venis. prob. 1. ſubſtantiæ elementares, ex quibus unà cum qualitatibus ſit miſtum, non ſunt æquali portione in alimento, ergo nec humores, qui ex hoc gignuntur; Anteced. patet, quia alimenta aliquando habet plus terreæ ſubſtantiæ, aliquando plus aqueæ, aliquando caliditas exſuperat, aliquando ſiccitas &c. 2. diverſæ ſunt diverſorum individuorum complexiones & diſpoſitiones, ergo diverſæ in diverſis ſubſtantiæ ſanguinis non tam ex diverſo quam ex eodem alimento; Nam per decoctionem vi caloris generantur humores, v.g. in bilioſo humor vel ſanguis bilioſus, in frigido pituitoſus &c. quia alimentum quacunque ſit qualitate prædītum, vehementer inflectitur in decoctionibus ad naturam viventis, à quo calorem haurit & virtutem. Itaque duæ potiſſimùm ſunt rationes, cur ſanguis in diverſis ſit diverſus, quarum 1. eſt, quod alimenta, ex quibus gignitur ſanguis, ſint diverſa. 2. quod temperamenta ſive complexiones viventiū quorum virtute activâ plurimùm modificatur ſanguis, diſcrepent.

DICES 1. in alimentis ſemper plus continetur ſubſtantiæ aqueæ quam aëreæ, & terreæ quam igneæ, ergo ſemper plus erit pituitæ quam ſanguinis, & melancholiæ quam bilis. Reſp. neg. conſeq. quia alimenta mixta ſunt, habentque ſuas qualitates potiſſima ex parte virtuales, quæ etiam in quavis ſubſtantia exiſtere poſſunt; generatur itaque ex aqua & terrea ſubſtantia, quæ uttaque multum abit in excrementa, tum ſanguis tum bilis accedente calore ſtomachi, epatis, venarum &c. Nam hic eſt, qui coquit, alterat, & ſanguinem ad viventis naturam inflectit.

DICES 2. tota humorum conſtitutio pendet à corpore, ergo non ab alimento. Reſp. neg. anteced. quia pendet ab utroque; ſic ex cibis calidis gignitur in corpore frigido ſanguis moderatus, in calido calidus, in calidiſſimo calidiſſimus, quia præter calorem alimento proprium ſuperadditur novus à corpore ſeu vivente.

DICES 3. in vivente ſemper dominatur ſanguis. Reſp. non dominari ſemper ſanguinem, ſed aliquando bilioſum, vel aliquando pituitoſum vel melancholicum juxtà alimenti & viventis diſpoſitionem; Vocatur autem ſanguis bilioſus, pituitoſus, melancholicus non tam à materia & ſubſtantia quæ elementis reſpondeat, quam ab ipſa qualitatum primarum combinatione, quæ ſanguinem cum elementis combinant.

DICO 2. ſanguis in tertia concoctione purificatus ad ſenſum homogeneus eſt, adeoque totus bilioſus, totus pituitoſus, totus melancholicus &c. Ratio eſt, quia hic ſanguis, ſi ſerum tanquam ejus vehiculum exceperis, undique ſibi eſt continuus & ejuſdem rationis; ſed & humidum ejus cum ſicco & calidum cum frigido ita terminata ſunt, ut probabiliter ſub una forma completa naturam perfecti miſti conſtituant, *Sanguis quomodo homogeneus.*

ergo

ergo homogeneus eſt, qui ex diverſis ſubſtantiis in unum longâ & continuâ decoctione coaluit: Eſt autem ut conſtat, ſanguis bilioſus, qui fervorem habet & tenuitatem tam ab ipſo alimento quam à vivente; pituitoſus, qui cum inſigni humiditate calorem debilem habet, adeoque ſero immerſus lentè operatur; Melancholicus, qui terream ſequitur naturam haberque eos effectus de quibus in antecedentibus. Dixi ad ſenſum, quia reverà ſanguis quocunq; modo acceptus eſt heterogeneus, habetque partes & ſubſtantias diverſas, ut patet ex corpore organico, cujus diverſæ partes ex ipſo generantur & formantur.

DICES hujusmodi ſanguinem non poſſe nutrire, cum non habeat conditiones alimenti, de quo vide priorem diſput:, ergo non poteſt eſſe totus bilioſus, pituitoſus &c. Reſp. neg. anteced. quia reverà eſt purus & ſincerus ſanguis, differtque tantum quod aut magis aut minus ſit calidus, humidus, rarus, craſſus &c. habet etiam omnes conditiones veri proprieq; dicti alimenti. Et hinc

Colligitur, aliquando exuperare ſanguinem temperatum, aliquando pituitoſum &c. quia ſemper naturam alimenti & conſtitutionem viventis ſive naturalem ſive præternaturalem ſequitur.

DIFFICVLTAS XIII.

An ex quovis cibo poſſit generari quivis ſanguis.

SEnſus quæſtionis non eſt, an in homine generetur ſanguis calidus, etiamſi alimentum fuerit natura ſua frigidum, v. g. lac, pepones, lactuca &c. quia hoc extrà controverſiam eſſe nemo facilè ignorat; ſenſus itaque eſt, an ex quocunque cibo quicunque ſanguis generari poſſit, v. g. ex cibo calido ſanguis frigidus, calidus, vel bilioſus, melancholicus, ex alimento melancholico ſanguis ſincerus, bilioſus &c. Eſt autem ratio dubitandi, quia talis naturaliter gignitur chylus, chymus & ſanguis, & ejusmodi qualitatibus imbuitur, quibus conſtabat cibus.

Suppono, magnam ubique eſſe diverſitatem temperamentorum & complexionum in viventibus; ſic enim quædam corpora ſunt temperata, quædam inſigniter calida, bilioſa, melancholica, quædam ſana, quædam ægra &c. his poſitis

DICO 1. In omni alimento, dum convertitur in ſanguinem, additur & producitur aliqua nova qualitas. prob. quia calor quem habet ſanguis in venis & reliquo toto corpore, non eſt totus à forma propria, ſed magnam partem habet à principio extrinſeco ut patet ex dictis, ergo dum cibus & alimentum fit ſanguis, acquirit novum calorem novamque qualitatem: Et confirmatur, quia aliàs alimentum non poſſet corrumpi, & paulatim aſſimilari viventi.

DICO 2. Ex quocunque cibo & alimento gignitur ſanguis calidus. prob. 1. ratione, quia nullum eſt alimentum, quod non ſit calidum ſaltem virtualiter aliquo modo, cui accedit poſtea in digeſtione formalis: Deinde nunquam gignitur chylus aut ſanguis niſi extrinſecus accedat calor ab epate, ventriculo, venis totoque corpore, ergò ex quocunque cibo & alimento gignitur ſanguis calidus, 2. ſanguis ex natura ſua eſt calidus, quia eſt theſaurus vitæ, quæ à calore conſervatur, ergo ex quocunque alimento hic gignatur, calidus ſit oportet. Et confirm. 1. ab experientia, quia ex quacunque parte corporis hic profunditur, calorem habet, quo etiam à concretione conſervatur. 2. ab authoritate Ariſt. qui l. 3. de hiſt. animal. c. 19. ait ſanguinem eſſe calidum & humidum, quamdiu in corpore animalis contineatur.

DICO 3. Semper remanent in ſanguine & humoribus affectiones & qualitates, quæ prius fuerant in alimento, niſi aliunde quid obſtet. prob. 1. ſi in digeſtione quæ fit in ventriculo & epate, omnes alimenti qualitates corrumperentur novæque producerentur, liceret indiſcriminatim omnem cibum & potum aſſumere, quia nullus altero plus noceret aut prodeſſet; ſed hoc falſum eſt, ergo & illud. prob. 2. ab experientia, quia qui calidos comedit cibos, vinumque forte bibit, hic advertit ſe ventriculo & capite æſtuare, & contrà ſi frigidos, frigeſcere, ergo qualitates quæ inſunt alimento, remanent in ſanguine. Dixi tamen niſi aliunde quid obſtet, quia ſi corpus ſit morboſum & alienis qualitatibus vitiatum, facilè quævis alimenta corrumpuntur & ad peregrinas affectiones vehementer inflectuntur, proindeque ſenſus concluſionis de corpore temperato & benè conſtituto eſt.

DICO 4. Etiam ex quocunque alimento poteſt generari ſanguis ſincerus, bilioſus, melancholicus &c. ſive corpus ſanum ſit ſive ægrum. prob. quia in eam affectionem communiter tranſit alimentum, quâ corpus in præſenti affectum eſt; ſed poteſt affectum eſſe conſtitutione melancholica, bilioſa, &c. ergo in eam poteſt tranſire. probat. major, quia alimentum in digeſtione corrumpitur induitq; aliam naturam, *Unde abundantia humorum.*

ejus

ejus ſcilicet à quo patitur & in quo recipitur, ergo poſt corruptionem ſive digeſtionem tranſit in affectionem corporis ſani, ægri, vel medio modo ſe habentis. prob. 2. quotiescunque corporis mixtum corrumpitur aliamque formam induit, recipit cum ea ſimul novas qualitates, ſive qualitatum gradus & quidem eos, ad quos ab agente naturali diſponitur, ergo idem cum alimento, quoties id in ventriculo reſolvitur & digeritur, æſtimandum eſt: Et ſic lac natura frigidum tranſit in quemcunque ſanguinem v.g. bilioſum, melancholicum, pituiroſum, ſincerum juxtà præſentem corporis conſtitutionem: ſimiliter Cinamomum, piper aliique cibi vehementer calidi vertuntur à moderato corporis calore in ſanguinem moderatè calidum, in fervidum autem à calore exceſſivo, vel etiam in remiſſum à calore debili qualis in cachecticis & hydropicis reperitur: Et ſic ex moderato & temperato alimento poteſt gigni, bilis, melancholia, pituita & ſanguis, intellige cum prædominio, quia generatio bilis, pituitæ, melancholiæ & ſanguinis pendet à conſtitutione caloris & ab ipſa concoctione ita ut ſi calor ſit debilis, generetur ſanguis crudus; ſi temperatus, ſanguis ſincerus & purus; ſi vehementer calidus, bilioſus &c. Nam ſicut calor virtualis debilis in alimento à calore exceſſivo corporis intenditur, ita contrà fortis à debili infringitur: Et hinc

Colligitur, quod in aliquibus hic aut ille humor alimentalis vel etiam excrementitius abundet, id provenire ex complexione & temperamento, ex qualitate ciborum, ex paſſionibus animi &c. ſi enim quis Epar habeat calidum & cibis utatur calidis, generabitur bilis alimentalis & excrementitius; ſi calor ſit temperatus & cibi temperati bonique ſucci ſanguis; ſi craſſi, terrei, melancholia; ſi calor debilis, pituita. Et huc ſpectant paſſionis animi, quæ in immutandis corporibus, alterandis qualitatibus & producendis humoribus plurimum valent, ut teſtantur Medici & inter philoſophos Dard. de humor. l. 1. c. 4. & ſequentibus.

DIFFICULTAS XIV.

An quivis humor in quemlibet alium tranſmutari poſſit.

QVæſtio eſſe poteſt tam de humoribus corruptis & excrementitiis, quam de alimentatibus, & quidem de his vel crudis adhuc & indigeſtis prout ſunt quando vix ſecundam coctionem ſuperarunt, vel de iis qui in venis habituque corporis in laudabilem perfectumque ſanguinem mutati ſunt, ubi communiter juxtà primarum qualitatum dominium dicuntur ſanguis ſincerus, pituitoſus, bilioſus, melancholicus. Poteſt autem intelligi non tam de tranſmutatione accidentali, quando videlicet ſit alteratio tantum in qualitatibus, ut cum eadem bilis vehementi calore ſit rarior magisque incenditur, quam de ſubſtantiali, ut cum pituita per inediam tranſit in ſanguinem. His poſitis

DICO 1. humores excrementitii variè tam accidentaliter quam ſubſtantialiter mutantur: Hoc patet ex eorum corruptione infrà dicendâ, & de quâ fusè Medici videri poſſunt. Quod autem aliquando in qualitatibus ſolùm mutentur, patet in pituita acida, ſalſa, vitrea &c. quod aliquando in ſubſtantia, manifeſtat aduſta bilis, quæ in acetrimam melancholiam degenerat. An aurē quilibet humor excrementalis in quamvis alium tranſeat, non ita certum eſt, hoc tamen certum, quod, cum omnes pet corruptionem non tendant in perfectionem ſuam ſed in interitum, id eſt, in cineres & terram, non ab aliquo ſtatu imperfecto ad perfectiorem, quemadmodum ſit in pituita benigna, quæ calore in ſanguinem tranſit, ſed contrà à melioti in deteriorem, id eſt, in ſua principia prima reſolvantur.

DICO 2. Etiam humores alimentales poſſunt tam accidentaliter quam ſubſtantialiter mutari; primum patet in ſanguine ſincero, dum calore incenditur ſitque rarior, calidior, ideoque bilioſus; ſecundum in pituita, quæ cum multum differat à ſanguine, per inediam in hunc decoctione caloris transmutatur, ut docent Medici.

DICO 3. Non poteſt quilibet humor alimentalis in quemlibet alium tranſmutari. Ratio eſt, quia non poteſt perfectior moveri in imperfectiorem; ſed perfectior eſt ſanguis purus quam pituitoſus, ergo in hunc moveri non poteſt. Si de cauſa hujus inquiras. Reſpondeo eſſe calorem, qui cum omnia perficiat ſitque major in ſanguine quam in pituita, in hanc movere non poteſt. Itaque *perfectum non tranſit in imperfectum.*

DICO 4. Sanguis alteratione tranſit quidem in bilem & melancholiam, non tamen in pituitam. Ratio hujus eſt, quia ut conſtat calor non producit in ſubjecto proprio & per ſe digeſtione cruditatem ſed maturationem, illius verò, quia ſi ſanguis vehementi calore aſſetur, fit bilioſus & melancholicus &c.

DICO 5. omnes 3. humores alimentales perficiuntur in ſanguinem laudabilem. Ratio, quia à natura ſunt inſtituti ad reſarciendam ſubſtantiam viventis, ergo cum hoc beneficium ante perfectam decoctionem non obtineant, oportet ut prius perficiantur & in ſanguinem convertantur, quia hic ſolus eſt proximum & immediatum alimentum corporis. hic tamen adverte, cū duplex ſit ſanguis alimentalis, unus impurus & imperfect9, alter purus & perfectus qui in venis habituq; corporis multa alteratione concoctus eſt, hic

hic ſermonem eſſe tantùm de primo, qui ſolâ digeſtione caloris opus habet, ideoque per hunc in ſanguinem, ſcilicet perfectiorem magisq; elaboratum converti dicitur.

DICO 6. pituita alimentalis tranſit immediatè in ſolum ſanguinem, patet ex dictis, quia eſt ſanguis crudus & ſemicoctus, perficiturq; ſola digeſtione per calorem; Deinde quia ex natura ſua tendit in id quod eſt perfectius, videl. in ſanguinem, cum quo habet humiditatem communem; calorem verò conſequitur partim à ſanguine, partim à corpore, adeòq; prius mutatur in ſanguinem purum quàm in bilioſum aut melancholicum; Denique per coctionem tendit in id, quod eſt animali magis confine; dixi immediatè, quia ſi calor in ſanguine aut etiam in toto ſuppoſito ſit vehementior, poteſt in ſanguinem bilioſum aut etiam in melancholicum converti. Et hinc ſi Gal. multis in locis dicat, pituitam tranſire in bilem aut melancholiam; intelligendus eſt, quod tam pituita alimentalis quam excrementitia ſive concoctione ſive corruptione in quosvis humores mutari poſſit, prius tamen in ſanguinem.

DICO 7. Bilis flava alimentalis tranſit digeſtione in ſolum ſanguinem immediatè eâ parte qua benignior eſt, prob. eâdem ratione quâ hactenus conſtat humores ideò eſſe alimentales quod nutriant, nunquam autem alere poſſe, niſi prius in ſanguinem tanquam ſolum verumque animalis nutrimentum convertuntur. Quod autem in ſanguinem, & non quoque in pituitam, aut etiam in melancholiam immutetur, ratio eſt, quia ex natura ſua tendit in id quod eſt melius & perfectius, ſcil. in verum & proximum alimentum; Deinde quia facilius humectatur perditque ſiccitatem, quam quod admittat frigus, quia huic maximè reſiſtit calor, qui etiam illo ſuperior eſt non tantum in virtute agendi ſed etiam in dignitate & præſtantia natura. Dixi tamen eâ parte quâ benignior eſt, quia eum ſit ſubſtantiâ ſuâ calidior quam ſanguis benignus & ſincerus, tranſit concoctione in ſanguinem bilioſum, ne tranſeat in aliquid Imperfectius, videl: in rem minus calidam. Quod ſi quæras, quinâ ſanguis ſit perfectior. Reſp. eum, qui cuivis naturæ in ſtatu ſano exiſtenti convenit, ſive is ſit bilioſus, ſive melancholicus &c. aliàs in cõmuni is ſanguis eſt perfectiſſimus, qui propriè eſt humidus & calidus, à quo utroque conſervatur vita; Et quamvis etiam reliqui humores has affectiones habeant, ab iis tamẽ nonnihil deflectunt, ut examinanti per ſe patet.

DICO 8. Melancholia ſive humor melancholicus alimentalis, tranſit in verum & legitimum ſanguinem, pugnat pro hoc ratio eadem quæ pro aliis hactenus pugnavit. An autem citius tranſeat in bilem quam in ſanguinem ut quibusdam placet, dubium eſt, & videtur probabilius tranſire immediatè in ſanguinem, tum quod in hunc intendat, tum quod nulla neceſſitas in alterius naturam cogat, niſi tamen calor ſit vehementior, qui tunc potius aſſabit & corrumpet. In pituita non mutatur, quia dum calore coquitur, calorem accipit, non frigus, & dum in aliam naturam tranſit, facilè ſiccitatem cum humiditate mutat. Et hinc

Colligitur, hanc humorum alimentalium mutationem, quæ tantum in quadam alteratione conſiſtit, non requirere magnam conſiderationem, eò quod omnes rationem ſanguinis habeant, cujus puritatem & perfectionem ſola coctione aſſequantur, ideoque cum dicitur, bilem v. g. alimentalem tranſire digeſtione in ſanguinem, nihil aliud intelligi quã fieri ſanguinem magis perfectum, concoctum & elaboratum, quia tres humores ubique in venis exiſtentes ſive perfecti ſint ſive imperfecti adhuc & crudi, denominant ſanguinem bilioſum, melancholicum, pituitoſum.

DIFFICULTAS XV.

Quomodo differant inter ſe 4. humores alimentales.

CONſtat in ſanguine contineri 4. ſubſtantias, ſive reſultent ex diverſis Elementorum qualitatibus, ſive ſint actuales horum materiæ, quia ut alibi habetur, etiam ex materia unius Elementi vel duorum poteſt gigni verum mixtum, ſi 4. primæ qualitates accedant. Iam quæritur, quomodo iſtæ ſubſtantiæ in uno ſanguine exiſtentes ſint diſtinctæ, & ratio dubitandi eſt, quia non videntur præexiſtere in alimento aut eo mixto quod concoctione tranſiit in hunc ſanguinem, v. g. in carne, pane, lacte &c. Et in his omnibus ſi erant ſubſtantiæ diſtinctæ, jam nõ erant mixta perfecta, quia habebant diverſas formas ſubſtantiales; ſi non, quæritur, quis jam produxerit, cum nullum huius Agens dari poſſit; Et patet hoc in lacte v. g. aliisque mixtis alimentibus; Quando enim lac adhuc venis inexiſtit miſtumque perfectum habetur, nullæ in eo comparent ſubſtantiæ diverſæ, ſed tum primum quando in aëre frigeſcit, & paulatim in ſerum florem & materiam caſeoſam reſolvitur, quæ omninò videntur eſſe ſubſtantiæ diſtinctæ. Cæterùm aliis affirmativam & aliis negativam tuentibus habet Turiſanus in librum 2. a. p. comment. 41. & 44. pituitam & utramque bilem eſſe 3. ſubſtantias diſtinctas, ſanguinem verò nihil aliud niſi horum permiſtionem & congeriem, & hunc vocari pituitoſum, melancholicum, bilioſum juxtà cujusque dominium & abundantiam.

Suppono, ſanguinem & humores ſumi vel copulativè, & prout dicunt totum quicquid eſt intra venas concluſum, vel disjunctivè & prout dicunt partes ſeparatas quæ totum ſanguinem conſtituunt; Eſt autem ſanguis copulativè ſumptus aliquando imperfectus adhuc

huc & incoctus ut ex hactenus repetitis conſtat, vel contrà, in perfectiſſimum mixtum digeſtus, & his poſitis

DICO 1. Sanguis copulativè ſumptus & prout tertia concoctione perfectam alimentitationem obtinuit, non habet partes ſubſtantiales inter ſe ſpecie ſive eſſẽtialiter diſtinctas; Ratio eſt, quia ſanguis hoc modo ſumptus eſt mixtum perfectum, haberque partes ſingulas ſeſe minutiſſimè penetrantes adeòque ejuſdẽ ubique rationis, ergò nullibi diſtinctas.

DICO 2. nec ſanguis adhuc imperfectè digeſtus ſi copulativè ſumatur, habet partes à ſe diſtinctas. Ratio, quia per modum totius concipitur & non partes extrà ſe poſitas, vel quæ non ſint ſibi mutuò continuæ: Nam hoc modo quælibet particula ſanguinis eſt ſanguis ſive bilioſus, ſive melancholicus &c.

DICO 3. Humores ſecundo modo ſumpti, id eſt, ſeparatim & diſiunctivè, differunt inter ſe & à ſanguine plus quam accidentaliter. Ratio 1. eſt, quia ſunt diverſæ ſubſtantiæ elementares. 2. quia habent alios effectus & proprietates, 3. quia conſtituunt in venis novum aggregatum per accidens, ut vinum, aqua, oleum inter ſe commixta. 4. quia ſanguis è venis emiſſus & frigore concretus reſolvitur in 4. ſubſtantias Neque dicas eſſe mera excrementa v. g. bilem quæ ſupereminet, melãcholiam, quæ in fundo hæret, & pituitã quę in ſanguine confunditur; quia reverà sũt ſubſtãtiæ licet impuriores, quæ præter ſerũ illud quod habent, in verum & laudabile nutrimentum calore concoquũtur, niſi tamẽ præter ſerũ alia quoq; excremẽta in corpore morboſo venis cum ſanguine inexiſtant.

DICES, non differunt ſpecie ſive eſſentialiter, ergò tamen accidentaliter, Reſp. &

DICO 3. differunt tam inter ſe 3. illi humores alimentales quam à ſanguine ſpecie quadam imperfectâ ſive incompleta. Ratio patet ex dictis, quia non ſufficit diſtinctio accidentalis, & excedit formalis, ergò reſtat media inter utramque, qua videl. res inferiores & viliores differre ſolent; Niſi enim hoc modo differrent, non opus haberent ulla concoctione eſſentque iiſdem qualitatibus & proprietatibus imbuti quibus ſanguis, quod tamen falſum eſt; non eſſent etiam in mixtis tam diverſę ſubſtantiæ & qualitatum continuationes correſpondẽtes elementorum naturis poſtquam per concoctiones reſolvuntur. Dixi tamen ſpecie incompletâ, quia habent formas incompletas ſuntque in via & motu continuo ad unã quandam formam, ſub qua majorem habeant perfectionem, dicanturque alimentum immediatũ per quod ſubſtantiæ deperditæ animalis reſtaurentur: Et confirmatur concluſio in rebus quamplurimis tam animatis quam inanimatis, in quibus eſt reperiri hujuſmodi ſpecies incompletas, non tam quod in ſe mutuò vel nutritione vel plantatione transmutentur, ut ex inſectis quædam & nonnulla vegetabilis, ſed etiam quod ob humiditatem facilè invicem miſceantur miſtumque ſive perfectũ ſive imperfectum faciunt, ut videmus in ſpeciebus vini, lactis, mellis &c. Et quis quæſo dicat omnia pira, poma, vinaaliosque terræ fructus eſſe ſpecie completâ diſtinctos.

DICES 1. Sanguis puriſſimus & in extremitatibus venarum concoctus ſi extrà venas profuſus concreſcat, adhuc tranſit in diverſas ſubſtantias, ergò falſum eſt 3. illos humores ab eo eſſe diverſos & in eum decoctione degenerare; Et confirmatur ex lacte, quod homogeneũ eſt & miſtum perfectius quam ſit maſſa ſanguinea necdum integrè digeſta, & tamen conſtat tribus ſubſtantiis, nempè butyro, ſeu flore caſeo & ſero, ergò idem de ſanguine dicendũ eſt. Reſp. neg. antec. quia ſanguis ſincerus ſi extrà venas concreſcat, manet ſemper excepto ſero quod profundit, continuus & homogeneus, quouſque exiccatus in pulverẽ abeat; Confirmatio de lacte nulla eſt, quia deſideratur in lacte nõ ſanguis quem refert butyrum, ſed bilis, niſi ſub ſero ex multorũ opinione contineatur quod aiunt manifeſtari ex ejus acredine & vi cum abſterſivâ tũ evacuativâ. Deinde omnia mixta heterogenea ſive animata ſive inanimata in ſuo ſtatu naturali unam habent formam totalem & adæquatam, in reſolutione verò ſive in deperditione formæ ſuperiori remanent formæ partiales ſive ſubordinatæ, quemadmodũ videre eſt quando ex animali fit cadaver.

DICES 2. ſi ſanguis eſſet ſubſtantia à 3. cæteris humoribus aliena, malè feciſſet natura, quod hunc humorem purum cum impuris in venis confudiſſet. Reſp. neg. hanc ſeq. quia cũ ſanguis purus non ſufficiat pro toto corpore ejusque ſingulis partibus reſtaurandis, voluit natura reliquas ſubſtantias tanquam nutrimẽtales eidem commiſcere: Deinde nõ poteſt ex alimentis ſanguis purus ſolum generari, cum ipſa ſint mixta ex diverſis ſubſt. elementaribus.

DICES 3. ſi daretur ſanguis diſtinctus à reliquis humoribus, daretur etiã mediũ à quo expurgaretur ſicut reliqui humores; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud. ℞. 1. neg. ſeq. ma. Quod à ſanguis nõ ſit expurgandus, imò nec expurgetur niſi à medicinis vehementioribus & veluti venenoſis, ratio eſt, quia non eſt excrementũ ſed naturæ & vitæ amiciſſimus theſaurus, pro cujus ſalute & retentione etiam illa pugnat; Quod ſi tamen abundat aut vitioſus ſit, minuitur inciſione aut etiã ea parte qua vitioſus eſt, expurgatur; Nam Reſp. 2. non tantum reliquos 3. humores ſed & ſanguinem expurgari, non ut puti ſunt ſed ut corrupti & noxii, atque ita ab impuritatibus & corruptelis eluuntur, quo ipſo in ſtatu ſuo naturali conſervantur.

DICES 4. nõ dantur febres ſanguineæ, quia ſanguis non putreſcit ſicut reliqui humores, ergo falſum eſt ſanguinẽ per ſe conſtituere ſeparatum humorem. Reſp. etiam ſanguinẽ ſuas cauſare febres, ut Ephemeram ex ſanguine calefacto, & ſynochum putridã; Et ut habet Gal. l. 2. de febr. diff. c. 9. interpolatas, ſi ipſa putreſcat. Quod ſi in Turiſanum retorqueatur quæſtio, qualis videl. ſit futura febris, ſi tota maſſa ſanguinea ex ejus ſententia putreſcat; viderit quid hic Reſp. quia nullius typum obſeruabit, dicendum tamen futuram febrem quæ obſervet typum humoris aut ſanguinis dominantis, v. g. bilioſi, melancholici &c. Itaque negatur antecedens.

DICES 5. Pituita eſt tantum ſanguis imper-

de etiam icterici utplurimum albicantes fæces & urinas habent, bile ſcil. ad exteriora corporis avocatâ. Melancholia excrementitia trahitur ex epate cum ſanguine immixto ad ſplenem, in quo à ſanguine ſegregata tranſmittitur per vas breve in ventriculum, ut ſua aciditate & vi aſtringente famem excitat & appetitum, & contracto ventriculo concoctionem adiuvat, Pituita ſive in Cerebro, pectore, ventriculo, inteſtinis aliiſve partibus exiſtat, humectat, impeditque partium nimiam fortè deſiccationem, reprimit caloris exceſſum, acredinemque bilis & ſenſum nimis mordacem cum in inteſtinis tum in cæteris partibus ſenſu exquiſito præditis. Ichor eſt humor aquoſus, qui ſua tenuitate ſanguinem diluit, & in omnes partes corporis devehit, cum verò vel è renibus attractus per veſicam excernitur, vel per ſpiracula cutis tranſudat. Humores excrementitii inutiles, qui nullum in corpore uſum præſtant, numerantur à multis multi, ab aliis pauci; ſunt tamen potiſſimum ſordes aurium, mucus narium, lacrymæ, ſudor, urina, fæces alui, ſanguis puerperarum &c. de quibus omnibus videantur Medici.

DIFFICULTAS XVII.

Quid ſit humor excrem. p.n. & quotuplex.

QUando humores excrementitii vel diutius alicubi intra corporis meatus ſubſiſtunt, vel partibus morboſis & præternaturaliter conſtitutis inhærent, fit ut variis alterationibus à ſtatu ſuo magis deflectant, & in multiplices corruptelas degenerent. Et hinc

DICO 1. humores excrementitii præternaturales ſunt ſubſtantiæ, quæ ex naturalibus tam exceſſu quam defectu caloris variè corrumpuntur, adeoque peregrinas & pernitioſas animali qualitates acquirunt. Dicuntur 1. humores præternaturales ad differentiam naturalium; Nam degenerant in ſtatum & conditionem, quæ toto genere præternaturalis eſt viventi. Dicuntur 2. gigni ex naturalibus, quia hi ſoli ſubſtantiæ ſunt, quæ in tam varias corruptelas degenerent. Dicuntur 3. fieri ex defectu vel exceſſu caloris, quia ſi intrinſecam humorum malitiam & depravatas materiæ diſpoſitiones exceperis, nullam cauſam efficientem inveneris præter conſtitutionem caloris, à quo fiunt omnes humorum alterationes & immutationes. Dicuntur ultimo acquirere peregrinas & pernitioſas animali qualitates; Nam à quacunque cauſa & quomodocunque corrumpantur, cum in meliorem non abeun. ſubſtantiam, neceſſum eſt in eam degenerare, quæ ſanitatem animalis impugnet; Et ſic bilis excrementalis ex nimia aduſtione accipit vim c[illegible]ptivam, quam etiam frequẽter ex alime[illegible]s vitioſis, ut porro, allio, cæpis, & ſimilibus habet; ſic pituita ob defectum caloris lentorem habet & aciditatem; ſic melancholia ex aduſta bile gignitur acerrima, quæ & quævis obvia erodit, & terram etiam fermentare facit.

DICO 2. humores excrem. p.n. tot ſunt, quot naturales, niſi quod per corruptionem in plures ſpecies inferiores abeant. Prob. & explicantur omnia per inductionem: Nam imprimis ſanguis licet nunquam ex natura ſua ſit humor excrem. cum tamen corrumpitur, abit partim in bilem, partim melancholiam, & illud quidem ſecundum ſubſtantiam tenuiorẽ, hoc autem ſecundum craſſiorem: Itaque in utramque bilem degenerat immediatè dum putreſcit & corrumpitur, in alias verò corruptelas mediatè. Deinde pituita quæ in epate per calorem à ſanguine ſecernitur, & in varios ductus corporis, ut inteſtina, caput, ſtomachum, thoracem &c. fertur, multiplici caloris actione tranſit in inſipidam, acidam, ſalſam, vitream & gypſeam. Inſipida differt ab ea quæ naturalis eſt, per ſolam cruditatem, quia nec in ventriculo nec in ulla parte corporis concoqui poteſt, ideòque frequenter morbos gignit, in pectore firmiter ob viſciditatem adhęreſcit, in urinis crudis ſubſider, facitque corpus ſi abundat, lividum & plumbeum: Hujus cauſa eſt innata frigiditas materiæque viſciditas, quæ non facile à vi concoquente ſuperatur ideòque non ſolum è cibis frigidis, humidis, craſſis, lentis & viſcidis generatur, ſed etiam ſi tales immoderatè & intempeſtivè in corpore frigido, in ætate ſenili, in ventriculo debili, & conſentientibus ſimul rebus non naturalibus, ut cibo, potu, ſomno, otio &c. aſſumantur; unde etiam quod ADVERTENDUM, in ipſis venis & non tantum in capacitatibus corporis hæc pituitæ ſpecies gignitur. Pituita acida & cruda ſimilis eſt ſucco fructuum immaturorum, & generatur ferè ab ijſdem cauſis, à quibus inſipida, præſertim verò à calore deficiente, qui pro majori vel minori frigiditate & cruditate mixtorum vel unam vel alteram accumulat. Salſæ pituitæ cauſas ſtatuit Gal. 2. de diff. febr. c. 6. putredinem, aut ſalſæ ſeroſæque humiditatis admixtionem; Alii fieri dicunt ex humoribus aduſtis & amaris; alii alias quærunt & comminiſcuntur cauſas: quicquid autem ſit, probabile eſt gigni ex alimento terreſtriori, quod calor magis adurit & corrumpit, tum ex admiſtione ſubſtantiæ ſalſæ & ſeroſæ qualis eſt urina. Vitrea ſic dicitur, quod ſimilis ſit vitro fuſo; temperamento eſt frigidiſſima, viſcoſa & craſſa, generatque dolores intenſos, ut Gal. 2. de locis affect. c. 5. enarrat, præſertim ſi in ventre inferiore detineatur; differt ab inſipida, quia eſt frigidior, viſcidior & craſſior non ſecus ac materia illa quæ podagticorum articulis impacta eſt. Gypſea ſimilis eſt colore & ſubſtantia gypſo, & fit ex vitrea magis excocta; ſive autem calore ſicceſcat ſive frigore coaleſcat, nunquam gignitur in vaſis aut ventriculo, ſed non rarò viſitur in articulis ficut vitrea; ſæpe miſſo ſanguine apparet reliquis humoribus obducta, quæ quod ovorũ albumini ſit ſimilis, etiam albuminea vocatur. 3. bilis flava naturalis excrem. degenerat per varias alterationes, ſi præſertim & natura

Pituita excr. in quas ſpecies corrumpitur.

Humor. pit. excr.

Bilis excr. quomodo corrumpatur.

eſculentorũ accedat, in vitellinam, porraceam, ærogino ſam & glaſteam. Vitellina caldior eſt & craſſior, generaturque ex flava bile excrem. per nimium calorem, qui parte tenuiori abſumptâ reliquum adurit, ut etiam retorrida dicatur; generatur etiam in venis ex bile alimentali adusta, diciturque vitellina quod vitello ovi ſit colore & ſubſtantia ſimillima, porracea ſic dicitur, quod colore accedat ad viriditatem foliorum porri; plerumque gignitur in ventriculo ex alimentis calidis quæque facilè corrumpuntur; aliquando etiam fit corpore non benè conſtituto in venis ex vitellina per magnum calorem cum epatis tum venarum. Æruginoſa refert colorem æruginis, & gignitur ex alimentis per vehementiſſimum calorem corruptis, quamvis non deſint qui velint etiam in epate & venis gigni, aut ex inflammatione, aut ex nimio calore, qui bilem flavam & vitellinam variè adurit aſſatque. Glaſtea quæ ab aliis omittitur, ab aliis inter differentias ponitur, ſit ab æruginoſa magis aduſta. 4. denique ſequitur melancholia, quæ etiam bilis atra nominari ſolet, quemadmodum & illa quæ naturalis eſt, à qua licet plurimum differat; Eſt enim hæc frigida & ſicca ſequiturque naturam ſui elementi, terram ſcilicet; illa autem calida & ſicca, ſequiturque ſapore acerum acerrimum: Vim habet in corpore corroſivam carneſque colliquantem; de cætero tantæ efficaciæ & malignitatis ut omnem terram in quam cadit, fermentare faciat; Generatur ſemper ex melancholia naturali, ſanguine, pituita ſalſa & bile flava & atra per calorem velut unicam omnis corruptionis cauſam efficientem, Illa quæ eſt ex ſanguine, mitior eſt, quæ ex bile, crudeliſſima, tantoque peior, quantò bilis eſt ſanguine peior plura vide apud Medicos. ſi

Melancholia in quas ſpecies degeneret.

Quæres, quomodo diſtinguendi ſunt hi omnes humores. Reſp. partim ſpecie ſive completa ſive incompleta, partim accidentibus: Nam bilis diſtinguitur à pituita & melancholia ſpecie per effectus, proprietates & formas, à ſuis autem ſpeciebus, ut vitellina, porracea, æruginoſa & glaſtea accidentaliter, quod idem de aliis intellige; Et parum eſt, quomodo differant, quia ſunt res viliſſimæ & homogeneæ, quæ ſemper in motu ſunt ad corruptionem & principia elementaria.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quid & quot ſint humores ſecundarij,

DAti humores ſecundarios omnes conſentiunt, nec eſt contrà Ariſt. aut Galenum, quòd eorum nuſpiam meminerint; Nam vel ideò hoc feciſſe putandum eſt, quod eos ſub cæteris humoribus alimentalibus vel certè ſub nomine ſanguinis comprehenderint: Deinde non tantum Ariſt. fatetur nervos ali humore albo, ſed etiam Gal. oſtendit eſſe nutriri medullâ, quod tamen falſum eſt, ſi per medullam intelligat ſubſtantiam illam quæ in oſſium cavitatibus continetur, ſicut & illud quod lac ſit nutrimentum mammillarum, ſemen teſtium, pituita ventriculi, melancholia lienis &c. Quod autem dentur humores ſecundarii à ſanguine diſtincti, hæc videtur ratio convincere, quod videl. ſanguis in venis exiſtens non ſit capax adhuc qui corpus nutriat, ſed quod variè & multipliciter per calorem & vim concoquentem, quæ in ultimis etiam venarum particulis, imò etiam in oſſibus & nervis ſuam habet ſedem, prius in alias ſubſtantias adeòque in majorem perfectionem ſit immutandus. Jam

Humores ſecundarii quid.

DICO 1. humores ſecundarii ſunt ſubſtantiæ, quæ ex ſanguine puriſſimo eum in finem gignuntur, ut extra venarum extremitates exiſtentes immediatè in ſubſtantiam animalis deperditam nutritione convertantur. Dicitur 1. quod ſint ſubſtantiæ, quia ſunt ſanguis materialiter ſi non formaliter, & producuntur ex ipſo per ultimam concoctionem in habitu corporis, ut ſint immediatum & congruum alimentum viventis. Dicitur 2. quod gignantur ex ſanguine puriſſimo, quia humores ſecundarii requirunt ſubjectum ex quo, ab omnibus excrementis & impuritatibus liberum & defecatum. Dicitur 3. ut convertantur immediatè in ſubſtantiam viventis, quia hic eſt finis tot decoctionum in ſanguine, ut videl. animal nutriant, & ab interitu qui fieret per conſumptionem partium, vindicent. Dicitur 4. ut nutritione convertantur in ſubſtantiam viventis, quia hæc converſio non poteſt aliter fieri niſi per actum ſubſtantialem, qui eſt nutritio & per quem in ipſis humoribus ſecundariis, dum intrà poros ſuſcipiuntur, adgeneratur vel forma viventis, vel unio ſola, vel utrumque ut alibi patet.

Hum. ſecundarii qui & quot.

DICO 2. 4. ſunt humores ſecundarii, qui omnes ex ſanguine naſcuntur Prob. nam primò fit mutatio quædam ſanguinis in extremitatibus minimarum venularum quæ capillares dicuntur, ubi ſanguis mutatur in ſubſtantiam quand. albam, quæ aliud nomen proprium non habet. 2. alimentum ſuperatis illis extremitatibus in ſuperficie iterum in albam & perſpicuam ſubſtantiam immutatur, quam ob ſimilitudinem ros vel humor roridus appellatur, quia inſtar roris diſpergitur per inania ſpatia. Tertium humorem Medici Cambium vocant, eò quod mutetur & ſuccedat in ſubſtantiam deperditam, quod fit quando membra per poros attrahunt alimentum & ita adponunt ut adhæreſcat & paulò magis condenſatum adcreſcat; unde etiam hic humor res eſt quidam concretus, quamvis necdum integrè in ipſam viventis ſubſtantiam transmutetur. 4. denique eadem ſubſtantia magis adhuc ipſis membris adjungitur, ſitque viſcoſa & tenax, quæque proximè & immediatè ſuſcipit formam viventis, unde etiam gluten appellatur, quia adglutinatur membris viventibus.

SI QUÆRAS, quomodo differant hi 4. humores tum inter ſe tum à ſanguine. Reſp.

proba-

probabiliter non differre ut ait Dand. l. a. de humoribus c. ultimo, niſi accidentaliter, quia idem ſanguis eſt, qui cōtinua decoctione alteretur, donec in ſubſtantiā viventis degeneret. Sed nec malè dixerit, quiſquis hos humores ſpecie quaſdam imperfectas ſive incompletas ſanguinis dixerit, quæ continuatā quādam caloris actione formam illam ſuperiorem intendant. Nam idem ſanguis eſt, qui ſucceſſivis motibus & alterationibus ſubſtantiæ viventis aſſimilatur.

DIFFICVLTAS XIX.

An homo intrà & extrà uterum eoſdem habeat humores.

SUppono, humores vel eſſe alimentales vel excrementitios, & de his omnibus quæritur, an etiam in fætu dum adhuc intra matrem eſt, reperiantur, ſicut in homine jam adulto. Nutritur autem fœtus in utero ſolo ſanguine, quem à matre per venam umbilicalem trahit & intrà venas totius corporis recipit: Jam

DICO 1. fætus uterinus habet omnes humores alimentales. Prob. 1. fætus in utero habet verum alimentum, quo nutriturs augetur in omnem partem, ergò habet in ſe humores alimentales, quia hi ſoli ſunt verum & legitimum nutrimentum. a. hoc ſolo nutritur proles in matre, quod ab ea per venam umbilicalem haurit; ſed hoc ſanguis cæterique humores alimentales ſunt, ergò. 3. eadem eſt potentia nutritiva in fœtu uterino, quæ in adulto, idem nutrimentum & idem nutritionis modus; ſed in homine extra uterum verſatur potentia nutritiva circa humores alimentales, ut eoſdem convertat in ſubſtantiam viventis, ergò etiam in fœtu uterino, ergò in hoc ſunt omnes humores alimentales. 4. Veri & immediati humores alimentales continentur ſub maſſa ſanguinis; ſed hanc habet fætus uterinus, eoque nutritur, quia haurit talem à matre, ergò habet omnes humores alimentales, ſed & omnes ſecundarios, qui ex hac maſſa ſanguinis digeſti viventi immediatè adgenerantur.

DICO 2. habet etiam fætus ſuos humores excrementitios in utero. hanc concluſionem docet experientia in partu, ubi una cum prole ſerum, quod toto geſtationis tempore collectum & intrà membranam allantoidem reſervatum fuerat, in magna copia effunditur; ſimiliter ſunt ſua proli excrementa craſſa, dura & exicca, quæ poſt partum ab inteſtinis prodeunt, & quæ à ſanguine alimentali, qui intra venas exiſtebat, ſecreta fuiſſe certum eſt; Nam cum rationi ſit conforme, ſanguinem in venis adeò ſincerum & purum non eſſe, ut non habeat ſuas ſubſtantias excrementitias, à quibus ante nutritionem repurgetur neceſſum eſt, ipſam naturam quæ ubique provida eſt, feces craſſiores per ramum ſplenicum & meſentericum quæ viæ ſunt commodiſſimæ, à liene ad inteſtina amandare, ubi etiam calore ſenſim exiccantur, ut oſtendit experientia; ſerum autem quod ſanguini vehiculum fuit, vel in ſudorem natura eadem reſolvit, vel ad membranam allantoidem per Urachum, qui canalis oblongus eſt & exanguis à fundo veſicæ ad umbilicum productus, propellit.

DICO 3. fætus uterinus non habet alios humores excrementitios præter ſerum quod ſanguinis fuit vehiculum, & pauca quædam inteſtinorum excrementa, quæ ſunt impurior, terreſtrior & feculentior ſanguinis ſubſtantia. Ratio eſt, quia hæc ſunt ſola excrementa tertiæ concoctionis quam ſolam exercet fætus in utero; Nam chylum non conficit in ſtomacho, nec chymum in epate, à quo utroque viſcere emergunt copioſæ ſuperfluitates, quæ in corpus quaqua verſum diſperguntur, ſed ſolum ſanguinem perficit in venis, à quo duplex hoc excrementi genus proli coquendum & excernendum relinquitur.

DICES, In venis exiſtunt una cum ſanguine bilis, pituita & melancholia, à quibus etiam totidem emergunt excrementa, ergò etiam bilis, pituita & melancholica excrementitia reperiuntur in fætu uterino, & non tantum ſerum fæceſque duræ; Et videtur probabile, etiam in fætu uterino reperiri pituitam ſive mucum in capite, pectore, ſtomacho &c. bilem in cyſti fellea, melancholiam in liene. Reſp. quando dicitur in fætu uterino tantum reperiri ſerum & excremēta duriora quæ in inteſtinis colliguntur, intellige in hæc duo cætera degenerare, vel hæc ipſa non ita manifeſtari, vel certè à calore rurſum diſſipari & conſumi, ita ut prole natā nihil niſi ſerum & quicquid in inteſtinis reſervatur ſit conſpicuum: Nam cum in fætu uterino non fiat 1. vel 2. concoctio, unde tantus proventus bilis utriuſque & pituitæ, non poſſunt hujuſmodi excrementa in ipſo colligi ſicut in adultis qui ſunt extrà uterum.

Pro Corollario quæres.

Quid de circulatione ſanguinis judicandum ſit.

ADverte, hanc duplici modo intelligi poſſe; primo, quando ſanguis qui pro nutritione, generatione ſpirituum vitalium & reſtauratione tam humidi quam calidi nativi ſummè neceſſarius eſt, ab anima ejuſque potentia motrice ſurſum & deorſum & in omnem loci differentiam movetur. a. quando ſanguis per venam cavam in utrumque ſinum cordis tranſfunditur, indeque in arterias effuſus ad venas & corporis habitum per expreſſionem & tranſudationem, & hinc rurſum ad cor & arterias ſicque continuo vitæ durantis ordine & tractu defluit. Primum modū agnovit Galenus omneſque hucuſque tam Medici

quam Philoſophi, quia eſt rationi conformis. Secundum invenit vel excogitavit Guil. Harueius Medicus Regius & Profeſſor anatomiæ Londinenſis ante annos viginti & aliquot, & quia rationes ſuas ex arteriarum apertione, ex ventriculorum & vaſorum cordis magnitudine, ex fibrarum & valvularum artificio cæteriſque interni corporis conſtitutionibus & experimentis deſumit, ideò ad ocularem demonſtrationem appellat. his poſitis

DICO primò, ſi circulatio ſanguinis primo modo ſumatur, vera eſt tam ratione quam experientia & Authoritate omnium Medicorum; ſicut enim experientia docet, ſanguinem tam motu proprio quam alieno decumbere jam in hunc jam in illum locum & eſſe in partibus, ad quas non niſi violenter & ab extrinſeco rapitur; Ita etiam ratio ſuader eſſe pro conſervanda vita & ſanitate, ut ſanguis quaquaverſum in viſcera totumque habitum corporis diſpergatur, idque beneficio facultatum animæ, quæ ubique organis inſunt.

DICO 2. ſi circulatio ſanguinis 2. modo ſpectetur, videtur Harueius toto ſuo tractatu quem de motu cordis & ſanguinis in animalibus inſcribit, maiorem laborem, induſtriam & curioſitatem adhibuiſſe quam veritatem fortè attigiſſe. Ratio prima eſt, quia nemo Anatomicorum, qui tamen præſtantiſſimi & accuratiſſimi hactenus ſemper fuerunt, hanc doctrinam prius aſſeruit; Et mirum profectò, vidiſſe & deprehendiſſe unum Harueium, quod multi ante eum, qui tamen & ipſi linceos habuerunt oculos, non viderunt. 2. quia fundatur tota hæc actio in oculari demonſtratione, quæ in perfecto animali impoſſibilis eſt, & quam ipſe Harueius non niſi in buffonibus, ranis, ſerpentibus, piſcibus aliiſque frigidis animalibus gratis adducit. Quod autem ocularis demonſtratio nihil probet, & adminiſtratio anatomica certi nihil habeat, inde liquet, quia imprimis apertis & reſeratis vitalibus vita ceſſat & anima operari, & ſi motus aliquis deprehendatur, is ſpirituum eſt non animæ, caloris eſt non vitæ; Intellige tamen hoc de animalibus perfectis, non de Haruei buffonibus, ranis, ſerpentibus &c. quia ex horum imperfectione nihil concluditur: Deinde quia ipſi anatomici dum quotidiè cadavera ſcrutantur, controverſias movent, & dum objectum acutiſſimis etiam oculis inſpiciunt, cæcutiunt, alterque alterum erroris incuſat, quia de uſu & functione, de connexione & operatione partium incerti ſunt, cujus rei conſule teſtes ipſos. Denique, quia quamplurimæ actiones in humano corpore ita conſtitutæ ſunt, ut de iis pulchrius & ingenioſius quam verius loquamur; Exemplum ſit tranſitus chyli à ventriculo ad epar & ultima mutatio in ſanguinem, ſeparatio humorum inutilium ab utilibus, tranſitus ſanguinis crudi per venam cavam ad cor, & reditus ejuſdem ſanguinis concocti per eandem viam, penetratio, ſanguinis ex arteriis in venas & ab his in arterias, & ſi quæ ſunt ſexcenta hujuſmodi operationum, quas anima nunquam otioſa, ſemper vitaliter activa elicit. Ratio tertia eſt, quia multa videntur hinc inconvenientia ſequi, ut ſcient qui hanc rem diligentius conſiderabunt & videre eſt apud Jacobum Primiroſium qui & ipſe Anglus eſt, libro ſuo in animadverſ. Haruei c. 9. Quid autem hic Primiroſius cum Æmilio Pariſano Venero in circulationem ſanguinis animadverterit, id fusè ex ipſorum tractatibus eſt videre, ubi etiam quiſque facilè judicaverit, quid quantumque cuivis parti credendum ſit. Ego quidem, qui variorum animantium ſive cadaverum ſectionibus intereſſe, atque ita penitiora ſive quaſvis minutias perſcrutari nec unquam volui nec potui, ſed nec ad intrinſecum veræ Medicinæ quicquam facere judicavi, in iis quæ dixi, ita ſentio, ut ſo re dubia, & ubi judicium ex objecto præſenti facilè fallitur, nemini quicquam derogatum velim; hoc tamen concludo, tutius eſſe cum tota antiquitate & magno illuſtriū virorum numero ſentire, quam novæ opinioni, quæ juſtis argumentis & rationibus impugnari poteſt, ſed nec per ſe evidens eſt & certa, inhærere: Et idem intellige de Caſparis Aſellii venis lacteis, quas etiam inſenſiles in publicum non ita pridem produxit, dum majori induſtria, labore viſuſque acumine, viſcera interna & imprimis meſenterium quam hactenus Italiæ Galliæque præclariſſimi Anatomici penetravit.

DISPU-

DISPUTATIO DECIMA-SEPTIMA.

De humido & calido innato hominis Orientis.

IN hoc utroque conſiſtit & conſervatur vita, ut docet univerſa Philoſophorum & Medicorum ſchola, eoque paulatim deficiente mors foras pulſat, & ineuitabile illud divinæ Majeſtatis decretũ exequitur. Res mira, in hoc tam pauxillo humido Deum omnium rerum conditorem vitam noſtram figere, & ſimul animam quam ex divite ſuæ Omnipotentiæ penu depromit, inhoſpitare. Res mira, hanc materiam mole exiguam, forma obſcuram, viſu tactuque ignobilem eam continere virtutem, quæ ſingulis membris data in obſequium unius vitæ ſanitatiſque famuletur, & gratiſſimæ animulæ in exercendis omnibus operationibus abblandiatur: Nihilominus res vera veriſſima eſt, quia humidum hoc ideò datum eſt animali, ut ejus animam cum ſingulis membris uniat, calidum verò ut actiones vitales exerceat; Neque datum eſt animali tantum ut vivat, ſed ſemini etiam ut formet & ad animam diſponat, id quod olim antiquitas, & noſtrorum ſeculorum viri multi magnique non ſatis obſtupuêre: Hoc enim opus non in agens aliquod mortale, ſed in Deorum aliquem vel proximum iis Genium, penes quem ſumma hujus actionis poteſtas ſtaret, retulêre: Sed ne operis magnitudine decipiamur, ſatius eſt mirari cauſam primam Deum, qui ut faceret cuncta animantia & inter ea hominem ſibi ſimilem, hæc omnia inter ſe diſſimilia fieri voluit, quod totus, quâ latè patet orbis, atteſtatur, qui non tulit unquam geminum inter homines ſi non inter bruta ſibi in accidentibus ſimilem. Multa de hoc humido & calido diſputantur, multa de utriuſque efficaciſſimis operibus; Et meritò quidem, quia animam viventi adnectunt, & velut omnium actionum præſides ex alto ſpeculantur, & cavent ne & ipſi cum ſuo quod fovent, opere diſpereant. Quæ cæterùm de utroque ſcribere & ſcire hominem deceat, hæc præſens diſputatio paucis loquetur; ſit ergò

DIFFICULTAS I.

An in homine oriente cæteriſque rebus viventibus & mixtis detur humidum & calidum innatum.

RES manifeſta eſt, dari in animali & humorem & calorem; An autem hic uterque innatus ſeu primogeneus & radicalis dicatur & quare, non ita certum eſt, quia quotidiè ex cibo & potu reſtaurantur, dum ſe mutuò conficiunt; Et laborarunt jam olim non tam Philoſophi quam Medici, quidnam ſit illud humidum & calidum innatum, à quo hominem formari, vitam ſuſtentari, omneſque actiones vitales fieri dicantur; Cum enim hæc omnia effectum agentis alicujus naturalis, ad quem & calor & humor ſpectat, longè ſuperare crederent, ad aliud principium infrà dicendum confugerunt.

Hum. & cal. innatũ unde ſic dicatur.

DICO 1. humidum & calidum innatum non tantum ſic dici ſolet, quod utrumque primo ortu viventibus innaſcatur & implantetur, ſed quod etiam ſubſtantiæ partium viventiũ intimè copuletur & uniatur. Primũ deſumitur ab ipſo nomine quo innatũ, primo geneum & radicale appellatur, quia videl. dum vivens & miſtum producitur, ita humidum & calidum partes ſingulas conſtituit, ut ad earum eſſe naturale non tam in ratione miſti quam viventis neceſſariò requiratur. Secundum probatur ab ipſa natura humidi radicalis quod continuò per caloris actionem deperditur, ideoque dum per influxum ſpirituum vitalium veramque nutritionem reſtauratur, intimè partium ſubſtantiæ copulatur, quam etiam in ratione partis complet & perficit.

DICO 2. datur in homine & brutis animantibus humidum & calidum nativum ſeu radicale, quod ſit inſtrumentum animæ ad omnes actiones vitales eliciendas. Prob. 1. ex Ariſt. l. de Juventute & Senectute ubi ſtatim ad initium ait, calorem naturalem ſeu nativum incipere in animalibus cum vita; Et infrà, quodvis animal vivere beneficio caloris naturalis. Prob. 2. humidum & calidum nativum ſpectant ad quodvis compoſitum Phyſicum, ut illud non tam in ratione miſti quam viventis conſtituant, ergò etiam ad hominem & bruta animantia. 3. Vigore & beneficio calidi nativi formatur & producitur animal. ergò exiſtit tam in generante quam in generato, cui per generationem communicatur. Antec. eſt Ariſtotelis & omnium, quibus cognita eſt vis formatrix in ſemine; Nam ita eſt conjuncta cum calore inſito, ut hoc defectuoſo ipſa quoque deficiat. Itaque niſi admittatur humidum & calidum innatum, nec poterit formari corpus organicum nec homo, ſed nec poterunt elici ullæ operationes vitales, quia imprimis calidum nativum eſt perpetuum & principale inſtrumentum animæ, quo omnia in omnibus dum corpori conjuncta eſt, operatur, & quo abeunte ipſa quoque corpus deſerit, Nam anima per calorem coquit cibum convertitque in ſanguinem, & hunc in ſubſtantiam corporis & materiam ſementivam, ex hac format & gignit corpus organicum pro-

producitque medio calore diſpoſitiones ad futuram animam & formam appropriatas, & quod ſupereſt, in tenello homine elicit quicquid eſt operationum vitalium. Et hoc idem intellige de humido primogeneo, quia eſt præcipua pars ſeminis, & in corpore organico ſingulisque ejus viſceribus & partibus ſolidis proprium caloris ſubjectum & pabulum, quo conſumpto ipſe quoque calor marceſcit & extinguitur.

Quomodo humidum & calidū dicatur innatum.

DICES humidum radicale continuò depaſcitur & calidum nativum conſumitur, ergò minimum illud quod de novo ſubſtituitur, non poteſt dici nativum & radicarum. Reſp. 1. neg. Conſeq. quia humidum illud quod de novo partibus accedit, induit idem officium cum priori, intimeque commiſcetur per adgenerationem. 2. Incertum eſt, an totum humidum conſumatur, quia multorum fert opinio, tota vita aliquid humidi radicalis permanere, ſicut etiam ex partibus ſolidis.

DICO 2. Etiam datur humidum & calidum innatum in cunctis vegetabilibus. Ratio eadem eſt quæ cum homine & animantibus brutis; Nam ſicut anima rationalis in homine & ſenſitiva in brutis, ita etiam vegetativa in plantis utitur humore & calore ad exercendas operationes vitales. Deinde patet hoc idem ex Ariſt. l. de ſenſu & ſenſili, ubi ait ſtirpes habere calorem inſitum, & l. de Juventute & Senectute, ubi dicuntur ſtirpes tutari ſuum calorem naturalem per attractum ſuccum & circumfuſum aërem, & ex l. 1. de plantis, ubi habet, in omni plantarum ſpecie eſſe calorem & humorem naturalem, qui ubi abſumptus fuerit, eas valetudinem incurrere, interire & marceſcere. Sed quid de mixtis inanimatis? Reſpondeo &

DICO 4. habent quoque mixta inanimata ſuum humidum & calidum, licet non in ordine ad operationes vitales. Prob. de calore, quia omnia mixta inanimata conſtant 4. primis qualitatibus à quibus denominatur mixta, ergò etiam habebunt calorem, & hunc fortè magis quam quicquam aliud. Prob. de humore, quia omnia mixta coagmentata ſunt per humorem tanquam per medium quo omnia corpora ſibi continuantur adeò etiam, ut dum omni prorſus humore deſtituuntur, in terram & cineres nullibi cohærentes reſolvantur: Deinde patet in liquatione metallorum, quæ habitu pingui aëreo & unctuoſo cōſtant, quo eodem gemmæ, lapides pretioſi, & cuncta mineralia ſeu foſſilia licet magis aut minus cum adjuncto terreo compacta ſunt, ut patet ex diſp. 8. de gen. diff. 10, de rebus inanimatis.

DIFFICULTAS II.

Quid ſit humidum radicale in homine Oriente,

DE hoc controvertitur an ſit qualitas vel ſubſtantia, prout definitur à Sennerto, Plembio aliiſque Medicis.

Adverte autem, humidum vel ſumi in concreto, id eſt, pro ſubjecto cui inhæret humiditas, ut pannus multa humore aqueo profuſus; vel in abſtracto, id eſt, pro humiditate quæ afficit ſubjectum, cui etiam denominationem accidentalem addit, v.g. aëri quod ſit & dicatur humidus. Jam

DICO 1. humidum innatum in homine ſi 1. modo ſumatur, eſt ſubſtantia quædam humida ex puriori ſanguine in vaſis ſpermaticis decocta & impreſſa ſingulis partibus animalis ad calorem nativum ſuſtentandum. Ita deſcribitur à pleriſque Medicis & dicitur imprimis eſſe ſubſtantiam, quia eſt corpus & ſubjectum cui præter quantitatem inhærent alia accidentia ut calor, humor, denſitas, raritas &c. Dicitur 2. ſubſtantia humida ad differentiam oppoſiti, videl. ſubſtantiæ ſiccæ; eſt autem humida, quia ſic convenit calori ſuſtentando. Dicitur 3. ex puriori ſanguine decocta, quia ſemen, cujus præſtantior & efficacior portio eſt, gignitur per potentiam nutritivam ex ipſo defecato ſanguine, cujus pars, reliquo in ſubſtantiam deperditam corporis converſo, per naturam ad vaſa ſpermatica delabitur; Et hinc Dicitur 4. in vaſis ſpermaticis; ut deſignentur meatus, cavitates & organa, in quibus ex puriori ſanguine gignatur ſemen ejuſque pars humidum dulce, pingue & aëreum. Et licet hoc totum in ſanguine præextiterit, hic tamen ultimum cum ſemine complementum accipit, cujus proinde affluentibus à corde ſpiritibus nobilior portio exiſtit. Dicitur 5. ad calorem nativum ſuſtentandum, quia in hoc humido tanquam in appropriato pabulo ſubjectatur calor & ſpiritus omnium actionum vitalium efficiens cauſa, propriumque & principale animæ inſtrumentum. Adverte tamen, deſcriptionē illam eſſe ſolius humidi, quod in 1. formatione datur perficitque corpus organicum; alterum verò quod per nutritionem accedit, eſſe portionem non ſeminis ſed ſanguinis & alimenti ultimi, quod accretione primum conſervat & reſtaurat.

DICES 1. calor magis & facilius conſervatur in ſicco quam in humido, ergò illi magis convenit: Antec. patet in igne qui facilius aridis & ſiccis ſuſtentatur quam humidis quibus etiam ſtatim extinguitur. Reſp. neg. antec. ſive ſpectetur calor per ſe ſolus, ut cum ſol aquam calefacit & lignum, ſive una cum igne v.g. quia ſic facilius & diutius conſervatur in humido pingui quam in ligno aut alio corpore ſolidiori. Ad probationem itaque Reſp. ignem facilius conſervari in ſiccis quam humidis aqueis

verum

verum eſſe, pinguibus & aëreis falſum.

DICES 2. ex puriori ſanguine decoquitur ſemen, ergo non humidum radicale. Reſp. neg. conſeq. quia hoc humidum eſt pars ſeminis vaporoſior magisq; ſpirituoſa & aërea, quæ unà cum ſemine in vaſis ſpermaticis gignitur.

DICES 3. humidum innatū eſt excrementum, ergo non fit per decoctionem ſed per ſeparationem mali à bono & inutilis ab utili. Reſp. ad hoc argumentum, quod alibi de excrementorum natura & diviſione dici ſolet, videlicet humidum innatum non eſſe ejusmodi excrementum quod nullius ſit utilitatis ſicut bilis, phlegma, ſerum &c. ſed quod in aliquem uſum & finem reſervatur, ſicut lac ad nutriendam prolem & ſemen ad conſervandam ſpeciem.

DICO 2. humidum radicale in abſtracto ſumptum eſt qualitas. prob. 1. quia ſic habet oppoſitum ſiccum, ut eſt Ariſt. 2. de gen. c. 5. ſed ſiccum in abſtracto ad qualitatem refertur, ergo & humidum in abſtracto eſt illud quod ſubjectatur in re humida & à quo res dicitur humida; ſed talis affectio eſt vera & poſitiva qualitas, ergo & humidum hoc modo acceptum. 3. eſt per ſe ſenſibile, activum, intenſivum, remiſſivum &c. ergo eſt realis & poſitiva qualitas.

DICES 1. humidum radicale tam in rebus animatis quam inanimatis nō definitur facilè terminis alienis, ergo non poteſt eſſe qualitas. Reſp. hoc eſſe per accidens, quia videl. ſubactum eſt cū ſubſtantia craſſa & terrea, quemadmodum videmus fieri ſi ex cineribus & aqua fiat lutū, quo caſu nequit amplius aquea illa humiditas terminis alienis definiri, quia commixta eſt cum multo terreo; Et ad hunc modum humidum radicale ſubactum eſt cum ſubſtantia carnis, oſſis.

DICES 2. ſi humidum eſt qualitas, ergo non poteſt eſſe pabulum caloris: Nam calor non agit in qualitatem ut eam depaſcat. Reſp. calorem conſumere humidum in concreto ſumptum.

DIFFICULTAS III.

Quid ſit calidum nativum.

QVod de humido, idem etiam de calido quæritur & reſpondetur. Quam difficilis autem tam inter veteres quam modernos Medicos habita fuerit huius calidi nativi cognitio, patet ex Montano in aphor. 14. ſect. 1. ubi fatetur vix ſenem ſe tandem cognoviſſe quid calor innatus; imò multorum eſt opinio ut videre eſt apud Senn. l. 1. inſtit. c. 5. de calido innato, ipſum ne ſenem quidem illud integrè penetraſſe. Sed

DICO 1. calidum nativum in abſtracto acceptum eſt vera & propriè dicta qualitas, imò ex primis principaliſſima. prob. quia nihil eſt aliud niſi calor ille materiæ ſementivæ quem imprimis Generans producit tribuitq; ſemini, quo deinde virtus generatrix & formatrix in delineando corpore organico & tandem anima in eliciendis omnibus operationibus vitalibus utitur. ergo eſt vera & propriè dicta qualitas, quæ augetur, minuitur, a contrariò patitur &c.

DICO 2. calidum nativum in concreto deſcribi ſolet à Medicis, quod ſit ſubſtantia calida, humida, ſpirituoſa, ex optimo & puriſſimo ſanguine unà cum ſemine decocta, & in prima generatione ſolidis animalium partibus data, ut ſit primum animalium inſtrumentum ad vitam, ſanitatem & functiones. Explicantur ſingula. Dicitur 1. ſubſtantia, quia eſt ex puriori & calidiori parte ſeminis, quo ſingula corporis organa irrorantur, eſtque ideò magnarum virium, quia agit partim in virtute patris & matris, partim in virtute animæ propriæ ut eſt ejus inſtrumentum. Dicitur 2. ſubſtantia calida, quia calor dat denominationē, virtutem & tantarum operationum efficaciā. Dicitur 3. humida, ut declaretur hanc ſubſtantiam non tantum eſſe calidam, ſed etiam humidam, & in hac maximè conſiſtere vitam, non verò in ſicca, dura, ſolida, quia calor vitalis in exercendis ſuis operationibus eget humido pingui & aëreo, non autem aqueo ſicut nec ſicco terreo in quo comburit & conſumit. Dicitur 4. ſpirituoſa, quia videtur hæc ſubſtantia nihil aliud eſſe quam ſpiritus aut habitus, id eſt, ſubtiliſſima pars ſeminis, non in ſoliditatem partibus data, ſed ut inſtar roris tenuiſſimi aërisque ambientis & intimè penetrantis vitam foveat & tueatur: Et hunc ſpiritum non tantum atteſtatur Scal. exerc. 280 ſed etiam jam olim magnus Ariſtot. 2. de gen. animal. c. 3. ubi fœcunditatem ſeminis in hunc ſpiritum refert, & Gal. 2. de ſimpl. medic. facult. c. 9. ubi hunc calorem innatum vocat ſpiritum nativum & infixum ad differentiam alterius quem influentem nominamus. Dicitur 5. ex puriſſimo ſanguine decocta, ut ſignificetur ſubjectum vel materia proxima ex qua hic ſpiritus elaboretur: Nam ex eadem materia decoquitur ex qua ſemen, & in iiſdem vaſis in quibus maximè viget ſpiritus vitalis. Et confuſus eſt hic ſpiritus ſive hoc calidum unà cum ſemine cuius eſt pars undique nobiliſſima, ſubtiliſſima, & in formando corpore organico efficaciſſima. Dicitur 6. in prima generatione ſingulis partibus data, quia formato corpore organico non evaneſcit, ſed ſingulas partes penetrat & ambit, novisque actionibus quæ prioribus ſint nobiliores, inſervit. Dicitur ultimò, ut ſit primum animæ inſtrumentum &c. quia nihil eſt in toto animalis corpore quod animam & cauſam primam omnium & ſingularum actionum tam fideliter & tam conſtanter ſuffulciat. Cæterùm quod de calido innato dictum fuit, idem de humido quoq; intellige, quia ut mox conſtabit, una eſt eadem eſt ſubſtantia calore & humore prædita.

Calidum in concreto.

DIFFI-

DIFFICULTAS IV.

Quomodo differat hoc humidum & calidum nativum.

Senſus quæſtionis non eſt, an humidum & calidum nativum in abſtracto diſcrepent, quia eſſe duas qualitates ſpecie diſtinctas nemo ignorat; Neque etiam ſenſus eſt, an ſint ejusmodi affectiones, quæ in eodem ſubjecto ſibi invicem repugnent, quia eſſe qualitates inter ſe compatibiles novit is qui aquam aut aërem humida & calida novit. Quæritur itaque an humidum ut eſt concretum quid differat à calido juxtà eundem ſenſum, & an in omni animali neceſſario conjunctim reperiantur.

Suppono, corpora viventium, v. g. hominis & animalium perfectorum ideò dici & eſſe heterogenea, quod habeant membra & viſcera diverſæ rationis, id eſt, conſtantia diverſis ſubſtantiis & qualitatibus, ut patet in oſſibus quæ ſolida ſunt & dura ſive frigida & ſicca; in cerebro quod eſt molle ſive humidum, & frigidum, in corde quod eſt calidum &c. Et hinc verum eſt 1. quod homo in una parte corporis plus habeat humidi, in alio plus calidi quoad partes entitativas; Nam hæc eſt conſtitutio viventium ut in ſuis particularibus membris plurimum varient; quod confirmat ſenſus, quo os ſiccum, nervum mollem, carnem humidam, cor calidum &c. judicamus. 2. Verum etiam eſt, quod corpus non tantum quoad partes entitativas, ſed etiam quoad intenſivas in uno loco plus humidi aut calidi (intellige in abſtracto) quam in altero participet. Ratio eadem eſt quæ prius, quia cerebrum v. g. plus habet humidi quam calidi, contrà epar plus calidi quam humidi: ſimiliter cor intenſiorem calorem quam ſplen aut renes, & hi plus humidi quam tendines & ligamenta. Iam

DICO 1. humidum radicale & calidum innatũ non ſunt diverſæ ſubſtantiæ. Ratio, quia idem ſubjectum dicitur calidum & humidũ, quod à calore & humore diverſas habet denominationes ſicut aqua ab humore humida & à frigore frigida, vel aër à calore calidus &c. dicitur. Et confirmatur, quia eadem ſubſtantia quæ oſſa & nervos imbuit & fovet, calorem & humorem tanquam amicos & compatibiles qualitates in ſe continet; & hæc eadem eſt data corpori ejusque ſingulis membris ut affectionibus ſuis animam præſentem conſervet.

DICES, in eadem parte corporis heterogenei plus continetur humidi radicalis quam calidi juncti, ergo differunt. Reſp. ad anteced. cum diſtinctione, in eadem parte continetur plus humidi in concreto ſumpti, falſum eſt, in abſtracto, verum. Itaque ſolus calor & ſolus humor tanquam reales duæ qualitates faciunt, ut hic ſit plus de humido, ibi de calido. Et hinc

DICO 2. Vbicunque eſt humidum radicale, ibi etiam eſt calidum innatum. Ratio patet ex dictis, quia eadem eſt ſubſtantia ex optimo & puriſſimo ſanguine elaborata & in formatione corporis organici vel etiam nutritione ſingulis partibus implantata, humore & calore conſtans, ita ut beneficio prioris humidum radicale, poſterioris calidum innatum dicatur, utrumque verò & animæ & vitæ conſervandæ datum.

DICES, ſi humidum & calidum una eſſet ſubſtantia, neceſſariò ubique cum iisdem partibus entitativis reperirentur contrà experientiam & rationem, quia in cerebro eſt plus humidi ſicut & in carne molli, & in renibus plus calidi &c. Reſp. &

DICO 3. humidum & calidum non tantum in concreto ſed etiam in abſtracto ſumpta neceſſariò conjunguntur in animali dum vivit, licet non ubique cum iisdem partibus entitativis & gradualibus. De primo nulla eſt controverſia, quia una & eadem eſt ſubſtantia, quæ etiam ut plurimùm poſt animalis interitum aliquo modo remanet, quia non eſt probabile, unquam omne ſolidarum partium humidum conſumi eiusque conſumptionem ſequi interitum; ſatis enim eſt ita conſumi ut pro calore vitali ſuſtentando nõ ſit ſufficiens, quemadmodum videmus in tabidis & hecticis. ſecundum prob. quia vita conſiſtit in humido & calido, ergo ſi unum ex his deficit, mortem accidere neceſſum eſt: ſed in vivente non poteſt eſſe unum ſine altero, quia calor neceſſariò requirit humidum ut pabulum, & vita deſiderat calorem ut inſeparabile animæ informantis inſtrumentum; Dixi tamen, licet non ubique cum iisdem partibus entitativis & gradualibus, intellige in abſtracto ſumpta; licet enim humidum & calidum ubique cum iisdem partibus entitativis reperiantur ſi in concreto ſpectentur, non tamen ſi in abſtracto, quia in cerebro v. g. eſt plus humidi ſive humoris, in renibus plus calidi ſive caloris.

DICES, calidum innatum conſumit humidum radicale, ergo non ſunt unum & idem. Reſp. calidum innatum in abſtracto conſumere, non in concreto.

DIFFICULTAS V.

An & quomodo hoc calidum innatum concurrerit ad formandum corpus organicum.

Ratio dubitandi eſt, quia concurrit tantum vis ſeminis generativa & formativa à Genitoribus impreſſa, & quia ante corpus organicum nullum videtur humidum aut calidum innatum ineſſe materiæ ſeminativæ.

DICO,

DICO 1. eadem ſubſtantia vaporoſa & ſpirituoſa, quæ prius fuit in ſemine antequam formatum eſſet corpus organicum, exiſtit jam in ſingulis viſceribus & vocatur humidum ſive calidum innatum, inſitum, implantatum, inſitum, itradicatum, primogeneum &c. Ratio eſt, quia imprimis in productione corporis organici non evanuit, nec ceſſit tota in ſoliditatē partium ſed benignitate ſubſtantiæ ſuæ roris inſtar fovet & modificat omnes, cū præſertim hâc ipſa tam in eſſe quam in operari vitaliter non poſſint. Deinde nemo vel corrupit vel produxit eam de novo in partibus, ſed eadem quæ prius fuerat ſeminis, jam eſt Embryonis & corporis organici ſive totius hominis. Denique opus habet anima hâc ſubſtantiâ ad partiales generationes animalis & eliciendas operationes vitales non minus, quam prius ad formanda ſingula fœtus hominisque viſcera.

DICO 2. hoc humidum innatum concurrit nuper efficienter ad generationem & formationem corporis organici, 1. per calorem, 2. per virtutem generativam & formativam à parentibus impreſſam. De hoc utroque ſatis actum eſt diſp. 3. huius libri, ubi etiam patet diſcrimen inter calorem ut qualitatem inferioris ordinis & vim generantem quæ eſt altioris dignitatis. Quod autem calor nativus ad formandum hominem ſive Embryonem efficienter concurrat, patet ex Ariſt. 2. de gen. animal, c. 3. ubi ait ineſſe ſemini aliquid quod faciat ut fœcunda ſint ſemina, ſcil. calidum innatum &c. Et confirmatur à præſtantia & dignitate ejus, quia ubique in animali, in ſanguine, in ſemine, in ſpiritibus inſtrumentaliter cum virtutibus ſuperioribus coquit, perficit, nutrit, generat, fovet, format, cum præſertim illæ à genitoribus ſemini impreſſæ non ſufficiant, ſed hoc calore ſine quo neceſſe nec exiſtere poſſunt, opus habeant.

DICES 1. calidum innatum eſt ſubſtantia & materia ſeminalis ut patet ex dictis; ſed ex hac formatur corpus organicum, ergo etiam ex illa, proindeq; nullam habet vim activam. Reſpond. quicquid ſit de majori de qua infrà, minor falſa eſt, quia corpus formatur ex materia & ſubſtantia ſeminis terreſtriori, alterâ quæ ſpirituoſa eſt & virtuoſa. rationem & efficaciam agentis habente; Nam tota eum virtute non conſumitur, ſed in viſcera ad eliciendas olim operationes vitales diſpergitur.

DICES 2. non eſt amplius eadem vis formatrix in animali, quæ prius fuerat in ſemine, ergo nec eadem ſubſtantia ſpirituoſa in qua fundetur illa virtus. Reſp. conceſſo antecedente negatur conſeq. quia manet eadem materia in ſemine & corpore organico; ſimiliter idem ſpecie calor & ſpiritus, licet non eadem virtus, qua de re vide diſp. 3, huius l. diffic. 8.

Ad rationem itaque primam dubitandi reſpondetur, etiam calidum innatum concurrere ad formandum corpus organicum, ſed minus principaliter, quia ſuperior eſt virtus formativa, quæ in hoc calido nativo figitur. ad ſecundam reſpondetur, hoc calidum fuiſſe prius in materia ſementiva ſi non formaliter ſaltem materialiter, quia quæ ſubſtantia prius in ſemine calidum vaporoſum fuerat, in Embryone jam animato & homine dicitur innatum & implantatum.

DIFFICVLTAS VI.

An & quomodo conſiſtat vita & ſanitas in humido & calido,

COmmune eſt, vitam in humido & calido conſiſtere, de quo tamen rationem dubitandi facit 1. quod oſſa ſummè ſicca ut in ſenibus nihilominus vivant. 2. quod arbores in hyeme ſine omni etiam calore vivant, quod idem de piſcibus aliisquè viventibus intellige. 3. quod aqua ſulphurata, quæ eſt naturaliter humida & calida, vita & anima careat, ergo falſum eſt vitam ſemper conſiſtere in humido & calido.

DICO 1. Verum eſt, quod vita conſiſtat in humido & calido. Eſt doctrina communis & imprimis Ariſtotelis multis in locis tum maximè 14. probl, 10. & l. de ſeneſt. & juvent. Et prob. 1. tam ratione quam experientia, quia tamdiu poteſt anima corpus informare & in eo vitaliter operari, quamdiu præter alias diſpoſitiones debitum reperit humidum & calidum, quâ utrâque affectione maximè opus eſt, ergo in iis vita conſiſtit; prob. 2. mors definitur extinctione caloris, ergo dum hic eſt in animali, vita remanet, quia dicitur hæc permanſio animæ vegetativæ cum calore vel calido, quod ſcil: medium ſit & quaſi vinculum animæ & corporis.

DICO 2. vita conſiſtit in humido & calido diſpoſitivè tantum. prob. 1, anima ſola dat vitam eſtque ejus cauſa emanativa vel conſervativa, generans autem poſitiva & principalis, ergo reliquæ cauſæ tantum erunt inſtrumentales & diſpoſitivæ. 2. quicquid diſponit ad animam, etiam diſponit ad vitam; ſed humidum & calidum quæ ſunt in ſemine & remanent in animali, diſponunt ad animam, ergo etiam ad vitam, quæ naturâ eſt poſterior. ſunt itaque humidum & calidum diſpoſitiones, quæ partim in genere cauſæ efficientis, partim materialis neceſſariò requiruntur ad vitam & vitales operationes; Calor enim imprimis administer eſt vitalium functionum, nec ulli hoc officii genus melius competit, quia ſolus hic vivificat, reſtaurat, generat, producit, fovet, digerit, perficit, movet, attenuat, reſolvit, extendit & ſi qui ſunt plures ejus effectus, ergo neceſſaria & convenientiſſima eſt diſpoſitio ad vitam; Et videmus hoc per experientiam, quia natura in ſublunaribus omnia in producendis & generandis rebus naturalibus per calorem operatur, quam prærogativam agendi præ omnibus aliis affectionibus habet; ſimiliter

militer humidum in animali pabulum & alimentum caloris eſt, facitque ne, cum ille tantopetè activus ſit facilèque tantis laboribus & actionibus langueſcat, inter agendum deficiat, unde etiam rationem patientis potius habet & ſecundatiò tantum ſpectatur. Quud frigus & ſiccitas niſi per accidens non conveniant; ideò eſt, quia frigus imprimis ex natura ſua vitæ contrarium eſt, denſat; conſtringit, & congelat habetque veros & proprios effectus mortis ſocios; ſiccitas deinde per ſe calorem perimit eſtque proxima diſpoſitio ad cineres & terram; Nihilominus tamen per accidens omnibus animalibus conveniunt, cum ut refrænent nimiam caloris activitatem, tum ut animal conſtituant in eſſe mixti faciantque connaturalem primarum qualitatum temperationem ad vitam neceſſariam.

Ad primam rationem dubitandi reſpondetur, licet in oſſibus ſeoum ſit magna ſiccitas, tantum tamen adhuc habent humidi, quantum ad vitam & operationes vitales quas & oſſa & ſenes exercent, ſufficiat.

Ad ſecundam reſpondetur, etiam arbores In hyeme, piſces in aqua & ſi quæ ſunt alia viventia valuè frigida. ſemper habere aliquem calorē, qui eorum actionibus ſufficiat; Quantum enim in perfectione ſuarum actionum ab homine & animalibus perfectis diſtant, tantum etiam in calore, qui ejusmodi actionum Author eſt & præcipuum inſtrumentum, iis ſunt diſſimilia, unde quod colligitur, meritò omnium animalium calidiſſimus homo cenſendus eſt. Ad tertium Reſp. non ſufficere ad præſentiam vitæ honorem & calorem, ſed requiri inſuper, ut in corpore heterogeneo adſint partes & organa ad animam & actiunes vitales exercendas: Et in hoc remanet vita, quamdiu remanet humor & calor, cæteris tamen paribus, id eſt, non deficienribus iis quæ ad vitam conſervaodam quoque requiruntur.

DIFFICVLTAS VII.

Quotuplex ſit humidum & calidum.

DICO 1. humor eſt duplex, innatus unus ſive radicalis de quo hactenus, influens alter ſive adventitius qui per alimentum omnibus partibus ſubminiſtratur, tum ut ſit quaſi pabulum caloris nativi, tum ut huniorem inſitum reſtauret, operationes animæ vegetantis foveat, calorem vitalem conſervet, corporisque ſubſtantiam deperditam redintegret. Eſt autem non ſolum hic adventitius, ſed & prior innatus ſive primogeneus varios & multiplex; Ille enim eſt alimentalis & ſpectat ad nutritionem, unde etiam eſt ſanguineus, phlegmaticus, bilioſus & melancholicus de quo infrà. hic poſterior eſt partim aqueus, frigidus, tenax & viſcoſus, quo partes terteæ corporis cohærent, partim aëreus, pinguis & calidus qui ſuſtentat fovetque calorem nativum.

DICO 2. Calor qui in humido & cum humido vitam conſervat, etiam duplex eſt; unus inſitus, innatus ſeu radicalis, qui videl. cum ſemine productus per corporis organici partes diſpergitur; alter influens, qui poſtquam cum nutrimento in ventriculo alterato ad epar, indeque ad cor calidiſſimum cum ſanguine defertur, & rurſum hinc ad univerſi corporis membra dilabitur, innato primùm, qui cum humido paulatim perit, ſuperaddi ſolet. Alii ut Dandinus tertium inſuper addunt, videlicet calorem elementarem qui naturâ ſuâ ſiccus eſt & non humidus ut prior; Nonnulli verò admittunt in viventibus 1. calorem cæleſtem, qui ab influxu aſtrorum præſertim verò ſolis emanat & quo viventia incaleſcunt. 2. elementarem, qui convenit viventibus eo ipſo quod mixta ſint. 3. vitalem, qui viventibus peculiaris eſt & convenit cum principio vitæ: Et hunc vitalem in innatum & influentem ſubdividunt.

DICO 3. etiam ſpiritus duplex eſt, unus innatus, alter influens; hic eſt qui à ſanguine, cuius eſt pars calidior & rarior, in totum corpus medio corde ubi gignitur, diffundi ſulet; & vitalis intrà arterias, animalis intrà nervos dicitur: Ille nihil aliud eſt, quam ſubtilior rarior & efficacior ſeminis ſive humidi radicalis portio, quæ in ſingulas partes poſt primam conformationem diſtributa vitam cum anima & ſanitate fuvet & conſervat: De hoc utroque autem vide finem diſput. ſubſequentis.

DIFFICVLTAS VIII.

An humidum & calidum nativum ſit pars corporis & quomodo.

SVppono hic, quæ diſput. 4. huius libri de partium natura & diviſione dicta ſunt: Nam ſi pars corporis illa ſit quæ propriam habeat naturam, exiſtentiam & circumſcriptionem, quæ animata ſit, quæ toti cohæreat &c.

DICO 1. Calidum ſive humidum innatum pro nuda qualitate acceptum non eſt pars corporis. Ratio, quia nec eſt ſubſtantia quod ad eſſe partis requiritur, nec habet propriam circumſcriptionem, cum in toto corpore ſit communis & inhæſiva; ſed nec poteſt per ſe naturaliter exiſtere, ergo nec aliquid conſtituere &c. Denique concurrit ad conſtituendam ſubſtantiam vel quodvis compoſitum phyſicum, ut illud ſaltem accidentaliter perficiat & compleat, non autem ut ſubſtantialiter conſtituat quod proprium eſt partium integrantium ut oſſis, nervi, carnis &c.

DICO 2. nec humidum aut calidum innatum in concreto acceptum eſt perſe pars corporis. Ratio, quia non conſtituit per ſe partem aliquam propriam peculiarem & ſeparatam à partibus reliquis, ſed eſt ad complementum perfectionem & neceſſitatem cæterarum, tum corporis viventis ſani & vitaliter

operan-

operantis, ergo per ſe non eſt pars. Anteced. patet, quia humidum & calidum nativum nihil eſt aliud præter aëream, pinguem, calidam, ſpirituoſamque ſubſtantiam quæ omnia viſcera roris inſtar penetrat & imbuit, quæque unà cum terreâ denſâque ſeminis maſſâ in os, nervum, fibram, tendinem, venam, carnem omniaque membra coagmentatur. Deinde non habet propriam circumſcriptionem nec exiſtentiam, ſed cum reliqua ſubſtantia conſtituit partem phyſicam, viventem, organicã &c.

pars quid. DICES, pars definitur quod ſit toti cohærens communique vita conjunctum & ad illius functiones uſusq; comparatum; ſed hoc totum convenit humido & calido innato, ergo. Reſp. &

hum. & cal. quomodo ſit pars corporis. DICO 3. humidum & calidum innatum ita eſt pars corporis, ut in complementum omnibus viſceribus & membris datum ſit. Ratio eſt, quia tam in eſſe mixti quam in eſſe viventis hæc omnia perficit & conſtituit, illud quidem quia eſt potiſſima & vigoroſiſſima pars ſanguinis, ſeminis & partium quæ ex eo formantur; hoc verò, quia nec anima nec vita manet in corpore quod caret humido & calido nativo, ergo ſpectat ad perfectionem & complementum viſcerum omniumque corporis partium. Et confirmatur, quia Cor, Epar, cerebrum &c. in eſſe partis non conſtituuntur à ſola ſubſtantia terrea aut aquea cum ſuis appropriatis affectionibus, ſed quia verè mixta ſunt, habent & ſubſtantiam igneam & aëream, à qua utrâque eſt humidum & calidum innatum, facitque partem totam & adæquatam.

DICES, ſpiritus vitales ſunt pars corporis, ergo etiam calidum innatum, quia hoc nihil aliud eſt quam ſpiritus infixus. Reſp. primo, neg. antec. quia ſpiritus non ſunt pars corporis niſi latè accepti, quomodo etiam ſanguis & humores dici ſolent pars corporis. 2. alia eſt ratio cum ſpiritu infito, quia hic conſtituit verè partem in eſſe partis, non verò influens.

DIFFICVLTAS IX.

Vbi reperiatur hoc humidum radicale, an in omnibus.

QVando Medici quærunt, quodnam ſit ſubjectum humidi & calidi innati, non intelligunt an exiſtat inhæſivè in partibus ſicut qualitas, quia conſtat unam ſubſtantiam non ſubjectari in alia, ſed intelligunt, in quibus partibus aut membris corporis animati potiſſimum reperiatur hoc humidum & calidum innatum, an in omnibus vel an in aliquibus tantum.

Dinus gravis olim Medicus, ubi de ſubjecto calidi innati ſcribit, neceſſarium eſſe docebat ut aliud præter humorem habeat ſubjectum, eò quod Agens ſemper requirat aliud ſubjectum à ſe diverſum, proindeq; humorem non eſſe, quia hunc continuò depaſceret, ſed quicquid Dinus his verbis intelligat?

DICO 1. Calidi vel caloris nativi ſubjectum eſt non tantum humidum radicale, ſed etiam totum corpus organicum & ſingulæ ejus partes viventes. Ratio eſt, quia omnes informantur anima, & in omnibus vigent operationes vitales, quod abſq; calore innato fieri non poteſt: Cumprimùm enim pars vivens hoc calore deſtituitur, jam vita & anima caret, abitq; in putredinem & cineres, ut conſtat Medicis.

DICO 2. humidum radicale reperitur in omnibus partibus viventibus licet non æqualiter. Ratio eſt, quia per hoc omnes conſtituuntur non tam in eſſe mixti quam viventis: ſicut enim nulla pars vivens informari poteſt animâ & vivaliter operari, quæ calore formali caret; Ita etiam nulla eſt quæ non habeat ſuũ humidum radicale & infixum, non tantum ut ſit caloris pabulum, ſed etiam ut uniat omnique functionum generi inſerviat. Dixi tamen, non æqualiter, quia plus humidi habent viſcera & partes carnoſæ quam membranoſæ & oſſa. Et hinc

DICO 3. prima ætate humidum uberrim & velut æqualiter diſperſum eſt per omnes partes animalis, contrà verò annis & temporibus ſucceſſivis. Primum liquet inde, quia prima ætate partes omnes molles ſunt & velut homogeneæ, ut videmus in infantibus, in quibus omnia ſunt tenera, mollia & inſtar pulmenti terminabilia. Secundum probatur à contrario & ex natura membrorum, quæ paulatim magis magiſque indureſcunt & ſolidantur; Exemplum ſit vel tendo & cartilago vel os adhuc ſiccius, quia hoc in ſenibus æquè minus receptivum eſt humoris atque lapis humectationis ab intrinſeco: Non enim remanet humidum illud primogeneum, quod in prima formatione implantatum eſt, ſed continua caloris actione abſumitur, ac denuò ex alimento & ſanguine in ſpiritum converſo reſtauratur, hacque continuata actione ſemper plus humoris oſſibus decedit quam denuò accedat, donec tandem in duriorem evadant ſubſtantiam, nec facilè niſi per ratos potos & ſuperficiem humidum novum ſuſcipiant. Et hæc cauſa eſt, quare quædam partes plus quædam minus habeant humidi, quia videl. ex innata & intrinſeca conſtitutione nec poſſunt nec debent æqualiter hoc utrumque participare, illud quidem quia ſoliditatem habent quæ impedit receptionem copioſi humidi; hoc verò, quia non competit omnibus eadem ſoliditas aut mollities ob varietatem actionum, quæ corpore heterogeneo fieri debent, ne animal viribus motuque debito ad detrimentum vel dehoneſtatem deſtituatur.

Ad Dinum reſpondetur, ſi calor innatus accipiatur inconcreto, idem eſſe quod humor

innatus, præterquam quod ſimul connotet calorem formaliter in ipſo humido fundatum: ſi verò accipiatur in abſtracto, nudam eſſe qualitatem, quæ ineſt humido velut ſubiecto à ſe diverſo quod conſumit, exiccat, adurit & incinerat, ut patet in quovis calore inſigni, qui non generat ſed deſtruit, non fovet ſed corrumpit, non conſervat ſed deperdit.

DIFFICULTAS X.

An in puero vel juvene ſit plus caloris innati.

QVæſtionis huius cauſam dedit Hipp. l. t. aphor. 14. 15. aliiſque in locis, dum pro pueris loquitur; Nam quia nonnulli hanc prærogativam juvenibus utpote calidiſſimis adſcribere ſolent, orta eſt difficultas, an de calore vel de calido intelligendus ſit Hippocrates, & an de innato vel de influenre. Quicquid verò Medici de calidi natura & dominio, dum in Hippocratem commentantur, ſcribant,

Adverte, quando Hipp. ait pueros & qui creſcunt, habere plurimum calidi innati, intelligi totam illam ſubſtantiam, quæ dicitur humidum radicale habetq; calorem omnium actionum Directorem & Magiſtrum ſibi annexum.

Suppono, calidum innatum, quod idem de humido intellige, vel eſſe innatum primogeneum, vel innatum adventitium; Illud eſt, quod in formatione datum, hoc quod per nutritionem accedit. Iam

Pueri abundant calore innato.

DICO 1. verum eſt quod pueri abundent calore innato primogeneo. Ratio eſt quia abundant humido innato tali, ergo & calido qui huic humido competit: Nam ſicut abundantia humidi ideò pueris debetur, quia medium eſt ad accretionem, ita etiam debetur iis caloris copia ſi non per ſe, ſaltem per quandam concomitantiam, quia videl. fruſtrà eſt humidum ſine calido in animali, & fruſtrà informat anima materiam, ubi deficit calor ejus omniumque actionum vitalium inſtrumentum & miniſter. Deinde pueri ſunt proximi principiis ſuæ generationis, quæ ſunt humidum & calidum, ergo hoc utroque quod iis innatum eſt, abundant. Denique illo calore abundant pueri, qui eorum naturæ, modo vivendi & operationibus familiarior eſt magiſque congruit; ſed talis eſt innatus, ergo. hæc minor conſtabit ex ſequenti concluſione.

Copioſum hum. & cal. requiritur ad actiones veget.

DICES, ibi abundare calidum innatum, ubi omnes actiones ſunt perfectiores; ſed hoc in juvenibus verum eſt, quia ſecundum omnia perfectius operantur, ergo in iis abundat calidum nativum. Reſp. ad majorem cum diſtinctione; ibi abundat calidum nativum, ubi ſunt actiones naturales vel vegetativæ perfectiores, verum eſt; vitales & animales, falſum, quia ad priores requiritur multum humidi innati ut citius & plus creſcant; ad poſteriores verò plus adventitii, ideoq;

Iuvenes abundant calore adventit.

DICO 2. Iuvenes abundant calido influente & innato adventitio; per hoc intellige ſubſtantiam ex alimento in innatum converſam. Ratio quia iuvenes habent plus caloris vel calorem intenſiorem quam pueri; ſed hic calor non eſt innatus primogeneus ut patet ex proxima concluſione, ergo adventitius; Maior probatur ex operationibus juvenum, quæ plus caloris requirunt ex abundantia ſanguinis, ex copia ſpirituum vitalium, ex vigore animi, robore membrorum &c. Nam primo juvenes ſunt ſicciores, habentq; calorem acriorem & efficaciorem ut ſenſus manifeſtat quam pueri; 2. actiones juvenum non poſſunt omnes à calore & humore innato proficiſci. ergo ab influente, quem eorum actiones requirũt, ut ſunt generatio ſpirituum vitalium, pulſus fortis, reſpiratio magna & frequens, motus progreſſivus, actiones ſenſuum &c. 3. Iuvenes ſunt ferventes & feroces, motus habent celeres & inordinatos, feruntur in affectus inconſideratos, nec appetunt ſemper convenientia, ſenſus habent vigoroſos, qui multum caloris & ſpirituum abſumunt, ergo vehementi calore qui innatus non eſt, ad has operationes impelluntur; Neq; enim hi affectus ſunt caloris temperati qualis innatus eſt, ſed ignei & ebullientis, qualis abſumpto nonnihil humido innato ex calidiori victu & æſtuante corporis temperie gigni ſolet.

DICES 1. etiam calor in juvenibus eſt implantatus, ergo plus eo abundant quam pueri. Reſp. eſſe implantatum per novum influxum conceditur, per primam originem, negatur. Deinde hæc implantatio ſemper habet rationem caloris influentis & aſcititii, qui proinde in modo agendi & afficiendi differt à primogeneo vero.

DICES 2. in juvene non eſt amplius calidũ illud primogeneum, ſed novum illi ſubſtitutũ. Reſp. probabile eſſe juxtà aliquorum opinionem, nõ omninò perire totum hum. primog. ſed ſemper aliquid eius permanere. Deinde novum illud quod ſubſtituitur, ſemper habet rationẽ primogenei, & quò proximius fuerit principio, eò magis habebitur primogeneũ.

DICES 3. Iuvenes non creſcunt ſicut pueri, ergo nec præſtant calore ſive innato ſive adventitio. Reſp. neg. conſeq. quia hoc ipſum manifeſtat, in juvenibus eſſe calorem efficaciorem, qui conſumat & non plus reſarciat; Neq; verò calor eſt, qui ſolus accretionem cauſet, ſed ſi corpus exiſtat molle, tenerum & copioſo humido aëreo, in quo ipſe temperatꝰ ſit, refertum: Et tale corpus eſt puerorum non juvenum in quibus potior humiditas in membra coagmentata & in artus extenſa eſt. Nam in hoc conſiſtit ratio accretionis in ordine ad durationem, ut potentia negativa, cuius ſolius eſt nutrire & augmentare, innatam partium humiditatem tamdiu mediante calore in viſcera coagmentet, & in artus extendat, quousq; juſtũ terminũ magnitudinis à natura

Quomodo fiat accretio.

pra-

præſcriptum aſſequantur, & in eam ſoliditatem abeant, qua nec proprio humido nec adventitio in huius ſubſtantiam & bonitatem cõverſo amplius extendi & accreſcere poſſint.

Si quæras, quare homo, cum ſit humidior & calidior cæteris animalibus, à multis tamen in magnitudine ſuperetur. Reſpondet Mercur. in l. 1. aphor. 14. id non tam in calorem quam in humorem extenſibilem eſſe referendum; hinc enim ait fieri, ut quæ habent hoc humidum extenſibile copioſum, etiamſi non adeò calida ſint, majus tamen incrementum ſuſcipiant quam ea quæ viſcidius minuſque copioſum, cuiusmodi eſt homo, qui cum deberet diutius vivere quam alia bruta, opus fuit habore humidum non tantum copioſum & lentum, ſed etiam purum. Et paulò ante dum quærit cur quædam viventia tardius, quædam celerius creſcant. Reſp. eandem eſſe rationẽ in animalibus & plantis; quorum enim ait humidum tenuius & paucum eſt, celeriter ſed parum creſcunt, quorum verò tenue & multum eſt, & citò & multum augentur ut ſalices & populus: Contrà quæ viſcidũ & copioſum, multum ſed tardò creſcunt ut reſinifera, quæ viſcidum & paucum, non ſolùm tardò ſed parum augentur: Et idem contingit in homine aliiſque animalibus; quæ enim plurimum humidi viſcidi habent, plus augentur ſed tardius; contrà quæ tenue & exiguum vel multum, parum vel multum & celeriter creſcunt. Quærit rurſum hic idem Mercurialis, cur belluæ marinæ in tantum excreſcant, licet minus caloris quam animalia terreſtria & homo habeant: Et Reſpondet ex Plut. 5. ſymboſ. ult. ſalem videlicet & omnia ſalſa maximè ad fæcunditatem piſcium conferre, quo fiet ut ad venerem continuò ſalſuginis operâ ſtimulentur; Magnitudinis autem ipſarum cauſam eſſe humidum copioſum & extenſibile ex quo gignuntur & aluntur &c.

DICO 3. in ſenibus nec abundat calor innatus nec adventitius. De primo nemo dubitat, quia ſenes rugoſi ſunt & aridi; Inſuper viribus fracti, ut nec copioſum generent ſpiritum vitalem nec ex hoc innatum; Et hinc conſtat etiam ſecundum, quia pauco alimento vivunt, minus ſanguinis habent, vaſa eorum ex caloris defectu & ariditate concidunt, & ubique cum frigore dominatur ſiccitas. Quod ſi dicas, ſenes eſſe prudentes, ad quod requiritur multus & copioſus ſpiritus & abundantia caloris adventitii. Reſp. ſeniores eſſe prudentes propter calorem & ſpiritum moderatum, tum propter longum uſum magnamque rerũ experientiam. Itaque prudentia non eſt ex abundantia ſpiritus adventitii, nec actiones virorum prudentum requirunt multos & calidos ſpiritus, ſed moderatos & certâ temperie præditos, cerebrum defecatum, organa pura non turbulenta, quæ plerunq; in juvenibus reperiuntur.

DIFFICULTAS II.

An calor innatus maneat ſemper in eâdem intenſione.

QVæſtio eſt, an calor innatus per omnes ætates non tantum apud mares ſed etiam apud fæminas maneat ſemper in eodem gradu vel in eâdem combinatione cum cæteris qualitatibus. Suppono autem, fæminas non habere ideò mollia corpora quod abundent humido & calido ſicut pueri, aliàs etiam in juventute & ſemper præſtarent viris, ſed quod habeant humidum aqueum & frigidum, unde fieri ſolet ut earum corpora non tam facilè exiccentur. Cæterùm concernit hæc quæſtio ſtatum corporis tam naturalem quam præternaturalem.

DICO 1. ſi corpus maneat in ſtatu naturali, nec intenditur nec minuitur manifeſtè calor innatus toto vitæ tempore. Ita docet Gal. 2. de temper. c. 2, & in comment. 14. ejusd. aphor. ubi ait, in utrâq; ætate, id eſt, in pueritia & juventute æqualem eſſe calorem. Galenum ſequitur Avic. 1. Fen. 1. Can. doct. 3. c. 3, & l. 12. de animal. c. 4. Et Averrh. in comment. 34. in primum cant. ubi inquit, calor qui fuit in puero, neque auctus eſt in juvene neque ulla ex parte extinctus; nihil enim additum eſt quo major fieri poſſit, neque ſi minutus eſſet, augeret corpus ſicut augebat in puero, ſed potius minueret uti fieri ſolet in ſenibus quorum calor eſt minor & debilior. Iam prob. concluſio primo, temperamentum non mutatur manifeſtè, i.e. nec intenditur nec minuitur ita toto vitæ tẽpore, ut in aliã ſpeciem deflectat, ſed ſemper eandem in omnibus viſceribus obſervat proportionem, ut ex alibi dictis conſtat; ergo nec calor innatus, qui eſt potiſſima pars temperamenti. 2. non poteſt aſſignari aliqua cauſa à qua minuatur aut intendatur, ergo Antecedens hinc liquet, quia vel hæc erit extrinſeca vel intrinſeca; de extrinſeca ſermo non eſt, quia poteſt hæc totum corporis ſtatum evertere vitamque cum ſanitate minuere ut ſeq. concluſione dicetur; loquimur enim de corpore naturaliter conſtituto & de cauſa aliqua intrinſeca de qua tantum controvertitur: quod autem nec hæc aſſignari poſſit probatur, quia deberet eſſe ipſe calor paulatim humidum depaſcens parteſque ſolidas exiccans & indurans, vel certè anima quæ in juventute intenſiorem requirat calorem quã in pueritia ob actiones jam perfectius eliciendas; ſed nec calor eſt, qui abſumendo humidum ſeipſum non intendit, nec anima, quæ in eodem ſubjecto non requirit in juventute calorem intenſiorem quam in pueritia licet efficaciorẽ ob alias atq; alias actiones eliciendas. Dixi enim, non intendi aut minui manifeſtè, quia nihil impedit, quò minus

aliquando & ſucceſſivè per conſumptionem humidi vel remotionem variatum diſpoſitionum & cauſſarum nonnihil ſeipſum roboret & ex accidente intendat, quia calor in ſubjecto ſicco efficacior eſt quam in humido ut patet in ferro & aqua, licet oterque ſit in æqoali gradu; Et hinc ſi

DICAS 1. cum Thoma de Garbo in ſumma medicin. 9. 17. in juvenibus calorem innatum deprehendi tactu majorem. Reſp. id fieri propter remotionem abundantis humidi, quod facit ut tactus judicet & æſtimet calorem intenſiorem, ſicut ſemper calor cum ſicco etiam in eodem gradu activior eſt quam in humido, quod in puero temperatum facit calorem, & morborum acutorum inſultum tum actionum perfectionem reprimit. Probabile itaque, ſed & certum eſt, in juvene calorem non tantum ſanguinis & ſpirituum influentem, ſed etiam in viſceribus de novo receptum & implantatum eſſe efficaciorem & intenſiorem.

DICES 2. In juvenibus generantur morbi acutiores, ergo calor in juvenibus eſt intenſior quam in pueris. Reſp. neg. conſeq. quia quod frequenter morbi in juvenibus generentur, eſt propter caloris influentis efficaciam, propter abſumptionem benigniſſimi humidi quod in pueris morbos acutos impediebat, tum ob bilis generationem aliasq; cauſas acutorum morborum effectrices.

DICES 3. in juvenibus eſt major & perfectior ciborum digeſtio, ergo major calor. Reſpond. etiam pueros perfectè ſuos cibos digerere, niſi aliquando contrarium fiat ob nimiã voracitatem: Quod autem non poſſint eos cibos concoquere quos juvenes, non fit propter diminutum calorem innatum, ſed quia immerſus eſt in corpore tenello, infirmo nimiumque humido, in quo necdum pares habet vires.

DICES 4. In juvenibus ſunt actiones perfectiores, ergo major & intenſior calor. Reſpond, neg. anteced. ſi per actiones intelligantur quæ ſunt animæ vegetativæ: Reliquæ actiones ſenſuum, motus, appetitus & ſi quæ ſimiles, ſunt à viſcerum & organorum robore, ab humidi conſumptione, quod hactenus calorem temperavit, à ſpiritu & calore influente, qui ob humidi abſentiam ſemper in juvene major eſt efficacior, & de quo nulla eſt controverſia.

DICO 2. Quando corpus in ſtatu præternaturali poſitum eſt, non manet calor nativus ſẽper in æquali gradu, ſed vel magis vel minus intenditur. hæc concluſio deſumitur à natura morborum calidorum & frigidorum, ut febrium, cachexiæ, hydropis &c. Nã in febribus totum corpus calet, ergo & calor innatus intenditur, quia nec partes ſolidæ manent ab hac alteratione immunes; ſimiliter in morbis frigidis calor omnis opprimitur & ſuffocatur, ob cujus defectũ vitioſa fit ciborum digeſtio, excrementorum accumulatio, nulla vaporum ſive fuliginum diſcuſſio, membrorum refrigeratio, & totius corporis aquoſa conſtitutio.

DIFFICULTAS XII.

An pueri præcisè propter multitudinem humidi nativi creſcant.

SVppono 1. accretionem fieri propter adgenerationem alimenti in locum ſubſtantiæ deperditæ, vel ſimpliciter propter adglutinationem alimenti ad partem viventem. 2. rem viventem ideò creſcere & in omnem partem extendi, quia in ſua ſpecie & in natura individuali habet certum terminum magnitudinis, quam accretionem niſi aliunde impediatur, ſemper aſſequi intendit. His poſitis

DICO 1. pueri creſcunt propter multitudinem humidi radicalis. patet ex dictis & authoritate medicorum, & ratio eſt, quia pueri præterquam quod à prima generationis hora ſint in perpetuo motu ad juſtum magnitudinis terminum quem natura eorum nunquam non intendit, habent etiam omnes cauſas præſentes & conditiones quæ ad accretionem requiruntur, ejusmodi ſunt teneritudo & extenſibilitas omnium corporis partium, humidi radicalis quæ totis viſceribus immerſa eſt, copia, & caloris vitalis efficacia. Deinde probabile eſt, etiam in pueris aliquid humidi radicalis cedere in alimentum partibusque adglutinari, quia formata ſunt omnia corporis organa ex materia ſementiva, quæ ejusdem fuit ſubſtantiæ cum humido radicali; Et ſicut anima matris ad primam generationem & formationem organorum convertit, ita etiam ad ſecundam, id eſt, ad nutritionem anima præſens & informans ſe, cauſam principalem exhibet, dum ex alimento partium ſubſtantiam auget, & ex ſuperfluo humido viſcera artusque extendit: Confirmatur hoc in febrientibus, qui dum multorum dierum ſpatio vix cibum & alimentum guſtant, ſæpè notabiliter creſcunt, idque ex ſubſtantia humida & viſcoſa, quæ oſſa, tendines & ligamenta artuum fovet eſtque ejusdem ſubſtantiæ & præſtantiæ cum humido radicali, & quam calor cum ipſis articulorum oſſiumque ligaturis rarefacit & extendit.

DICES, ſi pueris humidum radicale poſſet eſſe nutrimentum, etiam poſſet eſſe juvenibus & viris; ſed hoc falſum eſt ergo & illud. Reſp. neg. ſeq. majoris, quia juvenes non ita abundant humido ſicut pueri. Deinde proviſum eſt illis ſufficienti alimento. Deniq; habent calorem efficaciſſimum, qui cum potentia negativa tantum iis adminiſtrat nutrimenti, ut non opus ſit humido radicali. Sed nec hoc præcisè convertitur in ſubſtantiam viventis, niſi ea parte qua mollius imbuit artus, & quà proximè accedit ad ſubſtantiam convertibilẽ; Neq; enim ita definiendum eſt humidum radicale, ut ſolus ſpiritus aut tenuiſſimus vapor eo intelligatur, ſed quod intimè membra penetrat, humectat, in eſſe mixti conſtituit, & quaſi nexu quodam & vinculo unit firmatq;.

DICO

DICO 2. etiamſi pueti creſcant ptopter multitudinem humidi radicalis, non tamen fit præcisè propter illud ſolum. ratio, quia pter hoc humidum tequiruntur plura ad accretionem, ut conveniens alimentum, bona ciborum digeſtio, omnesque corporis diſpoſitiones naturaliter ſeſe habentes; Nam ſi una ex his deficiat, non augmentabitur vivens, ut in iis qui ſemper manent pumiliones dum parentes etiam habent grandes & robuſtos.

DICO 3. nec ideò creſcunt pueri, quia multum alimenti aſſumunt. Ratio eſt, quia aliàs ptoportionaliter plus jnvenes deberent creſcere, cum plus alimenti accipiant quam pueri, quod tamen eſt abſurdum; Deinde nutriuntur & creſcunt multa animalia, quamvis parum aut nihil comedant, ut febrientes, nurſi &c. Denique ſæpè fit ut animalia multum vorent, plus tamen decreſcant, ut fit in iis quæ internorum viſcerum corruptionibus laborant, ergo accretio non conſiſtit ſemper in aſſumptione multi alimenti.

Quare pueri præcisè multum creſcant.

DICO 4. pueri ordinariè ideò multum creſcunt, quia habent corpora mollia & humida, quia abundant calido nativo, & quia properant ad perfectionem ſuam, id eſt, ad terminum juſtæ magnitudinis. prob. primum, corpora mollia, quæque multo humido aëreo, pingui, calido, non aqueo, frigido aut viſcoſo & tenaci abundant, facilè extenduntur & alimentum dulce humidum ſibi aſſimilant: ſed huiusmodi corpora habent pueri, ergo. prob. ſecundum, ad accretionem opus eſt multo & calido temperato, quod natura facilè digerat, ſegreget, rarefaciat, extenuet & denique adglutinet; ſed tale calidum habent pueri, ergo facilè & multum creſcunt. prob. tertium, qui maximè à ſtatu & termino ſuæ perfectionis diſtant, illi ad hanc potiſſimùm properant; ſed illud in pueris verum eſt, ergo & hoc. Et hinc eſt, quare Hipp. ſolùm multitudinis calidi nativi in puerorum multa accretione & non aliarum etiam conditionum meminerit, quæ tamen non minus requiruntur, quia nimirùm videbat hanc eſſe præcipuam & ſub ea reliquas contineri: Eo ipſo enim quod pueri habeant copioſum calidum innatum, habent & humidum abundans, corpora mollia, tertea & facilè multumque extenſibilia, maximeque diſtant à perfectione & termino magnitudinis quæ ipſis ex natura debetur.

DICO ordinariè, ut ſignificetur, etiam præſentibus omnibus his conditionibus aliquando non fieri in pueris augmentationem, undecunque hoc accidat, ut patet ex alibi dictis de vi formatrice, quæ in materia videtur prolem ad non majorem ſtaturam determinaſſe. Et hinc colligitur in hac puerorum accretione concurrere omnia 4. cauſarum genera, naturalem quæ eſt corpus vivens & alimentum cum humido radicali dulci benigno temperato; formalem quæ eſt anima ſeu forma viventis in nova materia recepta; Efficientem quæ eſt calor nativus cum anima ejusq; potentiâ nutrice; finalem denique juſtam viventis magnitudinem.

DICES febrientes aliquando multum extenduntur & creſcunt, non ab alimento vel humido radicali, ergo à calore præternaturali. Reſp. quamvis hæc extenſio poſſit ex parte in calorem febrilem referri; Cum tamen non ſit omninò violenta, & præter extenſionem adſit quoq; vera partium accretio, non calori ſed humido pingui & viſcoſo quod in artubus & viſcerum ligamentis latet, aſſcribenda eſt, ſive illud ſit ex genere hmidi alicuius alimentalis ſive radicalis etiam, cum utrumq; ſit probabile. Si

ex qua materia creſcunt febrientes.

Quæras, an homo, qui in juſto ſuæ magnitudiuis termino, vel in juventute abundaret humido radicali quemadmodum in pueritia, hic ut puer creſceret. Reſp. affirmativè, ſi tamen per abſolutam potentiam talis exiſteret: Naturaliter autem id fieri non poſſe patet primo, quia calor agit in humidum illudque paulatim abſumit; 2. quia abſumendo humidum organa conſolidat; tertiò quia utroq; hoc inducit eas diſpoſitiones in corpus, quò minus humidi receptivum ſit, ſicut fuerat in pueritia, proinde licet haberet eandem quantitatem humidi, careret tamen humida viſcerum membrorumq; diſpoſitione.

DIFFICVLTAS XIII.

Quare humidum in quibusdam partibus citius, in aliis tardius deficiat.

SEnſus huius quæſtionis eſt, quare videlicet quædam membra citius & facilius exiccentur ut oſſa, cartilago &c. an ideò, quia in iis deficit humidum radicale, an verò hoc deficiat quia ſolidantur.

DICO 1. oſſa non ſiccantur vel ſolidantur ideò, quia in iis deficit bumidum radicale. Ratio eſt, quia aliàs deficeret in omnibus partibus adeoq; omnes exiccarentur, quod tamen eſt contrà experientiam, rationem & uſum earum; Nulla enim eſt ratio cur humidum in oſſe deficiat, & non æquè in venis aliisq; viſceribus, cum in illo non ſit alia cauſa propter quam deficiat quam in his. Deinde natura nunquam deficit in neceſſariis, ergo ſi humidum radicale fuiſſet neceſſarium oſſibus, nunquam in iis per tantam injuriam vel invidiam ita defuiſſet; ſi enim oſſibus ita deberetur humiditas & mollities ſicut debetur venis, nervis, carni &c. tam provida eſſet natura ut nunquam iis deeſſet.

DICES, calor magis conſumit humidum in oſſibus quam in venis & arteriis, ergo ſiccantur ob defectum humidi. Reſp. neg. anteced. ut patebit ex tertia concluſione; Nam oſſibus in prima formatione non datur tantum humidi quantum cæteris.

DICO 2. ideò deficit humidum in oſſibus aliisq; membris denſioribus, quia ob

Digitized by Google

naturalem conſtitutionem ab ortu non ita mollia ſuot & humida, ideoque tempeſtivius ſolidantur. primum patet ex functionibus animalis & fine in quem ſingulæ partes aliter atq; aliter formatæ ſuot, oſſa verò ut totum ſuppoſitum veluti fundamenta & muri ſupportent, nec facilè ex laxitate & mollitodine flectaotur. prob. ſecundum, partes quæ natura ſua coagmeorantur & veluti lapides conſolidantur, non ſuut receptibiles alicuius humoris à quo molleſcant, quia carent meatibus & poris per quos humorem recipiant, ergo quare in oſſibus deficiat humidum, fit ex eorum naturali ſiccatiooe & induratione. Deiode humidum radicale reſtauratur in ipſis partibus ſolidis, quibus innatum prius fuerat, niſi tamen interna aliqua diſpoſitio vel violentom quippiam illud impediat, ergo, quare in oſſibus deficiat, caoſſa erit eorum ſolidatio. Adverte tamen, oſſa non deſtitui omni prorſus humido & calido narivo, quia verè habent poros per quos illud recipiant, nutriantur, acereſcant & exerceant actiones vitales beneficio ſpiritus, calidi humidique innati, quo taoquam rore perpetuo madent, ut patet dum cremaotur ſuccumque pinguem & oleagino ſum ſudant.

Oſſa cur ſiccantur citius quã alia membra.

DICO 3. oſſa aliaque plura ſiccantur ab intrinſeco, id eſt, à natura quæ voluit aoimalibus quaſdam partes eſſe molles, alias verò præduras & ſolidas propter multiplicem uſum & functionem io eliciecodis operationibus vitalibus.

Semen non eſt corpus homogeneum.

Adverte hic, ſemen noo eſſe corpus homogeneum, ſed habere partes terreas, aqoeas, aëreas & igneas ex quibus organa & viſcera formentur, & imprimis ex terreis fieri oſſa eorumqoe vincula & cartilagioem, ex aëreis autem humidum & calidum innatum, ex aqueis reſpergi & temperari partes, ne nimio calore ſolvantur & diffluant, ex igneis denique ſpiritum innatum, & ex omnibus ſimul invicem mixtis & temperatis venas, nervos, arterias, membranas & quicquid eſt partium corporis organici. His poſitis prob. concluſio, oſſa ab inrrinſeco ſunt naturæ & materiæ terreæ, ergo ſi præmaturè & tempeſtivè iodureſcaot, hoc illis ab intrinſeco accidit, quia videlicet habent imprimis ſubſtantiam quæ facilè accedente calido ſolidari poteſt, tum cauſam finalem, quæ eſt ot oſſa porteot animal, vide quæ diſp. 4. huius l. diffic. 6. de oſſibus dicta ſont. Et hinc colligirur, conſtitutionem corporis organici ejusque partium determinari à peculiari diſpoſitione ſeminis tanquam corpotis verè heterogenei, cuius pars mollior cedar io membranam, venam, nervum &c. craſſior autem & terreſtrior in cartilaginem & oſſa, quibus corpus olim grave & pooderoſum ſuffulciatur,

DIFFICULTAS XIV.

Vbi ſit fons & principium humidi & calidi innati.

FOntem & principium caloris vitalis cor eſſe alibi plutibus ſtatutum eſt: hic quæritur de innato, an & illud habeat origioem à corde.

Nora, humidum & calidum innatum poſſe dupliciter ſpectari; ſemel materialiter, pro ipſa oimirùm ſubſtantia ex qua gignitur humidum & calidum vel pro eo quod eſt in fieri ad oativum; & rurſum formaliter pro ſubſtantia quæ partes beoigniſſimi roris ioſtar imbuit, homectat & calefacit.

DICO 1. Calidom & humidum innatum materialiter ſumptum habet ſuam perfectionem pattim in corde partim à corde. prob. primom, ſpiritus influeos qui reſtaurat & conſervat calidum innatum, gignitur & perficitur in corde ſed hic ſpiritus eſt ipſa materia & ſubſtantia quæ tranſit in humidum innatum, ergo materialiter ſumptum habet ſuam originem in corde; Nam hic ſpiritus dum à corde procedit & in rotum corpus mediis arteriis ſeſe diffundit, ſuppediratur ſingulis membris oon ſecus arqoe alimentum, qoia vitam & ſanitatem tuetur, dum in locum ſubſtantiæ depertitæ ſubſtituitur. prob. ſecundom, qoia alimentum habet ſuam perfectionem à corde; ſed humidum radicale reſtauratur & perpetuatur ab alimento, ergo ſicut uoum ita & alrerum habet originem à corde.

DICES 1. materia humidi & calidi nativi eſt ſemeu; ſed hoc gignitur in ſolis teſtibus vaſisq; ſpermaticis, ergo & illud. Ante reſponſionem obſerva, per humidom & calidum innatum aliquando iotelligi illam ſubſtantiam quæ in materia ſementiva præextitit, & iu formatione corpotis organici ſiogulis pattibus data eſt; aliquando verò illam, quæ io accretione viventis priorem per continuas cootrariorum actiones abſumptum & evaneſcentem reſtaurat, atq; ita animal dum vivit, in eſſe ſuo conſervat. Iam reſponderur, quicquid ſir de minori, ao & quomodo videl. ſemeo gignatur in ſolis teſtibus, ſi per humidum nativum illud primogeneum intelligatur quod in prima organiſarione datur & imprimitur partibus, formaliter habet ſuum principium io reſtibus & vaſis ſpermaticis, niſi in quantum beneficio ſpirituum vitalium à corde profluentium excoquitur, ideoqoe illi ranquam principio vitæ omniumque actionum viralium debetur; ſi autem intelligatur quod ab influente continuò reſtauratur, principium habet ſubſtantiam cordis, quia ab hoc vita, calor, ſpiritus omnisque ſubſtantia, qoæ conrinuis actionibus fluuot & pereunt, ſubminiſtratur.

DICES 2. materia calidi oativi eſt ſaoguis; ſed hic gigoitur in epate, ergo humidum

midum & calidum innatum habent ſuum principium in epate & non in corde. Reſp. ſanguis in epate vel corde, gignitur, vide diſp. 4. hujus l, diſt. 9. & ſequentes.

DICO 2. Calidum & humidnm radicale, ſi formaliter ſumatur, gignitur & accipit denominationem in ſingulis membris & viſceribus viventis, ejuſq; cauſa principalis efficiens eſt anima & potentia vegetativa. Ratio prioris eſt, quia ibi induit formam & perfectionem, ubi in naturam veri & propriè dicti tam humidi quam calidi degenerat; ſed hoc fit in ſingulis partibus, ergò. Ratio poſterioris eſt, quia anima eſt cauſa principalis omnium actionnm vitalium, ergò etiam hujua, qua calor influens in innatum convertitur.

DICES, Hinc ſequitur, omnem calorem viventis eſſe innatum, quia quiſquis in oſſe v. g. in nervo, in tunica calor deprehenditur, is nativus eſt. Reſp. neg. ſeq. & ejus probationem; quia duplex eſt in partibus calor, unus qui proprius eſt & infixus, ideòque ad earum eſſe & perfectionem ſpectat, alter qui à corde per arterias influit, priorem reſtaurat, & dum ſubſtantiam totam penetrat, illi quaſi innaſcitur & in nativum degenerat; prior enim nativus dicitur, quia jam eſt infixus, non verò alter, quia adhuc eſt in ſanguine, & primò per novam generationem influit in illum. Deinde quamvis de primo hnmido & calido in homine v.g. adulto nihil ſuperſit amplius, eoque ſenſim ovaneſcente novum à corde ſubſtitutum fuerit· hoc tamen eſt & dicitur qnoque innatum, qnia induit rationem & officium prioris, cnm quo etiam eandem habet bonitatem &c. Et hinc colligis, Jure optimo cor dici fontem omnis caloris animaliū; quamvis enim ſingula membra proprium intimèque inhærentem babeant calorem, is tamen fluit, perit & conſumendo humidum evaneſcit ut animal operari non poſſit, niſi à corde novus influat, qui priorem reſtauret, qua de cauſa cor dicitur habere calorem activè, cætera membra paſſivè, fons item & origo caloris & pars totius corporis calidiſſima, ut benè dixit Ariſt. l. de ſenſu & ſenſ. & l. de part. animal. c. 7. aliiſque in locis.

DIFFICVLTAS XV.

Quomodo differat calor influens ab innato, & quomodo in hunc tranſeat.

ESt qnorundam opinio, calorem influentem qui à corde procedit, non tantum ab innato propter admirandam effectuum diſcrepantiam differre; ſed etiam dum in eum per novam decoctionem tranſit, acquirere novam perfectionem & diſtinctionem eſſentialem. Sed

DICO 1. calor influens non differt ab innato. Ratio, quia ſe invicem fovent conſervant & intendunt: Deinde quia unum frigus ſibi contrarinm habent à qno etiam æqualiter patiuntur; plura vide l. 2, de qualitatibus primis.

DICO 2. Calor influens differt ab innato ſolum per denominationem extrinſecam, vel ratione ſubjecti, ut alii loquuntur vel ratione prioritatis officii. Nam idem calor, quando cum alimento in ſanguinem converſo utrumque cordis ſinum ingreditur, & per meliorem concoctionem elaboratus in totum corpus elabitur, influens dicitur, & innatus quia partium ſubſtantias penetrat, & cum iis velut innaſcitur & implantatur, aut in innatum tranſit, eundemque reſtaurat confortat & fovet, ut animæ in operationibus vitalibus v. g. in nutritione, in accretione &c. ſit inſtrumentum, Nam idem calor qui prius, fuerat vagus in ſanguine & ſpiritibus, tanquam in ſubjectis inanimatis, cnm primnm recipitur in corpore animato, in quo deperditum reſtaurat, jam innatus dicitur.

DICO 3. Calor influens non tranſit in innatum per novam elaborationem, ſed per unitionem & mutuam conjunctionem, vel hoc ipſo quod recipiatur in viſceribus cum ſuo ſubjecto per nutritionem. Prob.ᵒ quia nova illa perfectio & elaboratio conſiſteret in intenſione nova, quam acciperet in ſingulis membris, qnia aliàs calor nullam niſi per intenſionem graduum acquirit perfectionem; ſed hoc falſum eſt, ergò & illud. Prob. minor primo, quia in cæteris viſceribus & membris eſſet calor innatus intenſior quam ille qui eſt in corde qnod eſt contra comunem Philoſophiam; 2. quia cum calor novus continuo influat, novi ſemper motus & alterationes eſſent in corpore cum ejus & ſanitatis diſpendio; ergò ſufficit ſola unitio & conjunctio mutua, quæ fit per nutritionē; Nam cnm ſanguine & ſpiritibus defertur calor ad ſingula membra, & per nutritionem in iis cum ſuo ſubjecto recipitur.

DICES primo, ſpiritus animales perficiuntur & gignuntur in cerebro, ergò per calorem intenſiorem, ergò calor cerebri intenſior eſt quam cordis & ſpirituum vitalum ex quibus animales gignuntur; Et eadem eſt ratio eum ſpiritu influente antequam in innatum tranſeat. Reſp. falſum eſſe quod ſpiritus animales dum ex vitalibus gignuntur, acquirant majorem perfectionem, ſed tantum à moderato cerebri calore attemperantur, ne nimis ſint fervidi adeoque ad actiones ſenſuales minus idonei; Nam ſenſus non requirit eum fervorem quem requirit vegetatio. Deinde ſi verum ſit ſpiritus animales eſſe rariores quam vitales, vel fit quia adeò attenuantur in plexibus arteriolarnm beneficio caloris vitalis qui eſt à corde, vel certè, ideò, quia magis purificantur, & à calidioribus exhalationibus quales adhuc in arteriis cum ſanguine permiſti ſunt, ſeparantur. Non enim omne id quod eſt rariſſimum & ſubtiliſſimum, eſt calidiſſimum, ut patet in ferro candente quod aëre etiam in ſtatu naturali exiſtente eſt calidius. Itaque

Spiritus animales quomodo gignuntur.

ſpiritus animales non attenuantur à calore cerebri ſed arteriolarum.

DICES 2. Calidum nativum vivit, ergò non tantum differt ab influente, ſed etiam opus eſt nova generatione, & non ſufficit ſola utriuſque unitio; Nam ſicut non ſufficit ut ſanguis antequam in ſubſtantiam corporis deperditam tranſeat, uniatur tantum partibus viventibus per ſimplicem unionem, ſed per veram adgenerationem; Ita etiam non ſatis eſt, calorem influentem innato per ſolam & ſimplicem commiſtionem conjungi. Reſp. impropriè dici calidum nativum vivere, quia anima non dicitur informare partem humidam muſculi aut ſiccum oſſis ſed totum muſculum & os totum: Itaque calidum & humidum nativum non vivit ut eſt quid ſeparatum ſed conjunctum cum toto cujus naturam ingreditur & complet. Comparatio illa ſanguinis & calidi influentis nulla eſt, quia ſanguis eſt verum alimentum & in ordine ad veram nutritionem, quæ eſt adgeneratio; calidum autem influens eſt ad reſtaurandum calidum nativum & ad conſervandum humidum radicale, ad quod nec requiritur nova decoctio nec generatio, ſed ſimplex commiſtio & conjunctio, quæ nihilominus fiat per novam alimenti adgenerationem. Deinde loquitur concluſio de calore non de calido, quia ille ſimplex eſt qualitas, hoc ſubſtantiale quid & quod informare poteſt anima, ſi prius per nutritionem partibus accedat, quæ proinde conceditur de calido in concreto, non autem in abſtracto, quia recipitur cum ſuo ſubjecto, hoc quidem per novam nutritionem, ille autem per ſimplicem unitionem, vel certè quod verius dicitur; per eandem cum ſuo ſubjecto ſubſtantialem actionem, quæ eſt nutritio, eſto hanc ipſe ex ſe & intrinſecè non ingrediatur.

DIFFICVLTAS XVI.

An calor nativus differat ab elementari vel ſolari.

HÆc quæſtio tractatur fusè à nonnullis, & à Conn. l. 1 de gen. c. 3. q. 7. a 1. 2. & 3 & eſt ſenſus, an ſingularum primarum qualitatum ſit una tantum ſpecies, an verò ſingulæ in plures ſpecies dividantur, ita ut ſint plures ſpecie calores, calor v.g. ignis diſtinctus à calore aëris, & ab utroque calor animalium tam influens quam innatus. Et quia hæc eadem quæſtio tradatur l. 2. diſp. 6. diffic. 14. ſic obiter hic quædam de calido innato & elementari quæ ad rem faciunt, dicentur.

Sunt multi qui docent, humidum illud & calidum nativum eſſe alterius ſubſtantiæ, quam elementarem, ut I. Franc. Picus Mir. l. de element. c. 3. Scal. exerc. 101. ſect. 18. exerc. 280. ſ. 1. Fernelius de abditis rerum cauſis, Mercurial. 1. aphor. 14 Schekius l. de efficacia caloris nativi c. 4. & alii qui omnes ad ſe trahere conantur Ariſt 2. de gen. animal. c. 3. ubi inter cætera, ineſt inquit in ſemine omnium quod facit ut fæcunda ſint ſemina, videl. quod calidum vocamus, idque non ignis aut talis aliqua facultas, ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum: Et paulò poſt, calor ait in animalibus neq; ignis eſt neq; ab igne ducit originem. His accedit Sennertus de calido innato l. 1. c. 5. qui ut fabuloſam ſuam traducem defendat, neceſſarium eſſe dicit, ut calidum innatum quod ad naturam ſeminis pertinet, ſit divinius & nobilius quam elementare. Nam ſemina inquit non ex permiſtione elementorum proficiſcuntur, ſed è ſingulis ſpeciebus viventium ſui generis per traducem quaſi propagantur & conſervantur; primam autem originem habent ſemina & in ſemine etiam hic ſpiritus inſitus calidumque innatum, ſine quo ſemen eſſe non poteſt; ex prima rerum creatione, & jam creatis & conſtitutis elementis ſingulis rerum viventium ſpeciebus omnipotenti Creatoris vi indita ſunt; dixit enim Deus, germinet terra germen, herbam producentem ſemen &c. Quamvis in fine videatur dubius eſſe de natura hujus calidi; vel enim inquit ſpiritus hic non eſt ex Elementis, ſed à Creatore ipſis ſeminibus in principio rerum inditus, vel ſi eſt ex elementis, habebit ſuam eſſentiam à peculiari forma, à qua actiones tam præſtantes & effectus tam nobiles. Hæc Sennertus, ſed

DICO, Calidum innatum ſive in concreto ſive in abſtracto ſumatur, omninò eſt ex elementis, nec ſuperat eorum naturam. Ita docent meliores Philoſophi & medici cum Conimbr. aliisq; authoribus quos illi loco citato allegant. Et Prob. primo calidum nativum eſt ſubſtantia, quæ gignitur ex materia purè elementari, ergò ipſum quoque erit elementare; Antec patet, quia materia remota eſt genus omne alimenti, proxima eſt ſanguis & ſpiritus influens; ſed hæc omnia ſunt purè elementaria, ergò materia tam remota quam proxima ex qua gignitur calidum nativum, erit purè elementare. Prob. 2. calor animalium augetur à calore ſolis vel ignis vel alicujus mixti inanimati, quod infallibile certumque ſignum eſt eſſe ejuſdem ſpeciei. Antec. patet quotidiana experientia, maximè verò pullorum qui calore ignis excluduntur; niſi enim calor ignis vel ſolis eſſet ejuſdem naturæ cum calore Gallinæ, non poſſent Gallinæ eodem modo ex furno prodire quemadmodum ex nido gallinæ: Verba Ariſtotelis nihil aliud volunt quam calorem ſeu ſpiritum innatum non eſſe ignem nec igneum, ſed eſſe benigniorem & mitiorem, in ſubjecto aëreo pingui humidoque fundatum, nec inſervire alicui formæ viliſſimæ inanimatæ, cujus effectus ſunt planè ignobiles & immerſi materiæ, ſed animæ alicui, quæ eſt principium vivendi ſentiendi &c. quæque in omnibus ſuis functionibus quæ longiſſimè ſuperant actiones rerum inani-

inanimatarum, ipſo tanquam perpetuo & fideliſſimo inſtrumento utitur. Verba Sennerti nullius ſunt ponderis aut momenti, & ad ea jam alibi ſufficienter reſponſum eſt.

DIFFICVLTAS XVII.

An omnes partes animalis caleant violenter.

RAtio dubitandi eſt, quia corpus animalis non videtur aliter calere quam aqua aut quævis res alia calida; Nam ſicut aqua calida ſi ab igne removeatur, rurſum frigeſcit & ſe ad naturalem ſuum ſtatum qui frigidus eſt, reducit; Ita etiam corpus animalis quamprimum abſcedit anima quæ calorem in operando vitaliter requirit, ad fridus redit, ex quo videtur ſequi, quod calor ille quem prius habuerat animal, fuerit illi omninò violentus.

Adverte primo, naturale ſemel accipi quatenus opponitur ſupernaturali, & ſemel quatenus violento ſeu præternaturali, vel quod idem eſt, rei contrà inclinationem naturæ, quomodo morbus eſt res præternaturalis, violenta & contrà inclinationem naturæ. 2. Corpus vel conſiderari ut vivens vel ut mixtum. 3. Calorem alium eſſe formalem ut frigus in aqua, alium virtualem ut calor in vino. His poſitis

DICO primo, ſi corpus animalis conſideretur ut eſt vivens & animâ informatum, calor non eſt ei violentus ſed naturalis. Ratio eſt, quia animali in ratione viventis debentur vitales operationes ex natura; ſed eos non poteſt elicere abſque calore vitali, ergò hic debetur illi in ratione viventis ex natura.

DICES, Multa vivere abſque calore, ergò falſum eſt, vitam neceſſariò eſſe cum calore. Reſp. neg. antec. quia ubicunque vita eſt, ibi calor eſt ſive virtualis ut in vino, ſive formalis ut in igne, homine, leone. Si urgeas, piſcibus & plantis nullum eſſe calorem ſive formalem quod ſenſus judicat, ſive virtualem quod medici noverunt; Reſpondetur, eſſe ſaltem aliquem, eſto ſenſu non percipiatur, & eum quidem, qui ad vitam tam aquatilium quam vegetabilium ſufficit; Hæc enim pauco calore, qualis etiam mixtorum eſt, contenta ſunt, non autem animalia perfecta quæque ſanguinem habent propter operationes longè perfectiores.

DICO 2. Si animal in ratione mixti conſideretur, non indiget calore formali aut actuali. Prob. calor formalis & actualis naturalis requiritur ad actiones vitales tantum; ſed animal in ratione mixti non exercet actiones vitales, quia ut ſic nec nutritur, nec augetur nec ſentit &c. ergò nec eget calore formali ſive actuali. Et hinc eſt quod multa ſint inanimata, quæ majorem habent calorem quam animata, ſed tantum virtualem de quo alibi, non autem formalem, qui propter organorum apparatum & præſtantiam, quorum miniſterio fiunt operationes vitales, ineſt animalibus: Nam quo imperfectiora ſunt organa ut in plantis, piſcibus & inſectis, eò levior & imperfectior eſt calor; quo autem perfectiora, eò major & præſtantior eſt ut in animalibus perfectis & homine, qui ob dignitatem & nobilitatem ſuorum organorum, tum etiam ob præſtantiam formæ ſuæ nobiliſſimè & perfectiſſimè operatur. Si

DICAS, hinc ſequi, quod minimum animal in ratione mixti violenter caleat. Reſp. id abſurdum non eſſe, nec contra concluſionem aut rationem corporis mixti,

DIFFICVLTAS XVIII.

An & quomodo humidum & calidum poſſit reſarciri, & an æquè bonum.

VIdetur neceſſarium eſſe, ut cum conſtet hoc humidum perpetua caloris actione conſumi, etiam ſimul conſtet an & quomodo poſſit reſtaurari, & an æquè bonum. Nam concil. diff. 112. ait, non defuiſſe qui putarint humidum conſumptum nullo modo poſſe reſtaurari, neque ex alimento fieri humorem primogeneum, ſed eo tantum impediri hujus conſumptionem, quia alias ſi hoc humidum poſſit reparari, viveret animal in perpetuum. Fernel. l. 4 de calido innato c. 6. docet ſubſtantiam corporis quidem, ſi conſumatur, reſtaurari poſſe, ſed calidum & humidum innatum nunquam. Dand. l. 1. de corpore anim. c. 16. putat quidem illud reparari poſſe, ſed non æquè bonum ob debilitatem caloris, qui quotidie infringitur &c. ſed

DICO primo, Verum eſt quod humidum radicale abſumatur. Ratio eſt, quia animal quotidiè magis exiccatur ut docet experientia in Juvenibus qui pueris ſunt ſicciores, & in ſenibus qui contractis rugis ex defectu humidi moriuntur, ergò revera eorum humidum abſumitur; Deinde omne animal calorem habet, qui conſervari debet; ſed nulla re alia conſervatur quam humido primogeneo & innato, quod ipſius proprium eſt pabulum, & quod continuò depaſcit ut conſtat ex dictis, ergò humidum nativum abſumitur, quod idem confirmant ægritudines, in quibus omne fere humidum corpus admittit.

DICO 2. Verum etiam eſt, quod humidum nativum reſtauretur: Hæc ſententia communis eſt omnium eorum, qui hanc ob cauſam nutriendi facultatem viventibus à natura datam fuiſſe docent, ut eorum vita ex continua diſſipatæ conſtantiæ reſtauratione fieret diuturnior; Nam ſi humidum radicale per nutritionem non reſtauraretur vel augeretur, ſequeretur quod in glande, in Embryone vel animali quod poſt omnium membrorum formationem vix ſuperat magnitudinem formicæ, ut teſtatur Fernelius hujus ſententiæ licet oppu-

oppugnator graviſſimus, tantum ſit humidi quantum iu ingeuti quercu, in bomiue quadrato aut animali vaſtiſſimo; ſed boc abſurdum eſt, ergò & illud; Adbæc qui ex morbo plurimum ſunt extenuati; hi reſumptis viribus & recuperatâ ſanitate plurimum babent humidi radicalis, quod prius per ægritudinem amiſeraut, ergò illud reverà reſtaurari neceſſum eſt; Antec. patet experientia & ad ſenſum; quis enim diceret hominem ex diuturna febre vel alio quovis morbo conſumptum habere tantum humidi radicalis, quam qui athletica fruitur ſanitate? Et rurſum quis negaret hunc eundem ſi poſt aliquod tempus in integrum reſtituatur, non habere plus humidi quam prius habuerit?

DICO 3. Verum denique eſt, quod humidum per novam adgenerationem repoſitum ſit æquè bonum ac prius quod deperiit. Eſt contra Dand. cit. & Prob. primo, qui poſt extenuatas vires & partes corporis ſanitatem recipiunt, illi æquè ſunt ſani fortes & robuſti ac prius, & adminiſtrant omnes ſuas actiones vitales non minus laudabiliter, imò melius nonnunquam, ergò verum eſt, quod humidū æquè bonum partibus adgeneratum de novo receperint. Prob. 2. ſi humidum quod reficitur in homine, non eſſet æquè bonum, vel deficeret ex parte alimenti vel ex parte caloris & potentiæ nutritivæ, vel ex parte organorum in quibus recipitur; non primum, quia alimentum ſemper æquè bonum eſt, cæteris tamen paribus. nec ſecundum, quia hic poſt menſem & annum æquè bonus eſt, validus & activus, imò in Juvene efficacior quam in puero. Nec denique tertium, quia organa ſe tantum paſſiva habent, & in generatione ejus nihil impediunt, niſi quod paulatim ex naturali deſiccatione ad recipiendum humidum minus fiant habilia, ſed quomodo humidum hoc adgeneratur? Reſp. &

Humidum radicale recipitur in partibus per veram actionem ſubſtantialem.

DICO 4. Humidum radicale producitur in partibus per eandem actionem, per quam ſubſtantia deperdita reſtauratur. Ratio eſt, quia humidum hoc eſt pars illius ſubſtantiæ quod in locum abſumpti per adgenerationem ſubſtituitur, ergò producitur per eandem actionem. Et confirm. quia fruſtrà affingitur nova actio, cum agens naturale non producat vel adgeneret partibus per unam actionem ſubſtantiam ſiccam terream, & per aliam rurſus humidam, ſed per unam & eandem totum. Neque dicas calidum influens recipitur in viſceribus per ſolam unitionem & conjunctionem cum innato, ergò humidum alimenti conjungitur eodem modo cum radicali; quia Reſpondetur, quando dicitur calidum influens quod eſt ſpiritus vitalis uniri calido innato, non intelligitur quod cum illo per ſimplicem conjunctionem miſceatur, ſed per veram adgenerationem & ſimilem actionem, per quam alimentum cum ſuo humido adglutinetur, quia eadem eſt utrobique ratio & ſubſtantia; Non enim humidum & calidum in abſtracto recipitur, ſed calor & humor cum nobiliſſimo ſuo ſpiritu, qui dum ſubſtantia eſt, per veram digeſtionem & præviam alterationem ita in viſceribus diſponitur, ut iiſdem non ſimplici conjunctione ſed vera adgeneratione copuletur.

Ad Dandinum Reſpond. primo falſum eſſe, calorem quotidiè fieri debiliorem. 2. falſum etiam eſſe, ideò vitam hominis perpetuò duraturam, ſi hnmidum ſemper æquè bonum eſſet: licet enim ſemper æquè bonum gignatur, non tamen gignitur in ea quantitate, quæ vitæ prorogandæ ſufficiat; ſed nec poteſt ob denſam & ſolidam corporis omniumque partium conſtitutionem, ob quam non ſunt tanti humoris amplius receptibiles. Et hinc colligitur, dum calor quotidie humidum depaſcit, exiccare viſcera, tum ſeipſum paulatim, quando videl. exicca viſera humido deſtituta ſunt, conſumere & extinguere. Cæterum quomodo & à quo corrumpatur hoc humidum & calidum, habetur ult. diſp. l. 2.

DIFFICULTAS XIX.

A quo principio materiali ſit humidum radicale.

HÆc quæſtio ſolum eſt propter eos, qui nobiliſſimum & copioſiſſimum quærunt humidum radicale in ſuis eſſentiis, ſpiritibus, extractis, magiſteriis, ſalibus, auro potabili &c. quo ſeniculis Juventutem, tabe conſumptis vigorem & refloreſcentiam, animam agentibus ſanitatem, & quod auſim dicere, mortuis vitam frigidiſque calorem contra ſanam Philoſophiam & Medicinam promittunt.

Suppono, humidum radicale conſervari & reſtaurari per continuam adgenerationem alimenti ultimi, & influxum calidi vitalis; per utramque enim banc actionem remanet vita, ſanitas & connaturale temperamentum animalis, roboraturque vinculum inter animam & corpus organicum, dum competenti perfectione vitaliter operatur. Jam quod ex dictis ſequitur,

DICO primo, principium materiale eſt omne alimentum quod in ſanguinem laudabilem ſpiritumque vitalem convertitur. Prob. illud ſolum reſtaurat humidum radicale, quod eſt convertibile in ſubſtantiam viventis. Atqui alimentum vel ſanguis eſt materia ex qua gignitur ſpiritus vitalis fitque nova adgeneratio in vivente, ergò ille ſolus eſt principium materiale quo reparatur humidum & calidum innatum. Et confirmatur, quia deficiente ſanguine languet corpus & deficit omne robur viſcerum, quod conſiſtit in humido & calido innato.

DICES, etiam gignitur humidum radicale ex ſemine quod eſt excrementum, ergò non ex ſolo ſanguine, Reſp. quando dicitur ex ſanguine fieri & reparari humidum, intelligitur hunc eſſe materiam ex qua fiat, quamvis ad-

hoc

huc in alias ſubſtantias ſit convertendus. Itaque gignitur humidum ex ſanguine remotè & mediatè, non proximè & immediatè, quia prius convertitur in ſpiritum vitalem, in humores ſecundarios & in materiam ſeminalem, quæ an & quomodo excrementum ſit, vide diſp. 2. diffic. 24. hujus libri.

DICO 2. etiam multæ medicinæ poſſunt eſſe principium materiale remotum humidi radicalis. Ratio eſt, quia habent multas ſubſtantias quæ poſſunt eſſe alimentum & converti in laudabilem ſanguinem: nunquam enim quod notandum, fit reparatio humidi radicalis niſi per nutritionem & adgenerationem alimenti: Et quamvis non ſint principium quà medicinæ ſunt tamen quà alimenta.

DICES, etiam reparatur humidum in morboſis affectibus ubi nulla fit nutritio; ſimiliter à generoſis medicinis quæ non intendunt corpus nutrire cujuſmodi ſunt, magiſteria, eſſentiæ, panacææ, aurum potabile &c. Reſp. ad primum, etiam in morbis magnis nutriti corpus & aliquid ſaltem accedere humidi, id eſt, paucum. Ad ſecundum Reſp. rarò verum eſſe quod nugantur medicaſtri quidam chymici: Quid enim quantumque in morbis ſive magnis & acutioribus ſive etiam in levioribus per ſuas eſſentias & panaceas præſtent, jam nimis clarè toti orbi conſtat, quando videl. iis utplurimum naſcitur ridiculus mus, quia ex ſuis ſpiritibus nec gignitur gutta ſanguinis nec ullus ſpiritus vitalis, qui viſceribus robur adderet: De his autem vide plura l. 2. diſp. 21. diffic. 16. & ſequentes.

DISPUTATIO DECIMA-OCTAVA.

De reliquis actionibus, quas homo Oriens adhuc intrà matris uterum exiſtens exercet.

IN Scenam Puſio producitur & quidem tenerrimus, qui adhuc intrà matrem concluſus in mortuum quaſi jacet: Neque enim ſe primis temporibus ulla corpuſculi ſui parte movet, imò adeò tenellus eſt, ut jam anima licet informatus, vix tamen an homo brutum vel in anima quippiam, internoſci poſſit: Vivit nihilominus à præſentia nobiliſſimæ ſuæ formæ, ſuſcipit alimentum à matre & nutritur, quod an verius an divinius dubium eſt; Eſt tamen veriſſimum, ab inſtanti primo ſuæ animationis exercere operationem naturalem ſeu vegetantem, quæ primus eſt animæ præſentis effectus; ſed & divinum eſt, tam exiguum & tenellum corpus, quod ab unica ſanguinis gutta demergi & ſuffocari poſſet, eundem nihilominus appetere, attrahere, & in ſuas partes ad nutricatum diſpergere. Habet nimirum fœtus jam omnes potentias & virtutes quibus olim gaudebit, & has exercet jam in actu primo quas olim exercebit in ſecundo. Nutritionem ſequitur accretio, qui eſt motus à quantitate minori ad majorem, ut ſcilicet paulatim ſingulæ partes ſeſe extendant, & quæ antea vix faciem hominis exhibebant, jam eundem ſapienter formatum exprimant; ſuſcipitur enim intus alimentum, quo natura nervos, venas, oſſa, & quicquid eſt partium corporis organici adauget, viſcera format, oculos, frontem, ſupercilia & labia oculorum varietate interſtinguit, & carne quaſcunque cavitates replet. Quæ cæterum ſint actiones, quas fœtus exerceat cum in primo ſuo concluditur domicilio, donec à matre manu miſſus in liberiorem egrediatur auram, præſenti hac difficultate patebit; Occurrit itaque primum

DIFFICULTAS I.

An & quando primùm vivat fœtus in utero.

ADverte, per fœtum non intelligi hic materiam ſementivam, quæ ab utroque parentum deciſa paulatim vario organorum apparatu in utero inſtruitur, & ad animam recipiendam diſponitur, ſed quæ jam perfectè in hominem vel animal brutum formata eſt & anima nobilitata: Et de hoc compoſito dum quæritur an & quando in utero vivat, Reſpondeo &

DICO primò, fœtus verè vivit, dum eſt adhuc in utero matris: Eſt hoc ita commune ut nemo negare auſit, quia reverà exercet fœtus intrà matrem omnis generis actiones vitales, ut nutritionem, accretionem, motum, appetitum &c.

DICO 2. Fœtus ipſo inſtanti, quo accedit anima ſive per creationem ut rationalis in homine, ſive per actionem naturalem ut ſenſitiva in brutis, vitam habet, eamque toto geſtationis tempore in utero continuat, Eſt hoc ſimiliter apud omnes in confeſſo, quia anima dat vitam adeò etiam, ut ubicumque ipſa informat, ibi vitam quoque cum qua velut identificata, & vitales actiones largiatur; ergò in inſtanti quo ipſa accedit, accedit etiam vita, & ubi abſcedit, ibi etiam definit vita omniſque vitalis operatio.

DICES primo, in multis rebus animâ etiam intimè præſente nullæ omninò exercentur actiones vitales, ut patet in ſemine quod vel

vel à fructu ſeparatum aſſervatur domi, vel in terram defoditur, in arboribus quæ hyeme nec creſcunt nec nutriuntur, ergò malè deſumantur actiones vitales à præſentia animæ. Reſp. neg. antecedens, quia nullibi eſt anima informativè ubi non exerceat aliquam actionem vitalem; An ſemen ſit animatum, jam alibi reſolvetur; Ad eos qui animatum volunt, reſponderur, poſſe animam multo etiam tempore in vegetabilibus, ubi paucus calor & organorum exiguus vel nullus apparatus, abſque manifeſta operatione vitali latere, v. g. in ſemine tritici, ſiliginis, herbarum, plantatum &c. vel certè Reſpond. ſufficere effectum formalem animæ, cujuſmodi eſt vita, non ſecus ac caloris calefactio. Semen quod in terram defoditur, vitaliter operatur ſi fœcundum ſit, quia agit radices, attrahit ſuccum è terra, prodit ſurculum &c. Arbores verè in hyeme ſunt vitales, & vitaliter operantur, quia ſucco & alimento quod è terra ſugunt, plenæ ſunt, illud autem in ramos, folia, flores & fructus ob extrinſecum frigus non convertunt. Quod ſi hoc etiam valdè intenſum ſit, ſuccum congelando præſertim in tenerioribus plantis animam adimit & vitam.

DICES 2. docet experientia, ſæpè cadavera hominum longo tempore ſub terram defoſſa erui multò craſſiora & pinguiora quam vel ante vel immediatè poſt mortem fuerint, ergò etiam poteſt fieri nutritio & accretio abſque anima & vita: Antecedens patet multis exemplis, & inter reliqua hoc ſequenti multorum teſtimoniis memorabili: Nam cum miles Cæſareus in Sileſiam ad liberandam Brigam à Suecis obſeſſam anno 1643. feſtinaret, contigit in dominio Eulenbergenſi & Fridenthalenſi ſpectra quædam diu noctuque terrere homines vimque jumentis & pecoribus inferre, ut etiam magiſtratus coactus mandaverit duo vetularum nuper ſepultarum & in magia ſuſpectarum cadavera per Veſpillonem vel carnificem effodi, & quia longè pinguiora reperit quam prius fuerant, igne exuſtulari, quo facto diſparuerunt omninò ſpectra, Reſp. hæc & alia plura fieri operâ & miniſterio Dæmonis, qui vel corpora aliunde ficta & ſurrepta ſubſtituit, vel materiam quandam ſub rugoſa cute in formam adipis coagmentat, vel præſtigiosè hominibus quocunque modo illudit, ut videre eſt apud Delrionem & alios. Contingit autem aliquando, terram velut communem matrem intrà ſua viſcera non pati maleficorum cadavera, donec juſto Dei hominumque judicio effoſſa in cineres & favillas carnificum manibus abeant; ſicut enim conſtat animas eorum, qui debitâ ſepulturâ digni clam alicubi & in loco indecenti terrâ obruti fuerunt, eundem inquietare; Ita etiam experientia docet, tales, qui vitam impiam & maleficam agentes, & impunitantes alterum ingrediuntur ſæculum, loco que ſacro aut non condigno defodiuntur, apparere & terrere vivos nec quieſcere aut evaneſcere, donec juſto Dei judicio competenti pœnâ aut ſepulturâ mulcteutur.

DICES 3. Qui plectuntur capite v. g. vivunt aliquamdiu, quia movent ſeſe, ambulant, currunt, & tamen abiit jam anima, ergò non ſemper dependent vita & vitales actiones ab anima. Deinde narrat Delrio, fuiſſe quendam, qui à Dæmone ſiniſtrè vocato peremptus & fracta cervice ſuffocatus nihilominus ad forum uſque pedes iverit, ibique primum mortuus conciderit. Ad hæc fœtus non ſtatim primo inſtanti quo accedit anima, operatur vitaliter, quia non immediatè coquit ſanguinem nec ſtatim nutriatur, ergò præſente animâ nec ſemper vita nec actiones vitales adſunt. Reſp. ad primum, motum illum non fieri ab anima aut principio vitali, ſed à ſanguinis fervore & potiſſimum a ſpiritibus vitalibus, qui animâ abeunte adhuc aliquamdiu in corpore oberrantes illud commovent. Ad ſecundum Reſp. hominem illum fuiſſe verè mortuum, motum verò ab ipſo Dæmone extrinſecus aſſiſtente, quemadmodum & ipſe Delrio probat. Ad tertium Reſp, poſt infuſam animam fœtum immediatè vivere & incipere operationes vitales eſto minus ſenſibiles & manifeſtas: Nam animâ præſente & ubi eſt tam eximius organorum apparatus, excitantur per calorem potentiæ vegetantes ab anima emergentes, diſtenduntur vaſa, attrahitur ſanguis, magiſque loquitur & perficitur, noxium expellitur, adeòque alimentum ad nutritionem diſponitur. *Fœtus quando & quomodo incipit primum moveri.*

DICES 4. In ſuſpenſis creſcere etiam crines, quod etiam aliquando in crucifixis obſervatur, ergò hîc vita & vitalis operatio eſt abſque anima. Reſp. neg. conſeq. quia hæc augmentatio crinium non eſt operatio vitalis, ſed eſt juxtapoſitio ex materia halituoſa ad eum modum quo foſſilia gigni & creſcere dicuntur.

DIFFICULTAS II.

Quam vitam vivat fœtus ſive homo Oriens in utero matris.

ARiſtoteles 2. de gen. animal, c. 3. docet, non ſimul fieri animal & hominem; & 3. ejuſdem operis c. 2. In fine ait, principio, quæ in ovis & animalibus gignuntur, vivere vitâ plantæ. Hoc dictum Philoſophi obſcurum eſt, quia videtur ex hoc conſequenter deduci, quod Embryo ſive fœtus humanus, de quo ſolo hic ſermo eſt, primis diebus vivat ut planta, ſitque planta, ſucceſſivis autem animal brutum tandemque homo; Et hinc quæritur quis ſit ſenſus verior & quomodo Embryo ſive fœtus humanus vivat tum primis tum ſequentibus temporibus in utero matris.

Nota, vitam aliam eſſe vegetantem, aliam ſentientem, aliam intelligentem juxta ordinem triumanimarum; ut itaque conſtet, quam ex his vitam vivat fœtus ſive Embryo in utero materno,

DICO

DICO primo, Fœtus humanus toto tempore quo intereà matrem animatus eſt, vivit vitam vegetantem, quam haber communem cum plantis. Ratio eſt, quia nutritur, creſcit, attrahit alimentum &c. Quæ ſunt operationes vegetantes & plantarum. Neque Dicas ex hoc ſequi, hominem eſſe conſtituendum in certa aliqua ſpecie plantæ quod impium foret & tam contra fidem quam Chriſtianam Philoſophiam ; quia reſpondetur, hominem tantum eſſe ſimilem plantis quoad operationes vegetantes , non quoad eſſentiam , ac proinde non opus eſſe ut conſtituatur in certa aliqua ſpecie plantæ: Nam

DICO 2. Etiam vivit fœtus humanus vitam ſentientem intra matrem, primis quidem diebus in actu primo , ſucceſſivis autem in actu ſecundo. Hoc ultimum probatur ex omnibus operationibus, quas fœtus in utero matris exercet: Nam movet ſe localiter, habet ſenſum tactus, vigilat, dormit &c. Quæ ſunt opera animæ & vitæ ſenſitivæ. Quod autem hæc primis ſeptimanis & temporibus de actu primo ſolum intelligenda ſint, deſumitur ex teneritudine organorum & imbecillitate ipſius fœtus , ut in quo minora ad actiones vegetativas, majora autem ad ſenſitivas tanquam ad ſuperiores & perfectiores requiruntur.

DICO 3. Vitam intelligentem vivit fœtus in utero tantum in actu primo. Ratio eſt, quia omnes actiones quas fœtus intra matrem exercet, non ſuperant eas quæ ſunt animæ vegetativæ & ſenſitivæ, ergò. Quod autem fœtus vivat vitam intelligentem, deſumitur ex natura animæ intelligentis, quæ eſt in fœtu informativè, tū ex omnibus potentiis, quæ emanant ab anima, ac proinde illi ubique coexiſtunt ſi non in operando ſaltem in eſſendo, Et hinc facilè

Qualem vitam vivat fœtus humanus in utero.

Colligitur , quis ſit ſenſus doctrinæ Ariſtotelicæ ; Nam ut etiam ex alibi dictis patet, non vult Philoſophus , quod fœtus humanus unquam vivat vitam plantæ , id eſt, ſie planta, ſed quod primis diebus & ſeptimanis non habeat alias operationes niſi quæ etiam in planta fiunt , ut eſt attractio alimenti , concoctio , nutritio , aecretio &c. Et hoc idem de anima & vita brutali intellige, quia fœtus jam paulò maturior factus exercet illa quæ ſunt ſenſitiva , ut movere, ſentire, appetere &c. Fœtus itaque primo inſtanti , quo anima rationalis infunditur, homo eſt formaliter & eſſentialiter , omnibuſque potentiis & virtutibus inſtructus, quæ ſunt animæ rationalis & ad hominem pertinentes.

DIFFICVLTAS III.

An fœtus humanus exerceat omnes operationes vitales in utero matris.

QVamvis hæc difficultas ex jam dictis ſufficienter colligatur, ad majorem tamen rei cognitionem & explicationem , quæ vix unquam modum apud nonnullos excedit.

Adverte , operationes vitales vel fieri à principio vitæ & tendere ad principium vitæ, ut nutritio, accretio; vel fieri à principio vitæ, ſed non tendere ad illud, ut concoctio ciborum, attractio alimenti, excrementorum depulſio &c. vel denique fieri à principio vitæ & recipi in eodem, ut viſio, appetitio intellectio & ſi quæ ſunt ſimiles actiones immanentes,

Suppono autem, operationes vitales vel fieri ab anima vegetante, vel à ſentiente, vel ab intelligente ut eſt communis doctrina Philoſophorum & Medicorum: prioris generis ſunt nutritio , generatio cum adminiſtrantibus; concoctio item & confectio ſpirituum vitalium, pulſatio cordis & arteriarum. ſecundi ordinis ſunt ſentientes omnes, ut viſus, auditus, tactus, imaginatio, phantaſia, appetitio, motus progreſſivus &c. Ultimæ denique ſunt intellectio, volitio & memoria cognoſcitiva. Et de his omnibus quæritur, an ab Embryone ſive potius à fœtu humano intrà matris viſcera exiſtente exerceantur.

DICO primo, Fœtus humanus toto tempore quo intrà matrem concluditur, non exercet omnes operationes vegetativas actu, Probatur, fœtus in utero non conficit chylum in ventriculo, ſanguinem in epate, nec ſpiritus vitales in corde; ſimiliter non habet vim generativam actu, nec pulſativam in corde & arteriis, ergò deficiunt in fœtu operationes aliquæ naturales ſeu vegetativæ. Quod autem perficiat ſanguinem in venis habituque corporis, patet ex nutritione, dum convertit illum in ſubſtantiam corporis ſui: ſimiliter patet nutritio cum adminiſtrantibus ex incremento, quod ſumit in matre. Dixi actu, ut conſtet in fœtu uterino eſſe omnes potentias vegetantes, quamvis non omnes operationes, vel quia non omnium eſt neceſſitas ut de confectione ſpirituum vitalium in ſequentibus dicetur, vel quia deficit organorum ſoliditas & perfectio quæ requiritur ad confectionem ſeminis & vim generativam.

DICES, Fœtum humanum, dum vivus eſt, aliquando excerni magnitudine formicæ, omnibus etiam membris abſolutiſſimum, quo tamen tempore probabiliter non fuit nutritus, ergo falſum eſt fœtum animâ præſente nutriri Antec. ſumitur ex Fernelio, qui id experientia propria teſtatur, fortè ab Ariſtotele 7. de hiſtoriarum animalium cap. 3. edoctus

ubi ait, Mas qui die quadrageſimo exierit, ſi in aquam frigidam cogatur, conſiſtit velut in membranula, quâ ruptâ apparet magnitudine formicæ majuſculæ, & membra jam inde diſcreta, tum cætera omnia tum genitalia conſtant &c. Reſpond. Hunc fœtum vel nondum vivere, vel ſi vivat, revera nutriri & nutritum fuiſſe, quemadmodum videmus minora adhuc viventia vivere & nutriri.

DICO 2. Non exercet etiam omnes operationes ſenſitivas actu fœtus humanus in matre. Probatio eadem eſt quæ prior, & deſumitur ab experientia, à defectu medii, ab imbecillitate organorum, à non petita neceſſitate &c. Nam experientia imprimis teſtatur, præter motum, ſenſum tactus, ſomnum, vigilias, nihil cæterarum operationum exerceri, ut ſingulas etiam examinanti manifeſtum eſt. Deinde non fit viſus ex defectu medii & ſpecierum, quod idem de guſtu, olfactu, & fortè etiam auditu intellige, niſi tamen etiam in cauſa ſit imbecillitas organorum, quæ eadem aliarum quoque potentiarum actiones ſupprimit & eliminat, ut imaginativæ, appetitivæ &c. Denique multarum operationum nulla eſt neceſſitas, cum vel aliunde ſuppleantur, vel ad perfectionem fœtus, qui nutritione & accretione contentus in matre vivit, nequicquam conducant, ut patet in guſtu, auditu, appetitu, riſu, fletu &c.

DICO 3. Animæ intelligentis nullas exercet operationes fœtus in matre. Ratio, quia nulla eſt habilitas corporis ad hujuſmodi actiones, ut quæ majorem ejus perfectionem deſiderant; Sed nec opus habet fœtus elicere tales, cum adhuc in puris vitalibus verſetur. Adhæc nec ſenſus externus nec internus operatur, quod tamen ad intelligentem reperitur, ut conſtabit ultimâ diſp. hujus libri.

Colligitur, etiam cæcum natum habere potentiam videndi, eſto nunquam videat ob corruptionem vel defectum organorum.

DIFFICULTAS IV.

Quomodo nutriatur fœtus in utero, ex quo alimento.

DUbitandi ratio inde ſumitur, quia fœtus non ſumit alimentum per os, proinde non conficit etiam chylum qui per venas meſaraicas ad epar deductus in ſanguinem formetur, ut deinde in univerſas corporis venas defluat, & in iis magis & perfectius elaboratus viventi adgeneretur.

DICO primo, Fœtus in utero nutritur ſolo ſanguine tanquam alimento remoto & proximo. Probatur, omnia animalia ſanguine prædita nutriuntur ſolo hoc ſanguine ut patet ex diſp. 14. de alimento diffic. 10. ergò & fœtus humanus, imò magis cum adhuc intrà matrem exiſtit, id quod in hunc modum confirmatur, quia non habet aliam ſubſtantiam quam aliunde haurire poſſit præter ſanguinem à matre, quem ad ſui nutricatum ſinceriſſimum appetit & puriſſimum, cum tenellus adhuc ſit & pauco egeat alimento. Et hic ſanguis rationem habet iam alimenti remoti, quod adulti extrinſecus hauriunt & ore ſumunt, quam proximi, quod in tertia concoctione ad nutriendum perficiunt.

DICO 2. Fœtus humanus in utero nutritur ſanguine materno. Probatur, quia fœtus non nutritur ſanguine proprio, ergo alieno, ergo materno, cum præter hunc non exiſtat alius; antecedens probatur, quia non ſumit alimentum, quod dentibus comminuat, tum in ſtomacho concoquat, & in epatis officina in ſanguinem convertat, ſed eum totum à matre mutuat, ut infrà pluribus dicetur, ergò ſanguis quo fœtus nutritus, non proprius eſt ſed maternus & alienus.

DICES primo, Fœtum uti eo alimento, quod in venis & habitu corporis conficit; ſed hoc proprium eſt, ergò fœtus non alieno nutritur alimento ſed proprio; Reſp. ſi per ſanguinem proprium intelligatur is, quem fœtus in tertia coctione, & ultima conficit, verum eſt, fœtum eo tanquam ſibi proprio enutriri; ſi verò is, quem extrinſecus, à matre ſcilicet haurit falſum, quia uterque alimentum eſt, hic remotum, ille proximum.

DICES 2. Lac ex vena mammaria in Epigaſtricum derivari, & ab hac in uterum, ergò ſignum eſt fœtum lacte nutriri; Antecedens probatur, quia fœtu debili exiſtente ob defectum nutrimenti obſervamus mammillas prægnantium ſubitò extenuari, videlicet propter recurſum lactis ad uterum. Reſp. neg. antec. fit autem extenuatio mammillarum, quia totus ſanguis ad uterum retrahitur, vel certè ad venas mammillis vicinas, adeòque falſum eſt lac in uterum revocari.

DICO 3. Fœtus humanus in utero nutritur per umbilicum; Ita Ariſt. 2. de gen. animal. c. 4. ubi ait, fœtum uti utero ſicut planta terra ad hauriendum cibum donec perficiatur; Et paulò poſt addit, venas umbilicales quaſi radices contingere ad uterum per quas alimentum hauriat fœtus, ejuſque rei gratia fœtum manere in utero: Conſentiunt omnes Medici & Anatomici, qui hoc exactiſſimè deſcribunt; Et ratio eſt, quia fœtus qui in utero materno nutritur, & augetur, debet per aliquam partem corporis aſſumere alimentum, præſertim cum illud aliunde aſſumat; ſed non haurit *Fœtus nutritur per umbilicum.*

hoc

hoc niſi per ſolum umbilicum, ergò. Major vera eſt, probatur minor inductione, quia non aſſumit illud per os quod cum nulla parte corporis materni continuatur, neque per ullam aliam partem ſui corpuſculi, ut patet diſcurrenti per omnia membra fœtus, ergò per ſolum umbilicum, qui ad hauriendum ſanguinem à matre toto fœtu diſtribuendum maximè eſt accommodatus; Et hoc ut intelligas, Adverte, fœtum eſſe utero materno alligatum mediante umbilico ut videre eſt apud Anatomicos, & per hunc attrahere quoque ſanguinem maternum ad epar, à quo nonnihil immutatus & concoctus in univerſum corpus diſtribuatur: Et hoc manifeſtè deprehendunt obſtetrices in ipſo partu, ubi umbilicus qui prius utero non ſecus ac fructus arbori colligabatur, & jam diſſolutis acetabulis ruptiſque membranis ut folia à plantis tempore autumnali ſeparatur & abſcedit, adhuc ſanguine plenus conſpicitur, & ab ipſis forcipulâ vel cultro, quia longus inſtar chordæ adhæreſcit, præſcinditur. Et hinc.

Verum eſt primo, fœtum attrahere alimentum per venam umbilicalem, quæ portæ eſt propago & ad fiſſam epatis fertur, ab utero matris, ut pulcherrimè ſcribit Hipp. de natura fœtus, tum illud in corpus epatis refundere. Verum eſt etiam. 2. Hunc ſanguinem eſſe puriſſimum primis diebus ex Gal. primo de ſympt. cauſis c. 7. ſucceſſivis autem tam purum quam impurum. Verum item 3. in Fœtu fieri unicam tantum concoctionem, quia ſanguis in venis ſive majoribus ſive minoribus magis digeritur & perfectius concoquitur. Verum eſt etiam 4. in fœtu non eſſe ea recrementa quæ in adultis, quia nulla ſunt ventriculi aut epatis, ſed in venis ſolum craſſioris & impurioris ſanguinis, quæ per ramum ſplenicum & meſentericum à liene in inteſtina amandantur ibique calore exiccantur; ſerum autem quod ſanguinis vehiculum eſt, partim in ſudorem abit, partim ad membranam allantoidem per Urachum, qui canalis eſt oblongus & exanguis, à fundo veſicæ ad umbilicum productus amandatur.

Verum denique eſt, in fœtu quamdiu intrà matrem concluditur, non fieri tres concoctiones, unam nimirum in ventriculo, alteram in epate, & tertiam in univerſo corpore: Nam ſanguis, quem fœtus à matre per umbilicum trahit, ex chylo jam prius in epate materno concoctus eſt, ideoque in venam cavam, in venam portæ, in venas epatis cæteraſque corporis partes diffuſus unam eandemque concoctionem & elaborationem conſequitur, quam in matre vi caloris conſequi debuiſſet.

DIFFICULTAS V.

An & quale excrementum colligat fœtus in utero.

HAbet & fœtus ſua excrementa, quia ſuum habet alimentum, cujus ſemper remanet aliquid quod non poteſt converti in ſubſtantiam corporis. Hic itaque quæritur, quodnam ſit illud, & ubi toto geſtationis tempore detineatur, an intrà matrem vel fœtum.

Suppono, In fœtu uterino non fieri coctionem alimenti in ventriculo, nec chyli in epate, ſed tantum ſanguinis in venis.

DICO primo, In fœtu uterino non ſunt excrementa, quæ per inteſtina & aluum excernuntur. Ratio eſt, quia hujuſmodi excrementa ſunt primæ concoctionis in ventriculo, qualis non fit in fœtu, proinde facta eſt illa repurgatio in matre; Et ſapienter providit natura, in fœtu tam copioſæ ſuperfluitates colligantur, quæ nulla via nulloque meatu ad hanc excretionem accommodato potuiſſent depelli.

DICES, In prole dum naſcitur, reperiuntur excrementa inteſtinorum aliquando picis inſtar nigra, viſcoſa coagmentata, à quibus utplurimum mirè cruciatur, ergò in fœtu etiam ſunt primæ coctionis excrementa. Reſp. neg. conſequentiam, quia excrementa illa quæ poſt partum in prole excernuntur, non ſunt chyli ſed ſanguinis, à quo ventriculus, inteſtina & viſcera naturalia nutriuntur.

DICO 2. nec ſunt in fœtu illa excrementa, quæ in epate à maſſa ſanguinea ſeparata & ſecreta ad veſiculam felleam ut bilis, vel ad lienem ut melancholia, vel ad renes ut ſerum, vel denique in totum corpus ut pituita, diffunduntur. Ratio eadem eſt cum priori, quia videlicet facta jam eſt ſeparatio hæc in matre, nec fit ſecunda concoctio in fœtu, ſed tantum tertia in venis. Quod ſi tamen aliquid vel pituitæ vel ſeri vel utriuſque bilis in fœtu reperiatur, id à ſanguine tertiæ concoctionis redundare & in viſcerum cavitatibus adhæreſcere putandum eſt: Et hinc

DICO 3. Sola excrementa ſunt in fœtu, quæ à tertia concoctione remanent, cujuſmodi ſunt ſeroſæ & ichoroſæ, tum duriores quædam ſubſtantiæ, quæ à ſanguine alimentali in viſcerum nutricatu ſuperfluæ inteſtinorum cavitatibus adhæreſcunt & vi caloris picis inſtar condenſantur: Hanc concluſionem probat experientia, quia toto geſtationis tempore nihil à fœtu excernitur, quod conſtet ejus excrementum eſſe, poſt partum *Excrem. fœtus quæ.*

verò nigrior illa & coagmentata materia ab inteſtinis vel ſponte vel cum melle, ſaccharo, oleo amygdalarum dulcium, ſyrupo roſato ſolutivo &c. prolicitur, & in ipſo partu nihil cum prole præter materiam illam ſeroſam effunditur, ergò ſignum eſt, hæc ſola eſſe ipſius recrementa. Ut tamen conſtet, ubi materia hæc ſeroſa colligatur, & quomodo citrà fœtus noxam aut corruptelam detineatur.

Seroſum excrem. fœtus unde

DICO 4. Materia ſeroſa, quæ tota geſtatione quaſi unicum eſt fœtus excrementum, colligitur ac reſervatur intrà membranam, quæ inteſtinalis dicitur & fœtum involuit. Hoc ut intelligas, Adverte ex Anatomicorum doctrina tres eſſe membranas, quæ cum ipſo fœtu in utero matris producantur eumque involvant. Prima quæ immediatè fœtum amplectitur, amnios dicitur, eſtque mollis & tenuis. Secunda à farciminis figura allantoïdes appellatur, quæ non omni ex parte fœtum involvit & ambit, ſed Zonæ inſtar à mucronata cartilagine ad ima tantum ilia uſque, id eſt, eminentibus tantum partibus ut capiti, natibus & pedibus ſuperjacet, & ab uno uteri cornu ad alterum uſque inſtar falcis porrigitur. Tertia chorion placenta & ſecundina dicitur, quæ ad modum circuli & coronæ fœtum ambit, uteroque mediis venis & arteriis umbilicalibus ad ejus tutelam & nutricatum adhæreſcit. Prima itaque membrana ſudores continet, ſecunda materiam ſeroſam, id eſt, urinam; Quamvis alii malint, utrumque hoc excrementi genus inter membranam & fœrum contineri, nec tamen hunc lædi quod benignior ſit tota illa materia, eſto immediatè illi incumbat: exitautem unà cum fœtu in partu, conſertque prius in utero eam utilitatem, quod fœtus in eo velut innatans ſurſum attollatur ac vehatur, adeoque minus ſit gravis iis vinculis, per quæ matrici cohæreſcit. Plura vide apud Anatomicos.

Tres membranæ fœtũ involuẽtes

DIFFICULTAS VI.

An in fœtu moveatur cor, & gignantur ſpiritus vitales.

Nota primo, non eſſe eundem vivendi modum fœtus in utero, & cum in lucem jam editus eſt; diſſimilem item exiſtere ſtructuram, connexionem & uſum organorum vitalium, ſicut videre eſt apud Andr. Laur. operum ſuorum anatomicorum cap. 14. Gal. 6. & 15. de uſu partium. 2. Fœtum non tantum attrahere ſanguinem per venam umbilicalem, quæ utero matris ejuſque venis adhæreſcit, ſed etiam per duas arterias, quæ venam umbilicalem comitantur, ſpiritum vitalem: Nam hæc utraque à ramis iliacis aortæ deſcendentis prodit, arteriis maternis in utero adnectitur, & ab iiſdem ſpiritum vitalem in tenellum fœtus corpuſculum deducit, ut in eo non ſecus ac in adulto tot tamque diverſas operationes vitales perficiat. Jam

In fœtu non movetur Cor.

DICO primo, In fœtu, quamdiu intrà matrem concluditur, non movetur cor. Ita Medici anatomici, & inter reliquos Andr. Laur. opere cit. q. 34. ubi hoc addit, quod nec debeat, nec poſſit moveri, Probatur primo, Ideò movetur cor ut gignantur ſpiritus vitales; ſed in fœtu nulla fit generatio ſpirituum vitalium, ergo etiam cor non movebitur; Minor conſtabit ex ſequenti concluſione, major eſt Medicorum, & patet etiam ex doctrina Philoſophorum qui docent, cor moveri propter nimium fervorem & ebullitionem ſanguinis, cujus agitatione & æſtuatione primum ſpiritus vitales gignantur, cujusmodi cauſæ in fœtu matris deficiunt. 2. In motu cordis partim attrahitur aer, partim excluduntur fuliginoſi vapores; ſed quamdiu fœtus in utero concluditur & detinetur, tamdiu nec attrahitur aer ut ſpiritunm generationi inſerviat, nec etiam fuliginoſi expelluntur halitus, ergò etiam nullus fit toto hoc tempore motus cordis in fœtu. Probatur 3. nulla eſt neceſſitas nulluſque finis quare cor in fœtu moveatur, cum aliunde vitalis operatio ſuppeditur, ergò gratis etiam affingitur.

DICES primo, Cor movetur propter exuperantiam caloris & nimium fervorem ſanguinis, ut docent Philoſophi; ſed hic calor & fervor non minor eſt in fœtu uterino quam in adulto, ergò etiam æquè movebitur. *Reſp.* neg. minorem: Et accedit defectus cauſæ finalis, videlicet generatio ſpirituum, cui aliunde ſatis providetur, ut infrà patebit.

DICES 2. In fœtu fiunt operationes vitales ſive vegetantes & naturales; ergo etiam motus cordis & generatio ſpirituum vitalium. Reſpondeo in homine eſſe duplices operationes vegetantes: Unæ ſunt quæ in toto corpore fiunt ut nutritio, accretio: aliæ ſunt quæ fiunt in ſolo corde. Primæ ſunt fœtus, non ſecundæ, quæ licet neceſſariæ ſint ad calorem adminiſtrandum, ſupplentur tamen à ſpiritibus vitalibus ex matre hauſtis.

DICES 3. Ex vena cava fluit ſanguis in dextrum ſinum cordis indeque in ſiniſtrum, ergo probabile eſt in corde generari ſpiritos vitales, cum adſit inſuper æſtus ſanguinis & exceſſus caloris innati. Pro cognitione hujus objectionis. Reſpondeo &

DICO

Spiritus vitales non gignuntur in fœtu.

DICO 2. In fœtu nulli generantur ſpiritus vitales. Ita communiter Medici, probatur primò, ſpiritus vitales non generantur niſi motu cordis; Sed hic non eſt in fœtu, ergò. a. vitales ſpiritus generantur ex ſanguine in ſubſtantiam cordis effuſo, tum ut multorum eſt opinio, ex aere ſanguini commixto; Sed nec hic nec ille in ſinum cordis fertur, ergo. Major vera eſt, minorem probant Anatomici hoc modo; ſi ſanguis ad ſinum cordis deferretur, id fieret per 4. vaſa quæ cordi ſunt proxima, ut vena cava, vena arterioſa, arteria venoſa & aorta; Sed nec per unam fit nec per alteram, ergò. Minorem ſic probant, quia vena cava non effundit ſanguinem in dextrum cordis ſinum ut in enatis, ſed in arteriam venoſam per amplum & rotundum foramen per quod inter ſe uniuntur, & hæc arteria venoſa defert ſolum ſanguinem ad pulmones nutriendos; Aorta demum venoſa non accipit ſpiritum à corde, ſed ab arteriis umbilicalibus, quem per Canalem interjectum infundit in venam arterioſam. Et hæc fusè apud Anatomicos habentur, qui docent primo, fœtum ali quidem per maternum ſanguinem, perfici autem per ſpiritum vitalem, quem ab utero materno per duplicem arteriam ideo trahat, quod tanta ſit neceſſitas earum in fœtu condendo, formando, coagmentando &c. 2. Venas umbilicales immediatè ad epatis fiſſuram ferri, arterias autem ad ramos iliacos tantum, nec cor ullo modo attingere. 3. arterias non poſſe ſpiritum in cordis ſinum refundere propter tres valulas membranoſas membranulas, quæ orificio aortæ perficiuntur. 4. arterias fœtus pulſare propter continuitatē (intellige contiguitatem) quam cum arteriis maternis habent. 5. Hanc ſtructuram vaſorum cordis in fœtu, quia diverſa eſt ab ea quæ in enatis conſpicitur, miraculo quodam naturæ ſubito concidere & evaneſcere, quamprimum enaſcitur homo & jam aurâ liberiori per reſpirationem fruitur, ut videre eſt apud Andr. Laur. l. cit. in fine capitis 14.

DICES, Si arteriæ fœtus eſſent continuæ vel potius contiguæ cum arteriis matris, ſequeretur quod eodem modo & moru pulſarent; Sed hoc abſurdum eſt, quia arteriæ in fœtu ſunt minutiſſimæ, ideoque citius diducuntur & concidunt, ergo & illud, ſi autem citius pulſent, confunditur ſpirituum ſubingreſſus & influxus virtutis pulſantis. Reſp. arterias in fœtu obſervare eundem modum eandemque tarditatem cum arteriis maternis, eſto ſit eis hoc quaſi violentum, quia non eget fœtus celeriori ſuarum arteriarum pulſu, cum omnem vim & efficaciam hautiat à matre: Quod autem tum frequentius pulſent, cum in lucem jam editus eſt fœtus, mirum non eſt, quia ſequuntur motum ſui cordis, quod tam propter exilitatem meatuum qui ſunt in ipſo & arteriis, quam propter ſummam neceſſitatem reſpirationis ſuique caloris contemperationem frequentem aeris benignitatem requirit. Et hinc

Colligis, quam facilè ſentiat fœtus adverſas injurias quæ matri accidunt, ut infrà dicetur.

DIFFICULTAS VII.

An fœtus in utero reſpiret, moveanturque pulmones & thorax.

NOta, aetem intrà corpus vel recipi per inſpirationem vel per tranſpirationem de qua utràque Gal. L. de ſalubri diæta, Inſpiratio eſt illa actio quâ aer per nares & fauces intrà aſpetam arteriam, pulmones cordiſque regionem mediante diaphragmate & muſculis pectoris hautitur; Tranſpiratio autem eſt illa quâ aer inſenſibiliter per occulta cutis ſpiracula intrà corpus recipitur, vel ab utero matris per arterias in fœtum refunditur. Prior communis eſt omnibus animalibus quæ aura liberiori fruuntur quæque valido calore prædita ſunt; poſterior exanguibus, inſectis, mulieribus hyſtericis, fœtui intrà matrem concluſo, quæque juxta aliquorum minus validam opinionem, languidum debilemque calorem habent ut ſunt urſi & id genus alia quæ hyeme in latibulis degunt. Jam

DICO primo, fœtus in utero non reſpirat. Probatur, ideò fit reſpiratio in animali, ut aer per os intrò ſuſcipiatur, fervidiſſimus cordis calor nonnihil temperetur & ſpiritus denique vitales generentur; ſed in fœtu uterino nec per fauces attrahitur aer, nec cordis calor attemperatione opus habet, nec ſpiritus gignuntur vitales, ut ex hactenus dictis manifeſtum eſt, ergò. Majorem docent omnes cum Philoſophi tum Medici, qui ajunt reſpirationem eſſe à natura propter æſtum cordis inſtitutum: Et teſtatur id quoque experientia, eum videmus ſuffocari omnes propter denegatum aeris ſubingreſſum; Minorem probat ratio, quia fœtus intrà uterum duplici membrana, amnio ſcilicet & allantoide cingitur, ut ad eum nullus pateat aeris ingreſſus, ergò non recipit eum per os, ſed nec poteſt, quia aperto ore ſimul traheret aquas quibus innatans ſeipſum ſuffocaret, ut benè notat Andr. Laur. loco citato. Deinde nullo cordis refrigerio aut contemperatione caloris opus habet, quia non exæſtuat ille, nec ebullit ſanguis ad eum modum quo in enatis fieri conſuevit: Sed quomodo fœtus in utero abſque reſpiratione vivit? Reſpondeo ex Medicorum doctrina, &

Fœtus non reſpirat in utero.

Fœtus vivit perſpiratione. DICO 2. Fœtus in utero juxtà medicos vivit ſola perſpiratione, quæ aër ad vitam ſuſtentandam ſufficiens vel per poros undique corpuſculum ſubingreditur, vel unà cum ſanguine & ſpiritibus vitalibus recipitur, ipſæ autem aduſtæ corruptæque fuligines & exhalationes excernuntur. Medicorum ratio eſt, quod omnium viventium perfectorum corpora ſint perſpirabilia undique, ne denſiſſimis etiam brutorum & beſtiarum pellibus exceptis. Quod autem perſpiratio ad aëris ſubingreſſum ſit neceſſarius viventi, probant, quia benignitas ejus contemperat calorem, recreat ſpiritus virales & opplet quæque ſpatia inania, ne vel ſponte concidant, vel quovis humore recrementoſo occupentur: Quod etiam per eandem vim aduſtorum vaporum egreſſus animali competat, id confirmat tam ratio quam experientia, quia alioquin frequentes acciderent corruptiones præſertim in corporibus humidis & calidis vaporoſis, id quod in aqnis ſtagnantibus & nobis ipſis experimur, ubi ex prohibita eventratione periculoſæ febres quotidiè exoriuntur. Et confirmatur in multis viventibus, in quibus ſola perſpiratio ad vitam ſuſtentandam ſæpè ſufficit; Nam imprimis mulieres hyſtericæ, quibus fauces à craſſo & maligno vapore ureti præcluduntur, aliquamdiu hac ſola tranſpiratione vivunt, quod idem de ſuſpenſis, ſubmerſis & animalibus frigidioribus intellige. Et hoc eodem beneficio vivit fœtus in utero, cujus calor in humido natans adhuc debilis eſt, vita tenera, actioneſque adeò imbecillæ, ut ſola tranſpiratione perfici & conſervari poſſint. Dixi hanc concluſionem eſſe ex ſententia Medicorum, quia pleraque fortaſsè pulchrius quam verius dicuntur; Neque enim in ullo animalium, nec in fætu utetino ſatis probabilis eſt perſpiratio ad vitam ſuſtentandam, cum aliunde ſatis huic, ſicut & temperationi caloris vitalis proviſum ſit: pauco aëre, imò vix aliquo eget fætus in utero niſi dum maturus eſt ideòque auram liberiorem petit & reſpirationem; Et ſi quopiam opus habet, eum ab arteriis, maternis ſufficiẽtem haurit & non extrinſecus per ſpiracula cutis, cum nullibi hic ſuppetat, per ſe etiam ridiculum ſit eum ita per matris & prolis viſcera penetrare. Quæ de ſimili perſpiratione in mulieribus hyſtericis, in ſuſpenſis aut quovis modo ſuffocatis & ad vitam quaſi redeuntibus, de cetris item animalibus intra ſua latibula degentibus & citra inſpirationem aëris viventibus dicuntur, fabulæ ſunt, vivuntque ſemper per ſubingreſſum pauxilli aëris, quam potius per os & fauces, non omnimodò præcluſas, quam per inſenſiles meatus cutis hauriunt; Et parum eſt non advertī ullam reſpirationem aut motum cordis, quia id opus non eſt, ſervatque pauciſſimus aër vitam, quouſque aut extinguantur aut pleniori aere ſemotis impedimentis ipſi recreantur; niſi enim in tempore ſufficienti inſpiratione gaudeant, ſuffocati pereunt, quod ſuſpenſi & caſu rurſum liberati ſæpius atteſtantur: Et eadem res eſt cum fætu uterino, qui dum maturus eſt multoque cordis calore æſtuat, ad hunc temperandum vitamque conſervandam aerem & inſpirationem deſiderat, ideoque è materno carcere liberari appetit, ne mora longiori pereat &c.

DICO 3. In fætu nec thorax nec pulmones diducuntur: Ratio eſt, quia motus hic eſt propter aerem inſpirandum & aduſtos halitus expellendos; Sed neutrum ex his duobus fit in fætu, ergò nec prius. Hoc utrumque præſtare tranſpirationem ajunt Medici, quæ faciat ut aer qui ſolidiora etiam penetrat, in hoc tenellum corpus ſeſe inſinuando & æſtum internum attemperet, & excrementa vaporoſa excludat. Si

DICAS, Hoc derogare authoritati ſive præſtantiæ & dignitati cordis. Reſp. neg. hoc aſſumptum, quia quod hactenus cor prolis nequit præſtare, præſtat mater per ſpiritus & calorem à corde ſuo promanantem. Et hinc fruſtra gloriatur Andr. Laur. quando ait univerſam Ariſt. & peripat. de principatu cordis doctrinam corruere, ſi probet fætum non egere motu cordis & pulmonum; Nam ex ejus argumentis invalidis ſolum ſequitur hoc, quod fætus vivat, conſervetur & foveatur opera & adminiculo cordis materni, quia hoc in defectu alterius ſpiritum vitalem & calorem, à quo utroque omnia reguntur & adminiſtrantur, per proprias vias & canales ſuggerit. Quæ autem de principatu cordis dicentur, vide ſequenti diſput. de part. animati corporis diff. 17.

DIFFICVLTAS VIII.

An ſpiritus animales generentur in fætu.

QUod in homine & quovis animali perfecto dentur ſpiritus animales tanquam ſenſuum & motus operatrices, hoc alibi pluribus oſtenſum eſt; Nam his ſublatis perit omnis ſenſus & motus ſalvis etiam actionibus vitalibus. De his igitur controverſia eſt, an in fætu, dum adhuc matri connectitur, generentur, an verò ſicut vitales à matre per certos ductus & canales deriventur, quia nulla apparet contradictio, cum æquè per certa vaſa à matre derivari poſſint. Cætetùm animalium ſpirituum neceſſitatem repeto &

DICO

DICO 1. Verum eſt, in fætu uterino exiſtere ſpiritus animales. prob.1. in fœtn exiſtit ſenſus & motus, ergo etiaio ſpiritus animalis, qui ad hunc utrumque requiritur. 2. ideò tam multiplices meatus & vaſorum tantam varietatem habet cerebrum, ut ſpiritus pro eliciendo ſenſu motuque neceſſarios hauriant, ergo non eſt temerè neganda huiusmodi ſubſtantia, quæ tam nobilium actionum in univerſo corpore ſit effectrix.

DICES, potentiæ ſenſitivæ externæ non eliciunt ullam actionem in fætu; ſed propter has potentias productus eſt ſpiritus vitalis, ergo deficientibus earum actionibns deficiunt etiam ſpiritus, Reſp. 1. ſpiritus animales non eſſe propter ſolos 5. ſenſus externos, ſed etiam propter motum, qui maximè in fætu exercetur; Deinde non omnes ſenſns externi carent actibus, qnia etiam tactus viget in fætu, ad quem copia ſpirituum animalium ſpectat.

DICO 2. Verum etiam eſt, quod in fætu uterino gignantur ſpiritus animales, prob. nō influunt à matre ſicut vitales, ergo neceſſum eſt eos in fætu gigni. Antec. non Medicorum omniumque imprimis Anatomicorum, qnia nulla ſunt vaſa, per quę à matre in fætum transferantur, ſicut ſunt venæ & arteriæ, quarum beneficio communicentur ſpiritus vitalis & ſanguis: Deinde ſicut in homine adulto, ita etiam in fætu gigni poſſunt, cum adſit locns & cauſa tam materialis quam effectrix, ſecus in gigneudis ſpiritibus vitalibus, uti hæc omnia cum ſuggeſtn benigni aëris deſiderantur.

DICES, motus ille in fætu eſt purè naturalis, ad quem eliciendum ſufficiunt ſpiritus vitales tantum, ergo fruſtrà requiruntur animales. Reſp. neg. aotec. quia motus in fætu non minus eſt animalis ac in adultis, eſto non fiat ex ea voluntatis operatione, qualis in iis eſſe ſolet: Nam finis huius motus non cognoſcitnr in fætu tenello ſicut in homine perfecto. Quod autem fiat nobis etiam dormientibus, hoc indicat ipſius neceſſitatem, & fit etiam communiter operante ſenſu interno, quam eodem modo in brutis operari videmus. Si quæras, ubi, ex quo ſubjecto & quando generentur hi ſpiritus animales. Reſp. &

Quando gignantur ſpiritus animales.

DICO 3. Spiritus animales qui ſunt in fætu, gignnntnr in ventriculis cerebri & quidem ex ſpiritibus vitalibus qui ab utero materno ad fætum deferuntur. Primum probatur, ad eundem modum iisdemque in locis gignnntur ſpiritus animalis in fætu ſicut gigui ſoleot in adultis; ſed in his finnt in anterioribus cerebri ventriculis & arteriolarum plexibus, ergò etiā in fætu: Hæc minor eſt Medicorum, major autem rationis, quia nullus præterea locus ſupereſt in nniverſo corpore, ergò hic & non alibi gigni poſſunt, id quod ex hoc confirmatur, quia eo in luco eſt ſpirituum animalium generatio, ubi eorundem diſtributio; ſed nullibi hæc eſſe poteſt prætetquam in cerebro eiusq; ventriculis, ut patet apud Anatomicos & diſcurrenti per omnes & ſingulas partes corporis, ergo. prob. ſecundum, ſpiritus animales non fiunt immediatè ex ſanguine, ergò ex ſpiritibus vitalib9, quia nihil præter hanc utramque ſubſtantiam ſupereſt; Antec. probatur, ſpiritus animales fiunt ex ea ſubſtantia quæ continetur in plexibus arteriolarum & in anterioribus cerebri ventriculis; ſed hæc non ſanguis eſt aut aliquis humorum alimentaliū, ergo ſpiritus vitalis. Quod ſi Dicas, etiam in arteriis contineri ſanguinem; reſpondetur contineri ſanguinem ſpirituoſum, in arteriis quidem majoribus craſſiorem, in minoribus autem quales ſunt arteriolæ anfractuoſæ cerebri, ſubtiliſſimum penitusque ſpiritnoſum. ſi de tempore quæratur, qnando videlicet incipiant hi ſpiritus in fætu generari; reſpondetur, incertum id eſſe, certum tamen id fieri quando natura fætum ad eam perfectionem reduxerit, ubi ſpiritibus opus habeat, quod nec certo die nec certo tempore definiri poteſt. Nam ſicut certum eſt, omnem hominis perfectionem non in inſtanti ſed ſucceſſivè in corpus introduci; Ita etiam veriſimile eſt, omnem perfectionem quæcunq; vel in partibus vel in potentiis & operationibus fætus eſt, nō fieri in inſtanti ſed paulatim & ſucceſſivè, cnjus ratio hæc eſt, qnia tam perfectio quàm imperfectio in membris potentiis & operationibus eſt motus ſive diſpoſitio.

DICES, ſi ſpiritus animales fiant in ventriculis cerebri ex ſpiritibus vitalibus, ergò à calore minus intenſo & efficaci, ex quo ſequitur primo hanc non eſſe propriā generationem; 2. non fieri ſubtiliores, ſed incraſſari magis; 3. non eſſe habiles ad ſenſum & motum. Reſpond. quando dicitur, ſpiritus animales gigni ex vitalibus in ventriculis cerebri, non eſſe ſenſum, qnod majori præparatione & perfectione per majorem calorem concoquentem adeoq; propriè dicta generatione opus habeant, ſed quod mitigato calore mutatisqne accidentiis in cerebri ventricnlis ita tranſeant vitales in animales, ut qui prius ſub ferventiſſimo calore vitales erāt, prout neceſſitas id exigebat, jam ſub defecatiore animales evadant; Nec timendum eſt eos incraſſari, quia non exiſtit tale frigus in eo tranſmutationis loco, quo ſimilem formam aſſequantur, quia vel maximè ad ſenſum & motum habilitātur, in quamcunque vel maiorem vel minorem raritatem abeant; Et audi quæsò inter reliquos optimè de mutatione ſpiritus vitalis in animalē Dandinum l.1. de animati corporis temperatione c.21. diſcurrentem: Ergò inquit vitalis ſpiritus ductus ad cerebrum in admirabili contextu præparatur; deinde interiores cerebri ſinus pervadens in animalem mutatnr: Mutatur, inquam, non ſnbſtantia, ut aliqui Medicorum crediderunt, ſed accidente duntaxat & qualitate. Quam ob cauſam mutatis interdum nominibus uſi ſunt veteres Peripatetici, & animalem ſpiritum vitalem appellarunt. Quæ enim alia vis aut actio illius membri niſi refrigerandi & humectandi, id eſt, vehementio-

rem illius corporis calorē à calidiſſimo membro acceptum mitigandi? Mutatur autem & temperatur tum neceſſitate, quia, cum ad locum frigidum & humidum venerit, refrigeretur & humectetur neceſſe eſt, tum verò ita exigente fine, propter quem illuc ſpiritus ille ducitur: quippe vitales operationes maximo quidem calore opus habent, & animales, ſenſus inquam & motus, quæ per eum ſpiritum fieri debent, delicatum magis magiſque humidum & temperatum poſtulant. Et niſi cerebrum quoquo modo alteraret & mutaret vitalem eum, qui à corde aſcendit, operationes omnes, quę deinceps illius ope fierent, cor non cerebrum ſui principium & Authorem agnoſcerent, cerebrumque paſſivè tantum ſe haberet tanquam via & canalis per quem ſpiritus à corde ad organa usque ſenſuum mitteretur, eũ tamen cor vitaliũ, cerebrum animaliũ eſſe principium aut certè adminiſtratorem & moderatorem cõmunis jam Medicorũ & philoſophorũ ſchola confirmat: Et hinc efficitur neceſſariò ut cum cerebrum nullius operationis principium eſſe poſſit niſi per nervos, qui ad omnes corporis partes inde ducuntur, jure optimo affirmare poſſumus, nervos eſſe quoquo modo principia ſeu inſtrumenta animalium omnium functionum, cumque operatio nulla fiat niſi per eum ſpiritum à cerebro derivatum, neceſſe eſt ab eo membro non minus ad omnes partes animalem ſpiritum per nervos transmitti, quam à corde per arterias vitalis derivatur: hæc Dandinus.

DIFFICULTAS IX.

Quæ ſit ſituatio fætus in utero, & quando primum incipiat moveri.

Certum eſt, nec hominem nec animal brutum ſimulac moveri, cum animari & vivere incipiunt. Et hinc de tempore hic inquiritur, quo nimirùm incipiat moveri primùm fætus ſi non in brutis animalibus, quorum maxima eſt latitudo, ſaltem in homine: Vt tamen prius conſtet qualis ſit ſituatio fætus humani in utero materno:

DICO 1. juxtà omnes Anatomicos, Hipp. l. de natura pueri & quotidianam experientiam ſedet fætus in utero totus quaſi contractus & conglobatus, manibus genua apprehendens & caput in pedes inclinans ita, ut utrimque oculi manuum pollicibus veluti affixi hæreant, & naſus inter genua procumbat: Et hæc figura nec moleſta eſt fætui aut laborioſa, nec ingrata matri, quia rotunda eſt quaſi minusque loci occupat, ut proinde nec ventriculum nec diaphragma premat: Deinde accommodata eſt fætui cum exitum quærit, quia facilè invertitur & in caput quo primùm juxtà naturalem & decentem ordinem it foras, effertur. Vide Ariſt. 7. hiſtor. animal. cap. 8. *(Situatio fætus in utero.)*

DICO 2. Tempus quo fætus in utero primum incipit moveri, incertum eſt & inſtabile ſive indefinitum. Ratio eſt, quia cauſa & principium à quo hic motus dependet, inſtabile eſt & non ſemper uniusmodi, ergo etiam motus incertus erit & inſtabilis, prob. antec. quia hic motus dependet à firmitate & robore cerebri & nervorũ quibus mediantibus ſpiritus animales in partes motorias influunt; ſed hæc non æquè omnes firmantur, ergo. Hæc minor conſtat ex diverſitate ſexus & complexionum, quia mas citius propter calorem quam fæmina perficitur, & qui cum optima partium diſpoſitione bonum copioſumq; habet calidum radicale, is citius abſolvitur & perficitur, melioti etiam compage fit lacertoſior, adeoq; fætus hic maturius ſe movet quam qui frigida temperie mollique nimis conſtitutione nervorum & cerebri imbecillitate exiſtit: Et hoc non de homine tantum, ſed de quovis etiam animali dicendum eſt; Nam omnia ſicut in ſpecie infima ultimisque differentiis, ita etiam in motu ejusque modo & tempore, cum intrà uterum recluſa jacent, plurimùm inter ſe diſcrepant, adeò etiam ut quisque fætus tum ſe primùm incipiat movere, cum ad motum calore & virtute formatrice fit capax. Et ut aliquid determinatè circà hoc tempus, reſpondeo & *(initium motus in fætu.)*

DICO 3. Huius motus principium ſenſibile & manifeſtum eſt vel finis menſis tertiũ, vel initium menſis quarti: Ita ſentiunt omnes Medici, teſtatur quotidiana prægnantium experientia & accedit authoritas Hipp. l. de natura pueri, ubi ait in maribus incipere motum menſe tertio, in fæminis autem quarto; & ſic mares qui ex communi Medicorum opinione trigeſimo die conformantur, moventur circà diem nonageſimum, fæminæ autem quę die 42. vigeſimo & centeſimo. Quod cæterùm hic motus animalis ſit aut voluntarius, hinc manifeſtum eſt, quia fit per muſculos, qui ſunt organa motus voluntarii, pendebit autem olim à voluntate magis cum ſenſus & intellectus acceſſerit, corporis que perfectio præſentem fætus conditionem & ſtatum longè ſuperaverit.

DIFFICULTAS X.

An fætus in utero ſentiat ea, quæ matri adverſa accidunt & quomodo.

Solent fæminæ toto geſtationis tempore variis morbis affectibus & ſymptomatis affligi: Quæritur, an omnes ejusmodi adverſitates fætus in utero quoque ſentiat & quomodo. Ratio dubitandi eſt, quia docet experientia, matres quæ toto ſuæ gravidationis decurſu peius habent nihilominus robuſtos ſæpè & ſanos parere filios, & ideò

Advertte, varios eſſe affectus, quæ matri inter

tet geſtandum accidunt: Nam imprimis ſunt morbi intemperiei, ſolutæ unitatis & malæ confotmationis, ſive patticulates & univerſales: 2. ſunt varia ſymptomata, quæ ab utero & gravidatione pendent. 3. ſunt motbi & affectus, qui à peculiatibus cauſis otiuntur. 4. ſunt vatiæ paſſiones animi, ut iræ, timot, mæſtitia, tettor, gaudium &c. 5. varii appetitus & apptehenſiones. 6. denique exceſſus & errores in cibu, potu, ſomno, vigilia, motu, quiete, cæterisque rebus non naturalibus. His poſitis

DICO 1. Non omnia ſymptomata quę mater tempore geſtationis ab utero patitur, redundant in prolem: Ratio eſt, quia non habet proles conſenſum cum omnibus, nec participat eorum gravitatem, id quod exemplis illuſtratur: Nam dolor capitis, palpitatio cordis, vomitus & nauſea ſunt gravidatum fæminarum ſymptomata, oriunturque ab utero, nec tamen offendûnt prolem, quia videlicet minus offendunt facultatem vegetantem, à qua ſanguinis concoctio, refluxus eius ad uterum, nutritio prolis &c. niſi tamen vel longius durent vel gravius moleſtent, adeoq; proli conſenſum inferant, quo modo quævis ſymptomata, ſi nō per ſe ſaltem per accidens ſunt nociva proli. Dixi tamen, ab utero, quia ſi quæ alia ſymptomata à partium læſione matrem offendunt, ea ſunt plerunque eiusmodi morhorum effectus, qui & naturalia & vitalia prole non innoxiâ lædunt. Quod autem ſint uterina ſymptomata, quæ tempore geſtationis proles gravitet ſentiat, docet experientia in convulſionibus, in vitioſa digeſtione ciborum, in diarrhœa, in magnis & continuis animi deliquiis &c. quia in his omnibus tam ratione nutritionis quam omnium corporis partium, quæ unà cum matte confligantur, inſignis accedit proli conſenſus.

DICO 2. Omnes morbi & affectus graviores qui aliunde quam ab uteri gravidatione principium habent, periculoſi ſunt ptoli in utero. Ratio eſt quia omnes redundant in ptolem cui ſe per eandem corruptelam communicant: Nam imprimis conſumunt & ſubtrahunt alimentum; deinde impediunt influxum ſpiritus vitalis aut depravant ejus generationem: Adhæc debilitant facultatem concoctricem: Denique ſanguinem omni genere vitioſarum qualitatum imbuunt, ut calore in febribus ſimplicioribus malignitate in venenoſis, cruditate in affectibus frigidis, unde ſequi ſolent calores & æſtuationes in ptole, abortus aut partus infelix, vitioſa nutritio &c. Dixi tamen, motbi & affectus graviores, quia conſtat affectus quosdam mitiores & qui ſunt partis alicuius ignobilioris, ut tubercula, tumores pedum, vulnera, ulcera &c. vix aut nequicquam offendere ptolem.

DICO 3. periculoſæ ſunt omnis generis paſſiones uterum gerentibus. Ratio eſt, quia vehementer commovent humores ſanguinē & ſpiritus, efficiuntque inſignes tam in viſceribus matris quam delicatis partibus ſobolis alterationes, quod frequentiſſimâ experientiâ comptobatur: Nam dum iraſcitur fæmina, rettahuntur humores & ſpiritus ab utero cæteriſque membris ad cor, ut ptoinde iis tenellus deſtitutus gravem ſentiat noxam: ſimiliter cum terretur mater, obruitur cor frigentque cætera, quia deſtituuntur calore & ſpiritibus. Cæterarum paſſionum effectus vide l. 2. diſput. 9. de cauſis motborum.

DICO 4. Etiam fortes imaginationes & apptehenſiones & quæ ſequuntur, appetitiones matris nocent proli. Hanc concluſionem potiſſimum docet experientia, quâ videmus imaginatione gtavidarum vatiè affiei & ſignati prolem, præſertim ſi ipſæ fruſtrentur re quā appetunt, quo mirè frequenter cruciantur. Rationem autem huius vide diſp. 3. diffic. 14. huius libri.

DICO 5. magnam quoque proli noxam inferunt fæminæ gravidæ, ſi excedant in cibo & potu in ſomno & vigilia, in motu & quiete &c. Ratio eſt, quia multorum morborum cauſæ effectrices ſunt, fæminamque in periculum cum ſanitatis tum vitæ conjiciunt, ergò & prolem. Antecedens eſt Medicorum, qui pleroſque affectus & morbos ad errores & exceſſus potus, cibi, ſomni, vigiliarum, motus, quietis rerumque non naturalium tanquam ad fæcundiſſimas & efficaciſſimas morborum cauſas tranſcribunt. Conſequentia patet ex dictis, quia ſi magnus eſt conſenſus inter viſcera matris, magnus etiam erit inter prolem & mattem cum adhuc uniuntur, quia ab hac hauriuntur ſpiritus vitales, hauritur calor & ſanguis, hauritur omnis ſubſtantia.

Colligitur, omnes eos affectus matris nocere ptoli, qui ob magnum conſenſum uterum offendunt, & qui ab humorum, ſanguinis & ſpirituum alteratione pendēt, non item reliquos, qui ſunt vel particulares, vel cum utero nullam habent connexionem.

DIFFICULTAS XI.

An fœtus in utero ſentiat famem, ſitim & dolorem.

HAbet proles adhuc in utero exiſtens omnes illas potentias & facultates, quas habet dum adolevit & quas ad animam rationalem ſpectare conſtat, proinde non habebit tantum vim nutritivam, augmentativam, ſed & ſenſitivam & appetitivam: Iam quæritur, an poſitis huiusmodi potentiis verè & proptiè fameat, ſitiat & doleat & quomodo.

Adverte, famem, ſitim & dolorem ſpectare ad potentiam ſenſitivam, & habere hæc duo; primò ſenſionem aliquam ſimplicem, quæ in animalibus eſt actus phantaſiæ, quo apprehenditur aliquid ut conveniens vel diſconveniens, in plantis autem inſtinctus naturæ, quo attrahunt aliquid ut bonum & repellunt aliquid ut noxium. 2. Præter ſenſionem ſimplicem

cem etiam apprehenſionem & æſtimationẽ, quæ eſt actus appetitus ſenſitivi: Et hoc apprehenditur aliquid ut bonum vel ut noxium, conveniens vel diſconveniens, conſiſtitque in eo formaliter ratio doloris, quia ad internum ſenſum, ſcilicet ad appetirum ſenſitivum quatenus æſtimativus eſt, pertinet. Iam

DICO 1. habet proles famem & ſitim quatenus utraque eſt appetitus, juxtà ſenſum primum. Probatur, quia talem appetitum habent omuia bruta, etiam imperfecta & inſecta, ergò etiam fætus humanus adhuc in matre exiſtens, cum ſit conditionis longè nobilioris & præſtantioris. Arbores autem & plantæ non dicuntur famere & ſitire niſi impropriè & metaphoricè; illud quidem quia utraque eſt appetitus qui non convenit niſi animalibus, quæ operantur cum cognitione licet imperfecta; hoc verò quia etiam arbotes attrahunt alimentum utile & rejiciunt illud quod eſt iuutile idque non tantum ex inſtinctu naturæ ſed etiam ex præſentia animæ vegetativæ.

Quomodo fameat & ſitiat fætus in utero. DICO 2. Non habet proles in utero matris famem & ſitim quatenus utraque eſt ſenſus quidem ex cotrugatione & inanitione ventriculi, ſed quatenus ambæ ſunt actio quædam verè naturalis in ſingulis membris & viſceribus corporis otganici exiſtens. Probatur primum, fames & ſitis ſunt ſemper cauſaliter ſenſus quidam ventriculi eiusdem corrugationem & inanitionem conſequens; ſed hanc utramque non haber proles dum adhuc eſt intrà matrem, quia non exercet primam concoctionem ut ex dictis conſtat, ergo nec ſenſum illum. ſimiliter probatur ſecundum, quia ſicut in homine adulto cæteriſque animalibus ſingulæ partes habent quendam appetitũ ad reſtaurandam ſubſtantiam deperditam, & ſenſum ex conſumpto humido, ita etiam de fætu teuello matris dicendum eſt; ſed in illis utraque eſt actio merè naturalis, qualis etiam eſt in plantis & arboribus, dum conveniens alimentum attrahunt, ergò etiam in hoc. Quod autem fames & ſitis ad ſolum ventriculum dicantur ſpectare, ideò eſt, quia appetitus ille ſequitur ex ſenſu ſolius ventriculi & non aliarum partium, quæ alimentum non ſecus ac plantæ appetunt.

DICO 3. ſentit etiam ptoles in matre dolorem, quatenus per ſenſum internnm apprehenditur ut quiddam inconveniens, non tamen quatenus apptehenditur & æſtimatur per eundem ſenſum internum. Probatur primnm, quia fætus in utero eſt verè ſenſitivus, ergo habet ſenſum tactus, ergo percipit dolorem ut quiddam inconveniens, quod experientia in ejus contractione, dum venter fortè pungitur aut comptimitur, atteſtatur: Nam ad quamvis injuriam ſe contrahit, omnemq; noxam depulſurus ſe cogit. Probatur ſecundum, quia fætus propter ſtatum imperfectum in utero & organorum indiſpoſitionem neſcit adhuc quippiam ea cognitione apprehendere, qua olim cum ad ſtatum hominis perfectum devenerit.

Colligitur, in fætu uterino eſſe omnes operationes tantò imperfectiores, quantò principio ſuo ſunt viciniores.

DIFFICVLTAS XII.

An fætus in utero vigilet, dormiat, rideat, fleat &c.

MUltæ ſunt animalibus ut ex dictis habetur, potentiæ & facultates, quarum tamen propter organorum imperfectionem nullæ ſunt operationes; Et hoc maximè conſtat in homine, qui longè aliter ſentit & intelligit puer quam juvenis aut vir, eſto eandem numero habeat potentiam & animam. Et hinc quæſtio nova oritur, an fætus in utero vigilet, dormiat &c. omniaque faciat quæ ſunt opera animæ ſenſitivæ, ſicut facit ea quę ſunt ejusdem animæ ſecundum gradum vegetativum: Nam extrà confectionem ſeminis & ſpirituum vitalium motumque cordis & thoracis exercet omnes potentias naturales.

DICO 1. fætus in utero non exercet operationes animæ ſenſitivæ ſicut vegetativæ. Ratio 1. eſt, quia plus laboris & virium requiritur ad operationes animæ ſenſitivæ quam vegetativæ. 2. quia operationes ſenſitivæ ſunt perfectiores, ideoq; requirunt majorem organorum diſpoſitionem. 3. quia cum fætus in utero vivat vitam ſimplicem, non eſt opus ut exerceautnt operationes animæ ſenſitivæ, ſed ſufficiunr vegetativæ in quibus conſiſtit vita vegetabilis.

DICO 2. probabile eſt, fætum in utero matris vigilare & dormire. De vigiliis nemo dubitat, & eſt in confeſſo apud omnes fæminas, imò & ſenſus noſter id confirmat, dum videmus & palpamus fætum manifeſtè ſe omnem in partem movere quod absque vigiliis fieri non poteſt. De ſomno dubium eſt, ſed probatur primò, qnia ſomnus nihil aliud eſt niſi ligatio omnium ſenſuum; ſed talis eſt in fætu, ergo. 2. niſi aliquando fætus dormiret, ſequeretur tam teuellum corpus conſumi ex continuis vigiliis, ſicut id fieri videmus in adultis, ergo probabile eſt fætum per intervalla dormire, id quod confirmatur experientia deſumpta ab ipſis fæminis quæ referunt fætum nonnunquam manifeſtè quieſcete quod ipſæ pro ſomno interpretantur. *Fætus vigilat & dormit.*

DICES 1. In fætn dum inttà matrem eſt, ſunt omnes ſenſus ſopiti ac ligati, ergo ſemper dormit. Reſp. neg. antec. licet enim fætus nõ exerceat viſum, guſtum, & olfactum, ſeutit tamen, audit, famet, ſitit, ſenſumque internum habet vigilantem: Nec opus eſt nt vigilans exerceat omnium ſenſuum externorum operationes, quia ſufficit nnus tactus ut patet in cæcis, ſurdis aut qui ſtudio claudit oculos vel

aures

aures obſtruit: Et hinc non ſemper ligatum habet viſum qui non videt, quia vel cæcus eſt, vel ſtudio removet objectum &c.

DICES 2. ideò in animali eſt ſomnus aut quies, ut ab actionibus ſenſitivis, cuiusmodi ſunt labores, vigiliæ, ſenſuum operationes &c. non gravetur, quia his ipſis vires & ſpiritus conſumuntur; ſed in fœtu hæ non deprehenduntur, ergo in eo nullus eſt ſomnus aut quies. Reſp. neg. minorem, quia ſaltem motus inter vigilias eſt actio, quæ ſpiritus vitales deperdit & quæ opus habet reſtauratione per quietem vel ſomnum.

Fœtus non ridet. DICO 3. Non ridet fœtus in utero nec plorat. De riſu probatur, quia ſupponit hic eam rei apprehenſionem & cognitionem præcedentem, quæ nunquam eſſe poteſt in fœtu uterino, quod etiam oſtenditur in iis, qui nuper in lucem editi nullum viſus ſignum niſi fortè poſt aliquot ſeptimanas edunt; & quibus contrarium accidit, his, quamvis non abſque ſuperſtitione, certum mortis aut gravioris infortunii omen præſagiri ſolet, ut de filiolo ſuo refert Rodericus à Caſtro Medicus Luſitanus, dum ait, hunc tertio quidem à die partus riſiſſe, ſed nono ſubſequenti ſummum ſibi mœrorem & fletum ex obitu attuliſſe. Et eadem res eſt cum ploratu, niſi quod hic citius accidat parvulis, qui quod ſenſum tactus habeant ideoque moleſta facilè ſentiant & ſtatim à partu plorent, aliquam ploratus in utero probabilitatem facerent, niſi conſtaret eos in ibi nec *fœtus non plorat in utero.* aperire os nec reſpirare aut vocem edere quod tamen utrumque ad ploratum pertinet. De auditu res dubia eſt, quia non ſatis conſtat an ſpecies ſoni ad fœtum eiusque organa auditoria perveniant, vel ſi illuc quod omninò eſt probabile, ferantur, an à ſpecie ſoni afficiantur, quia videtur eum iis fieri quod cum profundè cogitabundis; Nam ſicut hi animâ ſenſum aliò avocante etiam proximè loquentes & ſtrepentes non ſentiunt, ita nec fœtus intrà matrem ſonum etiam validiſſimum ob organorum imperfectionem. Quod ſi tamen ſint qui velint, ex forti ſtrepitu & ſono fœtum convelli & mori; dicendum eſt, ideò id fieri, quod mater terrefacta huiusmodi malum non aliter transfundat in ſobolem quam dum variis & vehementibus agitur animi paſſionibus, & per eas cum humores & ſanguinem tum ſpiritus commovet.

DIFFICVLTAS XIII.

Quid ſit partus.

POſt omnes actiones & operationes fœtus in utero ſequitur ipſius partus: Nam cum ad eam in utero perfectionem ſtatumque corporis devenit, ut aura liberiori frui & inter homines eſſe cupiat, rumpere carcerem & ab eo per actum quantumvis laborioſum egredi tentat. Quæritur itaque quid ſit partus & quomodo fiat.

Adverte autem, partum communiter triſariam accipi; primo pro ipſa geſtatione. 2. pro ipſo infante jam recenter nato ut patet apud Medicos & ex communi modo loquendi. 3. pro ipſo actu quo fœtus ab utero prodit & enaſcitur; Et quia hæc acceptio vulgaris eſt & propria, Itaque

DICO 1. partus eſt fœtus ſive prolis in ſtatu perfecto exiſtentis doloroſa in lucem editio. Hæc deſcriptio eſt communis apud Medicos, *partus quid* & dicitur primo, quod ſit editio, in ordine ſcilicet ad Agens naturale quod hanc actionem intendit & perficit, vel etiam in ordine ad ipsā prolem quæ hac actione prodit & foras exit. Dicitur 2. doloroſa, quia fit maximo conatu, labore, divulſione partium ideoque ingenti cum dolore; Conatu quidem & labore, quia ut conſtat, mater omnes vires impendit ut expellat onus tam grave tamq; moleſtū, per vim ſc. expulſivā quæ in hoc actu robore indiget, divulſione autem & diductione partium, quia præterquam quod inteſtinum rectum podex aliæque vicinæ partes graviſſimè premantur, etiam oſſa pubis partim diſlocantur partim diducuntur; Et hinc ſequitur dolor vel ſenſio triſtis, quia infertur vis partibus & membris quæ ſenſum exquiſitum habent & vel intemperiem vel ſolutionem continui patiuntur. Dicitur 3. editio fœtus ſeu prolis, ut excludantur molæ aliæque ſubſtantiæ ex impuro ſanguine concretæ & corruptæ, quæ licet per eandem viam & iisdem laboribus expellantur, prolis tamen rationem non habent. Dicitur 4. prolis ſeu fœtus perfecti, ad reiiciendos abortus, qui à cauſis morboſis vel in utero extinguuntur, aut foras propulſi primum moriuntur. Dicitur denique editio prolis in lucem, ut ſignificetur vel locus vel ſtatus, in quem infans hac editione transfertur: Nam qui prius intrà matrem recluſus hominum conſortio privabatur, jam à matre ſolutus liberiorem haurit aërem, eâque luce qua mortalitatem apertè incipiat, fruitur.

DICO 2. pertinet hæc actio partim ad matrem partim ad prolem. Probatur primum, ad vim matris expellentem pertinet illud egerere & quocunque modo ſecetnere quod naturæ oneroſum eſt ſuâque gravitate membra offendit; ſed fœtus grandior oneroſus eſt matri, quia non uni corporis parti, ſed toti penè ſuppoſito infert ſenſum partim premendo, partim dilatando, ergò per vim matris expellendus eſt. Hanc minorem probant gravidæ ſi non ratione ſaltem experientiâ propriâ, quia diſcunt recordari illius decreti divini, quo cū maximis difficultatibus prolem in utero geſtare & eandem cum ſummis doloribus parturire jubentur. Probatur ſecundum, quia cum ptimùm fœtus perfectionem in utero nactus eſt, integriſque conſtat viribus, ad conſervandum ſe liberius requirit ſpatium calcitrandoque rumpit membranas, & matrem ſimul ad excretionem impellit, ut vim extrà uterum copioſius hauriat alimentum, aëremq; inſpirando calorem cordis paulatim adauctiorem modificet & contemperet, ut videre eſt apud Hipp. l. de natura pueri; Et hinc

Col-

Digitized by Google

Colligitur, partum eſſe quaſi criſin illius nonimeſtris geſtationis, & hanc velut morbum, ut colligunt Medici ex Hipp. de partu ſeptimeſtri, ubi ait, mulieribus & fœtuum conceptus & abortiones & partus eodem tempore judicatur, quo & morbi & ſanitas & mors cunctis mortalibus, ſed omnium iſtorum alia quidem diebus, alia menſibus, alia dierum quadragenariis, alia verò annuo ſpatio evenire videntur.

DIFFICULTAS XIV.

Quæ ſint tempora partus.

MIrum omnibus animalibus certum & determinatum eſſe tempus pariendi, ſoli autem mulieri diverſum ut habet Ariſt. 7. de hiſtor. animal. c. 4. ubi docet, unum pariendi tempus ſtatutum omnibus, homini autem multiplex.

Nota, menſes diverſimode ſupputari: Aliqui enim inter quos eſt Valeſius, menſem terminant diebus viginti novem cum dimidio, alii autem & potiores ut Andr. Laur. Peramatus l. de hominis procreatione c. 13. & alii abſolvunt menſes ſingulos diebus 30. Et hiſce conſentiunt Lorinus, Pineda aliique ſacræ ſcripturæ interpretes.

Initium parturitionis. DICO 1. menſis ſeptimus initium eſt, quo mulier prolem vitalem parere ſoleat, quamvis id rarius accidat. Probatur primo Authoritate Ariſt. loco citato, ubi ſeptimo inquit menſe primum vitalis exit fœtus ſed infirmior, unde cunabulis ex lana eum involvunt & faſciis alligant. Et paulò poſt, plerique de his inquit ſeptimo natis vivere atque adoleſcere poſſunt. Quod autem ante ſeptimum hunc menſem fœtus non ſit vitalis ſi in lucem edatur, habetur eodem loco, ubi philoſophus ait, fœtum qui maturius quam menſe ſeptimo prodeat, nullo pacto vitalem eſſe: Et hanc differentiam ſequuntur omnes Medici, qui hoc & ratione & experientia confirmant; Nam imprimis docet experientia, omnes partus ſeptimeſtres vitales eſſe, & contrà qui infrà hunc gignuntur; Intellige tamen per ſe, ſi videlicet aliunde non accidat error aut impedimentum: Deinde ratio eſt, quia ubi calor & vis formatrix validior, poteſt Embryo intrà hoc tempus in perfectū hominem formari, animari, coagmentari, perfici & validus in lucem edi, cum idem maturandi tempus eandemque cauſam habeat in utero, quam in arbore fructus, in ſegete ſemē, in vitibus uva &c. Quod autem Pythagorici ad vim & præſtantiā numeri ſeptenarii, Geometri ad proportionem duplam conformationis ad motum usque & triplam motus ad partum, Aſtrologi denique ad ſuos Planetas & varios ſyderum aſpectus recurrant, hæc partim ridicula ſunt partim infirma & exigui roboris, quia proximiores & evidentiores ſunt cauſæ à quibus id efficienter fiat, ut infrà dicetur.

Adverte tamen hic, per illud vitale non intelligi, quaſi proles non ſit vitalis, id eſt, non vivat, quia hoc falſum eſſe teſtatur ratio & experientia, ſed quod aut imperfectæ ſit, aut non diu ſupervivere poſſit, prout idem de octimeſtri dicitur.

DICES, rariſſimè contingere, ut fœtus menſe 7. prodeat naturaliter in lucem, ergò falſum eſt omnem partum ſeptimeſtrem vitalem eſſe. Reſp. ſenſum non eſſe, quod ſemper fœtus poſſit vitaliter gigni menſe 7. ſed quod is, qui hoc menſe naturaliter gignitur, ſemper ſit vitalis, niſi tamen aliunde quid obſtet. Dixi naturaliter, quia poteſt fœtus menſe ſeptimo, quo ordinarium tempus pariendi non erat, à cauſis morboſis adeoq; violenter in lucem edi ſed cum interitu, ut ſæpius fieri experientia teſtatur.

DICO 2. ſicut menſis ſeptimus initium eſt quo fœtus vitaliter in lucem edi ſoleat, ita finis eſt menſis undecimus, vel etiam decimus, communiſſimus autem naturaliſſimus & legitimus nonus. *Finis parturitionis.* Quod menſis terminans ſit undecimus, patet ex Ariſt. cit. ubi ait, mulierem menſe ſeptimo, octavo & nono parere poſſe & quod plurimum, decimo, nonnullos etiam undecimum tangere. An menſis duodecimus admittendus ſit, legi poſſunt IureConſulti, apud quos aliquando menſis decimus, aliquando etiam undecimus pro termino poſitus eſt, ne ſi fortè partus duodecimeſtris gignatur, is hæreditatem injuſtè apprehendat, de quo tamē vide Paulum Zacchiam quæſtionibus ſuis medicolegalibus. Medici qui Ariſtotelem & Hippocratem ſequuntur, undecimum admittunt, & duodecimum non reiiciunt, ne in re valdè dubia, poſſibili tamen quippiam ſiniſtrè ſtatuant. Quod autem menſis nonus ſit communiſſimus & maximè legitimus, communis eſt doctrina Medicorum, qui hoc tempus ita accipiunt, ut menſem decimū non excludant, quia docent, menſem ſeptimum, nonum & decimum eſſe in pariendo efficaciſſimos, eumque fœtum, qui à die decimo menſis noni usque ad eundem diem menſis decimi exierit, eſſe validiſſimum, ſed quinam dies communiter in quovis menſe magis ſunt legitimi, an primi, medii vel ultimi? Reſpondeo &

DICO 3. Quamvis in quolibet menſis die proles legitimè naſci poſſit, prioribus tamen tribus menſibus dies poſteriores ſunt magis communes & legitimi quam priores, & contrà tribus ſequentibus. Eſt rationis, quia cum primi dies in qualibet menſe adhuc ſint annexi velut cum ultimis diebus prioris menſis, non videtur probabile menſem ſeptimum ita accipiendum eſſe, ut qui eo menſe naſcitur, ſtatim primis diebus prodeat, quia videretur quaſi naſci menſe ſexto ejusque fine! Et hoc idem intellige de octavo & nono. Et confirmat hanc doctrinam diviniſſima nativitas Chriſti, quæ norma eſt & regula ſive perfectio omnium nativitatum in humano genere, quæque accidit die ultimo menſis noni ut conſtat ex ſacris litteris & tota fide Catholica: Nam ſi more Calendarii numeremus, in fine menſis noni natus eſt Chriſtus ſalvator noſter, ſi autem aſtronomicè, terminando videl. men-

ſem

ſem diebus 30. die ſexto menſis decimi ut expreſſit Rabanus his verbis; decimo inquit menſe poſt conceptionem nativitas ipſius à Chriſtianis celebratur &c Et hic menſis etiã maximè commendatur ab Hipp. ut ex eod. docet Peramatus cit. c.9.

Quod ſi dicas, Chriſtum à die factæ conformationis manſiſſe in utero B. V. tot diebus quot reliqui homines à tempore conceptionis. à quo usque ad animationem vel formationem ſunt ſeptimanæ 5. vel 6. juxtà Medicos, ergò ſuprà tempus reliquorum mortalium. Reſp. voluiſſe Chriſtum ad modum, normam, & regulam cæterorum mortalium naſci, adeoque compenſare tempus nutritionis & accretionis usque ad parturitionem cũ eo quod à conceptu ad animationem explendum fuerat, ne omnia miraculoſa viderentur: Vel certè Reſp. in conceptione, formatione animatione & partu Chriſti fuiſſe omnia divina, naturalia ſolùm nutritionem, accretionem, & tempus partus ſi non in modo ſaltem in re; vel audiat quisque non medicos ſed Theologos hac in re reſpondentes.

DICO 4. cauſæ, quare bruta animantia ſtatutum pariendi tempus habeant, v.g. capra & ovis menſem quartum ſive quintum, aſina & equus undecimum, Elephas annos duos &c. ſola autem hominum mulier menſes tam diverſos, multæ & variæ aſſignantur cauſæ ab Authoribus. Inter reliquas eſt prima hęc, quia brutis animantibus certis tantum temporibus eſt appetitus ad gignendam prolem, homini autem fermè ſemper ob caloris & humoris abundantiam. 2. quia alia eſt ratio vivendi in pecoribus & animantibus brutis. alia in hominibus. 3. quia homo variis affligitur paſſionibus, non item bruta. 4. quia mulier gravida concubitum crebrum & frequentem admittit, bruta autem nunquam, 5. quia maxima complexionum eſt varietas apud homines, non autem apud bruta animantia, præſertim caloris, qui potiſſima eſt cauſa effectrix fœtus. 6. quod hinc ſequitur, quia diverſis hominum ſeminibus inſunt variæ qualitates & virtutes formatrices, quę jam tardius jam citius formãt & organizant Embryonem, quæ omnia cum aliter ſeſe in brutis habeant, ideò fit quod hæc ſtatis temporibus formentur & gignantur, homo autem diverſis.

Hic tamen Corollarii loco Adverte, non tantum fœminis diverſa eſſe pariẽdi tempora, ſed etiam ita diverſa, ut uno partu plures geſtent & diverſis vicibus pariant proles, quod utrumq; teſtatur quidem experientia, ſed ultimum rarius: Refert enim Lælius Felix Jurisconſultus, ſub Adriano Imper. anno Chriſti 126. Alexandriâ Romam fuiſſe fœminam adductam cum 5. liberis, quorum 4. uno tempore genuerit, & quintum poſt dies 50. & hãc ait ſe in palatio Romano coram ſpectaſſe. Simile refert Matthias Burcklehner Cancellar. nuper Oenipontanus de fœmina Civitat. Rattenbergenſ. ad Oenum, quæ ſuo tempore uno partu ediderit filios duos, & tertium poſt ſeptimanas duodecim.

DIFFICULTAS XV.

An partus octimeſtris vivat & quæ cauſa.

COntroverſia eſt, cur, ſi partus ſeptimeſtris vivat, non etiam octimeſtris vivat ut negant Medici, cum hic diutius intrà matrem detineatur, adeoq; meliori naturæ opera & induſtria perficiatur.

Opinio Ariſtotel. 4. de gen. animal. c. 4. eſt, minus quidam vivere partum octimeſtrem, nihilominus tamen poſſe vivere; Et hoc idem ſcribit 7. de hiſt animal. c. 4. ubi addit, in terra Ægypti vivere & adoleſcere, tum quibusdam aliis in locis ubi meliores fœcundiores ſunt multosq; ſimul proles facilè ferunt & pariunt: Et hoc idem de fœminis Italis ſcribit Plinius l. 7. c. 5.

Opinio Hipp. l. de principiis, de partu octimeſtri aliisq; in locis eſt, nunquam vivere partum octimeſtrem; Et l. de alimento ait, 240. dierum partus eſt & non eſt, id eſt, partus octimeſtris naſcitur quidem ſed nõ eſt vitalis. Hãc Hipp. doctrinam ſequuntur omnes fermè ad unum Medici. Si de cauſa inquiras, prima & principalis eorum eſt, quia videl. menſe ſeptimo proles egredi tentavit ſed fruſtra: Et hanc luctam quia repetit octavo, viribus adhuc infirmior occumbit; Itaq; ejus infelicitas non eſt ex imperfectione organorum & corporis, ſed ex imbecillitate virium & tempore minus opportuno; Et quia non prodit ex natura ſua neque ex temporis efficacia, ideo cenſetur ſimilis diei octavo in morbis acutis. Ariſtoteles 7. de hiſt. animal. c 4. ubi rarò ait partum octimeſtrem vivere, nullã addit cauſam niſi quod dicat fœminas maximè menſe quarto & octavo divexari, & ſi pariant, unà cum prole periclitari. Hoc idem ait l. 4. de gen. animal. c. 4. ubi eum ait partum octimeſtrem minus vitalem eſſe, cauſam quidem huius ſe in ejusdem capitis præcedentibus annuiſſe dicit, ſed toto decurſu ita obſcurus eſt ut non ſatis conſtet quid velit. Alii proportionem quandam ſequuntur, videl. duplam conformationis ad motum, & triplam motus ad partum; Et ideò inquirunt vivit ſeptimeſtris partus, quia die 35. formatur, 70. movetur, & 210. prodit in lucem; ſed ſi die 40. formetur, 80. moveatur & 240. prodeat, ſervatur quidem proportio, ſed partus eſt minimè vitalis. Aſtrologi ſuos Planetas producunt, docentque ſingulis menſibus Planetam aliquem præeſſe, & primo quidem Saturnum, 2, Iovem, 3. Martem &c. & octavo Saturnum redire fœtumque refrigerare & uterum conſtringere, proinde fœtum calore deſtitutum non ſupervivere cum prodit. Sed hanc Aſtrologorum vanitatem tum alii tum imprimis Joannes Picus Mirand. in iis quæ contrà hos fusè ſcribit, præclarè confutat.

DICO, non repugnat, quo minus partus *Partus octimeſtris vitalis eſt.*

octimeſtris ſit vitalis: Ita ſentiunt nonnulli ex Medicis, & inter alios Peramatus l. de hominis procreat. c. 9. Dico non repugnare, ut conſtet opinionem Medicorum non eſſe omninò contemnendam, ſi præſertim verum ſit quod ſupponunt cum ajunt, partum octimeſtrem conatum fuiſſe exire menſe ſeptimo, ſed viribus tum fractum jam minus ſufficere. Probatur primum, tum intendit natura legitimam fœtus excluſionem, cum is perfectus eſt viribusque conſtat, nec aliunde impeditur; ſed hoc fieri poteſt menſe octavo, ergò & illud. Major indubitata eſt & certa etiam Medicis; probatur minor, quia fœtus poteſt perfici menſe ſeptimo, ergò etiam octavo, quia quæ cauſa coquit & perficit prolem intrà ſpatium 7. menſium, poterit etiam id intrà longius efficere, quia deſumitur ratio minoris ad majus vel contrà, adeoque nec menſis ſeptimeſtris unquam vitalis erit, quia cum natura non poſſit fœtum intrà menſes octo perficere, minus eundem intrà ſeptem perficiet: Et hinc probatur ſecundum, quod videlicet illud Medicorum ſuppoſitum ſit valdè periculoſum, quia nulla vel ratio vel experientia id convincit: Nam imprimis ſi proles in utero maturitatem & perfectionem ſuam menſe ſeptimo acceperit, in lucem prodit; ſin minus, remanet, nec eſt ratio cur in uno vel altero egreſſum tentaverit eoque fruſtrato menſem octavum expectaverit: Non primum, quia ſemper proles exit cum perfectè maturuit niſi aliunde quid obſtet, vel certè non erit ratio, cur non idem contingat menſe nono aut decimo ſemperque in alterum usque menſem expectat; Nec ſecundum, quia nunquam proles tentat prodire foras, quando adhuc imperfecta eſt niſi à cauſis violentis & morboſis, quæ etiam opinio eſt omnium Medicorum, ergò nulla convincit ratio, quod unquam proles menſe 7. cupiat naſci ideoque cum hunc finem non conſequitur, jam actu repetito menſis octavi pereat. Similiter nec experientia huius doctrinæ teſtis eſt, quia nullibi inter fœminas aliqua reperitur ſed nec reperiri poteſt, quæ affirmare auſit, menſem ſeptimum fuiſſe verum & legitimum ſibi pariendi tempus, ſed naturam diſtuliſſe hunc actum in menſem usque octavum, quia vel fabula eſt quam oportet inter ignorantes ſpargere, vel certè ſi verum ſit menſe ſeptimo accidiſſe dolores parturientis ſimiles, illos ex flatibus, humoribus bilioſis aliisque cauſis fuiſſe dicendum eſt, prout frequenter toto geſtationis tempore id fieri conſtat.

DICES 1. partus octimeſtris ſemper exit cum interitu, ergò ex aliqua cauſa communi; ſed nulla alia hactenus excogitari potuit præter illam luctam intrà menſis unius ſpatium bis repetitam, ergo. Reſp. majorem & minorem falſas eſſe: Nam imprimis incertum eſt an is menſis octavus ſit, quo proles cum interitu foras prodit, quia quod fœminæ frequenter in numero menſium & dierum aberrent, pulchrè Ariſt. 7. hiſtor. animal. c. 4. id inſinuat, cum ait latere fœminas ſui conceptus initium, quod & ipſæ per experientiam edoctæ fatentur. Deinde ſi ad hanc ipſam appellemus, conſtat multas octimeſtres vivere proles, vel ſaltem tales, quæ ex confeſſione parentum pro octimeſtribus habitæ fuerunt. Adhæc poteſt proles ex aliis cauſis morboſis vel præternaturalibꝰ infeliciter enaſci ſive is menſis ſit ſeptimus, octavus, ſive nonus & decimus. Deniq; ſi verum eſt ſuppoſitum Medicorum, poteſt etiam verum eſſe id quod ex hoc ſuppoſito ſequitur, videl. partus octimeſtris minus vitalis ex lucta prioris menſis; Intellige tamen id aliquando, non ſemper fieri.

DICES 2. Aſtra impedire, quo minus natura fœtum menſe octavo perficiat. Reſp. quicquid aſtra in generando & perficiendo fœtu cooperentur, certum eſt, multa in his ſublunaribus efficere ut alibi dicetur, nunquam tamē eſſe tam potentia, ut cauſas proximas, quæ prolem perficiunt, ad ullum certum tempus determinent, quia operantur hoc juxtà virtutes ſuas ſive nox ſit ſive dies & in quacunq; cæli ſtellarumq; poſitione; Et confirmatur hoc ab igne, qui ligno applicatus illud incendit nō impeditus ab ullis aſtrorum influentiis, ergò etiam calor maternus viventem in utero prolem coquit & perficit, nec permittit ſe ab aſtris ad certum diem vel menſem determinari. Si urgeas, cælos per varias impreſſiones in his inferioribus producere humorem, frigus &c. & ſic impedire, quo minus proles vel menſe octavo perficiatur vel ſeptimo enaſcatur, eſto jam matura ſit; quia reſpondetur imprimis, ſi hoc menſe octavo contingat, multò magis poſſe contingere ſeptimo, proinde argumentum hoc nullum eſt; Nam ſi aſtra poſſunt impedire maturitatem fœtus pro menſe octavo, poterunt etiam pro menſe ſeptimo, & ſi poterunt editionem in hoc retardare poterunt etiam in illo, ubi ex præterita lucta imbecillior adhuc eſt. Deinde eſto prolem quæ menſe ſeptimo ſit matura, non prodire foras propter teneritudinem & imbecillitatem; Hinc tamē non convincitur, intendiſſe egreſſum menſe ſeptimo, & hunc octavo repetendo occubuiſſe, quia ſi menſe octavo pereat, id à cauſis morboſis & præternaturalibus fieri æſtimandum eſt. Deniq; ſi partus octimeſtris propter repetitam luctam nō ſit vitalis, etiam aliquando nonus non erit vitalis, quia videlicet conatus fuit exire menſe octavo & propter eandem cauſam nō potuit, quia utrinq; eadē eſt ratio.

Colligitur, in his omnibus experientiam eſſe fallacem; nec quicquam certi ex ea ſtatui aut affirmari poſſe, optimum verò judicem eſſe rationem, quæ dictat aliquando unum aliquando alterum fieri poſſe.

DIFFICVLTAS XVI.

Quæ ſint cauſæ partus.

DE cauſa efficiente hic ſolum quæſtio eſt, quia reliquæ ſunt hoc in loco ſuperfluæ.

Eſt

Eſt autem communis doctrina Medicorum, aſtra, præſertim ſolem & lunam habere potiſſimam virtutem promovendi partum, quod an & quomodo verum ſit, paucis hic ſtatuendum eſt.

Suppono autem, nunquam viribus naturæ edi partum legitimum niſi cum omnibus numeris perfectus & abſolutus eſt; Et ſi ſecus fiat, aut dicendum eſſe abortum, aut pariendi tempus à violento principio mutari & cum prolis interitu vehementer inflecti.

DICO 1. Verum eſt quod Aſtra & quidem ſol & luna concurrant ad promovendum partum in genere cauſæ efficientis. Eſt omnium tam philoſophorum quam Medicorum communis doctrina, quia cælo indignus eſt, qui neſcit aut negat cælos potenter in hunc mundum noſtrum influere. Nam ut hoc probetur ab inductione, beneficio cælorum vigent elementa, mutuâque actione in ſe tranſmutantur, oriuntur venti & tempeſtates, producuntur nives, pluviæ, calores, frigora, ſiccitates, generantur omnis generis mixta ut metalla, lapides, fiunt rerum productiones & corruptiones, & quod caput eſt, vivit, nutritur creſcitque miniſterio cælorum & aſtrorum homo &c.

Aſtra quomodo ad partum concurrãt.

DICO 2. falſum eſt, quod aſtra & imprimis ſol & luna ad maturandum fætum & partum concurrant in genere cauſæ proximæ & efficientis principaliter. Ratio quia ſunt tantum agentia univerſalia, remota & extrinſeca, quæ per ſuas influentias ad omnes rerum ſublunarium effectus uniformiter difformiter concurrunt, ut dicatur pluribus l. 2. diſp. 13. diffic. 12. & ſeqq. Deinde habemus cauſas præſentes effectui conjunctas & manifeſtas, cui maturationem fætus & partum principaliter aſſcribere poſſimus, ut proxima concluſione patebit, ergo non eſt opus ut recurramus ad remotam univerſalem & occultam.

Cauſa principalis partus

DICO 3. Cauſa principalis partus ſive parturitionis eſt partim anima matris partim prolis, minus autem principalis utriusque virtus expultrix, & inſtrumentalis calor ſpiritusque vitalis. Probatur primo, partus principaliter referri debet in agens vitale, ergo in animam, quia aliud nihil ſupereſt; Antec. patet, quia excluſio partus eſt actio rei viventis, ergo debet referri in principium vitale. Probatur 2. omnes actiones quæ fiunt intrà hominem ſuntque perfectivæ ſive per ſe ſive per accidens, pertinent principaliter ad animam ejusque potentias; ſed tales ſunt concoctio humorum, ſanguinis, ſeminis, excretio ſubſtantiarum inutilium, maturatio prolis ejusque partus, ergò principaliter pertinent ad animam; Dixi tamen actiones perfectivæ, quia quæ ſunt corruptivæ, non habent pro cauſa principali animam ut quæ non intendit ſui interitum, cuiusmodi ſunt corruptio naturalis temperamenti, deſtructio ſanitatis, mors & interitus, quæ omnia pendent principaliter & per ſe ab agentibus morboſis & præternaturalibus, ab anima autem ejusq; potentiis per accidens, quatenus nimirùm hæc ad conſervandam ſe ſuúmq; ſuppoſitum ad omnes hujusmodi actiones concurrit. Dixi autem actiones perfectivæ per ſe vel per accidens, quia quædam ſunt per ſe ut generatio ſanguinis & ſpirituũ, nutritio, accretio &c. quædã per accidẽs ut corruptio cibi in ventriculo ut gignatur chylus & ſanguis, ſecretio & expulſio humorum inutiliũ ut conſervetur ſanitas, &c. Dixi deniq; anima matris & prolis, quia non tantũ mater in partu, ſed etiã filius labores omnesq; nervos intendit, illa quidem ut hoc onere graviſſimo liberetur, hic autem ut aura liberiori fruatur; Et hinc meritò calcitrat, membranas rumpit, matriq; in hac laborioſa actione ſuccurrit quantum poteſt viresq; ſufferunt. Probatur 3. de facultatibus & calore vitali, quia hæc ſunt inſtrumenta, media, diſpoſitiones & virtutes, per quas anima, quæ velut regina & domina totum regit ſuppoſitum, tot tamque multiplices actiones elicit, jam in ore dentibꝰ cibum confringit & imminuit, jam eundem in ventriculo per calorem corrumpit, jam in epate in ſanguinem & in ſingulis partibus in ſubſtantiam corporis convertit, jam in corde ſpiritus vitales gignit, jam eosdem per varios ductus & meatus in univerſum corpus diſtribuit, adeoq; per calorẽ & potentias à ſe emanantes efficit, quicquid ad vitam conſervandam & adminiſtrandam deſideratur. 4. ab eodem principio, à quo fiunt omnis generis excretiones & maturationes in homine eodemque modo prodit fætus uterinus non tam in ordine ad tempus & perfectionem, quam ad ipſam excluſionem; ſed ab anima ejusque facultate expulſiva concurrente calore vitali excernitur in homine quicquid natura moleſtũ eſt, ergo & proles cum maturuit; hæc minor vera eſt & communis apud medicos, quia humorum concoctio, ſeparatio & excretio ſolius eſt facultatis expellentis opus, & non luna aut ſolis aut alterius aſtrorum. Prob. major, quia non eſt alia ratio perficere fætum & ſanguinem ſive humores excrementales, eosdemque cum tempus & natura id exigit, expellere, ergo ſi ſola anima & potentia expultrix concurrente calore efficienter unum poteſt, poteſt & alterum; Nam actio quâ fætus in utero perficitur & excluditur, non ſuperat vim illius quâ ſanguis & ſemen conficitur, qua alimentum in ſubſtantiam deperditam viventis ſubſtituitur, & qua omnis generis excrementorũ fiunt profuſiones, quia ſunt ejusdem principii vitalis, animæ ſcil. nec differunt inter ſe niſi ratione termini &c. Quæ cæterùm plura in hac materia dici poſſint, vide Medicos, quibus etiam vix aliquando magna ſufficiunt volumina, dum minutiſſima cum tædio longius proſequuntur, iisq; multa otioſa, ſuperflua aut etiam nonnunquam ſuperſtitioſa aſtrorumque arcana immiſcent,

Pro Corollario QVÆRES.

An, ut mater prægnans à periculoſo decubitu convaleſcat, abortus ſit provocandus.

SOlent hic Aſtantes, dum fæmina uterum ferens febre acuta vel alio quovis morbo periculosè decumbit, ſollicitare Medicum, ut ſi aliter fieri non poſſit, fætum ab utero pro ſalute matris expellat; ſed & Medicorum aliquando idem eſſe ſolet judicium, dum pro matre ſola, non amplius habita ratione prolis laborant. Iam difficultas primo eſt, an dentur affectus, in quibus ad ſalvandam matrem liceat provocare fætũ. 2. an poſſit mater in morbo aliquo acuto per factum abortũ facilius convaleſcere & ſalvari, 3. an licitum ſit matre adhuc vivente cæſariem inſtituere ut ſalvetur fætus.

Adverte ex dictis, non quemcunque matris affectum redundare in prolem, ſed eum, qui peculiarem habet conſenſum cum utero vel ob communionem vaſorum, vel cum prole ob motum & alterationem ſanguinis, humorum & ſpirituum vitalium.

Suppono, abortum ſemper haberi pro morbo ſive formaliter ſive cauſaliter, quia fit violenter & cum labore matris. Iam Reſpondeo &

DICO primo, dantur affectus & morbi, in quibus non tam mater quam fætus de vita periclitatur. Probatio ſumitur à natura morborum & quotidiana experientia, quâ eâdem conſtat, aliquando matrem ſalvâ prole & contrà prolem ſalvâ matre ſuccumbere.

non licet provocare abortum. DICO 2. nullus datur in ſexu fæmineo affectus, in quo ad ſalvandam matrem licitum ſit provocare abortum, potiſſimum ſi fætus ſit vitalis. Ita ſentiunt Theologi orthodoxi, ne videlicet anima perdatur, cujus interitus longè ſuperat, quicquid matri adverſi accidere poteſt; & ratio eſt quia incerti ſumus, an mater ex præſenti ægritudine & abortu evadat: Nam & prædictiones in morbis acutis incertæ ſunt, & mater quæ abortum patitur, vehementer & novo quaſi morbo affligitur, ſi tamen abortus tam facilè provocari poſſit; Nam hic aliquando vix à violentiſſimis medicinis, idque pro ratione diſpoſitionum matris, uteri & fætus expellitur; & hinc reſp. &

DICO 2. plerunque periculoſius accidit matri, ſi in morbis acutis abortum patiatur; Ratio, quia grave hoc malum eſt, quod ſubinde vires magis quam morbus abſumit. Dixi tamen plerunque, quia ſæpè fætus difficultatem facit, facilè expellitur, & non tam morbum quam ſymptomata ex præſenti vitio & diſpoſitione uteri ſuſtentat & ſumminiſtrat; Et hinc concluſio intelligenda eſt de morbis, qui non ab utero & fætu in eſſe fieri & conſervari dependent, ſed qui aliunde ſuboriuntur & utrique conſentiunt. *abortu mulier affligitur.*

DICO 3. nec cæſaries temerè facienda eſt matre adhuc vivente; Ratio, quia per nullam cauſam licet vel provocare vel ſaltem accelerare mortem matris; Et ſi Dicas præſtat ſalvare animam prolis, quam aliquot minutis ſervare matrem; quia reſp. 1. incertum eſſe matris interitum. 2. non licere facere malum ut ſequatur bonum. 3. etiam ſervari poſſe prolem matre jam extinctâ, dummodo facienda citò & tutò fiant. *matre vivente non quam facienda eſt Cæſarea.*

Colligitur, non eſſe ſemper in poteſtate Medici aut ſervare matrem periculosè ægrotantem, aut prolem, aut utramque, aut dum vult, provocare abortum; Colligitur etiam, ſæpè melius accidere matri, ſi abortum patiatur, ſi præſertim fætus ſit vitioſus aut morboſus, omniaque inde emergant ſymptomata; nunquam tamen temerè provocandum, dum eſt vitalis, ſed dum fieri poteſt, confortandum & conſervandum.

DISPUTATIO DECIMA-NONA.

De partibus animatis in homine oriente.

TAndem ſiſtitur puſio in aura liberiori, extrà videlicet uterum & nonimeſtrem carcerem, à quo liber & emancipatus reſpirare, motu cordis, arteriarum, pulmonis & thoracis uti, ſenſus externos in objecta dirigere, omnibusque membris & partibus abſolutiſſimus eſſe incipit; Et hinc ſecundum jam veniunt partes, nõ tamen illæ, quæ nuper eũ corpore organico; erant n. illæ Embryonis & corporis, quod umbrã hominis exhibebat, à materia ſementiva ad inhoſpitandam proximè animam rationalem diſpoſitæ: Hæ autem non ſunt mixti inanimati, ſed inter viventia abſolutiſſimi hominis, quẽ anima inter ſublunaris mundi formas excellentiſſima nõ ita pridẽ nobilitavit & inter

ani-

Google

animantia ſublimem extulit: Et ſunt quidem eædem quæ prius in corpore organico, ſed pulchriori ornatu ac veſtitu condecoratæ, ſed majori ſerenitatis nitore circumamictæ, quia fulgentis & è throno altiſſimi deſcendentis animæ radio ſcitiſſimè & ſapientiſſimè informantur: Accedunt inſuper & aliæ ex ſanguine tanquam principio materno, quæ nutritione priotibus adgenerantur, & ubique decorem, blandimentum, ornatum, formamque hominis imprimunt, faciuntque tandem, ut qui prius ſimulachrum fuerat, jam perfectiſſimus cognoſcatur & in ſimilitudinem divinæ Majeſtatis enaſcatur. De his itaque omnibus & ſingulis partibus, quæ hominis ſiunt perfecti ac abſoluti agetur hac diſputatione breviter, ut non minus conſtet, quibus partibus conſletur totum, quam quale totum faciant ipſæ partes; ſit itaque

DIFFICVLTAS I.

Quæ ſint partes ſimilares ſive homogeneæ animatæ in homine oriente.

DE partibus ſeminalibus ſive ſpermaticis & homogeneis quæ extant in corpore organico ad vitam & animam ptoximè diſpoſito, actum eſt diſputatione 4. huius libri: Iam denuò, poſtquam idem corpus anima informatum, alimento nutritum & augmentatum, omnibusque numeris intrà materna viſcera abſolutum in lucem ea forma & iis membris prodiit, quæ totum decent hominem ejusque naturali compoſitioni debentur, quæritur quæ ita ſint partes corporis animati, hominis ſcilicet perfecti, abſoluti. Et patet quidem ex dictis, partes corporis organici eſſe venas, nervos, arterias, vincula ſeu ligamenta, tendines, fibras, membranas ſive tunicas, cartilaginem, oſſa & cutem, & ex iis conſerui compagem illam perfectiſſimæ qualitatum harmonia & partium inter ſe ſummâ proportione conſtantem, quæ ſit proximè futurum nobiliſſimæ formæ, animæ ſcilicet rationalis in homine domicilium, vel ſenſitivæ in bruto: An vero ſint eædem in novo hoc compoſito, vel an cum anima novæ acceſſerint, quæ hoc corpus à priori diſtinctum faciant & quænam, controvertitur. De his autem breviter

DICO 1. in corpore vivente animalis ſive hominis ſunt eædem omninò partes homogeneæ quæ prius fuerunt in organico animato. Ratio, quia eſt eadem partium compages, idemque corpus organicum, quod prius erat, nec ab ullo agente naturali facta eſt aliqua in partibus mutatio, detractio ſive additio, ſed ſolùm per infuſionem animæ rationalis cteatæ acceſſio, ergo eædem ſunt partes homogeneæ ante & poſt animationem.

DICES, hoc corpus differt ſpecie ab organico, ergò etiam ipſæ partes, ergò in corpore animato non erunt eædem partes, quæ prius fuerant in inanimato. *Reſp.* quando dicitur easdem partes manere in corpore jam animato, quæ prius fuerant in organico, intelligendum eſt, manere easdem quoad materiam, vel quoad formas partiales etſi mutentur quo ad formam ſubſtantialem totius compoſiti; unde corpus hominis viventis differt tantum formaliter à priori Embryone, non materialiter, quo modo loquimur de partibus.

DICO 2. præter partes homogeneas, quæ utrique corpori communes ſunt, reperitur in vivente ſola caro, tum adeps ſeu pinguedo, quæ utraque partim per veram adgenerationem ex ſanguine materno ſpermaticis partibus accrevit, partim ex humido pingui per ſimplicem actionem acceſſit; prior enim eſt actio vitalis, non item hæc poſterior, ut infrà patebit; per carnem autem intelligitur caro ſimplex, muſculorum & viſcerum. Hæc concluſio conſtat experientia, quæ docet imprimis ſola carne & pinguedine veſtiri & foveri corpora animalium; deinde ſi utramque à corpore ademeris, nihil tibi præter mortis imaginem & umbram reſtare, nihilq; præter partes ſpermaticas, ſeu corpus oſſibus & cute compactum remanere. Quod ſanguis & humores ſint in corpore heterogeneo & vivente, hinc manifeſtum eſt, quia pertinent ad integritatem hominis, adeò ut ſine illis naturaliter nec vivere nec exiſtere poſſit, imò ſine quo nec filius DEI intrà Beatiſſimæ Matris viſcera vixit, nec in SS. Myſterio Euchariſtiæ exiſtit; hæ tamen non ſunt vitales, ut infrà dicatur. *Per carnem quid intelligatur.*

DIFFICVLTAS II.

Quid ſit Caro & Adeps.

DE ſanguine & humoribus ſufficienter actum eſt in prioribus: reſtat hic caro & pinguedo, de quibus

DICO primo, caro eſt pars ſimilaris, mollis & rubicũda ex ſanguine mediocriter reſiccato genita: Ita pleriq; Medici & Plembius de fundam. medicis l. 2. c. 3. Dividi ſolet ab Authorib. ut alia ptoprie dicatur caro jam definita & deſcripta, quæ aliàs etiam muſculoſa dicitur & lacertoſa; alia viſcerum, ut cordis, epatis, renum, lienis, pulmonumque ſubſtantia propria; alia quæ peculiare nomen non habet, niſi quod ſit propria cuivis parti, à Gal. lib. 10. m. m. c. ult. dicitur ſubſtantia carnoſa ſubinde, & *Caro quid & quotuplex.*

talis eſt in ventriculo, veſica, inteſtinis, utero &c. conſpicua; glandulosa denique alia, quæ glandulas conſtituit, eſtque rara, mollis & ſpongioſa, cum in finem facta, ut vaſorum diviſiones firmet, humores ſuperfluos ebibat, parteſque nonnullas humectet. Cæterùm uſus multiplex eſt, & quidem alius carnis muſculoſæ, alius viſcerum, alius reliquarum corporis partium. Muſculoſæ eſt, ut ſit inſtrumentum tactus juxtà Ariſtotelem lib. 2. de partibus c. 8. & ut muſculorum villos infaſciens ita eos contineat, ne motu, quod facilè fieri poteſt, contundantur & rumpantur, quando ſcil. tenuiſſima quaſi fila ſine ullo firmamento aut propugnaculo in omne corpus diſtributa movent oſſa maiora, tum ut inanitates repleat, ornatumque addat, & perfectionem univerſo corpori, tum denique ut partes cæteras, maximè muſculorum villos à frigore, percuſſionibus & quibuſcunque injuriis externis tueatur, caloremque & humorem foveat; eſt enim ut ait Gal. lib. 12. de uſu partium c. 3. cadenti animali aut procumbenti caro ſubſternaculum molle, cum cæditur operimentum, cum vulneratur propugnaculum, & ut verbo dicam, omnibus injuriis oppoſita. Ariſtoteles tantum carni tribuit loco citato, ut reliquas omnes partes ad eam unam conſervandam fuiſſe inſtitutas crediderit; Et quidem imprimis oſſa & nervos, ut ſua duritie tuerentur eam, nimiumque humorem ſiccitate temperarent; deinde cutem & membranas, ut continerent, & nutrirent, & ſic deniq; reliquarum pro ſuis viribus unamquamque.

Vſus carnis.

DICO 2. Adeps deſcribitur, quod ſit pars corporis ſimilaris inanimata, albida, liquabilis, ex oleoſa ſanguinis portione in pluribus partibus corporis per calorem moderatum genita. Quod ſit pars ſimilaris, ad ſenſum patet, niſi quod habeat minutiſſimas interjacentes fibras, quibus adfirmaretur partibus. Quod animâ careat, patebit infrà. Quod fiat ex aërea & pingui ſanguinis portione, oſtendit ipſa ejus natura, quæ oleoſa eſt & liquabilis, ſicut eſt omnis pinguedo. Quod denique fiat à calore moderato, quæ eſt apud Medicorum nonnullos gravis diſputatio, hinc deducitur, quia calor nimius planè liquefacit & conſumit, quemadmodum patet in complexionibus valdè calidis, in quibus vel nulla reperitur pinguedo vel certè exigua, calor autem defectuoſus jam ineptus eſt ad huiusmodi ſubſtantiam generandam; unde patet quod ab eadem cauſa fiat, à qua ſanguis & humores, licet in alium finem. Quare autem plerumque mulieres & ſpadones ſint pinguiores, cum tamen videantur eſſe naturæ frigidioris, tum quare quidam homines tam facilè pingueſcát, quicquid etiam fecerint; cauſa primò eſt, quia mulieris & ſpadonea habent calorem & ſpiritus moderatos neque diffluunt ita venere, quod maximè de ſpadonibus & caſtratis verum eſt, apud quos cum fervor & titillatio ex defectu materiæ ſeminalis ceſſet, minus conſumuntur. 2. quia præter temperatum calorem & humidum pingue aëreum habent quidam optimam partium connexionem & conformationem, vaſorum amplitudinem, juſtam calidi nativi diſtributionem, bonam ſanguinis decoctionem &c.

Adeps quid

Spadones & fæminæ quare pingueſcant.

Cæterùm inter ſevum & adipem hæc eſt differentia, quod ſevum reperiatur in cornigeris animantibus, fiatque à ſanguine craſſo, corpulento & terreno; adeps autem in animalibus utrinque dentatis & non cornigeris à ſanguine tenuiori, calidiori magiſque aëreo & decocto, unde etiam ſevum quod in fine carnis reperitur, fragile eſt & terreum, concreſcitque cum refrixit, adeps verò qui inter cutem carnemque ſolet conſiſtere, liquidus, minuſque durari aptus; vide Ariſtotelem l. 3. de hiſtor. animal. c. 17. 2. de partibus animalium c. 5. & 3. ejuſdem operis c. 9. Ubi inter cætera eſt videre à quo principio ſit pinguedo, à ſanguine ſcil. ſubtili & aëreo in animalibus utrinque dentatis, à craſſo autem in cornigeris &c.

Sevum & adeps quomodo differant.

DIFFICULTAS III.

Quæ tam in genere quam in ſpecie ſint partes heterogeneæ.

HOmo cum ſit animal mente & ratione conſtans, hoc eſt, diviniſſima & inter cætera ſublunaria principe forma præditum, quæ univerſas cæterorum viventium & animantium vires contineat; ſic etiam optimum & conſtructiſſimum corpus, præclaraq; conditione genitum à ſummo obtinuit Deo membrorumque omnium formatione pulcherrimum. Equidem debet inter cætera præ cunctorum animalium corporibus hæc 4. primò, quod ſit celſus & erectus, quaſi in cælum ſeſe attollens, prona cum ſpectent animalia cætera terram: Ortus enim eſt homo, ut omnibus dominaretur, mundum contemplaretur & miraretur, cælumque intuens Deum Conditorem ſuum agnoſceret. 2. quod habeat optimam totius corporis contemperationem & plurimum calorem, unde & optimus corporis habitus, & perfectiſſimæ etiam operationes conſequuntur. 3. quod ampliſſimum capaciſſimiſque meatibus ac partibus accuratiſſimè diſtinctum ei ſit cerebrum, quod meritò inter præcipua membra numeratur, quia inde omnis ſenſus & motus propter nervos & animalem ſpiritum pendet plurimùm ex ſenſu autem mens & ratio. 4. denique quod artus omnes majori multo artificio diſtinctos & conformatos, manus præſertim & digitos ad ea omnia exequenda, quæcunque mens juſſerit, nactus ſit; cætera ferè cum beſtiis ſunt communia aut non magnoperè diverſa, ut proinde qui de humano corpore dicit, de omnibus quodammodo dixerit: Iam

DICO

Digitized by Google

Partes heterogeneæ. DICO primò, Partes heterogeneæ in corpore jam animato & in lucem edito ſunt eædem & non plures quam in corpore organico ante infuſionem animæ, ſi tamen carnem, & & ſi quæ ſunt aliæ vitâ carentes, exceperis. Ratio, quia idem corpus, quod ante acceſſum animæ formatum &c. in utero matris, habet homo & retinet dum vivit, ergò etiam habebit eaſdem partes tam homogeneas quam heterogeneas. Nec tranſmutatæ ſunt partium & organorum diſpoſitiones, aut acceſſit quicquam præter formam informantem ejuſque vitales operationes, quarum prima &c. concoctio alimenti, tum nutritio, accretio &c. & his ipſis ſuperaddita eſt carnis ſubſtantia, quæ licet ex ſe ſimplex ſit & homogenea, multiplicem tamen ex fibris, venulis, arteriolis & nervis texturam habet, unde etiam partis organicæ & diſſimilaris rationem obtinet. Sanguis, adeps & humores huc non pertinent, quia ſunt extrà numerum viventium, ut infrà patebit. Cæterum conſtat diverſas eſſe apud diverſos hujuſmodi partium diviſiones: ſic quidam dividunt ab officio vel à ſuis actionibus in animales, naturales, vitales & genitales, ut Plembius de fund. med. l. 2. c. 6. Alii in eas, quæ ſunt capitis, thoracis, ventris & artuum; Alii in caput, thoracem, ventrem ſuperiorem & inferiorem, tum artus exteriores: Alii denique faciunt diviſionem in faciem, tempora, verticem, pectus, humores ſive dorſum, nates, manus, brachia & pedes. Sed his miſſis

Partes heterogeneæ. DICO 2. Partes heterogeneæ vel ſunt internæ vel externæ in humano corpore. Internæ ſunt omnia viſcera aliaque membra, ut cerebrum & ſpinalis medulla, lingua & palatum, guttur, aſpera arteria, pulmones, organa ſenſuum externorum intus recondita, cor, diaphragma, muſculi quam plurimi, œſophagus, ventriculus, inteſtina, omentum, epar, veſicula fellis, lien, renes, veſica urinaria, ureterus, glandulæ, teſtes &c. Externæ autem oculi, naſus, aures, frons, tempora, cilia & ſupercilia, pericranium, labia, genæ, mandibulæ, mentum, os, gingivæ, dentes, collum, humeri, vertebræ, ſpina dorſi, pectus, brachia, manus, digiti, muſculi externi, latera & coſtæ, dorſum, mamillæ, umbilicus, fæmora, nates, genua, crura ſive tibiæ, pedes, digiti pedum & aliæ plures, de quibus fusè partim Anatomici, partim alii tam Philoſophi quam Medici, qui harum omnium partium naturam penitius deſcripſerunt, ut Dandinus inſignis Philoſophus l. 4. de partibus heterogeneis, Zanardus item Philoſophus lib. 4. de partibus corporis, Plembius de fund. medic. l. 2. &c.

DIFFICULTAS IV.

An anima omnes partes corporis informet, an unam tantum.

VAriæ fuerunt olim veterum circà propoſitam quæſtionem opiniones dum quidam in capite ſolum conſtituerunt animam, alii in epate, alii in corde, alii in pectore &c. Imò & Ariſtoteles animam in corde poſuit, ut videre &c. lib. de motu animalium 3. de part. c. 4. aliiſque in locis, intellige principaliter, ne tanto viro injuriam facias.

DICO, Anima non informat unam tantum partem corporis, ſed omnes inter ſe continuas, quæque aliquam operationem vitalem exercent, proindeque ſi eſt hominis, tota totum corpus & quamlibet partem illius, ſi verò bruti, non tota partem, ſed pars partem & tota totum informat, ut eſt ſententia eorum, qui omnes animas exceptâ rationali diviſibiles faciunt. Probatur primò, anima eſt actus corporis organici; ſed corpus organicum conſtat omnibus partibus continuis inter ſe & vitalem operationem exercentibus, ergo ſi informat corpus organicum, informabit etiam partes utraſque, id eſt, tam homogeneas quam heterogeneas, quæ ex iis conſtant. 2. omnes partes corporis, exceptis aliquibus, de quibus infra, exercent aliquam operationem vitalem, ergo informantur ab anima, quia non eſt aliud principium vitæ & operationum ſive informationis; antecedens patet, quia omnes augentur, nutriuntur.

DICES primò, Anima debet eſſe actus corporis organici, ſed ſi informat carnem, oſſa &c etiam informat ea, quæ non ſunt organa. Reſp. non eſſe neceſſarium, ut actus corporis organici tantum informet organa; ſed tantum requiritur, ut ſubjectum illius adæquatum ſit organicum, quamvis caro, oſſa & ſimilia etiam poſſint dici organa, quatenus nimirum ſunt partes aliquo officio in corpore fungentes.

DICES 2. Experientia docet, in animalibus ablatâ aliquâ parte non extingui totum, ut ſi alicui abſcindatur brachium, aut arbori ramus; Contrà verò, ſi certæ partes abſcindantur, ſtatim interire totum, quod ſignum eſt, animam non eſſe æquè in omnibus partibus, ſed in una principaliter, in aliis virtute tantum. Reſp. alias partes eſſe principales, à quibus reliquæ aliquem influxum habeant, alias minus principales; His ſublatis non perit animal, ſed iis tantum, quia ceſſat neceſſarius in reliquas ad vitam influxus.

DICES 3. Non omnes partes animati incipere ſimul vivere, ſed deſumere hoc ab aliqua certa & determinata, neque omnes ſimul interire, ſed unam reliquis emortuis manere ſuperſtitem; ergo. Reſp, Quicquid ſit de

antecedente, negatur conſequentia; quod autem una mortua vivat alia, id ita intelligendum eſt, quod aliquæ partes aliis citius ſenſum amittant, eò quod remoriores ſinr à fonte caloris, qni eſt cor, vel certè quod aliquid impediat ſpiritus eò comeare ſolitos. Quod ſi quandoque contingat eas non nuttiri, id fieri poteſt, quod ab anima ob aliquam indiſpoſitionem teveta derelictæ ſint, idque ſine detrimento aliorum membrotum, cum non ſint principales, quæ in alias influant.

DIFFICVLTAS V.

An anima poſſit informare corpus ſimplex,

Corpora quadruplicia.

NOta, 4. eſſe ſpecies corpotum naturalium: Nam primò quædam ſunt omninò ſimplicia habentia in omnibus ſuis partibus eandem naruram & eaſdem qualitates. 2. quædam dici quidem poſſunt corpota naturalia ſimplicia, non tamen ita ſimplicia, quin in diverſis partibus diverſas habeant proprietates & accidentia. 3. dantur corpota, quæ ſunt mixta & tamen homogeues ſecundum omnes pattes. 4. ſunt corpora mixta ſed heterogenea, quæ conſtant plutibus pattibus homogeneis, vel immediatè, vel mediantibus aliis partibus heterogeneis. In primo genere ſunt 4. elementa ſecundum ſuam naturam, quia ſi alicubi varientut, pet accidens eſt. In ſecundo genere eſt cælum, quia in ipſo ſunt partes quædam denſiotes & lucidiores, & illæ ex multorum opinione diverſas etiam habent qualitates. In 3. genere ſunt lapides & metalla, ſanguis item, humores, vena, atteria, os, nervus &c. In quatto deniqne corpora & membra animalium. Quæſtio igitur eſt, an hæc 4. corporum genera poſſint animari nec ne. Nam Platonici exiſtimarunt viram elementis convenire, quam alii in cælis quoque defendunt, adeoque eriam Catdanus in metallis & lapidibus.

Suppono animam nec ſimul nec ſucceſſivè poſſe infotmare plura cotpora totalia, id eſt, quæ conſtant partibus principalibus, ur corde, epate, cerebro, ventriculo &c. Jam

Corpora ſimplicia non poſſunt animari.

DICO. Corpora ſimplicia homogenea, ut ſunt cælum & elementa non poſſunt ut ſic animari. Ptobatur, vel enim informarentur anima tationali, vel ſenſitiva, vel vegetativa: ſed horum nihil fieri potcſt, ergo. Major patet ex diviſione animarum: Minor probarur primò de anima rationali; aut enim animatur cotpus ſimplex anima rationali, nt eſt tantum intellectiva, vel ut eſt intellectiva cum dependẽtia à phantaſmate: ſi hoc modo, cum non eſt rationalis tantum ſed & ſenſitiva: ſi illo, jam in ſuo eſſe non dicit ordinem ad cotpus, & conſequenrer non erit forma cotporis, nec ipſa cotpora erunt animata. Probatur ſecundò de ſenſitiva diſcurtendo per omnes ſenſationes, quas conſtat ſemper fieri per aliqua organa, quæ ſunt mixta. Et conſtat omnem ſenſationem præſupponere tactum, qui non poteſt eſſe in corpore ſimplici, cum conſiſtat in qnadam temperie, adeò nt ſi contingat nimius exceſſus in aliqua patte vel parum vel omnino non ſenriat; unde & manus frigens aut nimis calida manet inſenſilis, & animalia bruta, quia tantam temperiem non habent quantam homo, minus pollent tali ſenſu. Probatur 3. de vegetariva, quia quod intrinſecus non ſuſcipit alimentum, non poteſt intrinſecè & ſecundum omnes partes nutriti; ſeu quod diverſas partes non habet, non poteſt attrahere alimentum, & tranſmittete ad alias partes, tantum abeſt ur puſſit nutriri. Deinde ſi corpora ſimplicia homogenea intrinſecus ſuſciperent alimentum, haberent poros, qui vel eſſent pleni vel vacui; ſi pleni, unum corpus ſimplex eſſet intra aliud; ſi vacui, daretur vacuum naturaliter: Adde quod requirit alimentum, idem ex ſe conſumitur, & ſi non conſumatut, non tequirit alimentum, ſed quod omnino ſimplex eſt, habetque partes ſimiles, non poteſt ex ſe conſumi, ſed ita ſe potius habet, ut nna pars ipſius conſervet aliam, quia conſumptio fit, quando una pats habet vim alterandi cibum, aut aliquam rationem dimovendi à ſtatu ſuo; ubi autem partes ſunt ſimiles, non dantur actio & teactio.

DIFFICVLTAS VI.

An anima poſſit informare corpus mixtum homogeneum.

SUppono, animam non poſſe infotmare corpus diſcretum, ut habetur ex 2. de partibus c.9. ubi Ariſtoteles docet, omnes partes animalium eſſe contrinuas: Et ratio eſt, quia ex omnibus pattibus debet fieri unum cotpus numero; deinde ſingulæ debent nutriri partes, ergò debet nna ex alia poſſe nutrimentum attrahere, quod non fieret ſi non eſſent partes continuæ. Neque dices, carnem eſſe ab oſſibus ſejunctam, quia minimum continuatur cum iis mediantibus aliis partibus, qnod ſufficit, ut alibi patet. Jam.

Corpus homogeneum non poteſt animari.

DICO primò, nullum corpus mixtum homogeneum poteſt eſſe ſubjectum animæ, ut ſunt lapides, metalla, terræ aliaque mineralia. Probatur primò ex dictis prioris difficultatis. 2. Quia in hujuſmodi corporibus non poſſunt exercert operationes ullius animæ, ergò. Probatur antecedens, non enim animæ vegerarivæ, quia non poſſunr nutriti lapides & metalla, nec augeri, ut conſtat ex iis, quæ de vera nutritione & accretione dicta ſunt. 2. nec poſſunt in lapidibus & metallis exerceri operationes animæ ſenſitivæ, qnia nulla ſunt organa, aut partium diverſæ diſpoſitio-

ſitiones, quæ ad tales actiones requiruntur, & quales in viventibus eorumque ſenſibus videmus, multò minus ſunt 3. in hiſce corporibus homogeneis operationes animæ rationalis, ut probat optimè argumentum, quod ſupra cælis negabat informationem animæ intellectivæ. Quod ſi ex Card. lib. 5. de ſubtil.

Lapides & metalla nõ vivunt. DICAS, Lapides & metalla cæteraque mixta homogenea primo augeri, nutriri & vivere. 2. Habere radices, venas, frondes. 3. Seneſcere, ut videre eſt apud eundem Card. l. 7. p. 288. ubi ut ioam loquit, non eſſet vita lapidibus, quia nihil prohiberet ſculpere & ex multis ſmaragdis in terra ſepultis magnam gemmam poſſe produci. Reſp. Rideri vehementer Cardanum, & quidem meritò à Scalig. exercit 21. numero 8. Non enim primo eſt illa vera nutritio & augmentatio, cum fiat per juxtapoſitionem, aut per extrinſecam adgenerationem, unde etiam non omneid, quod quovis modo nutritur & augetur vivit. 2. non ſunt illæ venæ & rami veri aut tales per quas intus ſuſcipiatur alimentum, quemadmodum fieri videmus in animalibus, ſed ſunt partes impuriores minuſque craſſæ ac ſolidæ, quæ in prima vaporis aut halitus condenſatione, id eſt, in lapidis metallique productione in hunc modum coagmentatæ ſunt, remanentque etiamnum cum hujuſmodi corporum duratione: Vnde patet ſi tractus quidam & meatus ſimiles in ſmaragdo aliiſque lapidibus reperiantur, id eorum imperfectioni & ignobilitati referendum eſſe, quia ſpectat ad quandam terreſtrietatem cum reliquo corpore pejus commixtam. Vnde Dand. l. 2. de anima. 3. parte digreſſ. 8. 3. non eſt ſeneĉtus illa, quæ conſpicitur in lapidibus & metallis, ſed eſt quædam alteratio & mutatio, qualis ſolet eſſe in omnibus rebus mixtis inanimatis, & oſtendere, ea etiam tandem eſſe corruptibilia.

DICO 2. Nullum etiam corpus homogeneum, ut eſt vena, os, nervus, in humano corpore, poteſt eſſe ſubjectum adæquatum ipſius animæ, poteſt tamen eſſe partiale & inadæquatum, quatenus conjunctum cum partibus diverſis conſtituit unum corpus totum: poſterior pars probatur, quia multæ ſunt partes animatæ homogeneæ in homine, quas videmus eſſe animatas, ut venæ, oſſa, nervi &c. imò heterogeneæ, quæ nihil aliud ſunt quam multæ homogeneæ unitæ. Probatur pars prior inductione, quia videmus nullum corpus homogeneum eſſe ſubjectum animæ, quia nullam operationem exercet anima abſque pluribus ac diverſis organis, ut conſtat; tales verò haberi non poſſunt in corpore homogeneo.

DICO 3. Ex his quoque ſequitur, quod nec ſola caro conſtituat per ſe ſubjectum animæ ſentientis, ſeu corpus animatum, ita ut animal nihil ſit aliud quam ſola caro animata, & reliquæ partes ſint propter carnem. Prob. primò ſola caro eſt tantum pars homogena, ergò, 2. multæ partes ſunt magis in corpore neceſſariæ quàm caro, ut eſt cor, epar, cerebrum, 3. animam ſentientem ex ſenſu colligimus; ſed in animali nervi magis ſentiunt quàm caro ut patet experientia, ergò. 4. ſequeretur animam non eſſe actum corporis organici. 5. anima unitur corpori propter operationem; ſed in corpore homogeneo non poſſunt exerceri operationes animæ, ergò; minor conſtat inductione operationum, quia nutritio non poteſt exerceri, cum debeat habere inſtrumenta quæ non poſſunt inter ſe eſſe homogenea &c.

DICES, Anima rationalis eſt tota in qualibet parte corporis, ergo tota etiam in carne; ergo totaliter poteſt informare carnem. Reſp. negando conſequentiam, quia etſi tota ſit in carne, non eſt tamen totaliter & adæquatè; ita enim tota eſt in carne, ut etiam tota ſit in aliis partibus, totaliter autem & adæquatè in omnibus ſimul ſumptis.

DIFFICVLTAS VII.

Quale tandem corpus poſſit animari.

Difficultas eſt, an corpus heterogeneum ſit adæquatum animæ ſubjectum, ita ut omne ejuſmodi corpus poſſit animari.

DICO primò, Non ſatis eſt, ut corpus, quod animari debet, ſit heterogeneum. Ratio eſt, ad hoc ut corpus aliquod informetur animâ, neceſſarium eſt partes ejus ita diſponi inter ſe, ut una ſerviat alteri, & ſit vel inſtrumentum alterius, quo pacto manus inſervit reliquis partibus, & reliquæ partes animæ; Deinde omnes partes debent inſervire principali alicui actui, & reſpicere finem illius; ſed nec omnia corpora heterogenea habent hæc duo, ergò non poſſunt animari. Nam propterea in cadavere licet reperiantur partes heterogeneæ, tamen non eſt corpus quod animari poſſit, quia neque una pars inſervit alteri, neque omnes inſerviunt uni principali actui; & confirmatur ex Ariſtotele, qui idcò dicit manum in cadavere æquivocè eſſe manum 1. de part. animal, c, 1. quod etiam dici poteſt de reliquis omnibus membris cadaveris ejuſdem, licet ſint diverſa & heterogenea, ergò aliud requiritur ad corpus quod animari debet, quam ut tantum ſit heterogeneum. *Quale corpus poſſit animari.*

DICO 2. Nec omne corpus heterogeneum inſtrumentale eſt ejuſmodi ut animari poſſit. Probatur, multa heterogenea ita ſunt conſtituta, ut in aliis una pars ſerviat alteri, & omnes alicui ultimo actui, & tamen non ſunt talia, ut poſſint animari, ſicut patet in horologiis, ſtatuis &c.

DICO 3. Corpus quod aptum eſt ut animetur, debet eſſe organicum naturale: patet ex dictis; ita autem accipiendum eſt illud (organicum) prout ſignificat corpus, quod organa habet diverſis tantum qualitatibus & diſpoſitionibus neceſſariis ad animæ informationem affecta. *Quale corpus heterogeneũ poſſit animari.*

Colli-

Colligitur unam animam non poſſe informare corpus monſtroſum, iu quo partes principales, ut caput & cor, ſint duplicatæ, Ratio, quia licet hoc corpus ſibi undique videatur eſſe continuum, habet tamen partes præcipuas, à quibus vita dependet, ſeparatas & ſejunctas à toto. Nam hoc habet Ariſtoteles l. 4. de gener. animal. c. 4. ubi tradit regulam, quâ poſſimus cogoolcere, qnando ſit auimal unum, nimirom quando principalia membra noo ſunt geminata, quia ab uno membro principali debent omnia corporis membra gubernari per caloris nativi influxum.

Vnde conſtet, corpus informari ab una anima.

DIFFICULTAS VIII.

An Anima ſit in Sanguine.

NOta, Sanguinem pertinere ad integritatem & veritatem corporis vivi & perfecti animalis, ita ut ſine illo homo debita careat integritate, ut eſt communis & Philoſophorum & Medicorum exceptis nõnullis opinio. Et colligitur hoc ex Concilio Tridentino Seſſ. 13. cap. 13. ubi ſanguis dicitur eſſe pars Chriſti, & ipſe Ariſtoteles 2. de part. animal. c. 2. tum aliis in locis præcipuam partem vocat. probatur, illa ſubſtantia pertinet ad integritatem animalis, ſine qua illud nec eſſe naturaliter nec operari poteſt; ſed effuſo ſanguine, idem intellige de aliis humoribus, animal petit, ergò. Confirmatur, naio ſanguis immediatè aſſumptus eſt à verbo, & ponitur vi verborum ſub ſpeciebus panis & vini tanquam pars neceſſaria animali annexa. Si

DICAS, Si ſanguis à verbo aſſumptus eſt, ergò per communicationem idiomatum ſanguis eſt Deus. Reſp. Negando conſequentiam; quia communicatio ſolùm eſt inter naturas integras, & non inter partes integrantes, qualis pars eſt ſanguis. Jam

DICO, Sanguis non eſt animatus. Ita docent præter antiquiores D. Thomam, Albertum Magnum, Durandum, Scotum, D. Bonavent. Capreolum &c. Modernus Soarius, Conn. aliique cum potiſſima parte Theologorum tam philoſophi qnam Medici, contra Hurt. Arriagam & multos alios. Probatur primo, quod eſt animatum, debet habere aliquam vitalem operationem, quia anima eſt in ordine ad vitales operationes exercendas; ſed ſanguis nullam habet operationem vitalem, animæ imprimis rationalis aot ſenſitivæ, ut habet Ariſtoteles 2. de part. c. 10. deinde vegetativæ, quia talis eſſet nutritio, quod tamen falſum eſt, quia ſaoguis augetur tantum per additionem, ſicut augetur aqua v. g. per additionem alterius aquæ. Probatur 2. Si ſanguis eſſet animatus, ſequitur nutritionem noo eſſe mutationem ſubſtantialem ſed tantum accidentalem contra communem Philoſophiam, quia nutritio tunc eſſet mutatio ſubſtantialis, quando chylus convertitur in ſanguinem, non autem quando ſanguis tranſit in alia membra: Sed hoc inauditum, quia alias diceretur aliquis nutriri, cum multum comederet, & cibos in ſanguinem converteretur, etiamſi nihil ſanguis accederet membris. 3. Partes corporis quæ animantur, debent aliquo modo eſſe continuæ; ſed ſanguis nullo modo eſt continuus cum reliquis partibus, ergò Minor probatur, ſi eſſet continuus, maximè eſſet cum venis; ſed hoc non eſt, quia io iis tanquam in vaſis continetur, & habet Ariſtot. l. 2. de part. animal. c. 3. & 9. tam aliis in locis. Neque dicas continuari cum epate, quia etiam alii homores cum eo hoc modo continuantur; neque major eſt ratio cum epate & non cum aliis partibus continuari, quia omnes hauriunt ipſum & in ſuam ſubſtantiam convertunt. 4. Secundum Theologos & Concilio Tridentino Seſſione 13. c. 3. ponitur in Euchariſtia vi verborum ſanguis tantum concomitanter & non diſtinctè ſicut corpus Chriſti: Sed ſi informaretur anima, eſſetque pars actualis corporis, poneretur vi verborum, qua ratione ponuntur oſſa, caro nervi. Reſpondent aliqui id fieri, quia Chriſtus ſic inſtituit; voluit enim ſanguinem ſeorſim à corpore conſecrari & corpus à ſanguine, ut ſignificetur paſſio ipſius; ſed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia ſi ſanguis eſt pars actualis corporis, non poteſt intelligi corpus perfectum & integrum ſine ſanguine; ſed verba conſecrationis ponunt corpus perfectum & integrum cum omnibus ſuis partibus, ergo. Probatur 5. Authoritate. Ariſtoteles enim l. 2. de partibus animal. c. 10. ait ſanguinem non eſſe ullam partem animalis, quod idem plures imò plerique Theologi & Philoſophi poſt ipſum una cum Medicis docent; & hoc intellige de omoi ſanguine, venali & arteriali, tum de eo qui perfectus eſt & imperfectus propter concoctionem, ſi tamen hæc diſtinctio quicquam valeat. 6. Sanguis eſt ultimum alimentum in animalibus ſanguine præditis, ut habet Ariſtoteles 2. de part. c. 3. l. de Seneſt. & juvent. de ſomno & vigilia, aliiſque io locis, ergo non eſt pars actu informata forma eorundem aoimantium: ſi enim haberet formam ipſius animalis, non poſſet eſſe alimentum.

Sanguis nõ eſt animatus.

Sanguis quomodo ponatur in SS. Euchariſtia.

DIFFICULTAS IX.

Quid ad argumenta contraria ſit reſpondendum.

DICES primò, non tantum Philoſophi ſed etiam Theologi communiter docent, inter partes ſimilares præcipuum eſſe ſanguinem, quod etiam & Medici aſſerunt, qui hunc inter partes corporis poount. Reſp. per partes intelligi, quicquid pertinet ad perfectionem & integritatem naturæ quacunque ratione; nam etiam capilli numerantur inter partes. Pertinent v. ad perfectionem naturæ primò, quæ ſunt de eſſentia, ut materia

& for-

Google

Partes quotuplices. & forma. 2. quæ de integritate, ut partes materiales, pedes, manus. 3. Quæ ſunt neceſſario ad conſervationem naturæ, ut quatuor humores & ſpiritus vitales. 4. Quæ conferunt aliquid ornamenti naturæ, ut pili, ungues. Hinc patet in bono ſenſu ſanguinem poſſe dici partem corporis, non quod ſpectet ad propriam ejus conſtitutionem ut partes ſolidæ, oſſa, nervi, caro &c. nec etiam quod ad ornatum ſtatumque decentem, ut pili &c. ſed quod ita ſit pars ſecundaria, ut ſine illa non poſſint partes primariæ habere ſuam naturalem conſtitutionem.

DICES 2. Si ſanguis non eſt animatus, non poterit moveri per totum corpus, ſimiliter malè diceretur eſſe ſedes animæ. Reſp. negando aſſumptum, quia hoc idem probaret, cibum eſſe animatum, quia per os & inteſtina movetur. Cauſa autem quod ſanguis moveatur per totum corpus, non eſt, quod anima informet illum; ſed primò, quia eſt inſtrumentum animæ; eſt enim triplex ejus officium in corpore, primum quod ſit alimentum membrorum. Secundum, quod foveat calorem naturalem. Tertium quod ſit inſtrumentum animæ. 2. Quia accedit vis attractiva alimenti, quæ reſidet in ſingulis membris corporis animati, unde etiam fit, ut licet ſanguis ſit calidus ſæpè tamen ad partes inferiores deſcendat, & licet frigidus, ad ſuperiores aſcendat; atque ita motus in ſanguine eſt ab anima ejuſque potentia motrice. Quando autem anima dicitur eſſe in ſanguine, non intelligendum eſt ſubjectivè ſed conſervativè, quia ſcilicet ſanguis conſervat animam in corpore tanquam diſpoſitio neceſſaria ad animam. Et hinc colligitur ſanguinem pertinere ad integritatem vivi corporis & veritatem perfecti animalis, quia ex Concilio Tridentino ſanguis dicitur eſſe pars Christi; & confirmatur, nam ſanguis aſſumptus eſt à verbo immediatè, & ponitur vi verborum ſub ſpecibus panis & vini tanquam pars neceſſariò annexa.

Quod ſi conſtet in pudore ſanguinem refundi ad faciem, in timore recurrere ad interiora, in gaudio ad exteriora diſpergi, irâ efferveſcere, quæ omnia ſunt actus proprii rerum viventium. Reſp. In verecundia & pudore, quæ ſunt ſpecies timoris, variè ab Authoribus reſponderi, quomodo videlicet ſanguine rubefaciant genas. Et plerique cauſam referunt ad appetitum & actum imaginationis; ſed non explicant quomodo ſanguis localiter moveatur, aut quomodo vis & impulſus illi imprimatur, aut quomodo ſpiritus alterentur. *Sanguis quomodo localiter moveatur.* Itaque probabiliter dicendum videtur, motum ſanguinis fieri ab anima Phyſicè mediante præviâ alteratione ſenſibili, hoc eſt, quando aliquid inconveniens repræſentatur animæ, ipſa imaginatione turbatur, turbata varieque affecta Phyſicè alterat partes & organa, & in iis qualitates ſenſibiles intendit, potiſſimum verò calorem, ſicut contrario præſente per antiperiſtaſin intenduntur qualitates; calor ergò intenſus rarefacit ſanguinem, eumque tempore verecundiæ ad genas, ubi anima dominatur & cernitur, velut operam laturus diffundit: Eâdem de cauſa oculi in ira rubent & ſcintillant, quia alterato corde, ubi propriè iracundiæ organum eſt, ſtatim oculi alterantur & inflammantur.

DICES 3. Levit. 17. dicitur anima eſſe in ſanguine, & ideò peccata per ſanguinem expiabantur, quia anima in ſanguine continetur: hoc non fit aliter niſi per informationem. Confirmatur ex S. Auguſtino in Levit. 9. 17. ubi dicit aliquid vitale eſſe in ſanguine. Reſp. primò ſanguinem vocari animatum vel vivum metaphoricè propter motum, ſicut aqua quæ ſemper fluit, viva dicitur. 2. ideò dicitur vita eſſe in ſanguine, quod in eo vita animalis conſiſtat quoad conſervationem, non quoad informationen: ſimiliter explicandus eſt S. Auguſtinus.

DICES 4. Verbum divinum una aſſumptione unam aſſumpſit naturam ut docent *Verbum divinum.* Theologi: Sed natura eſt una per formam & animam, ergò omnia quæ aſſumpſit, pertinent ad unam naturam, & ab una anima informantur; ſed ſanguinem aſſumpſit, ergò ille informatur ab eadem anima, aliàs ſi haberet diverſam formam, cum diſtinctio ſit à forma, plures fuiſſent aſſumptiones quàm una, videl. humanitatis, ſanguinis, bilis &c. contra Theologos. Reſp. concedendo verbum aſſumpſiſſe unam naturam, ſed unâ aſſumptione totali & adæqua: Natura autem illa continet in ſe corpus organicum pluribus formis partialibus informatum; atqui natura eſt una per unam formam inadæquatam, negatur minor, per unam formaliter totalem & adæquatam, conceditur & negatur conſequentia. Ita quidam reſpondent: ſed alii melius diſtinguunt minorem hoc pacto: Natura ſeu compoſitum homogeneum eſt per unam formam conceditur, heterogeneum negatur, quia ejuſmodi compoſitum tam formas ultimatas, quam non ultimatas requirit, eo quod ultimata forma habeat ſibi alias ſubordinatas, non tanquam partes ipſam formam integrantes, ſed corpus heterogeneum, quod non reperitur in compoſito heterogeneo: Sanguinem autem Chriſtus aſſumpſit tanquam partem integrantem corporis.

DICES 5. Per hoc differunt animata ab inanimatis, quod animata moveantur ſecundum omnem differentiam loci, inanimata autem ſolum ſecundum unam determinatam v. g. ignis ſurſum, terra deorſum; ſed ſanguis in homine movetur ſecundum omnem differentiam, quia fertur à corde ſurſum ad cerebrum, in pedes deorſum, manus &c. Reſp. negando id ſolum eſſe adæquatum diſcrimen inter animata & inanimata; moventur quidem animalia ſecundum omnem differentiam, ſed à principio intrinſeco, & hoc pacto conceditur major, à principio extrinſeco, ſicut ſanguis movetur, negatur: ſanguis ergo *Sanguis unde moveatur in corpore.* movetur ab anima mediis ſpiritibus animalibus, calore & rarefactione materiæ, ſicut fieri

Google

fieri videmus in aqua ebulliente, quæ licet ſurſum & deorſum ab igne moveatur, propterea tamen non eſt animata. Deinde non movetur ſanguis ab appetitus Imperio, ſicut alia organa, quia illa pro varietate affectuum, qui in corde ſedem habent, variè alteratur & movetur, unde qui timent, palleſcunt & tremunt, quia anima ſanguinem calidum & ſpiritus tutelæ gratia ad interiora revocat, proinde calor manus & labra quæ tremunt, deſerit & capilli eriguntur, quia deficiente calore ſpiracula & meatus cutis contrahuntur. Præterea metuentes & fugientes ſiti laborant, quia ſanguis & calor ad interiora collectus viſcera adurit.

Unde meticuloſi ſitiunt.

DICES 6. Hurt. d. 2. de anima. ſect. 6. & cum eo Toletus ait, ſicut oſſibus communicatur anima ſine ſenſatione; ita etiam poteſt anima ſanguini communicari ſine actione vitali ut faciat corpus. Huc ſpectant Cajetanus Medina & alii, qui tamen diverſo modo animam in ſanguine collocant. Quidam enim reverà ſanguinem vivere docent, alii verò ut Hurtadus & Toletus id negant, & dicunt, tametſi anima non det ſanguini operationem vitalem, dare tamen illi eſſe, eamque informare, deinde ſanguinem accipere ab anima ſolum gradum corporis & mixti, ſicut os accipit. Reſp. Inauditum eſſe, quod anima ſit in aliquo ſubjecto, & tamen non ſit principium ullius actus vitalis: deinde ſi hoc valet, nemo me convincet quod lapides non ſint animati. Adhæc ex operatione cognoſcimus eſſe & formam, ergo ſi ſanguis tantum habet eſſe ab anima & non operationes, non poſſumus venire in cognitionem formæ, & per conſequens gratis aſſeritur illum eſſe informatum; omne etiam eſſe ordinatur ad aliquam operationem formæ propriam, quæ dat eſſe, & ſi anima ſolum dat eſſe & non operationem, ergò anima poteſt introduci in aliquam materiam, quæ non diſpoſita ſit ad operationem ſed tantum ad eſſe, quod eſt abſurdum. Gradus corporis & mixti ab eadem anima tribuitur, quia repugnat albedinem facere ſubjectum coloratum & non album, corpus mixtum eſt genus ad vivens & non vivens, quia regugnat dare gradum corporis mixti, non autem dare gradum vitæ vel formæ inanimatæ. Si dicas dare gradum mixti in infima ſpecie ſanguinis; reſpondetur contra, omnis ſpecies infima continetur ſub genere, quod immediatè dividitur per differentias oppoſitas, quæ non poſſunt ab una forma phyſica deſumi, ergò ſanguis vel erit animati corporis ſpecies vel inanimati, quia in hæc immediatè dividitur corpus mixtum; ſed non eſt ſpecies formaliter animati, quia caret operationibus vitalibus, ergò inanimati.

Anima nõ poteſt informare ut non ſit principium ullius actus vitalis.

DICES 7. Adeps ex communi Medicorum ſententia vivit: ſed ſanguis non differt ab adipe, ut habet Ariſtoteles 1. de gener. animal. cap. 19. & l. 2. de part. animal. c. 5. ergò ſanguis vivit. Reſp. an adeps vivat, infrà videbitur, quia probabilius eſt non vivere: differt autem accidentaliter à ſanguine, quia eſt ſanguis optimè concoctus & ad craſſitiem coactus, ut habet Ariſtoteles cit. eſtque excrementum ut ſemen; cedit etiam nonnunquam ingruente fame aliis partibus viventibus in alimentum, ut docet Rondeletius l. 3. de partibus c. 14.

Colligitur, ſanguinem eſſe partem animalis eo ſenſu quo partes animalium dicuntur, quæcunque ad eorum vitam tuendam neceſſariæ ſunt: Eſt autem ſanguis neceſſarius non ſolum quia alimentum eſt, ſed etiam quia ſpiritus ex eo conficiuntur, & quia maximè fovet calorem nativum, quo deficiente animal extinguitur.

DIFFICULTAS X.

An humores & ſpiritus ſint animati.

DICO primò, humores corporis alimentales non ſunt animati probatur iiſdem rationibus, quibus probatum eſt, ſanguinem non eſſe animatum: & accedit quod ſanguis intra venas concluſus nihil ſit aliud quam humores, & hi nihil aliud niſi ſanguis. Quod ſi de humoribus non alimentitiis ſermo ſit, illi planè ad vitam recipiendam inepti ſunt, quia ſunt excrementa, & corruptæ ſuperfluitates, in corpore multorum affectuum & morborum origo. Habent tamen, quia alimentales ſunt, hoc, quod vel maximè ad integritatem corporis viventis ſicut & ſanguis pertineant, imò & reliqui non alimentales, quod non omninò in corpore ſupervacui ſint, ut patet ex dictis, niſi per corruptionem ad ſingularem aliquam malitiam ſint alienati.

Humores non ſunt animati.

DICO 2. Nec ſpiritus tam vitales quam animales ſunt animati; eſt contra Scalig. exerc. 280. in Cardan. ſed communis omnium doctrina, & probatur, quia ſpiritus quoad ſubſtantiam non differunt à ſanguine, cum nihil ſint aliud quam ſubtiliſſima pars ſanguinis: Unde ſi ſanguis non informatur ab anima, nec ſpiritus ab ea informabuntur. Hoc tamen eſt diſcrimen inter ſanguinem & ſpiritus, quod ille ſit alimentum animalis, hi autem ad juvandas & perficiendas operationes inſtituti, & à natura efformati. Reliqua argumenta, quæ ex parte pro ſanguine valebant, hic quoque locum habent; non enim nutriuntur, nulla habent organa, non continuantur cum reliquo corpore &c.

Nec ſpiritus.

QUÆRAS, quid de humido radicali & ſpiritu innato dicendum ſit, an utrumque ſit animatum, & an ad humores & ſpiritus referendum. Ante reſponſionem adverte, humidum radicale & ſpiritum innatum, ut alibi patet, ſumi aliquando poſſe in abſtracto pro nuda qualitate, v. g. embryonem, fœtum ejuſque ſingula membra calore & humo-

humore circumfuſa: Aliquando autem & potiſſimum in concreto pro materia humida & calida, quæ diſperſa eſt undique per omnia membra & viſcera fœtus. Jam Reſp. humidum & ſpiritum innatum primo modo ſumpta non eſſe animata, quia id non competit qualitatibus, ut quæ extra ſubjectum naturaliter non exiſtant, eſſe tamen ſecundo modo; ratio, quia hujuſmodi ſubſtantiæ ſunt potiſſima pars mẽbrorum, in qua formæ viventes ſuam habent efficaciam non tantum in operando ſed etiam in informando juxta illud, quod vita conſiſtat in calido & humido, id eſt, in ſubjecto, quod ex variis elementorum ſubſtantiis & virtutibus mixtum ſit, habeatque in ſe copioſum humidum radicale, & ſpiritum innatum, quo utroque ſit undique coagmentatum & perfectiſſimè unitum.

Humidū & calidū innatum in concreto eſt animatum.

DIFFICVLTAS XI.

Quid ſit ſpiritus & quotuplex.

QUia ſpiritus eſt commune inſtrumentum totius corporis ſine quo nulla vitalis actio adminiſtrari poteſt, idcircò breviter hic de ejus natura & eſſentia diſquirendum eſt: & imprimis quidem an admittendus ſit ſpiritus, quia ſunt qui pertinaciter id negant; ſecundo quod ejus nomine intelligatur. 3. quotuplex ſit, 4. ubi generetur unus & alter. 5. an differat à ſanguine. Ad hæc reſpondeo &

DICO primò, datur revera ſpiritus. Probatur primo authoritate Hipp. Gal. & Ariſt. quos & Medicorum & Philoſophorum ſchola ſequitur. Nam primò docet Hipp. l. de principiis, arteriam conſervare ſpiritum & habere plus calidi quam venam. Deinde diſputat Gal. an cum ſpiritu ſanguis quoque in arteriis contineatur, & reſpondet affirmativè, quia inquit ſi perforetur arteria, profluit ſanguis. Denique de hoc ſpiritu diverſis in locis loquitur Ariſtoteles, eumque animalibus ineſſe affirmat ut l. 2. de gen. animal. c 2. l. de ſpiritu, de mundo, de hiſtoria animal. 1. c. 16. & l. de motu animal. docet in corde ejus eſſe officinam vel alia in parte, quæ proportione correſpondeat, eſſe autem omnis motus aptiſſimum inſtrumentum, facileque in omnem partem pelli. Probatur 2. ratione, nam primo ſunt quædam vaſa, quæ nihil aliud continent niſi ſpiritum ut ſiniſter cordis ſinus, arteriæ ventriculi, cerebri. 2. dexter cordis ſinus & venæ nunquam pulſant ſicut arteriæ & ſiniſter cordis ſinus propter defectum ſpirituum. 3. ubicunque eſt humida ſuſtantia, ibi ſemper eſt quædam evaporatio propter tenuiores partes ſanguinis, & hæc vel maximè in corde propter nimium calorem eluceſcit, ut proinde ſpirituum generatio hinc ſuum habeat principium. 4. teſtantur hoc tam inſignes operationes, quæ non poſſunt abſque ſpiritu perfici v. g. pulſatio arteriarum, motuſque nervorum, quia hi nihil præter ſpiritum continent. 5. dantur morbi quidam, quos Medici à ſolis ſpiritibus derivant, ut febrem ephemeram, debilitatem corporis aut viſus ex defectu ſolo ſpirituum &c. 6. neceſſarii ſunt maximè ſpiritus ut inſerviant operationibus vitalibus, & ut citò per omnes partes corporis excurrant, cum fovendo calorem tum undique ſuccurrendo, ſi quæ neceſſitas id exigat. 7. denique omnes ſenſationes tam internæ quam externæ, ſed & operationes intellectus in hoc ſtatu fiunt mediis ſpiritibus, iiſque deficientibus & ipſæ.

DICO 2. Spiritus nihil aliud eſt niſi tenuiſſimus, puriſſimus & maximè ſpirituoſus ſanguis, ſic dictus vel propter ſubtilitatem quâ & aſpectum fugit vel quia inſtar auræ tenuiſſimæ ſpirat & tenetur: Eſt enim ut rectè advertit Dand. l. 1. c. 17. de animati corporis temperamento vapori perſimilis vergens ad ſimilitudinem cœleſtium corporum calore proximus igni & humore aeri. Et hinc deſcribitur à Gal. l. 6. de uſu part. quod ſit exhalatio vel potius vapor ex ſanguine bene concocto & attenuato deſerviens operationibus animæ. Dicitur primo quod ſit exhalatio vel vapor, quia natura ſua huic utrique perſimilis eſt, habetque cum calore adjunctam humiditatem, unde etiam à Medicis dicitur eſſe naturæ. Dicitur 2. quod ſit ex ſanguine concocto & attenuato, quia ſit ex tenuiſſima parte ſanguinis: dicitur denique quod ſerviat operationibus vitalibus, quia deficientibus ſpiritibus nulla poteſt operatio vitalis exerceri, quod in corporibus noſtris ipſi experimur, dum vel iis magna copia concurrentibus benè, vel deficientibus malè operamur. Eſt itaque ſpiritus hic corpus quoddam vapori non exhalationi ut ait Gal. ſimile, tenuiſſimum minimeque conſpicuum, arteriis quæ craſſa & denſa conſtant tunica, incluſum è natura, ne corpus tam tenue & calidum elabi poſſet: Accedit autem ejus natura ad ſuperiorum potius elementorum conditionem, quæ tenuia ſunt & rara, ideoque partim ignea eſt partim aerea, ignea quidem quia calidiſſima eſt & efficaciſſima, aerea autem quia cum calore adjunctam habet humiditatem non ſiccitatem, neque urit ſicut ignis, ſed fovet, neque ſiccanti halitui ſed calefacienti & humectanti vapori perſimilis eſt, unde etiam ſanguinis non choleræ naturam habet, imò nihilque aliud eſt quam tenuiſſimus, puriſſimus & maximè ſpirituoſus ſanguis; vehementi namque caloris actione ſanguis dextro cordis ſinu à vena cava exceptus tantopere attenuatur, ut ab eo ſpiritualis hæc ſubſtantia in ſiniſtrum ſinum evaporet, unde mox per arterias diſtribuitur & conſequenter per univerſum corpus in quem omnem calorem effundit. Hoc habet Gal. l. de tumor. c. 6. & Avic. 1. Fen. 1. doctrinâ 6. c. 3. ubi ſpiritum inter partes corporis calidiſſimum ponunt, ideoque Hipp. l. 6. de morborum proprietatibus morbos qui generantur à ſpiritibus, omnium eſſe calidiſſimos ait: Et patet hoc ex fine ipſius ſpiritus, quia ad hoc natura eum deſtinavit ut calefaceret totum corpus & tribueret eam complexionem, quæ influxa dicitur. Hoc autem fieri non poteſt niſi ſit calidiſſimus, qui idcircò voca-

Spiritus quid.

tur ſubjectum caloris naturalis: Idem etiam patet experientia, quia læsâ aliquâ parte ſentitur magna & vehemens in ea inflamatio propter magnum ſpirituũ concurſum ad eam partem: ſimiliter id patet ex vehementi motu, quo concitantur ſpiritus ad exteriora membra dum copioſum frequenter ſudorem eliciunt.

Spiritus naturalis non datur.

DICO 3. Ex ſententia mulrorum Medicotum dividitur ſpiritus in vitalem, animalem, & naturalem, ut videre eſt apud Avic. 1. Fen. 1. Can. doctr. 6. c. 4. aliiſque in locis, ubi naturalem ab epate derivat. Averth. in prim. Colliget. 13. cum pleriſque Philoſophis id negat, quod idem videre eſt apud Dand. cit. ubi ait, hunc ſpiritum naturalem non eſſe neceſſarium primò, quod nullus ſit locus, nullum vas, nullaque cavitas ubi ſpiritus naturalis contineatur aut generetur, ſicut in corde & cerebro, ubi ſunt aptiſſima vaſa pro generatione ſpirituum. 2. Quia functiones animæ vegerativæ nullo modo indigent ſpiritu, cum protſus ſint naturales vel juventur à vitali qui una cum arteriis proximus eſt. 3. Quia antecedunt hæ functiones naturâ ſpiritus generationem, ut quam ipſæ gignunt. 4. Quia totus ſanguis & cum eo ſubtilior pars omnis tranſit in ſubſtantiam corporis, Hucuſque Dandinus. Diviſio aliorum eſt in naturalem, vitalem, animalem & genitalem ut Dand. Horſtii ſua manud. ad medic. p. 1. c. x. ſ. 1. a. 1. in fine; aliorum verò in inſitum vel innatum & adventitium vel influentem qui partim eſt vitalis partim animalis. Inſitus vel innatus dicitur, qui ſecundum Medicos per nullam caloris actionem advenit membris; ſed ſimul cum ſingulis innaſcitur; ſed malè, quia ſpiritus omnis qui ineſt partibus cum humido conſumitur, novuſque ſemper denuò per actionem caloris producitur; dicitur itaque ſpiritus innatus quod fixus ſit in ipſis partibus ſolidis, ſive à prima partium formatione hucuſque exiſtat, ſive de novo productus firmam ſibi hic ſedem fixerit. Influens vel adventitius autem qui nova caloris actione excitatus ad prioris conſervationem, & perfectionem à corde omnibus membris additur. De vitali & animali proxima concluſione. Hinc autem adverte, de ſpiritu innato ſolere duo quæri & diſputari; primum an ſpiritus in fœtu ejuſque ſingulis membris ſit idem numero eum eo qui erat in ſemine: ſecundum an tamdiu in corporibus noſtris conſervetur quamdiu vivimus. Dandinus l. cit. c. 19. putat omninò evaneſcere aut in formatione fœtus conſumi, adeoque ſpiritum innatum membris diverſum eſſe à ſpiritu ſeminis. Et hinc ad ſecundum quæſitum reſpondet, ſpiritum nequaquam in membris tota vita permanere contra Concil. diff. 59. ſed ſemper mutari, & cũ tenuiſſimus ſit leviſſimus & ad evaporationem aptiſſimus continuâ operatione conſumi; ſed quæritur quomodo reſtauretur? Gal. de utilitate reſpirationis ait reſtaurari ex ſanguine & aëre inſpirato ut etiam docet 7. de uſu part. c. 8. Sed cum de ſanguine non ſit dubium, de aëre magna eſt difficultas. Nam Ariſt. lib. de reſpiratione c. 8. id aliquot rationibus refutat & ait aërem inſpiratum eſſe propter refrigerationem cordis, non propter ſpiritum gignendum; primò enim ait aëris tantundem expirari quam inſpiratur, ergò non inſpiratur ut inde gignatur ſpiritus, quia alias manſiſſet in locis interioribus ad ejuſmodi generationem. 2. Aër elementum eſt, ex quo nullum omninò miſtum fieri poteſt ſicut ſpiritus vitalis requirit; hic enim nullo ſimplici corpore nutriri poteſt, quod ipſe Gal. l. de Elementis ultrò concedit, quod ſcilicet omne alimentum debeat eſſe corpus miſtum. 3. Si ſpiritus nutriretur aëre, poſſet etiam ſanguis imò totum corpus hoc nutriri. 4. Aer ſinum cordis nunquam ingreditur, ſed pulmonibus tantum exceptus calorem illum intenſum nimis contemperat, idemque ille calefactus expiratur, ut alius frigidior inſpiretur, & ſic repetitis vicibus quamdiu vivit animal. Sed rationes hæ omnes non ſunt ita ſolidæ, ut pro aëris converſione in ſpiritum vitalem ſtari non poſſit, quia ſubſtantiâ & qualitatibus ſunt affiniſſimi & maximè proportionati, ut proinde multa concoctione ſive alteratione opus non habeat.

An ſpiritus ex [illegible] gignatur.

Spiritus inſitus in fœtu non eſt idem numero qui erat in ſemine.

Spiritus inſitus quando & quomodo generatur.

DICO 4. Spiritus inſitus naſcitur unà cum ſemine ex deſecato ſanguine, & dum hoc in partes & membra coagmentatur, ipſe ſimul innaſcitur: Influens autem nova caloris actione gignitur in corde, unde etiam vitalis dicitur & à ſiniſtro cordis ſinu per arterias in omnes partes effunditur; & hic dum in partes influit, reſtaurat quod deperditum fuit eodem omninò modo quo de humido & calido dicitur, tranſitque tum in innatum; dicitur vitalis quia habet principium ab eo membro quod eſt fons omnis vitæ & origo, quia ad calorem & vitam fovendam diſtribuitur, & denique facultati vitali famulatur. Qui vero in cerebro continetur indeque per nervos ducitur, animalis propterea dicitur, quia animalium operationum eſt inſtrumentum, ab eoque membro ducitur quod animalis virtutis principium eſt aut certe adminiſtrator. Si quæras an in formatione fœtus prior ſit ſpiritus vitalis an animalis. Ratio dubitandi eſt, quia aliqui cor prius eſſe volunt & hoc ſine ſpiritu vitali non gigni. Aliqui autem contrà ajunt omnes partes ſimul formari adeoque & ſpiritus; ſed probabile eſt vitalem ſpiritum præcedere ſi non tempore ſaltem naturâ, quia cum cor omnium membrorum ſit primum, ſi non ortu tamen virtute & actione qua influere debet in univerſum corpus illudque fovere & conſervare, meritò vitalis prior eſſe debet. Adhæc ſi quis influxum illum ſpiritum conſideret, qui caloris actione producitur & quo inſitus ille renovatur & conſervatur, certè animalis ſpiritus gignitur, nutritur & reficitur ex vitali: Manifeſtum namque eſt, à corde ad caput repere plurimas arte-

Google

arterias earumque pripuas ad ſinus cerebri ſiſti, quod argumeoto eſt, naturam eos canales in illum uſum paraſſe, ut videlicer per eos à corde ad cerebrum ſpiritus mitteretur, utpote ad membrum frigidum, ut hoc alias ad ſpiritum gignendum ex ſe ineprum reficeterur & cònſervarerur. Hinc ſpiritus vitalis ad cerebrum delatus in admirabili arteriolarum gyratione & contextu præparatus, deinde interiores cerebri ſinus pervadens in animalem mutarur, id eſt, accipit aliam qualitatem magis humidam & temperaram, quod jam exigit ſenſus & motus, cum prius ad eliciendas actiones vitales debuerit eſſe calidior; facilis autem eſt hæc mutatio, quia fit in loco per ſe humido & frigido ſeu temperato. Cæterum quod ſpiritus vitalis gignatur in corde probatur primò, quia ibi generatur ſpiritus unde procedunt arteriæ; ſed hæ procedunt à corde, ergò. Major probatur, quia arreriæ ex natura ſua deſtinatæ ſunt ad deferendos ſpirirus, & ideireò Gal. *6*. de uſu part c. 1. & 10. ait, arrèrias eſſe duplici tunicâ coopertas, ne ſpiritus, qui in iis continentur, tam facilè evaneſcant. Deinde ſpiritus ut pater ſuot calidiſſimi natura ſuà, ergò non poſſunt generari niſi in eo membro, qnod eſt calidiſſimum, corde ſcilicet. Denique confirmatur experientia, quia animi paſſiones, quæ per concitationem ſpirituum mutant corpus, ut timor, ira, maximè ſeotiuntur in corde non alia de cauſa, quam quod ibi eorum ſit principium: Quod autem ſpiritus animales ex vitalibus fiaut in eerebro, probatur primò, experientia docet imminutis ſpiritibus vitalibus etiam imminui animales ut accidit in diùturna inedia, ergò ſignum eſt ex vitalibus gigni animales. 2. experimur ea in parte ubi magnus eſt concurſus ſpirituum vitalium calidiſſimorum, ægrè quippiam ſentiri, quia videlicer vehemens calor impedit actionem ſenſus, ergò ut ſpiritus ſerviant ſenſibus, reſrigerandi ſunt; id autem nuſquam commodius fieri ſolet quam in cerebro, quod eſt natura ſua frigidum, atque idcireo ferè omnes ſenſus habent organa ſua circa cerebrum, & à corde ad cerebrum dueuntur arteriæ, ut habet Gal. 6. de uſu part. c. 17. per quas ſpiritus vitales devebuntur ad cerebrum, ut inibi contemperentur, quia ad ſenſuum ſive internorum ſive externorum actiones eliciendas non convènit ſpiritus calidus & fervidus ſed temperatus & modificatus.

Spiritus vitalis gignitur in corde.

Spiritus animales fiunt ex vitalibus in cerebro.

DICO 5. Omnis ſpiritus prout comprehendit vitalem & animalem non differt à ſanguine quoad ſubſtantiam & ſpeciem. Eſt contra Andr. Andr. operum anatom. l. 4. c. 12. q. 10. & multos alios ex Medicis, & probatur, quæ ratio eſt exhalationis cum terra, & vaporis cum aqua, eadem eſt ſpiritus cum ſanguine; ſed nec exhalatio ſubſtantialiter differt aut ſpecie à terra, nec vapor ab aqua, ergò nec ſpiritus à ſanguine. Anteeedens pater, quia ſicut exhalatio eſt tenuior pars terræ & vapor rarior portio aquæ, ita etiam ſpiritus eſt tenuiſſima & puriſſima ſubſtantia ſanguinis. Deinde ipſi ſpiritus inter ſe ſolum calore, raritate, loco in quo ſunt, principio ex quo gignuntur, modoquo per corpus ſparguntur, uſu denique ac fine differunt; quæ omnia non eſſentialem ſed tantum accidentalem differentiam important. Et hinc ſi

Nullus spiritus differt à sanguine essentialiter.

DICAS primò. ſi ſpiritus à ſanguine tantum accidentaliter differret, ſeparatus jam à corde reduceret ſe ad priſtina accidentia & refrigerarerur, ſicut vapor ſeparatus à calore ſolis reducit ſe ad aquam, ſed ſpiritus toto corpore calefacit ſanguinem, neque mutat accidentia, ergò. Reſp. Negando ſequelam majoris; quia ideò ſpiritus ſeparatus à corde non refrigeratur quia non calet violenter ut vapor, ſed ex natura & forma propria prout de ſanguine conſtat; non dicitur etiam propriè ſanguinem calefacere, qnia eſt ipſa ejus pars purior & ſubtilior; fit autem in corde, quia ibi ſangnis ab epate per venam cavam delatus magis concoquitur & ſubtiliatur, atque ita quævis ejus pars, tam quæ à nonnullis ſub ſanguine naturalis vocatur, quam quæ prius rarior & defæcatior jam in corde in tenuiſſimam ſubſtantiam facilè tranſmutatur.

DICES 2. Judicio omnium cor eſt fons caloris in corpore non per aliud quam per ſpiritus, ergò hi debent eſſe inſtrumenta cordis, quæ naturaliter ſibi vendicant tantum calorem. Reſp. Concedendo totum, quia poſſunt ſpiritus eſſe inſtrumentum cordis, non verò craſſior ſubſtantia ſanguinis, qui à ſpiritu non aliter diſtat quam vapor ab aqua & exhalatio à terra.

QUÆRES primo, quòmodo à corde vel eerebro ſpiritus, tranſmittitur. 2. Ex qua materia fit ſpiritus innatus. Ratio dubitandi eſt, quia non videtur eſſe ex ſanguine, cùm in fœtum ſeu corpus organicum in prima formatiooe ad quam nullus concurrit ſangnis, ſit impreſſus & cuivis membro datus. Reſpondetur ad primum, id fieri motu illo quo utriuſque membri ſinus contrahuntur, & in ſe ipſos comprimuntur; tunc enim & cor in arterias & cerebrum à prioribus ſinubus in poſteriores & ſpinæ medullam & nervos omnes effundit ſpiritum: Et licet nervi optici ſint ſoli manifeſtè perforati, is tamen ſpiritus tam eſt tenuis & purgatus, ut facilè ſubſtantiam nervorum pervadat, & ad ſingulas corporis partes ſenſim penetret ad omnem ſenſum & motum ſedulò exequendum, quod eò veriſimilius eſt, quia nervis illis ligatis qui à poſteriore parte cerebri deſcendunt, motus omnis ceſſat in corpore eam ſolum ob cauſam quod deſcenſus ſpiritus impediatur; ſic enim ligatâ quoque arteriâ pulſat quidem pars cordi conjuncta, reliqua autem omni pulſu deſtituitur, quia ſcilicet nullum ſuſcipit ſpiritum: ſicut igitur cor effuſo per arterias ſpiritu omnia operatur, quæcunque ad vitam pertinent; ita cerebrum ſpiritu per nervos diſtributo exe-

quitur ea, quæ ſunt ſenſus & motus. Ad ſecundum diſput, de humido innato reſponſum eſt.

Colligitur, ſpiritus animales non alitet generari in ſinuoſis plexibus arteriolarum & cerebri ſinubus quam per contemperationem, adeoque ſpiritum animalem eundem eſſe & manere cum virali & differre ſolum calore, *Non differunt ſpiritus vitalis & animales.* qui ad viram fovendam exceſſivus, ad ſenſum verò & motum remiſſus requiritur, quicquid etiam Andr. Laur. loco cit. mulris probare conetur, quando dicit præpararionem ſpiritus animalis fieri in plexibus arteriolarum, coctionem in cerebri ſinubus, & hinc diſtributionem in univerſum cerebri corpus & nervos.

DIFFICULTAS XII.

An adeps, medulla & lac vivant.

DICO primò, lac noneſt animatum, ſive à ſanguine differat ſpecie ſive non: ſi enim cum ſanguine convenit, ut habetur ex Ariſt. 4. de gen. animal, c. 8. quod ſcilicet lac ſit ſanguis benè concoctus, idem de eo quod de ſanguine pronunciandum eſt. Si autem differt, idem dici poreſt propter eaſdem rationes quæ de ſanguine dictæ ſunt, & adde ex multorum opinione, quod ubera nutriantur lacte, quod ex ſanguine attracto innataque facultate decoquunt, & dulcedine, candore aliiſque conditionibus lacti convenientibus imbuunt; ſed *Lac non vivit.* non poſſent eo nutriri, ſi jam ante informaretur eâdem anima, quia nutritio eſt adgeneratio, in qua alimentum corrumpi debet & deſtructâ formâ propriâ in ſubſtantiam rei viventis converti: Obſerva autem licet lac animam non contineat, tamen ob qualitatum cognationem & ſpirituum, qui ſimul cum lacte trahuntur, fit nonnunquam, imò ut plurimum, ut infantes affectiones nutricum & propenſiones contrahant.

Nec adeps & ſevum. DICO 2. Adeps & ſevum non ſunt animata. Probatur 2. De partibus animalium c. 5. ubi docet Ariſtoteles, quod adeps nihil ſit aliud quam ſanguis benè concoctus, ergò ſicut ille non eſt animatus, ita neque hic. Quod autem adeps & omnis pinguedo in animali fiat à puriori ſanguine, ejus tenuioribus partibus, quas venæ exudant, & quæ frigore concreſcunt adhærentque viſceribus, patet ex eodem Ariſtotele citato, & confirmatur ex eo, quod calore nimio diſſolvatur, id quod teſtis eſt experientia in febribus, morbis & complexionibus calidis, ubi pinguedo non ſecus ab igne ſolvitur. Cætera de pinguedine vide quæ difficultate ſecunda dicta ſunt.

Nec medulla oſſium. DICO 3. Medulla oſſium non vivit, probatur, quia medulla oſſium nihil eſt aliud quam ſanguinei alimenti excrementum, ex quo aluntur oſſa, ergò non eſt animata. Antecedens patet ex Ariſtotele 2. de partibus animalium cap. 6. ubi ait quod medulla ſit natura quædam ſanguis, & hoc apparet in recenter natis, quorum medulla etiam ſanguineum colorem habet.

DICO 4. Vivit tamen ſpinæ medulla & *Sed medulla ſpin.* cerebrum. De cerebro probatur, quia nutritur ut paret ex ejus membranulis, quæ venis tenuiſſimis plenæ ſunt, ut videlicet iis deferatur alimentum. Deinde in cerebro vigent omnes ſenſus interni, judicio Medicorum eſt dignitate primum & principale membrum animalis. De medulla ſpinæ etiam probatur, quia hæc eſt pars nobilior corporis cum cerebro continuata, longè alterius rationis quàm medulla cæterorum oſſium, quia admota igni non liqueſcit uti medulla oſſium, ſed potius induteſcit: Deinde medulla ſpinalis nervoſa eſt, ita ut nullum animal ea carere poſſit propter nervos in ea radicatos: ablatâ enim hac medullâ ceſſaret motus & ſenſatio in pluribus animalibus; vide Ariſtot. 2. de part. c. 6.

DICES, Ariſtoteles loco cit. vocat medullam ſpinæ excrementum alimenti ſanguinei, ergò non poteſt eſſe animata. Reſp. Ariſtotelem non loqui de hac nobili ſpinæ medulla, ſed de alia in eadem ſpina contenta, quæ eſt ejuſdem rationis cum medulla cæterorum oſſium. Et vocat hanc medullam longè aliam à medulla oſſium Ariſtoteles, ut quod cum cerebro continuetur. Quod ſi autem c. 7. 2. de part. idem Ariſtoteles dicat, cerebrum diſcrepare à medulla ſpinæ, ideò quod hæc ſit calidiſſima & illud frigidiſſimum; deinde quod cerebrum non ſit numerandum inter partes continuas. Reſp. ad primum, Ariſtotelem non expreſſe id affirmare, ſed propè dicere, ideò quod videat medullam ſpinæ calidiorem ſubſtantiâ cerebri: quod autem ſpinæ *Medulla ſpinæ calidior, quam cerebr.* medulla ſit calidior, ratio eſt, quia eſt longè ſiccior & ſpiſſior, ut conſtat. Reſp. ad ſecundum, etiamſi cerebrum non continuetur cum oſſibus, venis, arteriis aliiſque partibus, continuatur tamen cum iis mediantibus aliis certis partibus, ut alibi patet.

DIFFICULTAS XIII.

An oſſa, dentes & cutis vivant.

DICO primò, oſſa ſunt animata. Probatur, quia nutriuntur & ſuſcipiunt alimentum per poros, quibus plena ſunt; creſcunt etiam proportionaliter cum aliis partibus corporis. Nec refert quod ſenſum non habeant; quia non habent hunc vel certè valdè obtuſum propter eximiam ſiccitatem & terreſtreitatem.

DICO 2. dentes etiam probabiliter ſunt animati, tametſi & contrarium probabile ſit ex multorum opinione. Probatur ex Ariſt. 2. de gen. animal. cap. 4. ubi habetur, quod dentes oſſibus annumerentur. quod

Digitized by Google

quod ſoli omnium oſſium tota vita creſcant; unde deducitur, quod etiam nutriantur, cujus rei argumentum eſt, quod ad deferendum alimentum venæ quædam dentes ingrediantur. Præterea ſentiunt dentes ex Gal. 8. de uſu part. c. 2. contra Vegam, qui air dolorem eſſe tantum in vicinis partibus, ſiquidem conſtat experientiâ, dolorem hunc dentium eſſe omnium maximum.

DICES primò, Ariſtoteles 3. de part. animal. c. 2. tradit, omnia animalia cornuta non habere dentes ſuperiores, quia ſcilicet tranſeunt in cornua, ergò videtur hinc inferri poſſe, quemadmodum cornua, ita nec dentes eſſe animatos. Reſp. negando conſequentiam, quia poteſt eadem materia, quæ ubique eſt ejuſdem rationis, ſuſcipere animam & formam, etiam rei inanimatæ.

DICES 2. Dentes excidunt ante mortem, ergò non videntur eſſe animati. Reſp. negando conſequentiam, quia etiam alia organa corrumpuntur ante mortem, etiamſi non decidant, ut organum viſus &c. decidunt autem dentes, quia aſſiduo labore cibi terendi labefactantur, & in ſenio animal non habet tantam vim, ut poſſit reparare ligamenta, quibus annectuntur oſſibus, unde neceſſariò tandem ab iis diſſolvuntur & decidunt.

DICO 3. Cutis exterior non eſt animata. Nota duplicem eſſe cutem, alteram interiorem, quæ eſt pellicula venulis, arteriis, nervis & membranis plena, quæque totum corpus circumamicit, & vera cutis dicitur, & hæc eſt animata, imò ſenſus exquiſitiſſimi ut notum eſt; alteram exteriorem, quæ tenuiſſima eſt patetque ſenſibus, & hanc conſtat non eſſe animatam, quia eſt excrementum, & habet ſe ſicut ſquamæ in piſcibus. Quod ſi autem Ariſtoteles 3. De hiſtoria animal. c. 11. dicat cutem eſſe continuam reliquo corpori, loquitur de interiori, exteriorem enim ait eſſe ſine ullo ſenſu ibidem.

DIFFICULTAS XIV.

An ungues, ungulæ, roſtra, cornua pennæ & pili animentur.

Circa has partes ſunt tres opiniones. Prima eſt, hujuſmodi partes informari anima totius non quidem quoad omnes gradus, cum ijs nullus inſit ſenſus, ſed tantum quoad gradum vegetativum: Fundamentum eſt, quod hæ partes nutriantur, augeantur, atque ita veras animæ functiones adminiſtrent. Hanc partim tuentur opinionem Thomiſtæ, quidam partim Scotiſtæ, qui ſuos Doctores & Magiſtros ſequuntur & cum ijs Thomas à Vega de arte Medica c. 9.

Secunda eſt Durandi & quorundam aliorum, has partes animatas quidem eſſe, non tamen informari anima ipſius animalis, ſed alia ſibi propria, quæ ſola ſit vegetabilis, & habere ſe ad corpus ſicut herba ad terram, cui quidem inhæreſcit, habere tamen ſuam peculiarem animam, quia putant abſurdum eſſe, in capillis ad terram defluentibus animam rationalem contineri.

Tertia eſt Gal. artis medica, Concil. diffic. 24. Francaſt. l. de anima. Peramari l. de procreatione hominis c. 8. Thom. de Garbo l. 1. tr. 4. q. 53. Fernel. l. 2. phyſiol. c. 2. & potiorum aliorum cum Philoſophorum tum Medicorum partes videlicet illas nullo modo eſſe animatas. Cum his

DICO primò, nec pili nec pennæ ſunt animata, Probatur communi argumento, quia augentur per juxtapoſitionem, quia elongantur ſolis excrementis vel vaporibus fuliginoſis; deinde quia excrementi rationem habent: & accedit, quod non ſint organica, quia ſi viverent, ſequeretur, unumquodque eorum eſſe corpus organicum, cum anima ſit actus corporis organici; ſed nec in pilis nec in pennis ulla eſt varietas partium diſſimilarium aut diſtinctio organorum &c. quæ ratio validiſſima eſt pro neganda animatione.

DICO 2. ungues non ſunt animati. Probatur 1. iiſdem rationibus, quibus nec pilos animatos eſſe probatur, quia videlicet ſunt excrementa, quia non nutriuntur ſed augentur per juxtapoſitionem: & confirmatur ex eo, quia laborantibus febre hectica creſcunt, imò & cadaveribus, ut teſtatur Ariſtoteles 3. de hiſtor. animal. c. 11. licet alii id negent, & dicant creſcentiam pilorum in cadaveribus fieri tantum apparenter, ideo quod hujuſmodi corporum pili & ungues facta per frigus condenſatione & conſtrictione magis promineant. Et eadem ratio eſt cum ungulis, roſtris & cornibus, quia reverà ſunt excrementa, elongantur excrementis, augentur tantum per juxtapoſitionem, non ſunt partes organicæ, ideòque nulla etiam in ijs elicitur operatio vitalis. Si

DICAS 1. Magnus eſt in unguibus dolor, ergò vivunt. Reſp. dolorem illum non exiſtere in unguibus ſed in carne, quam proximè attingunt vapores, cujus rei argumentum eſt, quod quo magis à carne recedunt, eò etiam faciliùs abſque dolore abſcinduntur.

DICES 2. ungues, roſtra, ungulæ, nutriuntur, quod patet per imas & intrinſecas venas & arterias, ergò. Reſp. has venas non eſſe unguium, ſed carnis: quod autem in unguibus appareant nonnullæ lineæ rubeæ & albæ, eæ non ſunt meatus unguium, ſed raritates & denſitates materiæ, quod probatur ex eo quia prout variè creſcunt ungues, ita variè commutantur ejuſmodi lineæ, imò in unguibus apparent interdum nonnullæ maculæ, quæ paulatim protruduntur, & ab imo ad ſummum perveniunt, quod ſignum eſt augeri per juxtapoſitionem à virtute expulſiva excrementorum.

DICES 3. Ungues, ungulæ, roſtra, cornua &c. non tantum dolorem inferunt, ſi abſcindantur, ſed etiam effundunt ſanguinem. Reſp.

Reſp. falſum eſſe ſi in extremitatibus abſcindantur, verùm ſi in partibus profundioribus. Hinc etiam

Colligitur, tutiſſimum eſſe mediâ incedere viâ, & dicere, hæc omnia in partibus carni, venis, arteriis & nervis proximis animari, dolere & ſanguinare, cum verò paulatim extrà conſtitutionem corporis progrediuntur obtinere rationem excrementi reique inſenſatæ & inanimatæ. De his vide pluribus Conn. l. 1. de gen. & corr. c. 4. q. 23. & ſeqoent.

DIFFICVLTAS XV.

An Semen ſit animatum.

INcertum eſt ao quæſtio eſſe poſſit de omni ſemine, qnia videntur ſemina arborum, plantarnm, fruticnm & ſegetum tamdin retinere animam & eſſe vegetabilia, quamdiu retinent ſuum humidum cum ſicco & calido benè commiſtum; Ratio hujus eſt, quia habent hæc vegetabilia animam prorſus materialem & in infiuitas velut partes diviſibilem, prout etiam videre eſt in ſurculis & frondibus ab arbore divulſis, quæ poſt longum etiam tempus in terram defoſſæ revireſcunt, niſi humido & nativa temperie deſtituantur, quod idem de ſeminibus rerum vegetabilium intellige: difficultas itaque ſolum eſt de ſemine animalium ſenſitivorum & imprimis ipſius hominis, circà quod monſtrum ingens, horrendum & periculoſum hic occurrit, à quo pluraalia, ut fieri ſoler, repullulant. Nam Authores hujus affirmativæ opinionis non tantum graviſſimas incurruo abſurditates impoſterum dicendas, ſed etiam multis in fide periculis ſeſe implicant, & adeò quidem, ut cum ex ſacris literis nullam licet putent defenſionem habeant, omoem etiam rectam rationem, veramque Philoſophiam à ſe penitus excludant, Sed

Adverte, cum ſemen ex Ariſtotele 1. de gen. animal. c. 17. & 18. ſit reerementum qnoddam ſive ſuperfluum alimenti ultimi, id eſt, quod efficiatur ex parte quadam ſanguinis in tertia exactiſſimâque concoctione; non fruſtrà hac præſenti difficultate quæritur, an ſi ſit bruti, informetur anima ſenſitiva, qnæ & vegetativam contineat; ſi autem hominis, an anima rationali, quæ tameo vegetativâ complectatur & ſenſitivam, an vero vivat potentia tantum, id eſt, habeat proximam quandam aptitudinem nt animetur.

Opinio affirmativa eſt Hipp. de diæta, Gal. 2. de ſemine c. 7. & l. de maraſmo c. 5. Peramati l. de ſemine, Zimaræ 7. de anima t. 43. Sealig. exerc. 6. Card. 2. contradict. t. 6. Argentei. in art. p. tit. de tempetam, Thomæ à Vega in a. p. c. 47. Chriſt. à Vega a. m. l. 1. c. 3. Zabarell. de animæ fac. c. 21. Mercat. l. 1. p. 4. claſſ. 1. q. 98. Capivan. l. de formatione fætus, Fortun. licet. de ſpontaneo viventium ortu. Vales. l. 2. converſ. medic. c. 9. Sennert. l. 1. Inſtitut. c. 10. de vi formatrice & Hypomn. 4. c. 6. Marci Marci in ſua Idea operatrice, ubi ſemini humano, quam diu corpori ſuo cohæret, animam ſenſitivam ineſſe tantum concedit.

Opinio negativa eſt Ariſtotelis l. 2. de anima c. 1. l. 2. de genet. animal. c. 1. & 3. ubi quæſtionem expreſsè de hac re movet. D. Thomæ l. 2. contra Gent. c. 89. Scot. in 4. diſt. 44. q. 1. Concil. diſt. 48. Fernel. l. 7. ſuæ pathol. c. 13. Conn. l. 1. de gen. & corr. c. 4. q. 25. a. 2. Hurt. Rubii. Toleti. Fonſecæ, Soatii. Arriagæ, omniumque paſſim Philoſophorum & Theologorum Orthodoxorum, qui omnes hanc quæſtionem ita ſumunt, ut ſemen non vivat actu, vivat tamen potentia. Nam inquiunt, quamdiu ſemen retinet propriam formam ſeminis, non conſtat actu anima, habet tamen aptitudinem ut animetur, quod fieri ſolet, ubi propriam formam amittit, & ex ipſo fætus coaleſcit: Et hoc modo ſulphur potentia ignem continet, quia facillimè ignoſcit.

DICO cum opinione ſecunda, ſemen actu non vivere, ſed potentia tantum. Probatur primò, ſemen eſt ſuperfluum alimenti ultimi, id eſt, habet veram rationem excrementi, ut habet Ariſtoteles, ergò vitâ caret. Hic negat Sennert. Hypomn. 4. c. 6. antecedens primò, quod non omne ſemen v. g. plantarum dici poſſit excrementum, eſto ſemen animalium ſuo modo dicatur excrementum, 2. quod ſemen generetur ex ſanguine tanquam res maximè neceſſaria in animalibus, videl. ad generationem. 3. quod in rebus naturalibus præter partem, excrementum & alimentum detur etiam fructus à reliquis diſtinctus, cujus rationem habeat ſemen in animalibus ut ex eo aliud generetur. In plaotis antem, piſcibus & avibus manifeſtum eſſe, patere etiam ex Ariſtotele 1. de gen. animal. c. 18. ubi habeat, quod fructus ſemen ſit, aut ſemen in ſe contineat, &c. Contra eſt, nemo tam rudis eſt, qui neſciat, Ariſtotelem tantum de ſemine animalium loqui, cum illud vocat excrementum; Nam conſtat reliqua ſemina vegetabilia tamdiu animata eſſe, & veras partes arboris, plantæ &c. exiſtere, quamdiu cohærent toti; Et bonum eſt conſentire Sennertum, quod mioimum ſemen hominis & animalium ſit excrementum. Quod in animalibus ſemen generetur ex ſanguine tanquam res in futurum maximè neceſſaria, id nemo negat, nec quicquam ad rem facit, quia ut norunt Medici, & conſtat de humoribus, excrementa quædam nullius ſunt uſus, ut bilis vitellina, pituita ſalſa &c. Quædam verò obtinent aliquem uſum & utilitatem in corpore, ut ſanguis menſtruus, qui ad nutritionem fœtus confert, melancholicus humor, qui appetitum in ſtomacho excitat, & denique ſemen; quod à natura quidem ut ſuperfluum nutritioni, ſed tamen ut neceſſarium generationi relinquitur. Cum enim omne vivens conetur ſe & ſuam ſpeciem conſervare, convertit alimentum in propriam naturam, ut ſe conſervet; partem verò

verò alimenti ſeponit ad generationem, ut ſpeciem ſuam propaget, & hæc materia accipit in loco ad id deſtinato vim generandi & perficiendi aliud individuum ſimile in ſpecie, & vocatur ſemen. Quod autem ſemen ſit ſuperfluum alimenti ultimi, probat Ariſt. loco citato aliquot inditiis, quæ ibi videantur, & accedit, quod non ſit alimentum individui, nec habeat ullam utilitatem, aut pertineat ad integritatem corporis. Et hanc ſententiam ſequitur Gal. l. 2. de ſemine c. 4 cum D. Thoma 1. p. q. 119. a. 2. Alb. M. l. 15. de animal. tr. 2. c. 5 & 6. aliisque recentioribus Theologis & Philoſophis. Quod autem in animalibus perfectis detur ſemen quod habeat rationem fructus, id vaniſſimum eſt commentum, quia fructus in animalibus & homine nihil eſt aliud niſi fætus vel Embrio ex ſemine productus. Et nullibi certè inter res viventes aut vegetabiles reperitur ſemen, quod à fructu non ſit eſſentialiter diſtinctum, eſto cohæreant aliquamdiu in vegetabilibus.

Probatur 2. ſemen non cohæret toti, neque continuum eſt, ſed quibusdam vaſculis tantum concluditur, ergò vita caret. Ad hoc argumentum, tametſi nullibi reſpondeat Sennertus; ex ejus tamen dictis, quantum colligitur, reſponderi poteſt, negando conſequentiam, ideò quod ſemen non vivat vitâ parentis ſed propria, ſicut ramus ab arbore avulſus & vireſcens. Sed hæc reſponſio eſt petitio principii, quia ut fert concluſio nullum ſemen vivit vita propria. Exemplum de ramu ab arbore avulſo nullum eſt, quia anima vegetativa arboris ita eſt diviſibilis, ut in plurimis avulſis frondibus remaneat, casque vireſcere faciat; deinde ramus eſt pars arboris continua, communique vitæ conjuncta, quod de ſemine animalium eſt falſum. Denique quod ramus eſt in arbore, hoc digitus eſt in homine & non ſemen, ideoque claudicet ſimilitudo.

Probatur 3. ſi ſemen vivit, vel vivit eâdem animâ quâ totum vivens, cuius eſt ſemen, vel alia ſibi peculiari: ſi eâdem, debet toti continuum eſſe, quod tamen falſum eſt; ſi aliâ, jam per ſe erit integrum vivens, atque ita vel planta, vel brutum, vel homo, quo nihil abſurdius. Sennert. hypomn. 4. c. 14. dicit habere eandem ſpecie animam, numero tamen diverſam: Neque hinc ſequi, animam prolis ex utroq; parentum ſemine productam eſſe geminam, quia ait has animas propterea, quod ſint ejusdem ſpeciei, coire in unam, ſicut videmus fieri in tribus aut pluribus flammis, & ſecundum Scalig. exerc. 106. ſ. 6. in pluribus palmæ ſtipitibus, quarum animæ coeuntes unam conſtituant. Addit, ſicut anima hominis v. g. dicitur tota eſſe in toto & tota in qualibet parte, ſic etiam totam poſſe dici exiſtere in ſemine maris & totam in ſemine fæminæ. Contrà hanc non tam abſurdam quam riſu dignam doctrinam eſt primò, quia anima rationalis eſt indiviſibilis. 2. non eſt communicabilis aut miſcibilis. 3. eſt ens in ſuo genere completum & per ſe exiſtens, ut proinde non valeat aſini cerebrum hæc indigna comparatio inter duas, tres aut plures animas formasque ignis, aquæ, vini, ſtipitum, plantarum, arborum &c. & inter totidem rurſum hominis aut etiam animalium brutorum, quarum illæ ſunt facilè miſcibiles, quia ſunt planè materiæ immerſæ, cuius etiam naturam ſequuntur, hæ autem immateriales, immiſcibiles, incommunicabiles &c. Huic conſimilis eſt altera comparatio, quia quando anima humana dicitur tota eſſe in toto, intelligitur adæquatè, ita ut non poſſit exiſtere in alio ſupposito, & quando tota in oculo, pede &c. intelligitur exiſtere inadæquatè, quia ita exiſtit tota ſecundum ſuam eſſentiam indiviſibilem in oculo, ut etiam ſit & eſſe poſſit in pede, aut alia quavis parte toti continua. Anima verò quæ eſt juxtà Sennertum in ſemine maris, eſt tota in toto, ſcil. adæquatè, & ſimiliter tota in ſemine fæminæ, ſcil. adæquatè, ita ut neutra poſſit eſſe in alio ſubjecto, cum per ſe tunc conſtituat unum & perfectum compoſitum, quod nullo modo dici poteſt de anima in oculo, digito, pede &c. exiſtente, cum non conſtituat ubique totum & perfectum compoſitum.

Probatur 4. omne vivens nutritur & augetur; Sed ſemen nec nutritur nec augetur niſi per additionem extrinſecam, ergò. Reſp. ad minorem Sennertus, ſemen vivere in actu primo, non ſecundo, id eſt, vivificare quidem ſed non operari: Et huc pertinere ait arbores, quæ hyeme non nutriantur, licet vivant; ſemen quod aliquando in terram injectum ferat fructum, aliquando non, ideò quod aliquando vivat, aliquando non; hominem ſtultum, qui licet habeat animam rationalem, nihil tamen intelligat, nihil loquatur &c. proinde formam non ſemper ſequi operationes. Contrà eſt, quia impoſſibile eſt rem vivere & non operari vitaliter, ſicut v. g. rem calidam eſſe & non calefacere; Nam vivificatio nihil eſt aliud quam operatio vitalis, in qua etiam formaliter conſiſtit. Exempla nihil probant, quia arbores etiam in hyeme nutriuntur, licet exiguè propter frigus; & hoc de urſis aliisque animalibus hyeme in latebris degentibus intellige, quia tantò minus nutriuntur, quanto minùs habent caloris innati. Quod ſemen in terram projectum aliquando non ferat fructum, cauſa eſt, quod vel careat vita, vel certè deſint aliæ terræ diſpoſitiones, quæ ad vitam fructumque multiplicandum requiruntur. Locutio, intellectio, viſio &c. ſunt operationes animæ ſentientis, & intelligentis non vegetantis; quando enim dicitur viventi ſemper competere, ut vitaliter operetur, intelligendum eſt de operationibus vitæ propriis non ſenſui aut intellectui, quia vita poteſt absque his etiam exiſtere, non autem absque iis, ut eſt nutritio &c. & hinc etiam dicendum eſt, oſſa nutriri in ſenibus, licet non creſcant, quia exiguum eſt quod deperditur propter ſiccitatem, & quod adglutinatur propter defectum caloris.

Probatur 5. ſi ſemina vivunt, vel vivunt vitam

tam plantæ, vel animalis, atque ita erunt ſub certa ſpecie plantæ vel animalis: Item ſemen papaveris erit papaver, ſemen bovis bos, ſemen hominis homo. Rurſum ovum diceretur etiam pullus, & qui comedit ovum, comedit pullum contrà inſtitutionem Eccleſiæ, quæ prohibet pullum non ovum: Impoſſibile n. eſt, animam eſſe actualiter in ovo, glande, ſemine pomi, pyri, bovis, hominis, & non dare illi effectum formalem non tantum animati ſed etiam pulli, bovis, hominis, quercus &c. Hic varia docet & reſpondet Senner. hypomn. 4. c. 7. primò videl. tametſi ſemen plantæ ſit eſſentialiter planta, idem intellige de aliis ſeminibus, non tamen dici plantam ideò, quod necdum ſit præſens in actu ſecundo & perfecto, quia hoc fit, cum in ſemine omnia habet organa ad actiones eliciendas neceſſaria. 2. ſpecies rerum naturalium non denominari ab eſſentiali ratione, quam det forma, ſed ab ea conſtitutione, quâ ſint ſpecies mundi ſenſibiles, id eſt, quam dent accidentia, unde etiam ſemen non dici papaver, canem, bovem, hominem, ſed à corporea & ſenſibili conſtitutione ſemen papaveris, canis, bovis, hominis &c. Contrà eſt primò, ſemen plantæ, canis, hominis &c. nō poteſt eſſentialiter dici planta, canis, homo, niſi ab anima præſente, quæ dat eſſe & operari. 2. quamprimum anima ſemini bovis, canis, hominis, præſens eſt, ab ea ſtatim denominatur animal vel planta; an autem anima poſſit eſſe in corpore inorganico, ſuprà patet. 3. anima quamprimum eſt in ſemine, adeſt ſecundum totam ſuam perfectionem, quæ ab ea eſt inſeparabilis, eſto non poſſit ſemper æquè propter organorum indiſpoſitiones operari. 4. diſtinctio in actum entitativum & formalem nulla eſt, quia ubicunq; anima præſens eſt juxta unum, etiam præſens eſt juxta alterum. 5. denominationes ſeminis plantæ, hominis, canis &c. ſumuntur à ſola forma, per quam res & ſpecies totius univerſi diſtinguuntur & non ab accidentibus; unde ſi anima rationalis informaret corpus aliquod monſtroſum homini abſimile, & in eo exerceret omnes operationes hominis, verè hoc monſtrum diceretur homo, quia denominatio deſumitur â forma intrinſeca & eſſentiali, & non ab aliqua conſtitutione extrinſeca; ſic etiam Sennertus habet cerebrum humanum à forma rationali, etiamſi in effectu propter tam ineptam doctrinam dicendum ſit aſininū.

Vbi anima eſt, ibi dat effectum formalem

Probatur 6. anima eſt actus corporis organici; ſed ſemen non eſt organicum, ergo non poteſt eſſe ejus actus. Hic reſpondet Marcus Marci Medicus Pragenſis in ſua Idea Operatrice e. a. animam eſſe actum corporis organici, quod tamen ipſa ſibi formet & delineet. Contrà eſt, quia corpus organicum formatur ab anima matris & virtute ſeminali; eſt etiam inanimatum & non recipit animam niſi ultimatè & perfectè formatum, ut patet ex jam dictis. Deinde anima non poteſt informare nec operari niſi in corpore organico.

Probatur 7. ſi ſemen eſt animatum, ſequitur nullam fieri generationem plantæ, canis, hominis &c. hæc ſequela manifeſta eſt, quia generatio eſt productio formę ſubſtantialis, qualis hic non produceretur, cum jam actu in materia exiſteret. Sennert. 5. hypomn. c. 4. & 7. negat ſequelam majoris & reſpondet, vel maximè hoc probari generationem & demonſtrari. Nam hypomn. 4. c. 7. objectione 7. dicit, generationem non abſolvi per generationem ſeminis, ſed requiri inſuper ut ſemen illud, quod à generante animam accipit, non amplius cohæreat generanti, ſed ab ipſo ſeparetur, & quod antea unum ejuſdem ſpeciei individuum fuit, jam plura fiant, quod dum fit, dici reverà generare arborem, herbā, canem, hominem, non cum planta è terra excreſcit, aut fœtus abſolvitur, quia hæc ſit deductio à ſtatu & actu imperfecto ad perfectum, nullo modo autem generatio. Hypomn. 4. c. 4. dicit, generationem fieri per multiplicationem & propagationem formarum in ſemine, ideoque quoties conficitur ſemen, jam fieri generationem; Et rametſi ſuo modo generationem fieri dici poſſit, cum ex grano tritici planta tritici formatur, ſi tamen propriè loqui velimus & juxtà opinionem Ariſtotelis, primam communicationem animæ nutritivæ cum calido nativo eſſe generationem, & hoc fieri in generatione ſeminis, proindeq; generare arborē, quando producit ſemen, idem de leone, homine &c. intellige. Contrà hãc planè puerilem & inſanam philoſophiam eſt, ſemen eſſentialiter diſtinguitur à planta, & ſemen hominis ab homine, ergò generatio ſeminis non eſt generatio plantæ. 2. ſemen nunquam cohæret animali, ſicut nec ſanguis nec ſpiritus, aliàs eſſent partes corporis integrantes, ergò generatio non fit, cum ſemen à generante ſeparatur. 3. per ſeparationem nihil novi additur, niſi mutatio loci, ergò per ſeparationem non abſolvitur generatio. 4. forma ſeminis plantæ non poteſt ſimul produci cum forma plantæ, canis &c. quia & naturâ & tempore debet eſſe prior quàm ſit forma plantæ, ergò ſubſequenti tempore debet fieri generatio plantæ, canis &c. 5. generatio eſt actio inſtantanea, eſt mutatio totius, eſt productio formæ, quæ fiat in inſtanti: ſed nihil horum eſt generatio Sennerti, ut patet ex dictis, ergo.

Probatur 8. ſi ſemen eſt animatum, ſequuntur multæ & quidem periculoſiſſimæ abſurditates, ut quod in profluxu ſeminis humani ſemper profundatur anima rationalis, & qui deſtruit ſemen pyri, deſtruat integram pyrum, & qui conterit glandem, conteraret etiam ingentem quercum &c. Vide quæ diſp. 9. de anima, diffic. 12. in fine probationis 4. ſufficienter dicta ſunt.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XVI.

Qnid reſpondendum ſit argumentis in contrarium.

DICES 1. ſemen habet in ſe vim generativam, ſiquidem per hoc conſervantur & producuntur individua in ſpecie, ipſæque ſpecies perpetuantur, ergò animatum eſſe debet. Reſp. negaodo conſeqnentiam, quia tantum ſequitur, ſemini ineſſe vim inſtrumeotalem generandi & producendi animam, ipſum tamen non eſſe animatum; ſieut licet calor habeat vim inſtrumentalem producendi ignem, non tamen ſequitur, illum actu forma ſubſtantiali ignis informatum eſſe.

DICES 2. cum Sennerto hypomn. 4. c. 6. cũ ſemen ex 1. de gen. animal. c. 18. ſit ex numero efficientium, & omne agens operetur, non quatenus potentia, ſed quatenus actu tale eſt, ſequitur animam actu ſemini ineſſe. Reſpondeo conceſſo antecedente, negatur conſequentia, quia ſemen non agit vitaliter, ſiquidem formatio corporis organici non eſt effectus vitalis, ſed tantum diſpoſitio ad animam viventem; neque agit ut cauſa principalis, ſed tantum ut inſtrumentalis, quæ tamen ſit actu. Et multa ſunt agentia, quæ actu operantur, & producunt ſubſtantiam viventem, quamvis ipſa non vivant, ut ſol, aſtra, calor &c.

DICES 3. in ſemine deprehenduntur maniſeſtiſſimę operationes animæ, ut ſunt vivificatio ſeminis & formatio: quod autem anima efformet Embryonem, inde patet, quia alia non adeſt, neque faciet ipſum generans, quod ſæpè non eſt amplius in rerum natura; neque calor, quia hic nõ poteſt eſſe principale agens formationis; neque virtus uteri materni, quia aliàs patet ad formationem nihil faceret. Reſpond. negando in ſemine eſſe ullam operationem vitalem, ut patet alibi: formatio enim non eſt actio vitalis, neque procedit à principio vitæ; deinde nec nutritur nec augetur &c. format autem Embryonem & corpus organicum virtus à generante ſemini impreſſa, non quidem principaliter, ſed tanquam generantis vicaria, quæ etiam pereunte illo, aut longius abſente nihilominus agit & perficit Embryonem per actionem merè tranſeuntem. vide diſput. 3. difficult. 6. hujus libri.

DICES 4. ſi ſemen non eſſet animatum, & nihilominus animatum produceret, nobilius produceretur ab ignobiliori, & virtus ſeminis produceret ſubſtantiam, quod eſt falſum. Reſpond. in homine cæteriſque brutis animantibus nihil à virtute ſementiva produci præter corpus organicum, quod animatum non eſt, & cuius diſpoſitiones ſunt formæ partiales. Deinde virtus ſeminis non eſt cauſa principalis ſed inſtrumentalis, qualis ubique in generationibus nobiliſſimarum ſubſtantiarum reperitur. De his vide ſimiliter diſput. & difficult. cit.

DICES 5. quicquid ſibi ſimile generat, genito ſuam eſſentiam communicat, aliàs non eſſet ſecundum eſſentiam ſimile: ſed vivens generat ſibi ſimile, ergò communicat genito ſuam eſſentiam, & conſequenter non tantum materiam, ſed etiam formam; Atqui hoc fieri non poteſt, niſi generans animam habeat. Reſp. in ſano ſenſu concedendo totum: vel ſi per eſſentiam intelligas aliquid quod ſit eſſentiæ ipſius generantis, negatur, quia hæc eſt incomunicabilis: dum n. equus equũ v. g. generat, nõ ſuam fœtui formã imprimit, aut aliquid ab ea expreſſũ, ſed ita diſponit Embryonem, ut neceſſariò conſequatur nova forma equi, quæ per virtutem generantis, equi ſcilicet, producitur in materia ſeminali, quæ potentiâ hanc formam continebat. Et hoc idem intellige de omnibus reliquorum viventium formis, excepto ſolo homine, qui ut generet hominẽ, per accidentia concurrit ad diſponendum, corpus organicum, et proindè diſpoſitiones ultimò factæ requirant unionem cum corpore, quam animam ſolus Deus producit & infundit, ut patet de productione animæ rationalis, cum cæteræ brutorum animæ effectivè emanent ab animabus ſuorum generantium.

DICES 6. ſemen eſt fructus viventis calido innato plenum, eum in finem productum, ut per illud ſimile generetur, ergò eſt animatum. Reſp. negando conſequentiam propter rationes hactenus ſæpè repetitas.

DICES 7. ſemina fructuum diu multoque tempore ſe domi conſervant, & hoc per ſuam animam, ergò ſunt animata. Reſp. negando antecedeos, quia quod ſemina conſerventur illæsâ virtute ſeminali, fit propter complexionem & formam mixti, qua res cunctæ naturales ſeſe aut brevius aut longius conſervant, quamvis tandem aut putredine corrumpantur, aut marcore contabeſcant: ſic metalla & lapides diutiſſimè propter ſoliditatem & ſiccitatem durant, ligna verò aliaque mixta citius diſſolvuntur propter abundantiã humoris &c.

DICES 8. niſi ſemen ſit animatum, ſimile non generabit ſibi ſimile. Reſp. negando ſequelam, quia quod virtus ſeminalis generet aliquod ſpecificum, id facit in virtute ſui generantis, cuius ipſa eſt inſtrumentum, & à quo ad hanc actionem determinatur.

QVÆRAS 1. an ergò ſemina vegetabilium nullo modo vivant. 2. quando extinguantur animæ plantarum, an quando evelluntur, aut rami quando ab arboribus reſecantur aut fructus quando decerpuntur. 3. quis producat animas plantarum aut ramorum cum in terram defodiuntur. Reſp. ad primum, quamvis omninò ſit probabile, ſemina vegetabilium actu vivere, primò quod habeant animam totam materiæ immerſam, ideoque diviſibilem. 2. quod plurimum dependeant à temperamento. 3. quod etiam plantæ à ſuo trunco avulſæ pullulent & vireſcant; nihilominus tamen etiam, licet minus probabile, videtur vivere potentiâ tantum, ideò quod nihil operentur vitaliter, anima tamen res ſit propter *Semina vegetabilium an vivant.*

ope-

operari; deinde quod anima adæquatè ooo poſſit infotmate corpus homogeneum, ut ex dictis patet. Ad ſecundum Reſp. animam rami vel arboris avulſæ non ſtatim perire, ſed manere aliquamdiu cũ temperamento, quod etiam de fructibus & ſeminibus ita intellige, ut cum exiccantur & domi aſſervantur, anima paulatim abſcedat partemque poſt partem, in quibus illa undique eſt diviſibilis, deſerat, id quod etiam in inſectis confirmatur, quæ diviſa aliquamdiu vivunt. Ad tertium Reſp. cum ex ramo vel ſemine in terram injecto vel defoſſo producitur planta vel arbor, id cælo adſcribendum eſſe, ut ex alibi dictis patet, vel certè ramus adhuc animatus eſt, quia non facilè in arborem novam emergit, ubi humidũ & temperamentum requiſitum petüt, & tunc generans non in cælo ſed in ramo vel ſemine quærendum eſt. Perit itaque anima veget: in ſemine, ramo, fronde &c. quia petit temperamentum & calor, à quo anima io conſervati pendebat.

DIFFICULTAS XVII.

Quæ ſit pars princeps humani corporis ſecundum Medicos.

MAgna contentione de hac te litigant Medici & Philoſophi, eſtque hæc quæſtio multarum difficultatum origo & ptincipium: eſt autem potiſſima controverſia, quid ſit pars ptioceps, & cui parti id competat, an uni & eui, vel an pluribus & quibus.

Sententia Galeni & omnium fermè Medicorum eſt, non poſſe eſſe unam tantum partem principalem, ſed neceſſariò eſſe conſtituendas plures, ut videre eſt ex definitione partis principalis, quam habet Gal. l. 6. de officio & uſu partium c. 7. l. 6. de Hipp. & Platon. decr. c. 6. aliiſque in locis, ubi utplutimùm Cor, Epar & cerebrum intendit eruere. Sunt autem probationes ſubſequentes. Prima, illæ ſuot partes principales, in quibus aliqua facultas ptincipalis ineſt; ſed in corde, Epate & Cerebro ſunt tales facultates, ergò, minor ptobatur, quia in Epate eſt facultas naturalis, quæ ab ipſo in univerſum corpus influit; In cerebro ſunt ſenſus, & ab eo in omnia ſenſoria illuſtratione quadam deferuntur; in corde reſidet facultas vitalis caloris nativi & vivifici, ergo. 2. Illæ ſunt partes principales, à quibus inſtrumenta omnium facultatum principum oriuntur; ſed à corde, cerebro & epate id fit, ergo. minor probatur, quia naturalis facultas ab Epate per venas deducitur, unde originem ducunt; animalis per nervos, qui à cerebro ortum habent; & vitalis per arterias, quæ radicantur in corde. 3. facultas naturalis, vitalis & ſenſitiva requirunt diverſas diſpoſitiones, ergò non poſſunt uni parti ineſſe. 4. illæ ſunt partes principales, quæ primò formantur; ſed epar, cor & cerebrum primò formantur, & ante omnia Epar, ergo. 5. tot ſunt partes principales, quot ſpitituum genera, qnibus facultates utuntur in functionibus ſuis; ſed ejuſmodi genera ſuot tria, ergo. minor probatur, qoia eſt ſpititus vitalis, naturalis & animalis, ut videre eſt apud Andr. Laur. l. 1. operum anatom. q. 2. ubi pellitè lycæo ſuo ut ait peripateticos, tandemque poſt multa concludit, tria quidem eſſe principia, ſed uoo ſub una ratione formali, unum ſcilicet, quod præſter dignitate cerebrum; alterum quod neceſſitate cor; & tertium quod origine epar. Similiter alibi docet, tria eſſe ptincipia ut fontes, cot, cerebrum, epat; tres ex iis canales, ut veoas, arterias, nervos; & tres in iis diſtinctos ſpiritus, animalem, vitalem, naturalem. 6. illa eſt pars princeps, quæ ad vitam iodividui conſervandam abſolutè eſt neceſſaria; ſed tales ſunt cor, Epar, Cerebrum, ergo. 7. illa eſt pars ptincipalis, quæ toti corpori facultatem aut materiam aut vitam abſolutè neceſſariam ſuppeditat; ſed tales partes ſunt illa tria, ut ait Plemb. in fund. med. l. 2. c. 5. 8. illa eſt pars ptincipalis in qua ut in præcipua ſede maximè viget virtus aliqua, qua totum corpus vivens gubernatur; ſed huiuſmodi virtutes ſunt in cerebro, corde & epate, ergò.

DIFFICULTAS XVIII.

Quæ ſit pars princeps ſecundum Ariſtotelem & Philoſophos.

SEntentia 2. eſt Ariſtotelis 3. de part. animal. c. 4. & alibi ſæpius, quem etiam plerique ſequuntur peripatetici, ſed & ex Medicis non pauci principalem. Er hoc ut intelligas.

Nota primò, Medicos non convenire inter ſe, nec de partis principalis definitione, neque de numero. Nam Galenus l. 6. de uſu partium c. 7. & 9. & l. 14. c. 1. partem ptincipalem ait eſſe, quæ ad vitam eſt neceſſaria. Alii autem: quæ ad conſervationem iodividui totius eſt abſolutè neceſſaria. Valeſ. l. 2. con. c. 13. dubitat & fatetur Medicos diſſeotire, & videri quæſtionem de nomine, à ſe tamen cautè nominati partem principalem, io qua virtus aliqua eorum, quibus humaoum corpus guberoatur, ut in ſede ptæeipua viget. Definitionem Galeni maximè reprehendit Argenterius Medicus: nam ſi ex neceſſitate conſtituatur membrũ ptincipale, veotriculus, lien, pulmo &c. etiam debent numerari inter partes principales. Deinde Gal. in arte parva alias quoque partes ad numerat, & alibi etiam cordi præfert. Hinc etiam l. 6. de placitis q. 10. aliam definitiooem partis ptiocipalis tradit, ſcilicet, qoæ vel facultatem toti largitor, vel materiam ſaltem; quæ definitio ſi booa eſſet, etiam ventriculus dicendus eſſet pars ptincipalis. Avicennas cum Valeſio & aliis ſic definit partem principalem, quæ habeat in ſe principium ptimatum facoltatum corpotis, vel in qua

Pars princeps quæ & quid

qua vis aliqua eorum, quibus corpus regitur, ut in ſede præcipua maximè viget. Vnde ſententiam Ariſtotelis ita explicant, ut velint omnes facultates in corde eſſe tanquam in radice, fieri autem manifeſtas in cerebro, epate & aliis partibus &c.

Nota 2. multa in hoc genere eſſe, quæ pendeant ex ſenſu oculorum & ſectionibus anatomicis, unde etiam maxima fides adhibenda eſt talibus, qui maximam operam ea in arte impenderunt, qualem fuiſſe Ariſtotelem multi viri docti ex ejus libris, quos ſummo ſtudio & incredibili labore de hiſtoria, partibus & generatione animalium conſcripſit, dijudicant: putant enim quod non in uno alterove homine mortuo omnia contemplatus ſit, ſed quod etiam hanc ob rem innumeros piſcatores, aucupes, venatores ex tota Græcia ſumptibus Alexandri Magni ad ſe adduci curaverit, ut videre eſt apud Plinium l.16.c.8. Adde quod ipſi non incognitæ fuerint Medicorum opiniones, qui tum temporis ante ſe vixerunt, & quod etiam multa à patre ſuo Medico cognoſcere potuerit, quibus omnibus poſitis ipſe conſtanter ſuam opinionem & doctrinam de principatu cordis edixit & edocuit.

Nota 3. Variis modis poſſe intelligi membrum aliquod in corpore princeps eſſe. *membrum princeps quot modis dicatur* Primò ſi in aliquo membro eſſet anima, & non in reliquis, rectè ei attribueretur principatus; verum cum anima ubique ſit in corpore, nullum eſt ejusmodi membrum, quia hoc modo digitus tam benè princeps eſt membrum quã cerebrum, 2. poteſt membrum dici princeps, quod ſit neceſſarium, idque dupliciter: primò ſi absque aliquo vita ſuſtentari non poteſt; & hoc modo plura ſunt membra præcipua, ut cor, cerebrum, ventriculus, pulmo, lien &c. 2. à quo alia membra dependent, ita ut eo ſublato cætera membra ſuo officio fungi non poſſint, quod iterum duobus modis fieri poteſt; primò, ſi aliqua tantum membra ab uno dependeant. 2. ſi cætera omnia. Dependet autem unum membrum ab alio, quia vim aliquam ab eo recipit, qua poſſit ſuas actiones exercere; Et ea vis ſi ſit materia tantum, quo modo ventriculus ſuppeditat chylum epati, ad principatum nihil facit, quia præbere materiam eſt potius partis vilioris; deinde vis ea interdum eſt virtus agens & operans, quo modo calamus dicitur vim recipere à manu, quia motum recipit, quo deinde agit & ſcribit, atq; id membrum, cui hoc convenit, habet principatum quendam in illud, cui talem virtutem tribuit, quia conſtituit illud membrum idoneum ad operandum; ſunt autem virtutes activæ aliis aliæ nobiliores & perfectiores, quia quædam habent ſe ut habitus, quædam ut privatio, & ſine dubio illud membrum eſt magis præcipuum, quod nobiliorem vim activam tribuit. Porrò membra præcipuè indigent ad ſuas functiones calore vitali ſine quo non modo operationes vitales non exerceri poſſunt, ſed ne animam quidem retinere; *membrum principale eſt.* Vnde ſtatuendum eſt, illud membrum eſſe princeps in corpore, à quo omnia reliqua membra recipiunt calorem vitalem, quia ſicut nihil principalius eſt in corpore animato vitâ; ita nec aliquid nobilius eo quod ad vitam principaliter inſervit, ut calor vitalis ubique rectè diſtribuatur, & tanquam maximè neceſſarium inſtrumentum animæ communicetur; Et hinc

Suppono, quæſtionem de principatu non eſſe in ordine ad hanc aut illam actionem, v.g. ad ſenſationem, ad intellectionem &c. ſed in ordine ad vitam & abſolutè ad actiones vitales, de quarum principio & fonte dum quæritur. *quæſtio de principatu eſt in ordine ad vitam & vitæ actiones.*

DICO cum Ariſtotele & Peripateticis, cor ſolum eſt membrum præcipuum in viventibus perfectis, non autem epar aut cerebrum: *Cor eſt pars princeps.* In iis autem animalibus, quæ corde carent, eſt membrũ aliquod proportione cordi reſpondens. Probatur primò, præſtat unum eſſe principium, ergò. Probatur antec. tum quia natura cuique fecit, quod eſt melius, tum quia ratio principii hoc poſtulat, ut ſit unum inter multa, tum quia in mundo majore unum eſt principium & unus motor; hinc enim par ratio eſt, in mundo minori ab uno principio etiam pendere omnia. Probatur 2. cor primò vivit & ultimò moritur, ergò à cæteris membris non pendet, ſed omnia ab ipſo. Probatur 3. cor habet ſedem in animali tanquam rex in ſuo regno, videlicet mediam. ergo ſicut loco, ita etiam dignitate ſuperat. 4. à corde in univerſum corpus nativus calor diffunditur, ſine quo nec ulla pars ſuo munere fungi, nec omninò vitam tueri poteſt. 5. illud eſt membrum præcipuum in corpore, à quo cætera omnia habent ſuam complexionem calidam neceſſariam ad exercendas functiones vitæ; ſed tale eſt ſolum cor, ergo. major patet ex quæſtionis explicatione: minor probatur, ſpiritus tribuunt per omnia membra calorem vitalem & complexionem influxam; ſed hi generantur in corde, ergo à corde eſt complexio & calor vitalis neceſſarius ad operationes vitæ, 6. principale membrum nec eſt cerebrum, nec epar, ergò cor; cerebrum imprimis eſſe non poteſt, quia hoc eſt frigidæ complexionis, & frigus eſt deterior qualitas activa, & animæ præcipuum inſtrumentum non eſt frigus ſed calor, ut habet Ariſtoteles 2. de anima c. 4. hic autem quæritur præcipuum membrum, quod primariò tribuat virtutem corpori, quale potius eſt cor quam cerebrum. De epate probatur, quia hoc calefit ab ipſo corde, neque habet tantum virium, ut ſanguinem tranſmutet in ſpiritus vitales, prout fit in corde; quod membrum etiam eſt præcipuum, quia eſt calidiſſimum. 7. oſtendit Ariſtoteles 3. de part. c. 4. quod ſicut motus rerum inferiorum dependeant à motu cœli, & motus cœleſtis ab uno primo motore; ita etiam operationes cæterorum membrorum dependeant à corde, ideoque collocatum eſſe in medio corporis, ut ad omnia membra ſuam virtutem poſſit diffundere. 8. omnia reliqua membra poſ-

ſunt

ſunt graviter lædi vitâ incolumi ſaltem ad aliquod tempus, cordis autem læſio etiam levior vitam ſtatim aufert, id quod haber Ariſtoteles 3. de pattibus c. 4. & 4. ejusdem operis c. 2; verba Ariſtotelis ſunt hæc, cor ſolum viſcerum atque omnium partium corporis nullum vitium patitur grave, idque rectâ ratione; eum enim principium corrumpitur, nihil eſt, quod cæteris quæ inde pendeant, præbere auxilium poſſit; & nunquam cor ita affectum viſum eſt ſicut in viſceribus cæteris &c.

DIFFICVLTAS XIX.

Quid ad argumenta Galeni & Medicorum reſponderi poſſit.

AD argumentum primum reſpondetur, negando minorem, niſi tamen illud nomen principii latius ſumatur, prout comprehendi poſſunt multæ partes, quæ præ aliis habent prærogativam. Ad probationem Dico, in cerebro ideò dari ſenſus, quia ibi ſunt organa ſenſuum, ad quos nihilominus principaliter influit cor: Et hoc idem de generatione ſanguinis crudioris in epate, ſeminis in vaſis ſpermaticis &c. dicendum eſt, quia his omnibus actionibus opitulatur virtus cordis, cum èconcra nec epar nec cerebrum, nec ullum aliud membrum ſuccurrat cordi, niſi quatenus cum eo & totâ corporis harmoniâ correſpondent.

Ad ſecundum reſpondetur, negando majorem & minorem, licet enim à cerebro oriantur nervi, nihil tamen inde convincitur, niſi hoc fortaſſis, quod cerebrum ſit unum ex nobiliſſimis membris; deinde venæ non oriuntur ab Epate, licet ibi collocetur virtus naturalis, ut alibi patet.

Ad tertium reſpondetur concedendo totum, quia ſemen non poteſt conficere cor, coquere & diſtribuere ſanguinem impuriorem, ſegregare humores & ſimilia, ad quæ requiruntur certa organa, poteſt tamen nihilominus virtute ſua principali influere.

Ad quartum reſpondetur negando majorem & minorem: Majorem quidem quia formatio an prios aut poſterius fiat, nihil ad rem facit: Minorem verò quia omnes partes ſimul formantur, ut docet Hipp. & patet ex dictis.

Ad quintum, negando ſimiliter totum; nec enim ſpiritus naturalis, ſi tamen datur, quicquam ad principatum facit, nec animalis, qui non influit in univerſum corpus, aut vivens ſimpliciter conſervat, ſicut vitalis in corde genitus. Ad probationem autem Laurentii dico, nobiliſſimas animæ operationes, quæ fiunt in cerebro, nihil ad rem facere, niſi quod ibi ſint organa, ad quorum conſervationem neceſſario à corde ſit ſuccurrendum: Nam illud membrum eſt principaliſſimum, quod maximè neceſſarium, & inſuper in alterum virtute ſua influit, quodque ab actionibus animæ nobiliſſimis & digniſſimis dicitur digniſſimum & nobiliſſimum. Vel certè dicendum eſt, cerebrum eſſe membrum principaliſſimum quoad eliciendas actiones ſenſitivas, non autem ſimpliciter & abſolutè quoad omnes & præſertim vitales.

Ad ſextum Reſp. negando majorem, quia aliàs plures partes eſſent vocandæ principales, cum ad vitam conſervandam ſint neceſſariæ abſolutæ, ut ventriculus, inteſtina: proinde alia addenda eſt ratio, ut ſcilicet in omnes alias ſimul influat, & earum actiones promoveat, quod ſolum facit cor; quod etiam propterea dicendum eſt membrum maximè & non tantum abſolutè neceſſarium.

Ad ſeptimum reſpondetur, illud quidem eſſe membrum principale, quod toti corpori facultatem & virtutem ſuppeditat, & cum virtute aliquid materiæ, intellige ſpiritum & calorem; ſed hujusmodi membrum non eſſe epar, quia nullam virtutem cordi communicat, nec etiam eſt cerebrum, quia non ſuppeditat ſpiritus; nec aliud membrorum, quæ tantum aliquibus aliquid, aut certè nihil communicant, ut patet per ſingulorum enumerationem.

Ad octavum reſpondetur negando minorem, quia nec Epar nec cerebrũ eſt tale membrum, à quibus regatur totum corpus, eſto ſint partes poſt cor principaliores, quæ totum corpus regant & gubernent, quæq; actiones principaliores efficiant: Et hinc facilè patet, quomodo definienda ſit pars princeps: Nam imprimis definitio illa Galeni, quod videlicet pars principalis ſit ea, quæ ad vitam conſervandam abſolutè neceſſaria, falſa eſt, quia etiam ventriculus & aliæ partes ſunt ad vitam abſolutè neceſſariæ, & tamen non cenſentur inter partes principales, ſicut teſticuli, qui æſtimantur principaliores, licet non abſolutè requirantur ad vitam. 2. nec illa definitio bona eſt, quam idem Galenus loco citato habet; quod pars principalis ſit, quæ toti corpori facultatem aut materiam præbet, quia etiam ventriculus præbet toti corpori materiam; imò ſi addas, materiam ad vitam abſolutè neceſſariã, parum ad rem facit, quia poteſt homo diu ſine chylo vivere, ut patet in fœtu in matris, & in iis qui diutius nutriuntur clyſteribus, vel qui in latibulis degentes diu ſine cibo & chylo vitam protrahunt. Hinc optimè definitur pars princeps, in qua maximè viget virtus conſervativa *Quid pars*
& gubernativa totius; & hinc excluditur epar, *princeps.*
quia non impertit corpori facultatem conſervativam, tum cerebrum, à quo ſolum nervi & ſpiritus animales ad motum, non ad vitam abſolutè neceſſarii manant, nec influunt hæc membra in totum corpus & ſingulas partes, ut examinanti & per omnia diſcutienti facilè patet.

DIFFI-

DIFFICULTAS XX.

Quid ad alias rationes contrarias reſpondendum.

An Apoplectici ſubitò pereant.

DICES primò, in apoplexia ſubitò concidunt homines mortui etiam illæſo corde & corpore, ideò quia ſolum cerebrum patitur, ergò ſignum eſt, cerebrum æquè velocitet inferre mortem, ſi lædatur, proindeq; non cedere quoad principatum cordi. Reſp. nullū apoplecticū ſubitò perire etiamſi ſubitò concidat, quia ceſſante influxu ſpirituum animalium ceſſat immediatè motus & ſenſus, quem utrumq; paulatim ſequitur interitus; ceſſante a. influxu ſpirituū vitalium perit vita ſubitò, ex quo ſolo præſtantiam & dignitatem cordis intellige. Eſt enim primus & principalis animæ effectus, dare vitam. Quod itaq; apoplexia hominem citius perimat, non fit ex læſione vel vulnere cerebri, ſed partim ex denegato influxu ſpirituum animalium ob nervorum obſtructionem ab humore craſſo & viſcoſo, partim ex ſuffocatione cordis, quæ oppilationem illam ſequitur, ut conſtat apud eos, qui de cauſis huius affectus ſcripſerunt. Et confirmat hanc cordis prærogativam experientia, quæ docet vulnerato etiam profundius ſive cerebro ſive epate animal ſupervixiſſe ſemper, corde nunquam; Nec eſt, quod ad Anatomicos appellemus, qui ſæpius canes exſecto corde adhuc vixiſſe & latraſſe referant, quia id eorum jactura eſt, cum præſertim alii qui huius rei experimentum omni ſtudio fecêre, contrarium dicant. Et quamvis verum eſſet, nihil tamen faceret contrà Ariſtotelem, quia cum fateantur ipſi, ſe meatus cordis obſtruxiſſe, non potuit exſecto corde omnis ejus virtus, quam per omnes meatus jam ſparſerat, elabi; atq; ita nihil mirum eſt, ſi vi ſpirituum ante à corde immiſſorum aliquamdiu ſe canis adhuc moveat, quemadmodū truncato capite homines movere ſe & currere paſſus aliquot videmus; Experientias ſuas & exempla quisque colligat.

DICES 2. conſtat multos ex puncturis nervorum vel aliis leviſſimis vulnerum inflictionibus perire, ergo etiā huiusmodi partes ſunt principales. Reſp. ſi quandoq; contingat, hominem ex levi aliqua offenſa vel ſubitò vel citius quam quod talem affectum deceat, perire, judicandum eſt, id ex alia cauſa, videl. ex nimio conſenſu cum corde, diſſolutione ſpirituum vitalium, fortiq; deliquio eveniſſe, cuius rei experimenta in magnis animi paſſionibus, atq; ita beneficio cordis habemus.

DICES 3. ad conſervandam vitam requiruntur ſpiritus qui ſunt in corde, ad operationes animales nervi cum ſpiritibus animalibus, qui proficiſcuntur à cerebro, ad nutritionem verò ſanguis & humores alimentales, qui generatur in epate, ergo tria ſunt membra principalia & non cor unicum. Reſp. non tantum hæc ſed plura alia eſſe membra principalia, principaliſſimum verò cor ſolum, quia ad actiones omnes requiritur, cætera verò ad peculiares, quæ non ſunt ad conſervandam vitā.

DICES 4. ſi cor eſſet principium omnium operationum vitalium, etiam eſſet earum quæ ſunt animæ veget: & ſenſit. videl. nutritionis, accretionis, motus, viſus &c. ſed hoc falſum eſt, ergo & illud, quia motus fit è cerebro, nutritio ab epatis influxu &c. Reſp. cor ubique influere & adeſſe ſuo calore & ſpiritu operationibus, atq; ita omnia in omnibus agere & adminiſtrare.

DICES 5. Gal. l. 1. de ſemine c. 15. teſtes vocate principaliſſimos. Reſp. id ab eo magis orbanè quam phyſicè & verè dictum eſſe. Quod ſi & l. 2. 2. medic. c. 9. & 1. de arte cur. ad Glauc. c. 2. numeret teſtes eosdem inter partes principales. Reſp. hoc illum ideò feciſſe, quia latius ſumpſerit nomen partis principalis, & quod viderit etiam ab iis emanare virtutem quandam, ſcil. generativam, ſicut à corde vitalis, ab epate nutritio, & à cerebro ſenſitiva ſeu animalis.

DICES 6. etiam Ariſtotelem vocare teſtes partes principes, & inter has etiam numerare cerebrum; Reſp. illum impropria & ampla ſignificatione ſumpſiſſe nomen partis principis, quod idem in aliis rebus ſæpè fecit. Et certum eſt, cerebrum eſſe inter partes principales numerandum, ſicut etiam epar, teſtes & ventriculus, quia materiam ad nutritionem, ad generationem cæterasq; nobiliſſimas actiones præparant & ſumminiſtrant. Et hinc colligitur ideò cor obtinere principatum abſolutè, quia influit in omnes & ſingulas corporis partes & communicat cauſam vitæ, ſpiritus nimirùm & calorem, eſto reliqua membra etiam ſint ſecundum quid & in ſuo genere principalia ut docet And. Laur. loco citato.

Cor ideò eſt pars princeps in homine, quia eſt princ. vitæ, à quâ deſumitur principatus.

DISPUTATIO VIGESIMA.

De uſu, conſenſu & neceſſitate partium humani corporis.

SI nihil eſt rerum etiam minutiſſimarum in ſublunaribus, quod non in aliquem finem ſive à Deo ſive à cauſis naturalibus productum ſit; Nec corpori humano eiusq; ſingulis partibus id quoq; denegare licebit, quippe quod eſt eximia pulchritudine ſummaq; prudentia perfectum & abſolutum, ſuperatq; omnia longè terrena compoſita, ſive formam ejus ſpiritualem & immaterialem ideòq; divinam, ſivè materiam, turpem quidem & imperfectam nec ab aliis rebus corruptibilibus diſtantem, elegantiſſimè tamen & nobiliſſimè decoratam, ſive deniq; productorem Deum & hominem ſpectes. De fa-

brica humani corporis ejusque partibus, quo ſint decore & ornamento, quoque firmamento & robore factæ interq; ſe unitæ, nihil hic dicam; quia de hoc, quantum fieri licuit & materiæ neceſſitas poſtulavit, ſatis actum fuit in antecedentibus, eſtque id opus immenſi laboris & Anatomicis, qui in eo jam à ſeculis ad amuſſim explicando & perſcrutando ingentia volumina adimpleverunt, proprium: Dicam verò de ſola functione & uſu, quem ſingulæ partes & viſcera in tot tamque diverſis operationibus, ſive eidem ſoli, ſive cum aliis animalibus ſint peculiares & communes, præſtant, ut conſtet, quam nihil ſit in humano corpore, quod non ad tuendam ſanitatem vitamq; conſervandam concurrat, unique auxilium ferat animæ rationali, quæ radix quidem & fundamentum omnium operationum ſive materialium ſive ſpiritualium eſt, ſed in agendo imperfecta ſola, quia incompleta, quia pars altera corporis &c. Vt itaq; omnia breviter & ſuccinctè ſi non de minutioribus, ſaltem de præcipuis viſceribus & partibus quæ hominem conſtituunt, ex Anatomicorum placitis & doctrinis agantur, ſit.

DIFFICVLTAS I.

Quæ ſit corporis humani diviſio.

ANtequam omnium partium in ſpecie natura uſus & conſenſus, quantum fert præſens inſtitutio, deſcribatur, præſtat totius corporis diviſionem prout à Medicis diſſectoribus fieri ſolet, paucis præmittere; relictis autem aliis diviſionibus.

DICO, Corpus univerſum commodiſſimè & ex communi Medicorum placito in tres regiones, videl. ſupremam, mediam, infimam, & artus ſive extrema dividitur. Suprema regio quæ vertice & prima vertebra circumſcribitur, communi & fuſa acceptione caput dicitur habetque partes infrà dicendas; Vndiquaque oſſibus quaſi propriis ſepimentis eſt obvallata, quia decebat hanc partem, quæ rationis particeps, & præcipua ſedes animæ futura erat, ſolido tecto circumvallari & muniri, ne facilè ab externis injuriis offenderetur; ſortita autem eſt ſupremum locum admirabili naturæ & ſummi opificis providentia, non tantum quia id ſenſibus externis commodiſſimum eſt, dum videl. ex alto ſpecies rerum excipere & ad quævis imminentia excubare ſolent, ſed etiam quia principes facultates ab alimenti & coctionum officinis, quæ continuò tetris vaporibus & nidoroſis exhalationibus fumant, plurimùm ob nobiliſſimas ſuas operationes diſtare debent. Secunda regio quæ venter medius & thorax à modernis Medicis nuncupatur; Incipit parte ſuperiori à claviculis ſic dictis, quia univerſum pectus & thoracē quaſi claudunt; In inferiori deſinit cartilagine xiphoide & Diaphragmate, quod velut ſeptum quoddam medium aut paries intermedius hunc ventrem ab inferiore dividit: parte dextrâ & ſiniſtrâ 12. ſunt coſtæ, quæ thoracis latera terminant: Anterius eſt os pectoris, ſternum dictum, poſterius dorſum, undiquaque autem extrinſecus muſculi, & intus membrana intercoſtalis ſive pleura. Structura eſt partim oſſea partim carnea, illud quidē ad robur cordis & ad formandam cavitatem, hoc autem ad faciliorem contractionem & diſtenſionem: Eſt denique ſpiritalis, quia eſt fons caloris & vivifici ſpiritus, qui mediam ſedem occupare debuit, ut ſupremam & imam motu ſuo & calore fovere poſſet. Tertia regio quæ etiam venter inferior dicitur, à xyphoide & diaphragmate usque ad oſſa pubis, ilium & iſchium ſeſe extendit per longum, per latum verò quicquid abdomen usq; ad lumborum vertebras & os ſacrum cingit. Huius regionis anterior pars tota eſt carnea, quia contrahi, diſtendi & intumeſcere ab alimenti concoctione, ſuppreſſione excrementorum & fœtus geſtatione debet; Naturalis verò eſt & dicitur, non quaſi violento aut præternaturali ſit contraria, ſed quia omnes actiones, quas hic anima adminiſtrat, ſunt pure naturales fiuntque nobis nec volentibus nec nolentibus. Quod reliquum corporis eſt, artus ſive extrema vocantur, & ſunt brachia & crura, quæ velut rami trunco corporis adnaſcuntur. Itaque in prima & ſuprema regione continentur organa animalia; In ſecunda vitalia & reſpirationi dicata; in infima demum naturalia, quæ ad coctionem, expurgationem & generationem ſpectant, de quibus omnibus ſpeciatim in ſequentibus. Vt autem ad id, de quo præſente diſputatione agatur, ſequitur

DIFFICVLTAS II.

Quid ſit uſus.

COnſtat mirabilem eſſe texturam corporis humani, nullamque partem eſſe otioſam aut temerè fruſtraq; factam, adeò ut ſummo conſilio & incredibili arte ac providentia inter ſe ſint constructæ & combinatæ & hoc in ordine ad tot præſtantes tamq; inſignes actiones, quas homo vitæ ſuæ tempore exercendas habet. Quæritur ergò, quid ſit earum omnium uſus & qualem habeant functionem mutuumque conſenſum.

DICO 1. uſus non eſt idem quod potentia aut diſpoſitio per quam anima operetur. Eſt per ſe clarum, quia utraque hæc eſt qualitas primæ & ſecundæ ſpeciei, habetque ſe ut quid prius & fundamentum uſus, qui eſt purè propter illud à quo emanat. *Vſus quid.*

DICO 2. uſus alicuius partis ſive viſceris, v. g. cordis, cerebri, epatis, renum, ſtomachi &c. non eſt etiam ipſa actio ſive operatio. Ratio, quia habet ſtomachus v. g. ſuum uſum, dum etiam nihil operatur; Deinde per actionem ſive operationem venimus in cognitionem uſus alicuius partis, ergo non identificantur. Et hinc

DICO

DICO 3. uſus nihil aliud eſt quam functio ſive officium quod quælibet pars exercet dum animæ unita eſt. Declaratio & probatio ſumitur ex vi nominis, quo hoc & non aliud exprimi volunt Medici; Ita enim veſica eum in finem à natura eſt formata & diſpoſita, ut animæ urinam, arenas, calculum, & quamcunque aliam materiam ſive ſeroſam ſive ſabuloſam per eius capacitatem expellat; ſic munus & officium cordis eſt, ut generet ſpiritus vitales; ſic ventriculus hanc functionem obtinet, ut cibum dentibus maſticatum excipiat & nonnihil decoquat &c. Hic autem adverte, non unum partibus & viſceribus eſſe uſum aut officium, ſed pluribus plura & diverſa, ut ratione & experientia patet, habeturque apud Gal. l. de format. fœtus c. 6. ubi ait, muſculum quemcunque aut os decem uſus aut fines obtinere, & eſſe in unoquoque corpore muſculos plus quam ſexcentos & oſſa ſuprà quadringenta, ex quo mirum illud deducitur, ſi ſoli hi muſculorum & oſſium uſus computentur, fore plus quam decem millia, milliones autem ſi reliquarum partium quæ ſunt in univerſo corpore, ratio quoq; habeatur: Et certè uſus ſingulos ſingulorū membrorū enarrare nimis longum foret, ſufficiat autem unum aut alterum loco omnium dixiſſe; Cor in omnem partem effundit calorem vitalem eſtque principium pulſus, juvat coctiones omnes, perficit ſanguinem, ſumminiſtrat cerebro ſpiritus &c. Cerebrum diffundit ex ſe omnes propagines nervorum, recipit ſpiritus animales, eoſque temperatos immittit in nervos, ſuſtentat ſenſum comunem, eſtq; principium à quo procedunt organa ſenſuum externorum, ſed & ſedes intellectus & voluntatis. Quod cæterùm quælibet pars diverſum habeat & exerceat munus, eſt ad perfectionem hominis & ad ſupplementum omnium actionum adminiſtrandatū; Et ſic generant vaſa ſpermatica ſemen, organa cerebri ſentiunt, partes aliæ in functionibus ſuis ſunt principales, aliæ miniſtrantes; famulantur arteriæ, venæ nerviq; in comportandis, ſpiritibus, humoribus, ſanguine & ſemine; Aliæ conſervant & tuentur, ut thorax cor, craniū cerebrum, peritonæum inteſtina, palpebræ oculos &c. Aliæ recipiunt ut veſica urinam, ſtomachus cibum, unæ ſanguinē: Aliæ ſunt ad ornatum, ut pili, ſupercilia &c. Et ſic nulla pars eſt in univerſo corpore quantumvis vilis, quæ non ad certum uſum finemq; à natura ſit conſtructa & comparata.

Conſenſus partium unde. DICO 4. Conſenſus in partibus magnus eſt, non tantum ut conſtituatur & conſervetur totum, eiusq; bonum & commodum procuretur, ſed etiam ut ſibi viciſſim præſtent operam mutuisq; auxiliis aſſiſtant: Nam omnes ſibi mutuò compatiuntur & una alterius affectum ſentit, non tantum quia propinquę ſunt, ſed etiam quia conceptacula & nervos inter ſe colligatos habent, & propterea etiam in eandem actionem conſpirant; ſic oculorū muſculi affectiones cerebri ſentiunt, quod idem facit cerebrum ſepto tranſverſo, ore ventriculi, cæterisq; partibus nervoſis affectis. Sic in unam & eandem operationem omnes & ſingulæ partes conſpirant, ut manus, pes, oculus in operationem totius animalis; ſic actiones ſua propria habent membra, ut viſio oculum, ambulatio pedes, prima cibi coctio ſtomachum; Tandem eriā quantitate & qualitate ſibi quoque correſpondent, ut dum ventris gracilitas aut corpulentia ferè eadem eſt quæ faciel, cruta brachiis ſimilia ſunt, pedes manibus, cubiti femoribus &c. Ex quibus omnibus conſtat, quam præclarè ſit fabricatum corpus humanum, & quam ſapienter conſtructæ ſint ſingulæ partes, adeò etiam ut vel maximè hic Deus & natura nec deficere in neceſſariis nec abundare in ſuperfluis voluerint.

DIFFICULTAS III.

Quis ſit uſus capitis & omnium ejus partium.

VT omnia tam hic quam in ſequentibus non Anatomicotum more fusè & exactè, ſed breviter, quæ ad explicandam partis naturam faciunt, eiusq; ex hac munus & officium demonſtrant, in compendium redigantur.

Adverte, caput, quod à prima colli vertebra usq; ad verticem circumſcribitur, à Medicis communiter dividi in partem capillatam & pilis ſive capillis privatam; prima dici ſolet calvaria, habetq; ſynciput, occiput, verticem & tempora; ſecunda facies ſive vultus cuius ſuperior eſt frons, inferior facies. Rurſum calvaria habet partes tam continentes quam contentas; Illæ præter communes pilos, cutem & panniculum carnoſum, ſunt propriæ pericranium, oſſa cranii & menynges duæ, dura videl. & pia ſive tennis. Hæ cerebrum & cerebellum. Facies habet continentes communes easdem quas reliquum corpus, niſi quod cutis variè ſit perforata, & panniculus carnoſus totus ſit muſculoſus; proprias muſculos faciei & genarū partes oris & faucium, tum maxillam ſuperiorem & inferiorē: Contentas verò organa quinq; ſenſuum externorum, de quibus infrà dicetur. Iam

Vſus capitis. DICO 1. Caput cerebri gratiā pótiſſimùm eſt conſtructum & non propter oculos ut vult Gal. l. 8. de uſ. part. c. 5. Eſt Ariſt. l. 4. de part. c. 10. Ratio, quia hoc ſolo continetur & conſervatur ſicut cor thorace & ventre inferiori cætera viſcera; Deinde dicitur caput domicilium & propugnaculum cerebri apud Hipp. l. de cap. vuln. quia videl. eſt inſignis capacitatis & duritiei; Nam oſſeum eſſe debuit, quia mollem ſubſtantiam continet, & quia in loco editiſſimo poſitum variis injuriis exponitur, unde etiam omnem in partem flectitur & movetur, tum ut omnem noxam vitaret & commodum proſequeretur, tum ut ſenſuum organa ac præſertim oculos omnibus objectis cognoſcendis admoveret. 2.

Dixi tamen eſſe potiſſimùm propter cetebrū extructum, ut non excludantur reliqua ſenſuum organa, quæ cerebro ſunt proxima, & quorum nervi è cerebro tanquam ſuo principio oriuntur.

DICO 2. pili vel capilli quaſi capitis pili nullum alium obtinent uſum, quam ut primo creſcendo ſuperfluam corporis materiam abſumant, quæ aliàs nocumento eſſe poterat; 2. ut in homine caput à frigore & calore externo defendant, & in animalibus totum corpus. 3. ut ſint decori & ornamento capiti. Materia pilorum eſt excrementum. 3. concoctionis, videlicet halitus terreus, craſſus, fuliginoſus & aduſtus ad cutem per poros exhalans; Quod autem eſt viviparis & terreſtribus quibusdam, ut homini, equo, cani, bovi &c. pilus, id aliis velut quoddam analogum eſt, ut vellus ovi, juba leoni, ſquama piſci, penna avi, folium arbori &c. Cauſa efficiens eſt calor evaporans, & vaporem fuliginoſum in cutis ſpiracula pellens, ubi demum per quædam accidentia cutis pororum & materiæ excrementoſæ formam induunt. Cæterùm duo adhuc ſuperſunt, quæ circà pilos obſervari in homine ſolẽt, nimitùm canities & defluvium quod eidem homini facit calvitiū. *Canities.* Canities quæ pilorum ægritudo eſt, oritur ex defectu caloris, nimia veneris indulgentia, gravioribus negotiis, ingenti timore, nimiâque ſiccitate, quo modo ſegetes à ſole aduſtæ & ab igne oſſa conſumpto humido albeſcunt; Intellige tamen hanc canitiem ſoli homini propriè accidere ut habet Ariſt. ſect. 10. probl. 62. & 5. pt. cap. 1. & 3. licet hanc eandem etiam ibidem c. 3. & 5. equo adſcribat. Calvitium *Calvitiū.* accidit ex inopia calidi & humidi pinguis, ſicut & ipſa folia defectu humoris in plantis cadunt, tum ex cutis nimia conſtrictione & obdureſcentia; Vnde autem cutis adeò indureſcat, deficiatque humidum, vide Medicos Practicos, tum Ariſt. in ſuis probl. quod fæminæ, pueri, caſtrati &c. non calveſcant.

Cutis. DICO 3. Cutis de qua diſp. 4. diffic. 5. hujus libri ſatis, varios habet uſus; 1. enim tuetur corpus ab injuriis externis. 2. inveſtit univerſum corpus fovetque omnium partium calorem. 3. colligat omnes partes inter ſe, etiã ſtructurâ varias & multiplices. 4. propter exquiſitum ſenſum quem habet, admonet nos eorum quæ ſunt nociva. 5. Excipit internarum partium excrementa, unde etiam emunctorium univerſale dicitur. Cæterùm inter reliquas differentias, ut quod ſit durior, mollior, adhæreat pertinaciter ut in volis manuũ, vel facilè ſeparetur ut in thorace & abdomine, ſupereſt panniculus carnoſus adipoſus aut *panniculus carnoſus.* nervoſus, aut membrana carnoſa, quæ ſponte frontem faciemque totam movet, reliquo verò corpore ex ſe immobilis eſt in homine, contrà verò in multis animalibus ut equis canibus, ſimiis, bobus &c. quia in his fibris carnoſis intexta eſt, & in homine omni ex parte oblinitur adipe, nec ullibi carnoſa eſt præterquam in facie, proindeque ex ſe & ſponte mobilis.

DICO 4. pericranium, quod eſt membrana dura & ſolida, naſciturque à craſſa menynge, quæ villis compluribus cranii ſuturis adhæreſcens indeque foras elapſa ita extenditur, ut exteriorem hanc membranam conficiat, hoc habet muneris & officii, quod *Pericranium.* cranium extrinſecus tegat, calorem cerebrĩ foveat, fuliginoſa excrementa ſuſcipiens pilorum ſit proprium receptaculum, ejusque interventu dura meninx cranio ſuſpendatur. Divulſo hoc pericranio unda apparet calva ſive calvaria, quam cranium dicimus, id eſt, *Cranium.* quaſi galeam, cerebrum undique obvallans, quia eſt os mira naturæ providentiâ craſſum rarumque formarum, illud ad ſecuritatem, hoc ne gravitate offenderet, & ut in tranſmittendis cerebri excrementis eſſet accommodatius, tum ut ſuccum aliquem pro alimento contineret; Et hinc variis conſtat oſſibus, videlicet frontis, occipitis, ſincipitis & temporum quæ ſuis diſtinguuntur ſuturis, ut ex Anatomicorum hiſtoriis patet.

DICO 5. poſt cranium ſequuntur duæ *Meninges.* meninges ſive membranæ, dura & pia mater dictæ, quarum illa cranio eſt proxima ideoque dura craſſa & omninò firma, hæc autem mollior magisque benigno amplexu adhæreſcit cerebro. Ambæ ſunt æquales figura & magnitudine quia continent unam & eandem ſubſtantiam cerebralem: Nam munus earum eſt, ut fortiter robuſtè & ſuaviter complectantur cerebrum, illudque ab externis injuriis, maximè in cranii fractura defendant, tum etiam ut venas pro nutritione cerebri excipiant, illudque interſtinguãt, in partem anteriorem & poſteriorem, videl. in cerebrum &c.

DICO 6. Cerebrum, de quo vide diſp. 4. *Cerebrum.* diffic. 14. innata temperie eſt frigidum & humidum; Ita Medici & Philoſophi. frigidum eſſe oportuit propter omnes actiones animales, quæ ſpiritum & calorem temperatum exigunt, ne calor nimius temerarios & furibundos excitet motus; Etiam humidum eſſe decuit & molle, tum propter ſpecierum impreſſionem, quæ non fit in corpore ſicco, tum propter nervorum propagationẽ, quæ non fieret ex dura & conſiſtente materia. Quod ſi Gal. 8. de uſ. part. c. 2. dicat, cerebrum eſſe calidum, & aëre calidiorem. Reſp. calere ex præſentia ſpirituum in vaſis ampliſſimis; Deinde quando dicitur, frigidum eſſe, non intelligitur de frigore actuali, ſed de eo, qui adhuc ſuperet aërem frigidum ex copioſis vaporibus. Quod ad uſum huius nobiliſſimi membri, cum Ariſtot. dicat cerebrum eſſe ſolum *Uſus cerebri.* propter refrigerationem cordis, & Galenus 8. de uſ. part. propter interu. ſenſuum & principum facultatum functiones & ad ſpiritus animalis generationem poſitũ, id ita accipiendum eſt, quod videl. cerebrũ animalibus propterea ſit inſitum à natura, ut nativo ſuo frigore ſpiri-

ſpiritum præcalidum è corde aſcendentem, & tam ad ſenſum quam ad motum minus opportunum temperaret, atque ita ad utrumq; aptũ efficeret ſimulq; nervos propagaret per quos temperati ſpiritus tranſmitterentur. *Cerebellū.* Cerebellum, quod eſt poſterior pars cerebri, in ſubſidium anterioris natura fabricaſſe videtur, ut ſcil. tranſmiſſum à cerebri ſinibus animalem ſpiritum conſervaret & in ſpinalem medullam transfunderet. De nervis qui è cerebro, cum quo ſunt ejusdem ſubſtantiæ, oriuntur, jam actum eſt eodem loco quo de cerebro: *Nervorum uſus.* De uſu eorum hoc ſaltem adverte, quod Hipp. l. de natura oſſium, & Gal.1. de motu muſcul. & primo de uſu part. habet, videl. nervos tam ad ſenſum quam ad motum corpori & animali à natura datos eſſe.

Uſus faciei ejusq; partium. DICO 7. habet quoque os totum & tota facies, ejusque ſingulæ partes ſuum munus & officium: Nam ut de quinque ſenſuum organis, *organa ſenſuum externorum.* de quibus infrà, nihil in præſenti, *panniculus carnoſus.* panniculus carnoſus ideò mobilis eſt ut eò commodius inſerviat viſui & auditui, ad quem utrumque ſenſum girantur oculi aureſque ſeſe erigunt, tum etiam ut homo faciem vultumque formare poſſit quem velit. *Muſculi.* Muſculi ſunt ad ciendum motum, ut peculiari difficultate infrà dicetur. *Maxillæ.* Maxillæ, quarum inferior ſolùm muſculis movetur, uſus eſt ut præter ornatum & decorem totius faciei conducant loquelæ & maſticationi, excipiant gingivas & dentes, *Gingivæ. Dentes.* præſtentque per muſculos motum ubi opus eſt. *Genæ. Labia.* Genæ & labia ſunt partim ad condecentiam faciei, partim ad formandam modificandamque vocem. *Os.* Oris uſus eſt, ut alimentum extrinſecus capiat & maſticatum dentibus in ventriculum ingerat, aërem ad pulmones pro refrigerio cordis exceptum devehat, fuligines aduſtas ab aſpera arteria ſuſcipiat, vocem formet, aërem frangat, omnis generis excrementa è pulmonibus & ſtomacho foras propellat. *Gingivæ.* Gingivæ in alueolis dentes firmant ac ſtabiliunt, quia ſunt carnes immobiles. *Dentes palatum.* Dentes cibum comminuunt, juvantque vocem formandam, ſicut & palatum quod eſt ſuperior pars oris, ab aliis teſtudo & ſolum oris dictum. *Uvula ſive gurgulio.* Uvula quæ eſt caruncula fungoſa à palato juxta oarium meatus in os propendens, & gurgulio dicta ſive plectrum ſi integra ſit, & uva ſive uvula & columella ſi malè affecta, hunc obtinuit uſum, ut aëris frigidioris inſpirati impetum frangat, ne tam ſubitò in pulmones feratur, unde etiam eâ præſciſâ vox ſtatim offenditur. *Fauces.* Fauces, quæ totam eam capacitatem denotant, quam ore aperto videmus, faciunt ad variè frangendum aërem & cum adjacentibus partibus ad formandam vocem. *Glandulæ.* Glandulæ ſive tonſillæ & pariſtmia ad utrumque latus collocata ſunt ad fauces, os & linguam ſalivâ perpetuò irrigandam. *Lingua.* Lingua, quæ eſt guſtatus & loquelæ organum, ſi ſit hominis, mentem explicat & voluntatem annunciat, unde etiam organum dialecticum rectè appellatur; ſi verò animalibus communis, omnes ſaporum differentias dignoſcit, ſuo motu protrudit eſculenta in gulam, mireq; juvat vocem formandam, ut etiam illi, qui aut linguam movere non poſſunt, aut abſciſſam habent, planè loqui neſciant.

DIFFICULTAS IV.

De partibus quæ reſpirationi inſerviunt, & earum uſu.

AD aëris inſpirationē concurrit primò epiglottis quod eſt operculũ laryngis, & erigitur ad liberũ aëris ingreſſum & egreſſum. 2. larynx, quod eſt caput aſperę arterię. 3. ipſa aſpera arteria, per quam aër ingreditur & egreditur. 4. pulmones, ad quos elevatos aër ingreditur, & à quibus concidentibus extruditur. 5. Diaphragma & muſculi omnes intercoſtales, qui thoracis motum dilatativum & compreſſivum efficiunt, quo utroque elevantur & deprimuntur pulmones. Dum verò de harum partium natura & officio quod in homine exerceant, inquiritur,

DICO 1. Epiglotis quæ ſupremam laryngis partem occludit, eſt corpus cartilagineum oblongum linguæ ſimile, unde etiam operculum laryngis dicitur: *Epiglottis* Dum inſpiramus & expiramus, ſemper hiat, nec unquam ſponte deprimitur, niſi dum potamus aut cibum ſumimus; ſed nec tunc ita exquiſitè clauditur, ut non ſubinde aliqua portiuncula usq; ad aſperam arteriam penetret, idq; cum ingenti tuſſi & rejectione, imò cum vitæ etiam diſpendio ut ſæpè docet experientia; Et hinc patet, epiglottidem, quod idem de aſpera arteria intellige, nihil omninò efficere, ſed liberum duntaxat aëri tranſitum ad pulmones permittere ideoq; cum iis conjunctas eſſe. Larynx eſt corpus quoq; cartilagineum & pars ſuprema arteriæ, variis muſculis ad efformandam vocem circumdatum; *Larynx* eſt enim præcipuum formandæ vocis inſtrumentum ut ait Dand. 4. de parte heterog. c. 26.

DICO 2. aſpera arteria, quæ inſtar fiſtulæ ſeu tubi aërem in pulmones ducit, & fumidas exhalationes ab iiſdem pulmonibus excipit *Aſpera arteria* foraſque educit, eſt corpus aſperum & durum, ſtructumque ex cartilaginibus, membranis, venulis, arteriolis & nervis. Quoad reſpirationem nihil aliud efficit, ut ex dictis cõſtat, quoad vocem tamen, plurimùm ad eam edendam facit, quia per eam aër intus conceptus effluit, & quia etiam numeroſa ramorum ſerie in pulmonem ſpargitur inter venam arterioſam & arteriam venoſam media, fit ut ab illa ſanguinem trahat & in hanc aërem tranſmittat, tum ab ea fumidos vapores excipiat ut notant Anatomici & inter eos Andr. Laur. c. 13. de aſpera arteria.

DICO 3. pulmones, qui etiam cordis flabellum & ventilabrũ vocantur, *Pulmones.* habentq; carnem rarã, mollem, ſpongioſam & quaſi ex ſpumoſo ſanguine concretã, varia exercẽt munera & officia in homine; Plato vult ideò forma-

tor eſſe, ut ab iis cor ira exæſtuans temperetur. Dand. loco cit. c. 29. duos ſolùm in iis uſus agnoſcit, unum cordis refrigerationem, ne motu perenni exæſtuet, & alterum ad edendam vocem vel loquelam; Nam quæ animalia pulmonibus carent, vocem non edunt. Medici alios inſuper addunt, ſed qui ab iis duobus non differunt, excepto eo, quod pulmones velint eſſe quaſi quoddam cordis ſuſtentaculum, ne parte anteriori ad os pectoris, poſteriori ad ſpinam allidatur, quando animal terrore corripitur, aut ita commovetur.

Diaphragma. DICO 4. Diaphragma, quod alii ſeptum tranſverſum vocant, ſeptum quidem, quia velut interjectus paries ventrem medium ab inferiori, & organa vitalia à naturalibus dirimit, tranſverſum verò quia hic eſt ipſius ſitus, ut ab uno latere ad aliud per medium extendatur, eſt princeps omnium muſculorum thoracis qui ad reſpirationem concurrunt, adeoque primatium ejus inſtrumentum. Totum hujus corpus quod ab oſſe pectoris per extrema coſtarum nothatum ad lumborum regionem fertur, duobus conſtat circulis, uno membraneo, altero carnoſo, duabus venis, totidemque arteriis & nervis; Tegitur etiam duabus tunicis & duobus foraminibus eſt pervium, ut commodiſſimè hic muſculus inſpirationem edat & exſpirationem. Vſum ejus unicum agnovit Plato, ut videlicet animam iraſcibilem à concupiſcibili tanquam paries intermedius ſecernat. Triplicem docet Dandin. cit. c. 21. Primò, ut vitalia à naturalibus & ſordidis dirimat, quod etiam videtur agnoviſſe Ariſtoteles. 2. ut communi muſculorum uſu partes quibus inſeritur, moveat, contractioneque ac laxatione thoracis motum reſpirationis juvet. 3. ut juvet excretionem alui per ſui contractionem ventriſque & inteſtinorum compreſſionem. Medici eoſdem ferè uſus habent, ut videre eſt apud Andr. Laur. c. 4 de diaphragmate l. 3.

Muſculi. DICO 5. muſculi qui propriè ad thoracem ſpectant, & partim diſtenſioni partim contractioni inſerviant, numerantur communiter ab Anatomicis octuaginta novem, quamvis alii pauciores eſſe velint, de quo tamen ipſi viderint, qui omnes rem difficilem & intricatam fatentur; Et hoc idem de actione eorum & uſu intellige, quia Gal. plurimis in locis docet, muſculos intercoſtales thoracem movere atque ita reſpirationi inſervire, ex iis autem qui externi ſunt, coſtas diſtendere, qui interni, contrahere; Et hoc non tantùm Medici quidam recentiores negant, ſed & ipſe Dandinus ait omnes junctis viribus contrahere coſtas, ſtringendoque thoracem exſpirationi ſervire, inſpirationi autem non trahendo ſed laxando &c. vide eum citatum c. 21. Cæterùm quomodo fiat reſpiratio, & à qua cauſa, an ſit naturalis vel violenta vel voluntaria, & quodnam ſit ejus inſtrumentum primarium, vide infrà diſp. 24. huius libri. diffic. 18. & ſeqq.

DIFFICVLTAS V.

De partium continentium thoracis uſu & natura.

NEmo facilè eſt, qui thoracis figuram & magnitudinem neſciat, quia quicquid à jugulis ad xiphoidem cartilaginẽ & diaphragma extenditur, id totum nomine thoracis comprehenditur, adeòque parte ſuperiore claviculis, inferiore diaphragmate, anteriore ſterno, poſteriore vertebris dorſi, dextra & ſiniſtra duodecim coſtis tanquam extremitatibus & finibus hæc regio circumſcribitur. Hujus partes aliæ ſunt continentes, aliæ contentæ; De his infrà, de iis autem in præſenti, quarum aliæ ſunt communes ut cutis, adeps, panniculus nervoſus & membrana quam habent ubique muſculi; aliæ verò propriæ vel carnoſæ, ut muſculi plurimi, ſive à thorace orientur ſive in eum inſerantur, & mammæ; vel oſſeæ quæ extrinſecus totam undique medii ventris regionem cingunt, ut pectus ejuſque laterales coſtæ, dorſum ejuſque ſcapulæ & alæ; vel membranoſæ ut pleura & mediaſtinum vel membranæ interſepientes; Et de harum partium uſu & functione.

DICO 1. Mammæ ſive mammillæ & ubera non habent eandem rationem, ſtructuram & uſum in fœminis & maritus; Nam viri ſolum papillas habent multo & copioſo adipe circumfuſas ad ornatum & tutelam cordis partiumque contentarum, fœminæ verò præter adipem glanduloſa etiam corpora multis vaſis intertexta pro generatione lactis; mammarum primus eſt uſus, ut videl. proles eo nutriri poſſit dum in lucem editur, unde etiam ſtatim poſt partum ſanguis maternus ab utero ad ubera refluit; ſecundus uſus eſt tutari viſcera vitalia. tertius eſſe fœminis ornamento, quæ aliàs deſpicerentur. *Mammillæ.*

DICO 2. ſicut in imo ventre peritonæum omnia organa & viſcera naturalia, ita pleura ſive membrana coſtas ſuccingens omnes partes in thorace contentas complectitur; Non eſt ſimplex hæc membrana, licet in ſubſtantia peritonæo ſimilis, ſed ubique duplex & craſſior circà dorſum, ubi ligamentis vertebrarum adhæreſcit: pars ejus exterior eſt aſpera, ut iis partibus, quibus obducitur, firmius adhæreſcat, interior verò lævis, ut contactus pulmonum ſit benignus. Triplex in eo agnoſcitur uſus, primus, ut ſit pulmonibus inſtar ſubſternaculi, & caveat, ne cum nulli ſint ſubſtantia, ab oſſium duritie lædantur, quando in inſpiratione diſtenti in coſtas incurrunt. 2. ut omnia contenta inveſtiat & colligat. 3. ut prohibeat, ne dum moventur, in coſtarum ſpatia ſeſe inſinuent. *Pleura.*

DICO

Mediaſtinum. DICO 3. membranæ illæ, quæ in medio thorace conſpiciuntur appenſæ, quæque ubi ad mediam ferè thoracis partem perveniunt, hinc inde duplicatæ, & à ſpina ad ſternum directæ dextram thoracis partem à ſiniſtra dirimunt, mediaſtinum ſive interſepientes dicuntur. Harum duplex eſt uſus, primus firmare cor, ne huc vel illuc impellatur, & ad latera collabatur. 2. totum thoracem in duas partes dividere ut ſi latus unum vulneretur, aut alio quovis malo afficiatur, non ſtatim ceſſet reſpirario & pulmonum motus, ſed alterum latus illæſum maneat ad reſpirationem idoneum. partes continentes per ſe claræ ſunt, & jam aliis in locis conſtant, ut proinde de iis nihil hic dicendum.

DIFFICVLTAS VI.

Quem uſum habeant partes reliquæ in thorace contentæ.

PArtes in thorace contentæ vel ſunt organa vitalia, vel reſpiratoria; De his actum eſt, de iis autem agetur hac præſenti difficultate, & ſunt idem in hoc ventre medio, quod in imo naturalia; Et quoniam præter cor ejuſque pericardium & vaſa quatuor, ut arteriam magnam, arteriam venoſam, venam arterioſam & cavam tum œſophagum & nervum ſextæ conjugationis nullæ ſunt reliquæ; idcircò.

Cor. DICO primò, Cor, de cujus neceſſitate, dignitate & prærogativa inter omnia totius humani corporis membra hinc inde multa ſunt dicta, baſin ſuam exquiſitè in medio thoracis habet, ut notum eſt Anatomicis: Quantitas ejus exigua eſt, ut motus ejus tantò ſit facilior. Carnem habet duram denſam & ſolidam, partes autem quibus conſtat, adipem, venas, arterias & nervus, quia venæ dant ſanguinem nutritium, arteriæ & nervi calorem fovent juvantque motum; requiritur ejus caro tam ſolida ob vim illam fervidam innati caloris, tenuitatem ſpirituum & perpetuam agitationem. Venam cordis vocant Medici coronariam, quia totam cordis baſim coronæ inſtar cingit, ramuloſque hinc inde ſpargit: Arteriam etiam habet coronariam, vel ſæpè duas per totam ejus ſubſtantiam excurrentes. Nervi ejus ſunt à ſexta conjungatione valdè exiles. Multo denique adipe undequaque obducitur, ne ob motum continuum tota ejus caro exæſtuet & quaſi incendio conflagret, ut proinde mirum, in loco tam fervido adipem generari poſſe. Officium cordis deſumitur ab ejus præſtantia & dignitate, quam in adminiſtrandis cunctis operationibus exercet. Plura maneant Anatomicis.

Pericardiū DICO 2. Pericardium eſt membrana firmiſſima, quâ etiam in loco per ſe ſatis munito natura providiſſima cordi proſpicere voluit & ita involuere, ut velut in capſula in involucro moveretur. Oritur hæc ex membranis. 4. eorum vaſorum quæ cordi ſunt proxima & intima, ut venæ cavæ, arteriæ magnæ, venoſæ, & venæ arterioſæ: Non incumbit autem ita cordi ut illud immediatè tangat, ſed tanto ab eo diſtat intervallo, ut commodè dilatari poſſit, uſus hujus membranæ eſt, ne cor ob perennem pulmonum appulſum aliquid pateretur; Deinde ut aquâ vel ſero quo per ſingularem naturæ providentiam perpetuò madet, nimius calor cordis temperaretur; ſi de hujus ſeri generatione quæras, reſpondetur, exudare partim è quatuor vaſorum tunicis, partim è cordis vaporibus in ipſa membrana quæ frigida eſt, condenſari & in toto eo ſpatio quod eſt inter cor & pericardium, detineri, commodè quidem ſemper, niſi tamen hic humor ſit nimius aut conjunctus cum denſis frigidiſque flatibus, quo caſu ob impedimentum dilatationis ſequuntur palpitatio aliaque graviora accidentia. *Generatio ſeri unde*

Vena cava DICO 3. Vena cava, quæ ex gibbis epatis emergit, diaphragma permeans, præterquam quod prægrandi ſtipite ad jugulum uſque feratur indeque in quatuor rivos diffindatur, oſtio palantiſſimo ad dextrum cordis ſinum appellit, ſanguinemque copioſiſſimum ad nutritionem pulmonum & generationem ſpiritus vitalis vehit; Excoctus autem in hoc ſinu ſanguinis per venam arterioſam, quæ & ipſa hinc prodit, egreditur & in totam pulmonum ſubſtantiam diſtribuitur, quia hæc ad pulmones, ſicut cava in totum corpus fertur. Vena hæc quod notandum à ſtructura quâ tunicam denſam & craſſam obtinuit, arterioſa dicitur, ab officio autem, quo ſanguinem ſicut reliquæ venæ diſtribuit, vena, cumè contra arteria venoſa, quæ in ſiniſtro cordis ſinu conſpicua & per totos pulmones multiplici ramorum ſerie ſparſa aerem in pulmonibus præparatum in ſiniſtrum cordis ſinum defert, fumidos halitus expellit & vitalis ſpiritus portionem in pulmones diffundit, ab officio arteria dicatur, quia aerem continet & ſpiritum, venoſa autem quia tenuem habet tunicam ſicut venæ. Arteria magna ſive aorta dicitur talis ab amplitudine, qua vitalem ſpiritum ſiniſtro cordis ſinu ex ſanguinis aeriſque permiſtione elaboratum excipit & per ſuos ramos ductuſque tanquam per tubos in univerſum corpus diffundit. Cæterum quæ circa arteriarum, venarum & cordis exortum, motum, facultatem &c. contravertuntur, ea ſufficienter aliis in locis tractata habentur, ut proinde non ſit opus ea hic multis repetere. Unum adverte quæſtionem illam de motu cordis & arteriarum valde ambiguam eſſe; Quamvis enim videantur moveri motibus contrariis ut docent Authores quamplurimi, appellat tamen Andr. Laur. ad experientiam, quâ imprimis ait ſentiri in pectore ad regionem cordis & in carpo ſemper ictum ſimultaneum, niſi tamen quis dicere velit eo ipſo ictu dilatari quidem arterias, cor autem conſtringi; Deinde in vivorum animalium ſectionibus ſimilem utriuſque motum obſervari, *Vena arterioſa.* *Arteria venoſa.* *Arteria magna.* *Motus cordis & arteriarum an contrarius.*

quod ſi verum & non decipiatur ſenſus, valdè confirmat & roborat hanc ſententiam.

Oeſophagus. DICO 4. Oeſophagus qui latinis ſtomachus dicitur, eſt ductus à faucibus ad ventriculum uſque, pertingens, quo cibus & potus primò per motum linguæ propulſus illuc delabitur; Eſt figuræ rotundæ, oblongæ & capacis ut alimenta facilè deſcendant & reſpirationem non impediant. Conſtat venis quamplurimis à cava & porta, ſicut & arteriis ab aorta derivatis; nervis item à ſexta conjugatione exortis, tum membranâ duplici, unâ externâ quæ tota ferè eſt carnoſa, villiſque circularibus & tranſverſis ob alimentum in ventriculi capacitatem protrudendum & humores noxios inde ſurſum per vomitum ejiciendos abundat; alterâ internâ craſſiore & nervoſiore, quæ communis eſt linguæ ori & palato fibraſque rectas ob alimentum protrudendum habet; connectitur autem ori & ventriculo quia utrique eſt continuus, & aſperæ arteriæ, dorſo viciniſque partibus mediis fibris & membrana. Diſtributionem nervi ſextæ conjugationis vide apud Anatomicos.

DIFFICULTAS VII.

De peritonæi natura & uſu.

IN ventre inferiori ſive abdomine duæ ſunt partes, quibus interiora viſcera continentur, videlicet peritonæum & membrana vel panniculus carnoſus ſive muſculi, quorum omnium munus & officium eſt ventrem inferiorem comprimere & modo ſurſum aut deorſum detorquere, calorem ventris fovere & partibus ſubjectis, quæ nullo oſſe proteguntur, velut propugnaculum adeſſe, juvare excrementorum depulſionem &c.

Peritonæū. DICO, Peritonæum membrana eſt tenuiſſima ſed firmiſſima & robuſtiſſima quæ omnia inferioris ventris viſcera complectitur; Maximè eſt & ampliſſima, ſi carnoſam exceperis, quæ tamen ſimplex membrana non eſt; figuram habet ſphæricam ſed aliquantulum oblongam &c. Tota ejus ſubſtantia eſt membranea, tenuis quidem, ut facilè diſtendi poſſit, firmiſſima autem ne facilè rumpatur, quia omni ex parte duplex eſt, quāvis juxtà neceſſitatē partiumque adjacentium rarior aut craſſior; habet etiam hinc inde foraminà, præſertim ubi annectitur diaphragmati ob arteriam deſcendentem, venam cavam aſcendentem & œſophagum: Etiam media & anterior ejus pars manifeſtè in fœtu circa umbilicum perforata ſpectatur, in adultis verò occluſa ne pateat herniam faciat. Uſus multi- *Uſu.* plices habet, quorum primus ac præcipuus eſt continere viſcera omnia & inteſtina, quod quanti ſit momenti, experiuntur multi ſuo damno & periculo, quibus ſaltu, ictu, magno clamore aliave cauſa ſimili laxato aut rupto peritonæo cum incumbentibus muſculis ad pubem inteſtina in ſcrotum decidunt. Secundus, inteſtina diſtinguere ab abdominis muſculis, atque ita ſeparare, ut dum moventur muſculi, nec illi in inteſtinorum, nec hi in illorum ſpatia incidant. Tertius, viſcera omnia & inteſtina tueri à flatibus, vento, aëre circumfuſo & aliis quibuſcunque injuriis &c. Quartus ſuppeditare omnibus partibus quas complectitur, ſuas membranas, quas creduntur ab hoc ſolo peritonæo accipere, ut invicem cohærentes eò firmius in ſuo quæque loco ac ſede continuantur Vaſa umbilicalia, quæ ſunt vena una, arteriæ duæ & Vrachium ſive meatus urinarius, unde oriantur, *Vaſa umbilicalia.* quomodo diſtribuantur, fœtuique in utero materno ad ejus aliſionem adnectantur, videri poſſunt Anatomici, quorum eſt hæc tractare: ſi de uſu urachi inquiras, reſpondent Gal. 15. de uſu part. c 4. & 5. Veſal. l. 5. c. 17. Fern. 1. Phyſ. c. 7. Andr. Laur. l. 2. q. 28. & alii, aſcendere inter duas arterias medio ſitu à veſica ad umbilicum, eoque tanquam canali ſerum urinarium ex veſica in tunicam allantoidem deferri, cuius rei adferunt Laur. & Fern. 6. Pathol. c. 13. exemplum, quod videlicet mulier quædam ſuppreſſa urinâ per urachum & umbilicum eam reddiderit. Sed hanc opinionem negat Henningus Arniſæus obſerv. 3. de urachi uſu, atque nunquam ſe in homine ſive adulto ſive fœtu cavitatem ullam urachi deprehendiſſe, & naturam ſæpè neceſſitate preſſam facere ſibi viam, ubi etiam nullæ ſunt ſæpè etiam in ligamenta ipſa humorem protrudere, ejuſque rei exemplum ligamentis uteri hydropici aut vena umbilicali hydropicorum parere &c. Ex quo videas, quam etiam in ſuis adminiſtrationibus incerti ſint Anatomici, dum vaſa exilia in cadaveribus, ubi omnia ſtatim concidunt, perſerutantur, ſenſumque ubi firma deeſt ratio, decipi ſentiunt.

DIFFICULTAS VIII.

Quid conferat ventriculus & omentum.

Ventriculus. DICO primò, Ventriculus, cujus ſumma in homine eſt dignitas & neceſſitas, in medio latitudinis eiuſdem velut communis coquina cibique & potus receptaculum reſidet; Nam poſitus eſt ſub diaphragmate medio loco inter epar & lienem, quamvis maiore ſui parte verſus ſiniſtrum hypochondrium, ut ſiniſtrum latus dextro foret omninò æquabile & epatis pondus ad lienem compenſaretur. Tunicis conſtat ſtomacho ſimillimis, quia illi continuatur, ſed interior eſt mollior communiſque ori, œſophago, linguæ & palato; habet hæc tunica fibras obliquas multas, quibus cibum continent, rectas adhuc multò plures quibus attrahat, & tranſverſas non paucas quibus expellat: Rectæ dum trahunt, ſtomachum contrahunt

trahunt & breviant. Tunica exterior eſt carnoſior, habetque fibras obliquas propter eundẽ uſum, tranſverſas autem quamplurimas. Tertia quæ proprias has tunicas extrinſecus obducit, communis eſt à peritonæo exorta, omnium craſſiſſima. Venæ adſunt multiplices à porta, totidemque arteriæ, tum nervi inſignes à ſexta cerebri coniugatione. Figuram habet capaciſſimam, ut tantum alimenti capere, ex quo univerſæ partes poſſint ſuſteotari, & ne opus ſit ſingulis horis cibum ſumere; Et rotunda quidem eſt figurâ, ſed nihilominus oblonga inſtar cucurbitæ ratione bini orificii, quorum altero cibum capit, altero confectum in inteſtina protrudit; Illud ſupernum exquiſitiſſimi eſt ſenſus habetque miram cum cerebro & corde ſympathiam tam ob viciniam quam ob vaſorum communionem; hoc infernum ianitor eſt & pilatus dicitur, cuius officium eſt, clauſum tenere oſtium donec cibi ſint digeſti, aperire & demittere dum ſatis coocoƈti. Horum differentias & ipſius ventriculi connexionem cum aliis partibus vide apud Anatomicos. Hoc ſolum advertere licet, primò, appetentiam cibi & potus in ſuperno orificio ob nervorum dominium exiſtere; 2. huic membro naturam non tantum proprio calore, ſed etiam alieno & proximo, videlicer cordis, eparis, lienis, ſepti tranſverſi, venæ cavæ, arteriæ magnæ &c. Proſpexiſſe. Et ex his omnibus manifeſtum eſt, quis ſit quantumque neceſſarius ventriculi uſus in corpore, itaut veriſſimum ſit illud veterum, quod eſt plantis terra, hoc eſſe animalibus ventriculum.

[Omentum] DICO 2. Omentum vel reticulum ob infinitas penè arteriolas & nervos quibus implicitum eſt, imo ventriculo & ſuperioribus inteſtinis obtenſum, maximâ ſui parte lienem verſus ſeſe retrahit & velut in ſpinas colligit; In multis animalibus uſque ad os pubis protrahitur, & in homine maximum cernitur, ut non immeritò dubitetur, num hernia aliquando ex huius in ſcrotum prolapſu accidere poſſit. Nullis nexibus alligatur inteſtinis niſi colo cui meſenterii loco eſt, figuram haber marſupii, ſacculi aut peræ, quia, duplicem habet tunicam, ſuperiorem & anteriorem unam, inferiorem & poſteriorem alteram, unde à quibuſdam peritonæum dicitur. Subſtantia eſt membranea, contexta ex duabus tunicis, venis & arteriis quamplurimis, exiguis nervulis & adipe copioſo. Vſum agnoſcit Andr. Laur. duplicem, ut imo ventriculo & inteſtinis velut tegumentum tueatur & foveat inſitum eorum calorem, & ut ramos venæ portæ in lienem, ventriculum duodenum & colum diſtribuat ſuſtenterque nervos & arterias.

DIFFICVLTAS IX.

Quis ſit uſus Meſenterij & pancreatis.

DICO primò, Meſenterium eſt corpus illud membraneum, quod medio loco inter inteſtina exiſtit, unde etiam nomen traxit & quaſi inteſtinum medium dicitur; Nam omnia inter ſe & cum vertebris lumborum firmiſsimè connectit & colligat. Trahit ſuam originem partim ex ipſis lumborum vertebris, quibus inteſtina erant adnectenda, partim ex tunicis venæ cavæ & arteriæ magnæ, quarum ramos deducere debuit, ipſo præſertim peritonæo fibras ſuppeditante, ne videlicet tenuiſſimæ venulæ & arteriolæ abſque præſidio in via intermedia facilè magno animalis dolore & impedimento nutritionis implicarentur & convolverentur; ſed & fieri poſſet eas ob tenuitatem ſuo periculo facilè rumpi, ut proinde neceſſariò omnes fuerint ſtabiliendæ & in corpore membraneo ſolidiſſimo veluti tela miſerendæ ac ordinandæ, ut tutò ſine permiſtione aut confuſione ad ſua quæque loca deducerentur. Eſt autem hæc membrana duplex & contexta duabus tunicis, venis & arteriis innumeris, adipeque copioſo & glandulis; venæ omnes à portæ ramo meſenterico propagantur, arteriæ ab inferiore & ſuperiore meſenterica, & nervi à ſexta cerebri coniugatione defluunt; intermedia autem ſpatia venarum & arteriarum adeps copioſus occupat, ubi glandulæ quamplurimæ exurgunt, non tantum ut vaſa dirimant, ſed etiam ut impediant ne vaſorum ductus ab oppletis inteſtinis vel compreſſione abdominis comprimantur, & denique ut ſint veluti ligamenta vaſorum, ne in violentis motibus diſrumpantur. Cæterum iecoris ad inteſtina velut exporrecta manus eſt totum meſenterium, & venæ per illud ſparſæ quæ meſaraicæ dicuntur, veluti digiti manus exiſtunt, quibus attrahitur chylus ex inteſtinis, adeoque accommodatiſſimè Ariſt. 2. part. c. 3. & 4. c. 4. ventrem & inteſtina animalibus eſſe dixit veluti ſtirpibus terra, venaſque meſenterii hoc ipſum eſſe quod in his radices ſunt; Nam ut ex terra & radicibus ſtirpes, ſic ex ventre & inteſtinis per meſenterii venas alimentum animalia trahunt; atque in illis virtute iecoris, à quo tranſmiſſæ ſunt, rubeſcit paulatim, & ad ſanguinis ſpeciem præparatur; Vnde colligis inter reliquos uſus præcipuum eſſe totius meſenterii, ut ingentem illam venarum multitudinem, quæ à iecore ad ſugendum alimenti ſuccum ad inteſtina tranſmittitur, tutò deduceret, atque cum illis complures arterias ab arteria magna, nervoſque non paucos à ſexto pari cerebri.

[Meſenterium.]

DICO 2. Sub ventriculi fundo in ipſo meſen-

[Pancreas]

Google

meſenterii centro, ubi eſt prima diſtributio, natura ſubjecit grande corpus glanduloſum, quod vaſa omnia & eorum diviſiones ſuſtineret & propter mollitiem non læderet. Inter ventriculum & aortam poſitum inſtar pulvinaris eſt utrique corpori, ne ventriculus cibis repletus à lumborum oſſibus lædatur, aut arterias nimium comprimat ſpirituſque prohibeat tranſitum. Pancreas dicitur, quaſi totus caro, quia exprimit ſpeciem ſimplicis carnis, ut habetur ex 3. hiſt. animalium apud Ariſtotelem. Pluribus conſule Medicos Anatomicos. Mirum certè quomodo Natura chylum à ventriculo in inteſtina detruſum per meſenterij venas concurrente potiſſimum vi epatis attractivâ in hoc ipſum corpus magis concoquendum tranſmittat; hoc enim magis demirari quam ſpeculari & ſpeculando cognoſcere licet.

DIFFICVLTAS X.

De Inteſtinorum uſu & natura,

Inteſtina. DICO, Inteſtinum, quod detracto omento liberè conſpicitur, eſt reipſa unum à ventriculo ad ultimum uſque plus quam 14. ulnis ſeſe extendens, ſed multiplex ob diverſum uſum, ſitum, figuram & magnitudinem, quibus à ſeipſo diſtinguitur. Ejuſdem eſt ſubſtantiæ cum ventriculo, quia duplici tunica ubique conſtat nonſecus ac ventriculus, ſed internâ magis carneâ, externa magis membraneâ, & illa mollior eſt quam in ventriculo, quod cibum ab illo jam confectum eſſet ſuſceptura: Tunicam tertiam habet à peritonæo tam ad tutelam quam ad omnium copulationem & ligamen. Venæ & arteriæ à porta magnaque arteria per meſenterium derivantur, pauciores quidem ad colum & rectum, ſed plurimæ ad jejunum & ilium, quia quod eſt ventriculo propinquius, plus optimè ſucci beneque concocti continet. *Diviſio inteſt.* Dividitur inteſtinum à ſubſtantia in duodenum, jejunum ac ileum, quia ſunt gracilia, & in cæcum, colum & rectum quia craſſa. Ab officio in ea, quæ perficiunt & diſtribuunt chylum. A figura in recta ut duodenum & rectum, & in anfractuoſa ut jejunum, ilium & colum. A ſitu denique in ſuperiora & inferiora. *Duodenū.* Duodenum quod ab inferiori orificio ventriculi principium ſumit & ſitum in dextro latere ſpinam verſus, rectè ferè ad longitudinem 12. digitorum in Viro deſcendit, quouſque in anfractus & orbes convolvatur. *Iejunum.* Ieiunum ita dicitur quod ferè perpetuò ſit vacuum propter viciniam epatis quod continuo chylum ex hoc ſugit, propter copiam venerum quæ chylum exhauriunt, & bilis acrimoniam, quæ ſtimulo ſuo ſuccum ferè omnem abſque cunctatione expellit: Inteſtinum hoc occupat penè totam Regionem umbilicalem ſuis circumvolutionibus ad ilia uſque. *Ilium.* Ilium ex tenuibus ultimum eſt, & longius cæteris omnibus, quia plurimis orbibus & anfractibus involutum eſt; ſubter umbilicum ad ilia & coxas utriuſque poſitum eſt; frequenter in ſecretum prolabitur, non item cæcum & colum, quia vicinis partibus adhærent. Cæcum inteſtinum craſſum eſt, ſed & principium ubi craſſiores tunicæ incipiunt, quia craſſiorem chyli portionem continent; *Cæcum.* In hoc fæces alui, quæ ex ſeparatione utilioris materiæ alimentalis remanſerunt, ſpeciem ac nomen accipiunt. Saccum vocant Anatomici, quod ſit ſicut aliquis venter craſſus oblongus, ad cuius extremum cernere liceat appendiculum inſtar lumbrici contorti, meſenterio nulla ex parte alligatum, ſed dextro ferè reni inſidentem. *Colum.* Poſt cæcum ſequitur colum, in quo tormina & maximi cruciatus accidunt colici: plurimis diſcretum eſt cellulis, in quibus fæces figurantur. Fertur à rene dextro ad cavam epatis, unde ventriculi fundo annexum lieni accumbit, & reni ſiniſtro alligatur. Rectum nullis intortum eſt giris, ſed rectà ab oſſe ſacro ad anum & podicem uſque protenditur: *Rectum.* Eius inferior pars à muſculis in orbem circumfuſis conſtringitur, qui ob id etiam ſphincteres dicuntur, ne citrà voluntatem fæces ab alvo excernantur. In viris ait Andr. Laur. eſt maxima ſympathia inteſtini recti cum veſica, ſed in fœminis cum utero. Quod autem in ſuis controverſiis anatomicis quæſtiones moveat, an inteſtina habeant vim attractricem, retentricem, expultricem, concoctricem &c. Meritò ridendus eſt à Philoſophis, apud quos nulla eſt particula corporis humani, in qua non vigeat facultas vegetans, non quidem ſubſtantialiter, quo modo etiam eſt potentia viſiva in pede, ſed realiter & actualiter, ergo & vis concoctrix, attractrix &c. Unde ne fruſtra huiuſmodi minutiis immoremur, ſit

DIFFICVLTAS XI.

Quam vim & quem uſum habeat epar.

AN epar toti⁹ nutritionis & sãguinis principatum teneat, ſicut tenet omnium partium inferioris ventris, ex iis quæ diſp. 4. & 19. rum aliis in locis dicta ſunt, abundè patet. Certe inter omnia organa, quæ cordi tanquam ſupremo Domino & regi famulantur, primum locum habet, quia eſt prima officina ſanguinis: Quod ſi ventriculum objicias, quod cordi proximè incumbat à quo proinde ad actionis nobiliſſimæ adminiſtrationem, videlicet ad chylum conficiendum calefiat. Reſp. etiam epar primum, ſed & proximiorem obtinere locum; Deinde actio eius qua ſanguinem vel minimum eius rudimentum conficit materiamque cordi ad eundem ſanguinem perficiendum præparat, longè nobilior eſt; Et accedit quod epar dum ventriculo incumbit,

calore ſuo coctionem ejus adjuvet, ſicut per arterias cor in epatis calorem fovet, atque ita ventriculus epati, & hoc cordi officium acceptum ferunt.

Epar. DICO, Situm eſt epar in dextro hypochondrio ſub Diaphragmate & coſtis nothis, quamvis nonnihil à ſepto tráſverſo diſtet; habet autem locum nobiliſſimum & tutiſſimum, quia his coſtis quaſi ſepimentis obvallatur, cum motum nullum ut ventriculus & inteſtina aut alia membra requirat. Formam nullam habet propriam & peculiarem, ſed eam à circumjacentibus partibus accipit, quia ſubſtantia mollis & carnea eſt, quæ facilè in omnem figuram inflecti poteſt: parte ſuperiori gibboſum eſt & læve, inferiori autem cavum, & læve quidem ſed alicubi ſinuoſum. Magnum eſt in homine, quia calidiſſimus hic multo indiget ſanguine, maximum autem in helluonibus & voracibus, quorum ventribus copioſum requirit calorem, & quia viſcus magnum magno calore præditum abſumit moltum nutrimenti. Subſtantia planè ſpongioſa eſt, mediocriter mollis, rubra & ſanguinea; Imò nihil aliud eſt, quam ſanguis craſſior concretus ac quaſi ardore nimio toſtus; caro tamen hæc in gibbo durior eſt. Totum epar tegitur tenuiſſimâ tunicâ deductâ à parte ſuperiore peritonæi. Nervuli à ſexto pari cerebri derivantur in hanc tunicam, & ex iis aliqui in ſubſtantiam epatis etiam penetrant, ne illud omninò ſit ſenſus expers. In parte cava adeſt vena portæ, quæ alimentum mutandum in ſanguinem adducit; In toto autem viſcere plurimæ ubique abundant venulæ, quæ genitum ſanguinem ſuſciperent & funderent; ſed per medium illud magna producitur cava, quæ ſuſceptum à minoribus ſanguinem per totum corpus diſtribueret; adſunt etiam arteriæ ab aorta diffuſæ & cavam regionem ad portam uſque ſubeuntes. Connectitur epar cerebro per nervos; cordi per arterias & venam cavam; ventriculo, inteſtinis, lieni per ramum ſplenicum & meſentericum; denique vix ulla eſt pars in humano corpore, quæ epari per medium aliquod ſive homogeneum ſive heterogeneum non cohæreat: Nam adnexum eſt Diaphragmati, peritonæo, coſtis nothis, umbilico per propria ligamenta, idque tanta neceſſitate hominis viventis, ut umbilico reſecto is ſubitò ſuffocatur, quia concidente vena umbilicali tanquam epatis vinculo collabitur epar, à quo Diaphragma reſpirationis organum trahitur. Uſus epatis eſt non tantum ut aliarum partium operationes juvet, ſed maximè ut alteram præſtet coctionem, quæ eſt chyli in ſanguinem mutatio, unde magnum, craſſum, amplum ac præcalidum eſſe debuit, ut totum alimentum ſuſciperet illudque magis coqueret; Quomodo autem gignatur ſanguis, vide quæ in antecedentibus dicta ſunt. Cæterum laudo, quæ Daniel Horſtius manuduct: ſua ad Medic. part. 1. c. 2. ſ. 2. a. 1. in fine docet, ubi ait non obſtantibus tot altercationibus de functione & uſu epatis cordisalio-rumque viſcerum inter Medicos anatomicos & Philoſophos, ſemper manere eandem methodum medendi & eaſdem indicationes,

DIFFICULTAS XII.

De veſicula bilis.

POſtquam ſecunda concoctio peracta eſt, exurgunt tria excrementorum genera, quæ ab hujus concoctionis materia, videlicet à ſanguine in venas totumque habitum corporis diffundendo ſegreganda ſunt. Primum eſt craſſum & terreum, quod ſuccum melancholicum nominant; ſecundum aëreum vel igneũ, quod bilem; Tertium aqueum & ſeroſum, quod in diverſis locis diverſum obtinet nomen: Hæc quia non ſunt corpori nutriendo idonea, natura à ſanguine ſegregare ſolet, & cuique ſuum peculiarem præſcribit locum, ut ſucco melancholico lienem, humori ſeroſo renes, vel etiam habitum corporis, & bili veſiculam, de qua in præſenti.

DICO, Veſicula, quæ bilem tanquam humorem acrem & mordacem ideoque primò omnium expurgandum recipit, eſt ſubſtantiæ membraneæ, ut facilè diſtendi & contrahi poſſit: Tunicam habet unicam ſimplicem ſed villis benè munitam, quibus bilem attrahat, teneat & expellat, illud per rectos, alterum per obliquos, & hoc ultimum per tranſverſos & orbiculares; Venas habet exiguas à portæ trunco, ad nutricatum arteriolas à ramo cæliaco & nervulos à dextro coſtali, tam ad fomentum caloris quam ad ſenſum tactus. Figura ejus eſt oblonga & rotunda ad formam cujuſdam pyri. obſervanturque ductus varii ut docent Anatomici, unus autem aliquando ad fundum ventriculi qui vitioſus eſt & præternaturalis, cujus etiam meminit Gal. 2. de temper. c. 8. & c. 74. artes parvæ; Eſt autem hic ideò vitioſus & valdè nocivus, quia qui hoc modo effecti ſunt, continuò evomunt bilem, & non rarò in vitæ periculum præcipitantur, ut apud multos experientia docet. Denique nutritur hæc veſicula non felle, ut Jobertus & multi alii crediderunt, ſed puro ſanguine quemadmodum omnes aliæ partes corporis ut habetur diſp. 14. Nec quicquam convincit ratio illa, quod venæ illæ, quæ per corpus illud ſparguntur, valde ſint exiles; quia & corpus illud exiguum eſt, & nutriuntur venæ capillares partes extremas in habitu corporis, quò feruntur, ſed nec pulmones aluntur bile ex Galeno, quia hic non bilem ſed biliuſum ſanguinem, id eſt, tenuiſſimum in dextro cordis ſinu elaboratum intellexit. Cæterùm quod hæc veſicula non recipiat bilem, ut lien ſuccum melancholicum, eò quod hic adhuc ſubſtantias vitales ab arteriis in liene elaborandas habeat, illa verò nulli parti ſit alimento, ſed ſolum inteſtinis uſum accidentalem præſtet, adeoque opus non habeat ullo alio receptaculo, vide Arniſæum obſ. 4. de uſu veſiculæ felleæ. Veſicula bilis.

DIFFI-

DIFFICULTAS XIII.

De Liene.

COrreptus ab uxore Pompeia Plotina Cæſar Trajanus, qnod conniveret tam injuſtè provincias per Procuratores divexari & depauperari, reſpondit, hnjuſmodi improbos homines eſſe inſaturabiles fiſci lienes, quo verbo & dicto egregio oſtendit fiſcum eſſe lienem, & ſicut creſcente in corporibus noſtris liene membra reliqua tabeſcerent, ita turgente principis fiſco Civitates & Provincias marceſcere & ægrotare. Quod quam verum ſit, teſtatur ipſa lienis magnitudo, quæ ſemper deterior eſt paruitate, quia in hac corpus augeſcit & in illa minuitur. His poſitis

Lien. DICO primo, lien, quiſitus eſt omninò ex adverſo epatis in ſiniſtro Hypochondrio, figuram habet variam juxtà rationem partium adjacentium; Nam ea parte, qua cavitatem diaphragmatis attingit, gibbus cernitur, qnâ ventriculum, cavus apparet. Subſtanria rara eſt & laxa, ut ſuccum craſſum & terreum facilè rraharae ſuſcipiat. Venas habet inſignes per totam ejus ſubſtantiam ſparſas; quæ omnes oriuntur à ramo ſplenico, & quibus craſſum & feculentum ſanguinem attrahit, non quidem purum ſed multo ſucco benigno permiſtum, quem per arterias præſentes, quæ etiam numeroſiſſimæ toto corpore perfuſæ adſunt, attenuat ac in propriam ſubſtantiam convertit; Craſſiorem verò magiſque terream & feculentam humoris melancbolici portionem quam attenuare non poteſt aliquando in portam & inteſtina per ramum ſplenicum, aliquando in ventriculi fundum per vas breve vel venoſum, aliquando in ſedem per hæmorrhoidas, vel etiam in renes per arterias emulgentes propellit. Quod ſi quæras, an omnia animalia habeant lienem, quia habet Ariſt. 3. de part. c. 7. quibuſdam animalibus nullum eſſe aut exiguum & vix ſenſilem, quod idem confirmat 2. l. hiſtor. c. 15. Reſp. id mirum non eſſe, cum & alia ſint, quæ eodem teſte Ariſt. veſiculâ bilis etiam careant; Hæc enim ait habere ventrem calidiorem, ut ſunt columbus, accipiter, miluus, noctua, ac proinde non indigere liene ad concoctionem cibi juvandam; Excrementorum autem ſuccum vel reſolvere in vapores per carnem laxam, vel conſumere in pennas & ſquamas, Si de uſu quæras,

DICO 2. Uſus primus lienis eſt, ut venas ex 3. de part. c. 7. cum aliis viſceribus ſuſtineret & velut anchora & clavus ſtabiliret ad corpus & partes per qnas ducnntur. 2. ut foveret ſiniſtram & inferiorem ventriculi ſedem ejuſque coctionem calore juvaret, ſicut
Vſus lienis. epar juvat dextram totamque ſuperiorem. 3. arteriarum eſt pulſatione ſua expurgare & attenuare ſanguinem feculentum, tum ſollicitare ejus ejectionem ſive extruſionem è venis in ſubſtantiam lienis, & tandem vim vitalem lieni impartiri, quâ inter cætera ventilent calorem lienis copioſo ſucco feculento penè obrutum. 4. Venarum eſt, ut per eos ſuperfluus & noxius humor ſecernatur, quemadmodum id apparet in alio meatu venali, qui ad ſuperius orificium ventriculi dirigitur, nullamque aliam ob cauſam quam propter illius ſucci ſecretionem factus eſt. Notum enim eſt illud, ſplen ridere facit, cogit amare jecur, quia dum feculentum & terrum ſecernit ſanguinem, reliquum purum magiſque ad hilaritatem aptum facit. Quod verò Eraſiſtratus putaverit lienem ex errore facultatis fruſtrà obortam, quæ proinde in ſiniſtro imitari voluerit, quod docta fuerit facere in dextro, id pulchrè refutat Gal. 4. de uſ. part. c. 15. ex artificioſa lienis ſtructura gravitateque & multitudine cum morborum tum ſymptomatum, quæ obſtructiones lienis ſubſequi ſolent. E contrario Franciſcus Vlmus lib. de liene nobiliſſimam functionem huic adſcribit, videlicet ſpiritus vitalis generationem, ſed Reſp. huic repugnare carnem viſceris craſſam & feculentam in medio excrementorum ſitam, & quod nullus illuc aër attrahatur. Sunt denique ex recentioribus nonnulli, qui ex colore, magnitudine & ſubſtantia lienis, & quod nonnunquam obſtructo vel deficiente epare vices hujus obierit, prout exempla docent apud Fern. 1. Phyſiol. c. 7. Veſal. l. 5. c. 9. Marcell. Donat. lib. hiſtor. memor. c. 3. Schenck. 3. obſerv. 92. & alios, novum lieni attribuerunt uſum in concoquenda vel ſubtili & feroſa ſanguinis portione, quæ eſt opinio Renſneri exercit. 4. de ſcorbutt. vel craſſa & feculentiore, ut ſentiunt Plat. l. 2. tab. anatom. Bauh. 1. theatr. anatom. c. 43. ſed Reſp. hanc opinionem non eſſe novam aut alienam ab ea quæ eſt communis Medicorum, apud quos tribuitur lieni vis trahendi ſubigendique craſſiorem ſanguinis ſubſidentiam, & aliquando vices epatis ſuſtinendi, quandoquidem & ſic attenuat calore arteriarum, & earundem motu eventilet craſſum humorem; ita ut premente neceſſitate, qua ſolet natura partium uſu mirè abuti, facilè ad perfectam epatis functionem deduci poſſit; Hoc autem quia rarum & extraordinarium eſt, ideò fit, quia in liene nulli ſunt ductus, nulli meatus, viæ aut receptacula ſicut in epate, ubi materia pro conficiendo ſanguine attrahi aut recipi poſſit, aut ubi excrementa colligantur & in loca debita abducantur, quod demonſtratione anatomica abundè probatur.

DIFFI-

DIFFICULTAS XIV.

De uſu renum,

TRia ſunt organa, quibus natura in expurgando ſeroſo & aqueo humore nitiur, videlicet renibus, qui dicuntur ſerum adhue ſanguine mixtum trahere, ureteribus qui ſerum deputatum jam deducunt & veſica quæ idem ſetum intrà ſuam cavitatem recipit & excernit; De duobus ultimis iofra: De primo

Renum ſtructura. DICO primo, Renes, qui gemini ſunt & rarò pauciotes aut plures, ut patet ex Laur. qui ſæpè unum ſemel 4. obſervavit, ideò multiplicavit natura, & utrinque paulò infra epar ad latera venæ cavæ poſuit, ut non ſolum citius fieret ſecretio, ſanguiniſque ad inferiora eutſus promoveretur, ſed etiam ut cum plutimum ſit hoc exetementi genus, id nullo modo in excretione impediretur, ſi quando alterum obturari contingeret; Hoc caſu enim optimè providit natura de altero, qui functionem maxime neceſſariam exequeretur. Renum forma oblonga eſt ſed propemodum rotunda, faſeoli vulgò dicti ferè figura vel ſemilunæ, quia quà venam cavam ſpectant, ſinuati ſunt & concavi, extrinſecus ad ilia gibbari & oblongi. Subſtantiam collocat Hippocrates inter glanduloſa corpora, Galenus inter viſcera & parenchymata, quia ſubſtantia eotum eſt carnea, rubta, denſa, ſolida & duta vix quicquam à corde differens, niſi quod nullis conſtet villis: ſolida autem eſt ideò, ne laxitate ſineret urinam fuſius elabi ut notat Laurentius. Porrò habent renes vaſa ampliſſima, videlicet venam & arteriam emulgeutem; per illam quæ à trunco cavæ deſcendentis exotta in ſimam renum partem inſeritut, ſeroſus humor à venis prolicitur; per hanc ſpiritus vitalis defertur, ſanguis arterioſus expurgatur, & ſerum in arterüs exiſtens quod Dandious &

Conſenſus renum cū ventriculo alii negant, refunditur in renes. Tota renum ſubſtanria duabus tegirur tunicis, quarum una externa eſt altera interna; hæc proximè renum ſubſtantiam involuit, accipitque nervum à ſtomachico, unde tantus cum ventriculo in renum affectibus conſenſus; illa undique cingit & obducit inſtat alicujus involucti, unde etiam faſcia renum dicitur. Connectuntur renes lumbis mediante peritonæo, veſicæ autem per ureteres, & cerebro, cordi, epati per venas, arterias & nervos. Potrò quod in dolore nephritico crus è directo ſtupore torpeat, & ventriculus vomitu moleſtetur, cauſam ajunt Medici quod primum eſſe compreſſionem muſculi pſoar dicti, cui renes incumbunr, & qui crurifleċtendo per inſertionem interiotem inſervit, tum compreſſionem netvi, qui in cruris muſculos omnes excurrit. Quod ſecundum verò, non eſſe viciniam, nec generis ſimilitudinem, nec ſocietatem ejuſdem operis vel adminiſtrationis, ſed communionem ſeu continuationem vaſorum ac membranarum. Quod ſi de officio tenum quætas, reſpondeo &

DICO 2. Munus & officium tenum eſt, ur expurgent venoſum & atterioſum ſanguinem; Eſt Gal. primo de natural. facult. 5. de uſ. patt. aliiſque in locis contra Eraſiſtratum, qui ut refert ipſe Gal. cit. nullum fere uſum re- *Vſus renū.* nibus adſcribit; eſt etiam contra Ariſt. l. de part. animal. ubi docet, reues primariò & per ſe ad continendas & ſtabiliendas venas conſtructos eſſe, his ipſis autem ſecundatiò abuti naturam ad humotem ſupervacuum excernendnm. hęc concluſio probatur à Medicis per modum illum, quo excrementa in epate poſt peractam concoctionem redundantia in propria coocep- ptacula amandantur, bilis quidem ad ſuam veſiculam, vel ut Arniſæus putar, immediatè ad inteſtina; ſuccus melancholicus ad lienem; ſerum verò. poſtquam ſanguinem craſſum & ad motum ineptum quaquaverſum in venas graciles & anguſtas deduxit, ad renes, ubi à ſanguine ſecretum & depuratum per meatus convenientes expurgetur. Sed difficultas eſt, quomodo hæc expurgatio fiat, an renes ſetum ad ſe trahant, an venæ ipſæ illud expellant, vel an ſerum motu proprio excretionem moliatut &c. Nam aliqui ut Eraſiſtratus & alii putant, id fieri metu vacui, id eſt, ad expurgationem unius *Vrina quomodo à renibus depellatur.* ſeri neceſſario ſubſequi aliud & ſic ſucceſſivis vicibus; ſed opinio hæc ideò falſa eſt, quia ſetum non advenit renibus purum ſed ſanguini permiſtum, qui cum renum ſubſtantiam deperditam reſtaurat, ipſum ſerum primo ſecernitur, tum verò ob tenuitatem ut doceot Anatomici, pet caruncnlas papillarum moteexſtuberantes in fiſtulas quamplutimas, ab his in ſinum membranoſum tanquam ciſternam, & ab eo per ureteres in veſicam depellitur. Alii docent, expurgationem ſeti virtute expultrice venarum vel ob ejuſdem aerimoniam, vel ob copiam & quantitatem gravantem fieri; Alii denique hunc ſtimulum & hanc ſeri expurgationem vi venarum negant, quia inquiunt, deberet fieri venarum & atteriarum compreſſio & coarctatio, per quam nou ſolum humor ſeroſus ſed & ſanguis totus fundaretur. Sed

Adverte 1. urinam ejuſque motum aliquando unà cum diſpoſitione cotporis eſſe naturaliter conſtitutam, aliquando contra, ſive ſit expulſio critica, ſive cū humotum colliquatione. 2. urinæ mateтiam non ſemper eſſe eandem ſed aliquando omnem potulentam tam crudā quam nonnihil immutatam, quæ immediatè poſt ſecundam concoctionem per renes excernitur; aliquando ſerum illud, quod ab humoribus alimentalibns è venis expellitur, & rurſum ſubſtantias illas quæ ex liquatione carnis ſive adipis evacuantur, id quod Hipp. paucis verbis ſect. 5. l. 6. Epidem. expreſſit, cum ait, urina concolor cibo & potui, tum qualis eſſe ſolet, tum cum humidi colliquatio eſt. 3. eandem eſſe in renibus facultatem vegetantem cum miniſtrantibns, quæ in corde, epate aliiſque partibus. His poſitis

DICO 3. Quomodocunqne conſtitutum ſit corpus, & qualiſcunque ſit materia, quæ per urinarias eiicitur, hæc po-

rius ſuſcipitur à renibus pet expulſionem partium, quam per propriam attractionem eorum, qui proinde ſoli eam demum poſt factam ſeparationem expellunt. Prob. materia ſeroſa & utinaria vel ſuſcipitur à renibus immediatè poſt primam aut ſecundam coctionem, vel poſt tertiam; ſed ſemper vel potius per impulſionem aliarum partium, ergo minus per attractionem. Major vera eſt, quia poſt primam coctionem ejicitur aliquando materia urinaria tora cruda & nihil immutata apud eos, qui integras amphoras ſive vini ſive aquæ aut alterius materiæ potulentæ hauriunt; poſt ſecundam autem, quando in epate fit humorum tam alimentalium quam excrementitiorum ſeparatio, portio materiæ ſeroſæ deſcendit & immediatè recipitur à renibus; In corpore liqueſcente ſubſtantia liquidior ex omni parte defluit per renes & meatus urinarios vel per inteſtina & alvum. Prob. minor, quud videlicet porius fiat per expulſionem aliarum partium, quam renum attractionem, quia ſunt excrementa & ſubſtantiæ inutiles, quæ quia nullum amplius uſum aut functionem obtinent, & inſuper graves moleſtæque ſunt, potius à facultate expultrice quæ ubique reſidet in minutiſſimis etiam partibus ejiciuntur, quam ab attractrice experuntur, ut quæ nullum harum commodum nullamque utilitatem habent, ergo verum eſt parum virturis attractricis renum intercedere, dum ſerum à toto corpore ad vias urinarias deſcendit. Non eſt tamen quod advertendum, eadem ſemper vis æqualis vel expultrix vel attractrix, quia major eſt illa dum venæ ſerum ſuo officio defunctum revomunt, hæc autem quando ſerum impurum & ſanguine adhuc præmixtum recipit, quod ideò attrahit ut ſucco utiliore quem ab inutili ſeparat, enutriatur. Quod autem Andr. Laur. q. 39. de renum uſu, dicat, in colliquatione carnis & adipis nullam fieri expulſionem aut attractionem ob corporis vel facultatis vegetantis debilitatem, id fruſtrà affingit; quia ſemper hæc remanet & operatur, quamdiu vivit animal, eſto debiliter, ceſſat autem omninò dum abit anima & ſpiritus vitalis evaneſcit. Cæterum de excretione materiæ ſeroſæ, quæ fiat per renes poſt factam ſeparationem in ſua propria ſubſtantia, nemo eſt qui id negare auſit, quia hoc eſt eorum munus & officium &c.

Vrina quomodo per renes expurgetur.

DIFFICVLTAS XV.

Quis ſit uſus ureterum & veſicæ.

Vreteres.

DICO primo, Ureteres, qui ab officio vaſa urinaria dicuntur, extendunt ſe à ſima renum parte ubi oriuntur, uſque ad veſicam: Duo ſunt ut uno obſtructo aut alio quovis modo læſo alter urinam fundat; ſunt etiam concava, quod ad ſerum excernendum conveniebat, tum alba, craſſa & nervea inſtar arteriarum; Quamvis autem craſſa ſint & denſa, una tamen ſimplici conſtant tunica, quæ obliquis ſolum villis texta, ut hoc modo meatus illi tantò facilius diſtendi & contrahi poſſint. Hæc tunica oritur à peritonæo, cui etiam illi adhæreſcunt. Vſus unicus eſt, videlicet excipere & deducere urinam vi renum ſecretam, ut eam tandem veſica intrà ſuam capacitatem recondat, & ad tempus reſervet.

Veſica.

DICO 2. Veſica ſita eſt in hypogaſtrio & in viris innixa & affixa inteſtino recto, poſita autem in fæminis inter uterum & os pubis, rotundam habet & oblongam ſimulque capaciſſimam figuram, ut extendi & turgere poſſit, quam ob cauſam etiam membraneæ eſt ſubſtantiæ; Nam duplicem habet tunicam, communem & propriam; illa oritur à peritonæo & annectit veſicam inteſtino recto & coxarum oſſi; hæc dura eſt & valida, ne ab acri, mordaci & rodente humore ſive interdum calculis læderetur: Triplici fibrarum genere conſtat, quia attractionem, retentionem & excretionem exercet. In hanc univerſam veſicæ ſubſtantiam venæ complures ob hypogaſtrica ſeruntur, tum etiam arteriæ ab adducendos ſpiritus vitales. Nervi duo à ſexta conjugatione & à ſpinali medulla ſunt præſentes; Adeſt etiam conſpicuus canalis quidam Ourachos dictus, qui è veſicæ fundo in umbilicum porrigitur, & quo infans adhuc in utero materno exiſtens, urinam in allantoidem effundere ſolet. Veſica duas habet partes, fundum in quo continetur urina, & cervicem, quæ ſenſim fit anguſtior & in ſubſtantiam carnoſiorem deſinit, cingiturque muſculo, quam ſphincterum dicimus communiſque eſt viris & fæminis, ne invitis nobis effluat urina, quod fieri ſolet dum à frigore, ſectione aliâve cauſa violenti reſolvitur aut refrigeratur. Veſicæ collum maribus eſt anguſtius & oblongius, fæminis brevius & latius, unde nec à calculo quemadmodum viri periclitantur.

Sphincter.

DIFFICVLTAS XVI.

Quis ſit uſus teſtium.

QVamvis de hoc actum ſit diſp. 2. diffic. 25. ubi quærebatur, in qua parte fiat generatio ſeminis, & tam pro teſtibus quam pro vaſis ſpermaticis reſponſum fuit; nihilominus tamen ad majorem rei claritatem

Adverte, duas eſſe potiſſimum hujus quæſtionis opiniones, unam Ariſtotelis, alteram Galeni: Nam Ariſt. 1. de animal. utru. c. 4. docet ad conficiendum ſemen atque adeò ad procreandum non eſſe abſolutè neceſſarios teſtes; probat primo à ſerpentibus & piſcibus, tum etiam in 3. hiſt. c. 1. & 5. c. 5. ab omnibus iis animalibus, quæ pedibus carent, quia carent teſtibus. 2. ait taurum coiviſſe & genuiſſe

ampu-

amputatis teſtibus; habere autem hæc animalia meatus genitalis ſeminis plenos, quo ſibi ſimile giguant: Itaque totam procreationis vim & poteſtatem meatibus ſemen conficientibus ineſſe, nullam teſtibus concludit. Cur autem animalibus quibuſdam natura addiderit teſtes, 3. adfert cauſas, primò ut motum ſeminis ſtabiliorem faciant, & vaſis mirò artificio intortis appenſi illa contineant reddantque ampliora, ſicut pondera telis textorum appendi ſolent; 2. ut cor roborent, quia his quaſi ponderibus tenditur cor, & illis erectis totius habitus & temperamenti mutatio contingit, videlicet laxatis habenis & quaſi reſoluto cordis robore. 3. ut ex probl. 24. ſect. 4. pondere ſuo erectionem & tenſionem penis juvent. Galenus verò & Medicorum ſchola aſſignat vim ſeminis procreatricem & principatum teſtibus libro primo de ſermone cap. 15. ratio prima eſt, quia animalia quæ venere diu abſtinuerunt, teſtes habent ſemine turgentes, ejus uſu verò rurſum detumeſcunt. 2. quia animalia quorum teſtibus adhibentur intensè frigida, fiunt ſterilia. 3. quia in omnibus coctionibus ſemper fit prius præparatio in vaſis, ut patet de ſpiritu animali cujus fit præparatio in plexibus arteriolarum, forma autem in finibus cerebri; de lacte, quod præparatur in venis & perficitur in glandulosis mammis; de ſanguine qui ſecundum Medicos rudimentum accipit in venis meſaraicis, abſolvitur autem in epate; atque ita inquiunt præparatio ſeminis fit in vaſis ſpermaticis, hoc autem præparatum trahunt teſtes, ut ei formam, perfectionem & fæcunditatem tribuant &c. His poſitis.

DICO primò, non tam teſtes quam eorum meatus & vaſa ſpermatica habent vim & efficaciam conficiendi ſemen. Hanc concluſ. vide diſp. 2. diffic. 25. hujus libri; eſt autem partim contrà Ariſt. partim contra Galenum; Contrà Ariſt. quidem, quia eam vim omninò teſtibus denegat, ſed cõtrà Galen⁹ pro his ſolis pugnat, excuſari tamen facilè poteſt, quia præparationem in meatibus & vaſis fieri docet, quæ potiſſima eſt ſeminis concoctio; ſed nec Ariſt. magni erroris convincendus eſt, quia cum habeat ſolum ſpiritum vitalem eſſe inſtrumentum, quod ſanguinem in ſemen immutet, & hic in meatibus & vaſis potius quam in teſtium ſubſtantia exiſtat, manifeſtè patet, ejus doctrinam carere reprehenſione, ex quo etiam collige, non teſtes eſſe partes principes ſeminis, ſed cor cujus ſunt ſpiritus & calor vitalis, quamvis certum ſit & indubitatum ad procreandum atque adeò ad perficiendum ſemen fæcundum teſtes omnino neceſſarios eſſe in iis animalibus quibus ex natura debentur. Quid autem reſpondeat Laur. ad cauſas illas, quas ob appoſitos quibuſdam animalibus teſtes Ariſtot. adducit, ipſa quæſt. 2. de teſtium uſu videri poteſt, Si

Vis conficiendi ſemen ubi.

QUÆRAS primò, quæ ſit teſtium ſubſtantia. 2. quare horum cum thorace tanta ſympathia. 3. quæ ſint vaſa ſive organa quæ ſemen deducant, excipiant & aſſervent. Reſp. ad primum teſtes, qui glandes ſive glandoſa corpora dici poſſunt, non una membrana veſtiuntur, ſed pluribus velantur tunicis, de quarum numero non ſatis unanimes ſunt Anatomici. Reſp. ad ſecundum, id fieri per nervos, arterias, & venas, quorum omnium à thorace ad teſtes ductus ſunt pervii, ut fuſe habent medici. Ad tertium Reſp. quamprimum in meatibus & teſtibus ſemen excoctum eſt & elaboratum, defertur & extruditur in vaſa duo nervorum inſtar teretia & candida, quæ deferentia ſive ejaculatoria dicuntur. Vaſa hæc eâdem aſſurgunt viâ, quâ deorſum præparantia deflectebant, videlicet per peritonæi productionem; inde obliquo ductu ad veſicæ partem poſteriorem & exteriorem feruntur, & ſemen in veſiculas quamplurimas, quæ variciformes paraſtatæ vocantur, deponunt, unde velut per tubulos in radicem penis & extremum veſicæ ſenſim tranſcolatur.

Vaſa ſpermatica.

DIFFICULTAS XVII.

De utero.

DAndinus magnus priori ſeculo & Medicus & Philoſophus, poſtquam naturam & uſum partium heterogenearum ex Anatomicorum ſchola non tam ſcitè quam eruditè deſcripſiſſet, & ad caput ordine decimum quintum de partibus procreationi famulantibus veniſſet, hæſit dubius, quid circa materiam ſuo ſtatui minus convenientem faceret; Quamvis enim caſtis omnia caſta, & Theologi etiam nonnunquam acriter de hac ipſa contendant, quod putent hujus cognitionem ad viri Chriſtiani officium in multis ſpectare; Maluit tamen ipſe pudicos pictores & ſtatuarios imitari, & in partibus quarum exactâ deſcriptione aliorum fortè ſi non oculos ſaltem animum offendere poſſet, obducere velum, adeoque ut ait opus mancum quam minus pudicum relinquere. Sed ne inter partes reliquas hæc tam nobilis & ad conſervationem humanæ ſpeciei tam neceſſaria hic quoque deſideretur, imitabor & ſequor Medicos, daboque ex eorum accuratiſſimis ſcriptis rudem & indigeſtam ſicut hactenus in aliis deſcriptionem, ut & ipſe lector rudem ſaltem aut qualem requirere poteſt ab hoc opere, habeat cognitionem; Et hinc

DICO, Uterus qui etiam matrix dicitur, ſitus eſt in hypogaſtrio inter veſicam & inteſtinum rectum tanquam inter duo pulvinaria, ne ab oſſium duritie fætus læderetur. Non eſt apud omnes ejuſdẽ magnitudinis, ſed varia pro ætate, tẽperie, uſu veneris, fluxu mẽſium, conſtitutionis corporis & fætura; Figurã habet rotundam licet aliquantulum oblongã piro ſimilem, ſubſtantiam verò membraneam pro clauſura dum concepit, dilatatione dum

Uterus.

fœtus creſcit, & apertura dum is excludendus. De cætero totus uterus conſtat duabus tunicis totidemque venis, arteriis & nervis, quarum partium exortum, inſertionem, connexionem & ſtructuram, fundum item uteri, os, cervicem, cornua & ſi quæ plures aliæ ſunt totius partes vide apud Anatomicos; Ipſa autem vaſa ſpermatica in fæminis ſunt vel præparantia vel ejaculatoria ut in maribus; Illa ſunt duæ venæ & arteriæ duæ; ab his oriuntur vaſa deferentia ſeu ejaculatoria duo, quæ circa teſtes ampla ſunt, ſed ſenſim inde recedentes anguſtiora, nec ejaculantur ſemen ad veſicæ collum ut in maribus, ſed ad cornua uteri; hujus lateribus utrinque adjacent teſtes ſinguli, qui figura, ſitu, magnitudine, ſubſtantia, temperamento & ſtructura à virorum teſtibus differunt, quia ſunt oblongiores, minores, molliores, frigidiores, habentque unicam tunicam in lumborum muſculis hærentes & non extra abdominis cavitatem prominentes; recondiri autem ſunt ut eſſent calidiores magiſque fæcundi, quia effundunt etiam ſemen fæcundum & prolificum ut habetur diſp. 2. hujus libri. ſi

Vterus unde ab odoribus offenditur.

QUÆRAS, quomodo uterus odores ſentiat, cum non ſit organum capax hujus ſenſus, conſtat autem, ſæpè graviſſimè ab iis offendi, ſi ſint contrarii. Reſpondet Andr. Laur. q. 9. uterum non ſentire odorem ſub ejus ſpeciei, ſed affici tantum ab odoribus ratione vaporum & materiæ tenuiſſimæ; ſed parum eſt Philoſophica hæc reſponſio, quia nulla qualitas afficit ratione ſui ſubjecti, ſed contra, & ſic ſemper ſubſtantia afficit per qualitates ſuas ſive primas ſive ſecundas; Deinde vapores, cujuſcunque etiam ſint tenuitatis, non penetrant immediatè nec per ſe nec per ſuas ſpecies uſque ad uterum. Itaq; Reſp. breviter, odorem afficere ſenſorium per antipathiam, uterum verò per conſenſum quem habet cū ſenſorio; hoc enim affecto ipſe ſubitò trahitur in conſenſum, quod etiam in viris videmus, qui ex rebus ſæpè gratiſſimis ſentiunt ſtomachum moveri, ſi non ſemper, ſaltem aliquando, quod etiam in fœminis experimur, quæ gravidæ rebus odoriferis recreantur, non gravidæ læduntur, & contrà, cujus rei ſi rationem quæras; reſpondebis, nec ſenſorium nec uterum ſemper eodem modo ſe habere; Quam vehementem autem conſenſum habeat uterus cum omnibus totius corporis partibus & viſceribus, audi Medicos & miſerum fæminarum genus, quia non tantum ſanitatis, ſed & vitæ non rarò detrimentum ſentiunt; Et ut reliqua taceam, certè dignæ ſunt commiſeratione, quæ cerebri ſymptomate per communionem uterinam, cujuſmodi per nervos & membranas ſpinalis medullæ fieri ſolet, patiuntur; Nam affecto utero ſequitur occipitis dolor ut habet Gal. Comment. in 6. Epid. 1. & in hyſterica ſtrangulatione omnes

Symptomata ex utero.

functiones animales afficiuntur, motrices in convulſione, vitales in palpitatione &c. Sic quædam fiunt taciturnæ, quædam nugigarrulæ, aliæ omninò inſaniunt ut etiam ſeſe ex alto præcipitent, ut docet Hipp. libello de morbis virginum; quædam ita abjecto ſunt animo, ut quævis tuta timeant vitamque ſibi acerbam æſtiment; Quæ reliqua ſint accidentia ex conſenſu cum corde, epate, renibus, veſica, inteſtinis, ea ex cujuſvis viſceris propria natura, complexione & functione ſive officio facilè colliges.

DIFFICULTAS XVIII.

De muſculi natura & uſu.

Muſculus.

DICO primò, muſculus, qui carne ſimplici fibriſque nervoſis conſtat, deſcribi poteſt, quod ſit corpus nervoſum carne permixtum, vel quod ſit pars organica & diſſimilaris contexta nervis, tendinibus, venis, arteriis, carne & tunica propria. Quod ſit organum, patet ex Gal. l. de differ. morb. eſtque receptum apud omnes Medicos, quia eſt inſtrumentum motus voluntarii. Dicitur 2. pars diſſimilaris & heterogenea, quia conſtat diverſis partibus tam ſpermaticis quam carnoſis & ſanguineis. Decebat autem hanc partem eſſe heterogeneam & conſtructam ex variis ſimilaribus propter munus & officium, à quo Gal. c. 1. l. 1. de motu muſculorum vocat inſtrumentum motus voluntarii; ſunt enim imprimis nervi ſpirituum animalium è cerebro delatores; Deinde adſunt tendines, qui muſculos firmant & ſtabiliunt; 3. venæ ad nutriendum datæ ſunt & arteriæ ad calorem conſervandum; 4. tunicæ muſculos tegunt & à vicinis partibus ſeparant; 5. denique caro ſiccitatem nervorum & tendinum temperat facitque aptiores ſpiritus ſuo calore ad motum. Quod ad ortum muſculi ſicut & tendinis, non ſemper ab oſſe derivantur, ſed aliquando à cartilagine ut patet in larynge; aliquando à membrana ut in oculo, aliquando ab alia parte; Nec item omnis muſculus inſeritur in os, ſed in cartilaginem etiam, membranam, cutem &c. ut proinde ſemper ab uno in aliud progrediatur. Etſi autem tendo communiter pars muſculi dicatur (nam muſculus dividitur in caput, ventrem & caudam; in principium ſeu caput, ubi eſt exortus muſculi & prima in fibras diſciſſio, in ventrem ſeu medium, ubi abundat caro in fibras ingeſta, & in finem ſive caudam, ubi rurſum fibræ colliguntur & unitæ conſpiciuntur ſine carne) reipſa tamen in toto muſculo continetur; eſtque ſecundum multos proprium & primum inter omnes partes corporis movendi organum, ex Gal. l. 12. cap. 3. de uſu partium quem etiam ſequitur Vega comment. in artem p. contra Andr. Laur. quæſtione 12. de

Eſt inſtrumentum motus voluntarii.

Quæ pars primaria motus in muſculo.

muſculo, ubi multas rationes pro carne tanquam parte primariâ motus voluntarii in muſculo affert, atque tendinem ſecundum quid ſaltem eſſe comparatum ad motum, videlicet ad validiorem; Deinde non omnes muſculos tendines habere ex Gal. l. 1. c. 3. de motu muſculorum, v.g. muſculos laryngis, linguæ, & ani tum veſicæ ſphinctères.

DICO 2. Muſculus propter tendinis cuſtodiam factus eſt adjecta carne, quæ ſubſterneretur ſi caderet, eſſetque operimentum & propugnaculum ſi vulneretur, tum etiam ut tendo commodius ſuum exerceret officium; craſſior enim factus muſculus facilè ſeſe contrahit rurſumque ſe laxat & extendit, ideoque nec in principio nec in fine inſeritur caro, ſed in medio, quia imprimis principium & extremum occultantur ſub articulis, nec motu elevantur multum aut concidunt ſicut pars media quæ proinde ſemper externis injuriis expoſita plus pati & ſuſtinere poteſt; Deinde ſi extremitates replerentur carne, impediretur motus, neque articulus eâ occupatus liberè flecti poſſet &c. Porrò tanta eſt muſculorum copia in corpore, ut univerſa caro, quæ propriè caro nominatur, illis ſolis contineatur; Avic. in 1. Fen. 1. Canonis doctrina 5. ſumma 2. c. 30. & ex Gal. ſententia Averrh. in 1. lib. colliget cap. 15. numerat ad quingentos viginti novem muſculos; Alii plures alii pauciores, ſed Gal. ad initium l. 1. de motu muſcul. nullum facilè numerum colligi poſſe affirmat tum propter varios exortus & miſertiones, dum propter diverſos in eodem muſculo fibrarum ductus, motus contrarios, concurſus, connexiones &c.

DIFFICVLTAS XIX.

Quæ ſit venæ portæ diſtributio.

NE aliquid huic diſputationi deeſſe videatur, quod pulchrum & utile, quodque ſit reliquarum partium finis & complementum, placuit poſt alia venæ portæ diſtributionem & diffuſionem in totum corpus, tum venæ cavæ & arteriæ magnæ non ſolum aſcenſum ſed & deſcenſum ex Anatomicorum mente obiter & rudi minerva deſcribere;

Vena porta.

DICO, Vena portæ, quam alii manum epatis ſive oſtiariam dicunt, deſcendit è concava epatis parte; ſicut autem radices arboris variis capillamentis humi ſparſæ in unum coëunt caudicem, qui è terra paulatim proſiliens in duos inſignes ſeſe diffundit ramos, & hi rurſum in alios atque alios, donec toto corporis habitu in minutiſſimos abeant; pari modo radices venæ portæ quamplurimis ſurculis per totam epatis ſubſtantiam ſparſæ in unum coëunt truncum, qui ab epate proſiliens in duos inſignes ramos finditur, quorum unus ſplenicus, alter meſentericus dicitur, ita tamen, ut antequam hos binos ramos ſpargat, quatuor ſurculos exiles ad corpus & cervicem veſiculæ felleæ, ad Ventriculum ejuſque inferius Orificium, fundum dextrum & omentum, & denique ad inteſtina emittat: Poſtquam hos 4. ſurculos in minutiſſimas paulatim venulas capillorum modo deſinentes diffudit, totus ut dixi in duos præclaros & inſignes ramos abit, videlicet in ſplenicum qui ſiniſter & tenuior totus ad lienem fertur & meſentericum, qui dexter & amplior in meſenterium & inteſtina excurrit. Splenicus rurſum in 4. ramulos finditur, quorum unus gaſtricus minor, alter coronarius ſtomachicus, tertius omentalis dexter, & quartus omentalis poſterior dicitur; hi omnes in gibbam ventriculi partem, in dextram inferioris omenti regionem, colum inteſtinum, utrumque ventriculi orificium, aliaſque circumjacentes partes copioſiſſimè diſſeminantur; reliquum verò rami ſplenici in duas abit venas, & illæ in alias atque alias, donec copioſiſſimè in cavam lienis partem implantentur; A ſummo tamen propè lienem ramo ſurculus in ventriculum effertur, qui vas breve dicitur, ſuccumque melancholicum in ventriculi fundum & os ad excitandum appetitum effundit: Et hæc eſt Anatomicorum de ramo ſplenico deſcriptio, cujus ex natura uſus & functio eſt, ut ventriculo & lieni alimentum ſuppeditaret & ſanguinem feculentum expurgaret. Ramus meſentericus, qui longè amplior eſt, inter reliquos ſurculos, quos infinitos penè in meſenterium & inteſtina diffundit, tres habet præcipuos, nimirum hæmorrhoidalem, cæcalem & meſentericum, primus per coli extrema & inteſtini recti longitudinem ad anum uſque fertur, quem orbiculatim exilibus ramulis cingit; uſus ejus eſt; ut ſanguis melancholicus, quando propter obſtructionem lienis evacuari non poteſt, hujus rami beneficio per intervalla expurgetur; eſt tamen non tam externus quam internus, quorum ille cacochymiam, hic plethoram curare creditur. Cæcalis ramus ad inteſtinum cæcum deſcendit; Meſentericus infinitos ſurculos diffundit, eoſque obliquo ductu inter duas inteſtinorum tunicas ingerit; hi tenuiorem chyli partem ab inteſtinis ſugunt vehuntque ad epar, revehuntque jam ab epate confectum ſanguinem ad inteſtinorum nutritionem. Nequetamen, quod

Ramus ſplenicus & meſentericus.

Vena hæmorrhoidalis.

Advertendum eſt, ita ſpectat vena portæ ad cavum epatis, ut quod Galenus ſententiæ

ſuæ præſidium eſſe vult, nullo modo ad cor reduci poſſit: Nam etiam vena arterialis & arteria venalis ſunt uſu & ſubſtantiâ venæ, & tamen nulla ex iis poteſt ad epar reduci, quia vena arterialis quæ ſubſtantiâ ſuâ vena eſt, ex conſenſu omnium Medicorum etiam ex ſiniſtro cordis ſinu, arteria autem venalis ex corde, nulloque modo poteſt ad cavam & inde ad epar reduci; Deinde portam quoque cum corde optimè copulari atque ad idem principium pertinere docet non ſolum Ariſt. 1. hiſt. animal. c.18. & 4. de part. c.4. ſed etiam diligentiſſimi Anatomici, ut proinde porta ſit vera propago cavæ, in epate per meſenterium ad inteſtina ſummo naturæ conſilio emiſſa, ut alimentum inde ad epar adduceret; Et quamvis in cava epatis perampla cernatur, diffunditur tamen quamplurimis in epatis ſubſtantiam ſurculis, ut patet ex dictis, quorum pars ſanguinem per totum viſcus diſtribuunt, pars verò cum cavæ propaginibus connectuntur, ut prorſus ſint continuæ; Dum verò ad cavam epatis tendunt, ita ſenſim coëunt, magnumque illum truncum ſimul undique erumpentes efficiunt, qui poſtea ut ex jam dictis habetur in lienem, meſenterium vicinoſque partes infinitis penè tum ramis tum ſurculis diffunditur.

DIFFICVLTAS XX.

De vena cavæ aſcendentis & deſcendentis diſtributione.

Cava. DICO primò, Quamprimum vena cava ceu flumen ampliſſimum è dextro cordis ſinu erupit, dividitur in duos ramos ampliſſimos, quorum alter ſurſum, alter deorſum per medium thoracem tendit: Prior paulò altius aſcendens venam quandam emittit quæ ſolitaria dicitur; tum progrediens uſque ad jugulum cum interſepiente membrana conjungitur, & in eam tenuiſſimos complures venulas emittens mox ad glandem in duos peramplos truncos totus dividitur; Ille qui ſtatim inter primam coſtam ſatis magnum ad axillas ramum utrinque diſpergit, multis exiguis venulis in os pectoris, tria coſtarum intervalla, ſcapulas, cervicem ejuſque vertebras, in axillarum glandes, in muſculos ſcapulis ſubjectos, ac in externas demum thoracis partes diſtributis in totum excurrit brachium & hunc baſilicam vocant; reliquus verò ultrò procedens, poſtquam claviculam & os pectoris ſuperavit, in duos ramos in utroque latere diſtribuitur, quorum uterque ſurſum ad caput tendit juxtà jugulum, ideoque jugulares dicuntur; alter qui tenuior eſt, interior vocatur gulæque incumbit; alter paulo major & exterior ſub cute apparet; ab hoc humeraria ſive cephalica naſcitur, quia ex capite quaſi deſcendit. Interior poſt tenuiores hinc inde ſurculos cum ad calvariam, venit, bifariam ſcinditur, ubi plurimis ac miris modis per menynges, cerebrum omneſque interiores partes diſpergitur; exterior verò non eodem ſemper modo ſe habet, plerumque ad fauces uſque progreditur exiguis ramulis in muſculos cutemque proximam diſtributis. Interim humeraria ex ſuperiori parte humeri deſcendens, plurimis ramulis ad cervicis cutem externoſque muſculos ad gibbam ſcapulæ ſedem in exteriorem brachii regionem excurrit, & ad articulum uſque cubiti tenues ramos in cutem & muſculos diſſeminat; Quæ autem axillaris dicitur, inferiorem brachii regionem ingreſſa proximis muſculis nonnullos communicat ramulos; Deinde in duos grandes truncos tota finditur, quorum alter per medium brachium fertur inter duos cubitum flectentes muſculos, alter verò ad inferiorem brachii regionem progreditur, ubi cum humerariæ ramo ita coit, ut una quædam fiat vena, quæ propterea communis appellatur, quod ex illa duplici coaleſcat: dicitur etiam media & vulgò mediana, quod ex media brachii regione prodeat &c.

Vena baſilica.

Humeraria ſive cephalica.

Communis, media vulgò mediana.

DICO 2. Alter ramus deſcendens ubi ex corde prodiit, à poſteriori parte inſignem ramum ad cordis poſteriora & latus ſiniſtrum dirigit, qui ideò coronalis dicitur, quia coronæ inſtar totam cordis baſin ambit, totumque corpus per plurimos ſuos ſurculos irrigat & nutrit; Abhinc ubi cordi ſatis proviſum, ad ſeptum uſque integrâ deſcendit venâ membranis interſepientibus & pulmonum fibrâ ſuffultâ; tum ſepto perforato ſubit epar, in quo plurimos edit omnem in partem ramulos quibus ſanguinem in eo membro genitum ad magnum adducat truncum ut eum per totum corpus diſpergat; Deinde duas prægrandes venas derivat ad renes, vulgo emulgentes dictas, quod ſeroſum emungant ſanguinem & ad renes deferant. Reliquis in partibus, ad quas quaquaverſum deſcendit & innumeris ramulis fæcundat, novos ſemper edit fætus, & tam ratione ſitus & officii quam partium, quas perreptat, nova iis imponit nomina; ſic poſt coronalem & emulgentes eſt vena adipoſa, quod ad exteriorem renum tunicam copioſo adipe circumfuſa ſit; renalis, quod ad renum feratur; ſpermatica, quod ſeminis materiã ad teſtes deferat; lumbaris, quod ſanguine lumborum vertebras & ſpinalem medullam irriget; muſculoſa, quod in lumbares & abdominis muſculos plurimos proferat rivos; hypogaſtrica, quod omnes ferè partes in hypogaſtrio contentas nutriat; Epigaſtrica, quod in epigaſtrii muſculos diſſeminetur, &c.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XXI.

De arteria magna aſcendente & deſcendente.

DE hac quoad exortum nulla eſt inter Medicos & Philoſophos controverſia ſicut de venis: Vt ergò de utriusque diſtributione, de qua etiam lis nulla niſi fortè Anatomica, pauca conſtent,

Arteria magna venalis DICO 1. Ex ſiniſtro cordis ſinu duæ prodeunt arteriæ; una venalis, quæ ſimplici conſtans tunica ſtatim in plures partes dividitur, totosque tota pulmones permeat & in illis abſumitur; altera magna illa aorta ab Ariſtot. nominata, quæ in univerſum corpus diffunditur: Reſpondent hæ duæ arteriæ proportione duabus venis, quæ velut reliquarum omniū *Vena arterialis cava.* matres è dextro cordis ſinu ex oriuntur, vena arterialis & cava dictæ. Arteria magna de cujus aſcenſu hic ſola eſt quæſtio, ſtatim in ipſo ortu cordisque orificio in duos dividitur ſurculos, quorum unum ad dextram, alterum ad ſiniſtram baſis cordis ſedem emittit, qui velut coronam facientes venam coronalem comitantur. & ad mucronem usque ſuos ramulos extenduut; Deinde ſub arteriali vena ſurſum progrediens & cordis involucrum ſuperans, in duos inæquales truncos dividitur, & hi rurſum in alios &c. Alter qui amplior eſt & major, ſuper aſperam arteriam ſurſum ſerpens ad juguli glandem in duos inæquales ramos dilatatur; minor ad ſiniſtram declinans eum interiori vena jugulari caput petit; major ad dextram deflectens, primam paulò poſt attingens thoracis coſtam bipartitò dividitur, ut dextra pars ſiniſtræ prorſus reſpondeat, quia alter illius ramus ad axillam & brachium derivatur, alter per jugulum ſerpit ad caput & ſoporalis nuncupatur &c.

DICO 2. pars arteriæ quæ deſcendit, major eſt, quia ad plures partes derivatur, & quia inferiora membra fortè majori calore indigent, cum à corde ſint remotiora. Magnus hic truncus ad ſpinam accedens, ad ſiniſtram tamen partem nonnihil declinans, ut ſtomacho & venæ cavæ det locum, per medium thoracem usque ad os ſacrum deſcendit; eâ autem parte, quâ vertebris illis incumbit, multos profert ac diffundit ramuſculos ſive propagines, ut cæliacam, meſentericam ſuperiorem, renalem, ſpermaticam, meſentericam inferiorem, lumbarem & muſculam; A cæliaca multi rivi defluunt in ventriculum, ejus pylorum, omentum, epar, veſiculam felleam & lienem. Meſenterica ſuperior fertur in ſuperiorem meſenterii & coli partem. Renalis ſive emulgens in renum ſubſtantiam, non tantum ut ſpiritum vitalem adducat, ſed etiam ut ſerum quod copioſius in arteriis quam in venis ex Audr. Laur. continetur, expurget. Spermatica utraque deſcendit in teſtes. Meſenterica inferior in partem inferiorem meſenterii, colum ac inteſtinum rectum. Lumbaris in lumborum vertebras ut medullam ſpinæ nutriat & foveat. Muſcula inferitur muſculis lumbaribus, unde etiam nomen traxit. Poſt diffuſionem harum propaginum, totus truncus rurſum in duos inſignes dividitur ramos, qui juxtà partes quas permeant, iliaci dicuntur; Hi autem denique in alios eosque ultimos degenerant ſurculos, quorum primus ſacer dicitur quod ad os ſacrum deſcendat; alter hypogaſtricus, quod hypogaſtrii partes omnes irriget; Tertius umbilicalis, quod ab umbilico emergat; Et hoc quod notandum, vivit & tranſpirat fœtus in utero, eoque in lucem edito totus emeritus apparet, ſicut urachus & umbilicalis vena; Quartus Epigaſtricus, quia muſculos Epigaſtrii irrigat, &c. Et hæc breviter ex communiori tum veterum tum modernorum Anatomicorum doctrinis & obſervationibus tranſſumpta ſufficiant; ſi cui lubeat magis recentiorū novas opiniones, quas lynceorum oculorum beneficio hauſêre, perſcrutari & ſequi, per me licet, quia in hujusmodi bello nugivendulo & oſores habebit & defenſores; Et ſufficiat, ex huiusmodi litigiis nihil in praxi medica immutari.

DISPVTATIO VIGESIMA PRIMA.

De facultate ſenſitiva in homine.

QVemadmodum ea facultas à qua prodeunt operationes vegetantes, generali nomine naturalis ſeu vegetans dicitur; Ita etiam ea quæ dat ſenſum & ſenſationem, animalis appellatur, quod per priorem animal vivens, per hanc verò ſenſitivum conſtituatur. Et eſt hæc potentia priori tantò nobilior, quantò digniores habet operationes & principium excellentius, animam ſcil. ſenſitivam, quæ ab Authore naturæ ſuprà vegetantem longè elevata eſt; Et ad hanc poſt eam ordine deſcenditur, quia paulatim homo uterum, in quo hactenus novem menſibus delituit, & aliquot præcedentibus diſputationibus ex magnorum virorum & Authorum cùm Medicorum tum philoſo-

phorum ſcriptis claruit, egreditur, & jam extrà hunc omnibus nobilitatus potentiis vivit: Vixit quidem cum iisdem in matre, ſed obſcuriſſimè & in actu primo, jam verò in actu ſecundo, & ut fert ſenſus, manifeſtiſſimè; ſic ab objectis haurit ſpecies viderque quod prius non poterat; Guſtu percipit alimentum quod prius per umbilicum attraxerat: Odore delectantur nares, quo nunquam alibi is penetraverat: De ſono dubium eſſet, an intrà matrem ſit perceptibilis, niſi experientia conſtaret, utrumque & matrem & fætum gravius offendi, ſi ſonus ſit vehementior, quod periculum licet omnes à matre derivent: Tactum ubiq; fert delicatius, primis ortus ſui temporibus imperfectè, jam autem tantò exquiſitius, quantò magis ad perfectionem hominis, quod omnibus ſenſibus commune eſt, accedit. Sequitur ergò

DIFFICULTAS I.

Quid ſit facultas animalis & ubi ipſius ſedes.

POſt facultatem naturalem & vitalem ad animalem hanc deſcenditur, quia ad hominis perfectionem feſtinatur, adeoque ad animam nobiliorem itur, videl. ad ſenſitivum & rationalem. Sub hac facultate generali ſequuntur aliæ plures & præſtantiores, ut ſenſitiva, appetitiva, loco motiva & intellectiva, de quibus ordine breviter. Vt autem imprimis conſtet, quæ ſit natura huius facultatis, & quem locum ſibi determinatum habeat in homine,

Fac. animalis quid DICO 1. facultas animalis eſt vis quædam animæ operâ ſpiritus animalis actiones eliciens. Præcipuum inſtrumentum actionum animalium eſt ſpiritus, qui in cerebro gignitur, & per nervos in omnes partes influit, quibus ideò ſenſum & motum adfert. Hanc facultatem non habent ſtirpes aut plantæ, quia nec ſenſu egent nec motu niſi qui purè naturalis eſt & advenit ex nutritione ad majorem quantitatem, quam cum iis communem habent omnes partes viventes animalium. Quod autem detur hæc facultas, communis eſt omnium conſenſus, quia nec motus voluntarius nec ſenſatio eſt à facultate naturali aut vitali, ergo ab alia, id eſt, ab animali, quod confirmant affectus & læſiones, quæ ſi contingant in facultate naturali & vitali, non motum tollunt aut ſenſum, quemadmodum fieri conſuevit, ſi defectus in cerebro aut ipſius ſpiritibus eveniat; Vnde etiam

DICO 2. facultas hęc partim eſt in cerebro, partim extrà illud, vel etiam in ſolo cerebro principaliter ut ajunt Medici & quoad influxũ. Prima pars hujus concluſionis, quod videlicet hæc facultas ſit partim in cerebro, prob. primo ex Medicis & philoſophis contrà Ariſtot. l. de juv. & ſeneci. 2. de part. animal. c. 10. ubi ſenſum cordi ineſſe ſcribit, niſi tamen intelligat efficaciter, id eſt, diffuſione caloris omnia fovendo & excitando prout eum multi explicant, & non formaliter. prob. deinde ex origine nervorum & ſpirituum animaliũ, quibuscum facultas animalis influit; & ultimò ex affecto cerebro, quia tam ſenſus quam motus tunc patitur, & potius quã ſi cor ab alterationibus infeſtetur. prob. 2. pars, quod nimirùm facultas animalis ſit partim extrà ſubſtantiã cerebri, quia ſenſus omnes externi ſunt extrà illud ſicut & motus voluntarius; imò ſenſus tactus in toto corpore nõ minus quam nutritio & accretio. Cæterùm per influxũ intelligitur communicatio ſpirituum animalium, qui ad functiones animales neceſſarii ſunt, quique ab eodem principio à quo nervi derivantur, videl. à cerebro.

DICO 3. hæc facultas eſt diſtincta à naturali & vitali. Eſt doctrina communis & prob. primo, quia eſt animæ ſuperioris, ſcil. ſenſitivæ, cum priores ſint vegetativæ. 2. eſt perfectior, ideoque non ſemper exercetur in animali ut patet de motu progreſſivo, de guſtu, appetitu & ſimilibus, quæ non fiunt in infantibus ſicut in adultis. 3. hæc facultas ſemper fit cum aliqua cognitione & ſenſu, unde etiam animalis dicitur, quia nimirùm fit ad præſentiam & alterationem animæ; Reliquæ autem fiunt nobis nec ſcientibus nec advertentibus, ſed tantum ex motu naturæ ſeu naturali inclinatione & propenſione ferè ad eum modum quo lapis fertur deorſum, unde etiam purè naturales dicuntur. Et hinc colligitur, ſub hac facultate tanquam gradu quodam generali contineri facultatem ſenſitivam, motivam, appetitivam & intellectivam apud philoſophos diſtinctas, quod earum operationes omnes fiant cum cognitione ſive ſenſu & à ſpiritibus animalibus per nervos à cerebro influentibꝰ.

DIFFICVLTAS II.

An detur ſenſus in homine Oriente & quid ſit.

MEritò ſenſu carere putandus eſt, qui homini jam Orienti & in primis adhuc principiis conſtituto eum negat: Et hinc

DICO primo; datur ſenſus ratione & experientiâ in homine oriente & vix ab utero egreſſo manifeſtus: Nam per ſenſum cognoſcit, ſentit, diſcernit &c. Et colorem non niſi viſu percipit, ſonum auditu, ſaporem guſtu, calorem & alias injurias tactu &c. Adverte autem, dividi ſenſum ex Ariſt. 3. de anima c. 2. & 3. generatim in externum & internum. Externi ſunt quinque, ſic dicti, quod organa habeant exterius poſita, quibus obiectum ſuum immediatè, hoc eſt, abſque alterius potentiæ ſenſitivæ interventu attingunt: Interni verò organis conſtant introrſum reconditis, & modum habent occultiorem neque objectum percipiunt niſi mediante aliquo ſenſu externo, de

no, de

no, de qnorum numero ſicut & aliis ad eos ſpectantibus infrà. finis cur natura omnibns animalibns dederit ſenſus, eſt, ut poſſint amplecti utilia & diſcernere, noxia verò reſpuere: In homine accedit neceſſitas deferendi imagines rerum externarum ad intellectum, unde pulchrè à quibusdam anima civitati comparatur, in qua portæ ſunt ſenſns, per quos advenarum velut & civium turba intromittitur.

DICES, puſillns & recenter natns non poteſt quicquam cognoſcere, nec judicare v. g. de coloribus. *Reſp.* etiam cognoſcere in utero licet imperfectè, quia ſentit, famet, & ſi quæ ſunt ſimiles operationes ſenſitivæ: Quod autem neſciat diſcernere, judicare &c. ideò eſt, quia ſenſuum organa ſnnt tenera, & immerſa velut adhuc jacent in humido: Itaqne ſentit & cognoſcit omnia recenter natus, licet quæ magis materialia ſunt, perfectins, qnæ verò intellectui proximiora ſunt, imperfectius,

DICO 2. ſenſus è variis variè definitur, & quidem apud omnes in eundem ſenſum. Nam Dand. l. 2. de anima putat ita eſſe definiendum; ſenſus eſt animæ ſentientis facultas, quæ ab objectis exterioribus ſenſibilibus hauſta, poteſt omnia illa intelligere & cognoſcere deque illis judicare; ſenſus hnjus definitionis parebit ex ſequentibus: Alii brevius ſic definiunt, ſenſus eſt potentia manans ab anima ſenſitiva & percipiens res ſenſibiles ſibi objectas, ut viſus colorem, auditus ſonum, gnſtus ſaporem, odorem olfactus, tactus calorem, frigus, dnritiem &c. Et hoc idem eſt quod Ariſtot. l. 2. de anima c. ult. ſtatim ad initium docet. ubi ait, ſenſum eſſe id, quod ſenſibiles formas ſine materia ſuſcipere poteſt,

DIFFICVLTAS III.

An hæc facultas ſit activa an paſſiva.

TRaditum eſt ab Ariſt. 2. de an. c. 5. nbi agit de facultate ſenſitiva, hanc eſſe paſſivam, quod qnomodo intelligendum ſit, hac difficultate quæritur: Nam ut conſtat ex diverſorum Authornm opinionibus, incertum eſt quid in tanta varietate quisque ſentire poſſit aut debeat: His tamen omnibus brevitatis cauſa omiſſis, non eſt dubinm, quin ſenſus aliquo modo dici poſſit activus, quemadmodum tactus quatenus eſt calidus propter complexionem organi dicitur activus, quod idem de viſu intellige, qnia non tantum baſiliſcus aſpecto dicitur necare, ſed conſtat inſuper vetulas viſu graves inferre noxas infantibus, quamvis hæc non eveniant viſu quatenus viſus eſt, ſed ob admixtionem noxiarum qualitatnm, quod idem de calore organi tactus dici poteſt. Manet itaque difficultas, an ſenſus in exercenda prima functione v. g. viſus in viſione ſit potentia paſſiva, ita ut nullo modo ſit activa; putant enim multi, quemadmodum intellectus alins eſt agens alius patiens, ita etiā in ſenſu dicendum eſſe, ut ſcilicet detur ſenſus agens diſtinctus ab eo qui recipit ſpecies.

DICO 1. ſenſus ratione ſpeciei ſenſibilis quam recipit ab objecto, eſt potentia paſſiva tantum. Adverte autem, potentiam ſenſitivam conſiderari, prout recipit ab objecto ſpeciem, vel prout jam informata & inſtructa ſpecie ſenſationem elicit, ſuumque hunc actum, quatenus immanens, in ſeipſa productnm recipit. Iam prob. concluſio, recipere eſt pati. ergo potentia ſenſitiva quatenus ſpeciem ab objecto recipit, eſt paſſiva; hoc docet Ariſt. 2. de anima c. 5. ubi cum dixiſſet ſenſum eſſe in eo qnod movetur & patitur, id magis declarans quærit, cur ſenſibile quod eſt in organo, v. g. calor in manu; reſpondet ſenſum ſe habere ut combuſtibile; ſicut enim quod poteſt comburi, debet reduci ad actum ut comburatur, ita ſenſus debet ab alio moveri ut ſentiat, *Senſus dū recipit ſpecies, patitur.*

DICO 2. ſenſus ratione ſuæ operationis non ſolum eſt paſſivus ſed etiam activus; loqnor de operatione que eſt propria ſenſus quatenus ſenſus eſt, v. g. de viſione, de auditione &c. prob. 1. id quod verè & propriè producit actū, activum eſt; ſed potentia ſenſitiva eliciendo ſenſationem producit verè & propriè actum, ergo. 2. talis operatio ex natura ſua eſt immanens; atqui omnis operatio immanens producitur ab eo in quo recipitur, videl. in potentia & non in objecto, quia hoc aliàs ſentiret, ergo potentia non ſolum eſt paſſiva, ſed etiam activa. 3. omnis actio vitalis fit ab interno principio vitæ; ſed actiones ſenſnum ſunt vitales, ergo producuntur à principio intrinſeco, anima ſcil. mediantibus potentiis aliisq; inſtrumentis, 4. omnes virtutes rerum tam viventium qnam non viventium ſunt activæ, quia per eas operantur formæ vel ſuppoſita. ergo etiam potentiæ & facultates ſenſitivæ erunt activæ. 5. veræ ſunt hæ prædicationes, aſpectus videt, auditus audit, id eſt, eliciunt actum videndi, ergo ſunt activæ. *Senſus dum elicit ſenſationem agit.* *Potentiæ omnes ſunt activæ, etiam verū non viventium.*

DICES 1. potentia activa eſt principium, quod poteſt transmutare aliud, v. g. vis concoctrix in ſtomacho cibnm; ſed tale principium non eſt potentia ſenſitiva, alioquin ageret in objectum quod tamen falſum eſt, ergo non eſt activa. *Reſp.* majorem veram eſſe de actione tranſeunte nō de immanente; Etiamſi enim potentia ſenſitiva v. g. viſus non ſit tale principium quod per actionem tranſeuntem operando tranſmutet aliud, ſicut fit in potentia ſtomachi concoctrice, quæ tranſmutat cibum in chylum; eſt tamen principinm quod eliciendo ſenſationem producit verè & propriè actum immanentem. *Quædam potentia agunt actione tranſeunte, quædam immanente,*

DICES 2. datur intellectus agens & patiens, ergo etiam ſenſus utroque modo ſumptꝰ. *Reſp.* neg. conſeq. ratio diſparitatis eſt, quia intellectus agens facit ſpecies intelligibiles, prius quam patiens iis informetur; potentia autem ſenſitiva non facit ſpecies ſenſibiles, ſed

objectum

objectum ipſas facit, transmittitque ad organum potentiæ.

Colligitur 1. falſum eſſe, potentiam tantum pati & recipere; Ratio, quia ſi hæ potentiæ tantum patiantur, igobiliores erunt vegetativis quæ agunt in alimentum; Nam potentia activa ſemper eſt nobilior quam paſſiva. 2. ſicut actio vel eſt immanens vel tranſiens, ita etiam aliquando potentiam activam operari actione tranſeunte in materiam externam ut potentia concoctrix, aliquando actione immanente in ſuum ipſius objectum; ut viſus in coloratum. 3. ſenſum agentem non eſſe alium aut diverſum à patiente.

Etiam potentia vegetativa eſt activa.

DIFFICULTAS IV.

An facultas ſenſitiva cognoſcat ſuam ſenſationem v. g. viſus viſionem.

CONſtat non tantum hominum ſed etiam brutum quando aliquid vident, audiunt, guſtant &c. illud cognoſcere, quia hoc in multis animalibus teſtatur experientia, quæ viſis aliis terrentur, fugiunt, quod idem de reliquis ſenſibus intellige. Iam quæritur, an hæc cognitio ſit ab aliquo ſenſuum exteriorum aut ab eodem ſenſu in quo ſit ſenſatio, id quod Ariſt. 3. de anima c. 2. ſtatim ad initium ſimiliter quærit.

DICO 1. nullus ſenſus externus percipit ſuam operationem etiam dum ſenſui interno vel intellectui coniunctus eſt. ratio prioris eſt, quia hac conjunctione non mutatur ſenſus externus in ſe, neque acquirit ullam vim majorem quam prius habuerit. Ratio poſterioris eſt, quia ex communi conſenſu philoſophorum ſolius intellectus eſt proprium reflectere ſe ſuprà ſuam operationem, cuius rei rationes ſolent hæ magis probabiles afferri; prima, quicquid cognoſcit aliquid, debet illud abſtrahere à materia; ſed potentia materialis qualis eſt ſenſus, non poteſt ſe abſtrahere à materia, ergo non poteſt cognoſcere. 2. potentiæ materiales ſunt certis limitib9 circumſcriptæ, quia habent pro objecto certum genus entis, ac proinde non habent pro objecto ſeipſos & ſuas operationes; potentiæ autem ſpirituales, qualis eſt intellectus & voluntas, habent ampliſſimum objectum, quia continent omne genus entis, ergo etiam ſe & ſuam operationem; Et hæc vera videtur eſſe ratio.

Cognoſcere cum reflexione eſt ſolius intellectus.

DICO 2. neque tamen ſolus intellectus cognoſcit operationes ſenſuum externorum, prob. experientia; Nam lepores, canes, cervi, quando aliquid non benè audiunt, erigunt aures; ſimiliter canes, quando non benè percipiunt odorem, huc & illuc concurſant & ubique odorantur; Et idem de omnibus aliis ſenſibus intellige, ergo ſignum eſt cognoſcere, quod prius non benè audierint aut olfecerint; ſi autem cognoſcunt ſe non benè ſentire, ergo multò magis cognoſcunt cum benè ſentiunt, ergo percipiunt ſuas operationes; atqui carent intellectu, ergo aliâ potentiâ quâ intellectu cognoſcunt ſuas operationes, ſcil. ſenſu Interno. prob. 2. authoritate, & imprimis D. Thomæ 1. p. q. 78. a. 4 & q. 87. a. 4. ubi ait præter ſenſus externos qui ſenſiones ſuas non apprehendunt, neceſſarium eſſe animali ſenſum communem ut externorum actiones percipiat. Et eſt hæc doctrina Ariſt. de ſomno & vigilia, ubi ait, viſum quidem videre, auditum audire &c. nihilominus tamen communem conſtitui facultatem, quæ omnes 5. ſenſus ſequatur, & cuius beneficio animal, quod cernit vel audit, ſenſu afficiatur &c. hoc idem docet 3. de an. c. 2. ubi poſtquam quæſiſſet, an eodem ſenſu quo ſentimus, ſentire nos percipiamus, ita ut viſu ſentiamus nos videre, an verò ſit aliqua interna facultas ad quam perceptio illa vel dignotio viſus, auditus &c. pertineat; tandem concludit, ſenſum externum non percipere ſuam operationem, ut eodem capite eſt videre.

Etiam bruta cognoſcunt per ſen. int. internum.

Viſus non ſentit ſe videre.

DICES 1. guſtus delectatur ciborum ſuavitate, auditus bona & ſonora muſica, viſus jucundis coloribus &c. ergo ſenſus externi cognoſcunt ſuas operationes, quia non poteſt eſſe illa delectatio abſque re cognita. Reſp. neg. antec. quia illa delectatio quæ ex perceptione objectorum convenientium ſequitur; non pertinet propriè niſi ad appetitum; Nam phantaſia percipit rem jucundam & delectabilem eamque appetitui offert.

Muſica nõ grata auditui ſed appetitui, quia ad hunc ſpectat delectatio.

DICES 2. eodem viſu apprehendo colorem & eius actum ſeu viſionem, ergo ſenſu externo video & percipio me videre. Reſp. neg. antec. quia actu viſionis elicio viſum, quo etiam apprehendo colorem tanquam proprium & adæquatum objectum, colorem verò apprehendo ſenſu interno tanquam objectum particulare & ſub alia ratione ut in ſequentibus conſtabit.

DICES 3. viſus dicitur ſentire tenebras, ergo etiam ſentit ejus contrarium, ſcil. lumen, ergo ſentiet ſe ſentire. Reſp. viſum impropriè ſentire tenebras & quaſi peractionem negativam ſicut & alii ſenſus privationes ſuorum objectorum; Nam eatenus dicitur viſus percipere tenebras, quatenus apertis oculis nihil videt, non autem quod cognoſcat ſe nihil videre, quod idem de cæteris ſenſibus intellige.

DICES 4. ad ſenſum communem non deferuntur ſpecies, niſi quæ tantum objecta ſenſuum externorum, non verò etiam eorum functiones repræſentant, ergo ejusmodi functiones non cognoſcuntur à ſenſu communi ſed à proprio. Reſp. neg. antec. quia quilibet ſenſus externus per ſuam propriam cognitionem edit ſpeciem, quæ rem ſenſibilem quam percipit, & perceptionem ipſam ſive rem ſub ratione cognitæ ſenſui interno exhibet & repræſentat.

DIFFI-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS V.

Quodnam ſit objectum facultatis ſenſitivæ; & quæ objecti conditiones.

NOn quæritur hic circà quod objectum verſetur quivis ſenſus in ſpecie, quia conſtat huiusmodi obiectum eſſe vatium ut patet in viſu, qui habet colorâtum, in tactu qui tangibile &c. quæritur itaque de ſenſu in communi; circà quodnam objectum ſe occupet.

Senſibile objectum fac. ſenſit. DICO itaque 1. adæquatum ſenſus objectum eſt ſenſibile; Eſt communis doctrina, & prob. quia illud eſt objectum potentiæ ſenſitivæ in communi, quod illi objicitur, & quod ab illa percipi poteſt; ſed hoc nihil eſt aliud niſi ſenſibile, ergo. Quod ſi de conditionibus quæras, reſpondeo &

DICO 2. Conditio prima eſt, ut ſit aliquid ſingulare: hoc indicat Ariſtot. 2. de an. c. 5. circà finem, ubi hanc conſtituit differentiam inter ſcientiam & ſenſum quod ſcientia nimirùm ſit univerſalium, ſenſus autem ſingularium. Ratio huius conditionis eſt, quia ſenſus tantum percipit illud, quod illi per ſpeciem ſenſibilem & intentionalem repræſentatur: ſed repræſentatur illi tantum ſingulare, v. g. ſonus illius campanæ quæ pulſatur, auditui, viſui color ille ſingularis in pariete, ergo. *Singulare repræſentatur ſenſui.* 2. conditio eſt, ut ſit aliquid corporeum, quia ſenſus qui eſt potentia corporea, non poteſt percipere rem incorpoream & ſpiritualem; hinc homo non poteſt in hac vita videre Deum, angelos, animam rationalem. 3. ut ſit extenſum non tantum in ordine ad ſe, ſed etiã in ordine ad locum, quia facultas localiter extenſa etiam vult habere objectum proportionaliter & localiter extenſum. Et hinc apparet, quare corpus Chriſti in SS. Euchariſtia non videatur humanis oculis, quia ſcil. non eſt extenſum in ordine ad locum, eſto ſit extenſum in ordine ad ſe. 4. ut ſit certæ cuiusdam magnitudinis quæ ſub ſenſum cadere poſſit; Nam non quævis res poteſt videri propter nimis exiguam extenſionem, ſed illa quæ habet juſtam & determinatam magnitudinẽ. 5. ut ſit præſens ſenſibus externis, quia etiam ſenſus internus ut imaginatio & phantaſia rem abſentem ſibi affingit ut patet experientia. Adverte tamen, hanc conditionem intelligi tantum ſecundum viam naturalem & ordinariam, quia non implicat, ſenſum externum poſſe etiam rem abſentem per divinam potentiam percipere; Nam nihil prohibet, quò minus Deus ſpeciem huius herbæ virentis conſervet eamque in meo oculo ponat, quo poſito videbo reverà herbam illam abſentem per ſpeciem. Quod ſi tamen abſentia abſolutè intelligatur, id eſt, res abſens ut ſic, dicendum videtur, ſenſum non poſſe circà eam etiam potentiâ divinâ verſari, quia priori modo rem abſentem non percipit ut abſentem, ſed ſub ratione præſentis & quatenus ſe habet hic & nunc in tali loco & in tali tempore. 6. denique conditio eſt, ut debito modo conjungatur cum ipſo ſenſu, ne nimia diſtantia deneget ſpecies ideò, quod per eam percipi non poſſit, vel nimis approxima ta ſenſationem non faciat, ut patet in re alba ſupra oculum poſita.

DIFFICVLTAS VI.

Quotuplex ſit objectum facultatis ſenſitivæ.

ADverte, objectum, quod eſt ſenſile, variè à variis dividi: Nam perſpectivi, ut videre eſt apud Vitellionem l. 3. ad initium numerant 19. Galenus 3. poſuit; Alii 6. alii plura & pauciora; Ipſe autem Ariſt. 2. de an. c. 6. ponit 5. ut motum, quietem, numerum, figurã, & magnitudinem; Et l. de ſenſ. & ſenſ. addit aſperum, læve, acutum, obtuſum; Et his omnibus adnumerari poſſũt æqualitas & inæqualitas, quæ cognoſcuntur viſu & tactu; Intenſio item & remiſſio, quæ omnibus ſenſibus percipiuntur: Iam omiſſa diviſione, quâ ſenſibile in viſibile, audibile, odorabile, guſtabile & tactile juxtà numerum 5. ſenſuum ext. diſtribuitur.

DICO 1. objectum ſenſus vel eſt ſenſibile per ſe vel per accidens. Hoc eſt ſubſtantia ipſa quæ non ſentitur niſi per accidentia ſua, v. g. paries per albedinem, lac per dulcedinem &c. Illud ex natura ſua & non beneficio alterius cadit ſub ſenſum, ut color, ſonus.

DICO 2. Senſibile per ſe dividitur in ſenſibile proprium & commune. Illud eſt, quod ab uno ſenſu tantum percipitur, ut color à viſu, ſonus ab auditu; hic tamen ſubintelligendus eſt ſenſus externus, quia etiam internus ut phantaſia & imaginatio poteſt apprehendere colorem. *Etiam Phantaſia apprehendit colorem.* Senſibile commune eſt, quod à pluribus ſenſibus percipitur, ut motus à viſu & tactu: Vt tamen ab omnibus percipiatur, neceſſarium non eſt, quia figura, quæ eſt ſenſibile commune, non percipitur olfactu.

DICO 3. Senſibile commune dividitur ab Ariſt. cit. in 5. ſpecies, ut numerum, magnitudinem, figuram, motum & quietem: Et hanc doctrinam ſequuntur pleri que ideò quod reliqua omnia ſenſibilia communia poſſint ad unam ex his ſpeciebus revocari; ſic enim unitas, de qua Ariſt. 3. de an. c. 5. ad numerum revocatur, aſpetum, læve, acutum, obtuſum, de quibus l. de ſenſ. & ſenſ. ad figuram: æqualitas, inæqualitas, diſtantia, propinquitas, ad magnitudinem &c. Imò poſſit figura ad magnitudinem & quies ad motum referri, ut proinde nihil interſit, an ad plures vel pauciores ſpecies hæc ſenſibilia redigantur, quamvis Ariſt. illos quinque tanquam generales numeraverit, ut ad eas omnia reliqua poſſent manifeſtè revocari.

DICES

Numerus formaliter eſt ens rationis non materialiter. DICES 1. Numerus eſt ens rationis, ergo non poteſt eſſe ſenſibile commune aut proprium, quia nullo ſenſu percipitur. Reſp. ad antec. cum hac diſtinctione; numerus eſt ens rationis formaliter, conceditur, materialiter, negatur; quia ſecundum primum modum nihil eſt aliud quam ipſa unio & aggregatio multarum unitatum ab intellectu facta; ſecundum poſteriorem verò dicit res ipſas unas quæ diſcretæ manent; Et hoc modo numerus eſt ſenſibile commune & percipitur à ſenſibus externis.

DICES 2. quies eſt privatio, ergo non eſt per ſe ſenſibilis. Reſp. ſi quies accipiatur pro privatione motus, certum eſt, eam per ſe non eſſe ſenſibilem; ſi autem pro permanentia rei ſub forma obtenta, *Quies accepta pro permanentia rei eſt quid reale.* non tantum per ſe ſed etiam per accidens eſſe perceptibilem, quia eſt aliquid reale: Et hinc colligitur, per numerum nec intelligi rationem formalem diſcretionis nec ordinem numeralitatis, ſed accipi materialiter pro ipſis rebus diſcontinuis, ſicut etiam figura pro materiali terminatione quantitatis; Deinde quietem ſumi pro ſtabilitate & conſiſtentia rei ſenſibilis in eodem ſitu vel loco, motum verò *Motus quomodo accipiatur* non pro ratione formali viæ vel tendentiæ, ſed pro ratione materiali, quæ conſiſtit in variatione ſitus & loci. Denique magnitudinem *Magnitudo quid.* ſignificare veram quantitatem & extenſionem de prædicamento quantitatis, non autem entitativam, qualis etiam in qualitatibus & ſubſtantia immateriali reperitur.

DIFFICULTAS VII.

An ſenſus poſsint errare circa ſua objecta.

Error quid NOta 1. errorem eſſe falſitatem quandam, & quidem vel ſimplicem vel compoſitam; hæc in rigore habet nomen falſitatis & erroris, & tamen invenitur in formali judicio intellectus, quo judicet rem aliter ſe habere quam reverà habet; illa minus propriè dicitur & contingit, cum potentia non apprehendit rem ſicut in ſe eſt, qua de re videantur logici. 2. Senſibile proprium cuiusque ſenſus ſpectari poſſe dupliciter; ſemel in confuſo vel ſub ratione boni, ut album quatenus eſt coloratum; ſemel diſtinctè vel ſecundum ſuā particularem naturam, ut albedo quatenus eſt ſpecies coloris: Eadem res eſt in reliquis. Iam

DICO 1. Si adſint omnes conditiones quæ requiruntur, non errat ſenſus neq; circa proprium neque circa commune ſenſibile. prob. quia omnia agentia naturalia requirunt certas quaſdam conditiones ad operandum, quæ facilè aliunde impediri poſſunt: Hæ conditiones revocari poſſunt ad tres; primò enim requiritur materia rectè diſpoſita, cuius rei defectu monſtra generantur. 2. cauſa efficiens deber habere vim & quantitatem congruentem. 3. quando agens agit per medium, oportet à medio abeſſe impedimenta: Vt ergò rectè operetur ſenſus neque decipiatur, hæc tria etiam obſervanda ſunt, ut nimirùm objectum rectè ſit diſpoſitum, ut organum nulla prava qualitate ſit imbutum, & ut medium ſit uniforme nec careat qualitate quæ ſentiri debet, unde per conſpicilia certo aliquo colore imbuta alii colores non rectè videntur. His conditionibus ſervatis nullus error poteſt exiſtere in ſenſu, neque poteſt ullum errorem vel ipſe ſenſus vel intellectus deprehendere.

DICO 2 Facilius errat ſenſus circà ſenſibile commune quam proprium. prob. 1. experientia, quia cum baculus apparet fractus in aqua, non eſt error circà ſenſibile proprium ſed circà commune; ſimiliter cum navigantes putant littora moveri, non errant circà colorem littorum ſed circà motum, prob. 2. ratione, ſenſibile commune non habet propriam ſpeciem, ſed tantum modificat ſpeciem ſenſibilis proprii, facilè autem poteſt mutari modificatio, ut cum ſit Eccho, vox per reflexionem modificatur à medio.

DIFFICULTAS VIII.

An ſenſibile ſentiatur, ſi ponatur immediatè ſupra ſenſorium.

EST commune dictum, ſenſibile ſuprà ſenſum poſitum non facere ſenſationem, de cuius veritate & ſenſu

Nota, duplex eſſe ſenſibile; unum eſt qualitas ſenſibilis, ut color, odor, ſapor, &c. alterum verò eſt corpus cui hæ qualitates inhærent, ut paries, exhalatio, ignis &c. Iam cogita, qualitatem aut corpus ita apponi v. g. oculis ut contigua ſint, quæritur an oculi ſint ea percepturi. Hæc difficultas ab aliis aliter proponi ſolet, ſcil. an ad hoc, ut ſenſus percipiat ſuum objectum, requiratur medium inter ipſum & rem ſentientem: Aliqui in omni ſenſu requirunt medium vel externum vel internum; alii in nullo, alii in ſolo viſu; alii denique excepto guſtu & tactu reliquos indigere medio putant, de quibus ad longum vide Rubium, Conn. 2. de anima cap. 11. q. 3. a. 1. & alios: Vt autem omnia breviter in ſummam redigantur.

DICO 1. illud pronunciatum ſi intelligatur de corpore ſenſibili, univerſaliter falſum eſt, nullum corpus ſenſibile ſuprà ſenſum poſitum facere ſenſationem. prob. 1. in tactu; vel enim ejus organum eſt caro, vel aliæ partes, vel aliquid ſub carne latens; ſi eſt caro, manifeſtum eſt, corpus ſenſibile ſuprà eam poſitū ſentiri; ſi autem eſt aliquid latens ſub carne, nihil ſub ea latet, quod eâ detractâ & admoto igne non ſentiat calorem; Nec denique eſt pars ulla corporis, quæ ad motum ſenſibile

non

non ſentiat; idem valet in guſtu, quia corpus ſapidum ſuprà linguam ſentitur.

Quomodo ſenſibile non ſentiatur.

DICO 2. hoc pronunciatum veriſſimum eſt, ſi ita intelligatur, ſenſibile, id eſt, qualitas ſenſibilis, ſuprà ſenium, id eſt, ſuprà organum ſenſus poſitum non facit ſenſionem, quando jam eſt producta & poſita. prob. 1. inductione; primò enim obiectum tactus ſunt primæ qualitates tangibiles, & organum tactus conſtat primis qualitatibus, neq; tamen percipit eas qualitates quas in ſe habet; Eodē modo fit in guſtu, cuius organum habet aliquem ſaporem, & tamen ſapor linguæ non percipitur ab eo cuius eſt lingua; ſimiliter organū odoratus non percipit ſuum ipſius odorem, neq; item auditus niſi ſonum extrinſecum, ſed nec oculus videt lumen naturale quod eſt in oculo. prob. 2. ratione, ubiectum debet activè concurrere ad ſenſionem; ſed non poteſt concurrere niſi producendo aliquid in organo, quia ſenſio eſt actus immaneus; ſi autem nihil produceret, eſſet actio tranſiens; ſi ergo aliquid producit, erit qualitas ipſa ſenſibilis, quæ tamen nō poteſt ſola concurrere ad ſenſionem, quia hæc debet repræſentare totum obiectum, & illa qualitas non produceret niſi ſenſionem ſui. prob. 3. proprium ſpecierum eſt concurrere ad ſenſationem, ergo qualitas quæ eſt in organo ſenſus, non poteſt ſentiri, ſed debet eſſe ſpecies quę illam repræſentet. & à qua potentia determinetur; ſed qualitas quæ eſt in organo, non producit ullam ſpeciem; ergo.

Non ſentiuntur qualitates naturales intrinſecæ.

DICO 3. hoc pronunciatum etiam verum eſt hoc ſenſu, quod ſenſibile corpus poſitum ſuprà ſenſum non eliciat ſenſionem niſi mediantibus ſpeciebus hæc concluſio patebit ex ſequentibus.

DICO 4. per ſenſibile intellexit Ariſt. corpus ipſum. prob. ex ipſius exemplis quæ affert l. 2. de anima. Textu 116. ſive cap. 11. ita habet, ſi quis ait ponat corpus album ſuprà oculum vel oculi ultimū &c. & prius c. 7. t. 75. circà finem, quod ſi quiſpiam inquit ſuper ſenſoriū ſonans vel olens poſuerit &c. an verò etiam de qualitate ſenſibili intellexerit, nuſquam diſertè explicat; videtur tamen ex ſententia multorum negaſſe, ſenſibilem qualitatem in organo poſitam facere ſenſionem.

Viſus & auditus ex natura ſua requirunt medium ext. ad ſenſionem.

Colligitur 1. viſum & auditum per ſe requirere medium externum ut ſua obiecta percipiant, & hoc ex natura ipſius ſenſus, qui ex eiuſmodi poſitione magis oſtenditur. 2. tactū & guſtum per ſe non habere medium, ut ex infrà dicendis magis patebit. 3. omnes ſenſus externos per accidens habere medium internum, olfactum etiam externum; Nam oculus qui nō niſi in aliqua ſui parte interiore elicit viſionem, habet humorem unum aut alterum; auditus verò tympanum ſeu membranam protenſam aëri ingenito, in quo perficiatur auditio; Guſtus carnem potoſam, quia eius organum ſunt nervi latentes; Tactus quando fit in nervis interioribus, habet carnem pro medio. Olfactus deniq; particulam interiorem in mammillaribus illis tuberculis, quia non eſt probabile in puncto & faſtigio elici odoratione, tum medium externum quando ſine fumeā ſubſtantiā odor fertur per aërem.

DIFFICULTAS IX.

Quomodo vehemens ſenſile lædat ſenſū

LÆdere docet experientia ut ſonus auditum, lux viſum &c. quæritur modus. Hic poteſt excogitari duplex; primò per ſe lædit obiectum, ſi nimis intenſam ſpeciem imprimat. 2. per accidens ratione adjuncti, v. g. lumen quatenus in oculo cauſat nimis magnum calorem, deſtruit temperiem illius. Itaque

DICO 1. obiecta ſenſuum formaliter & per ſe ſumpta, nullo modo poſſunt lædere ſenſus & organa eorum, prob. ſpecies intentionalis eſt tantum repræſentativa obiecti; Deinde quamvis intenſa ſit & perfecta, habet tamen eſſe diminutum & longe imperfectius quam ſit eſſe naturale, ergo non poteſt ullam alterationem corruptivam cauſare in organo, ſed temperies organi non læditur, niſi per alterationem corruptivam; ſi qua ergò læſio contingat in organo, provenire debet ab objecto, quatenus eſt agens naturale non quatenus intentionale; Hinc

Obiecta quomodo lædant.

Potentia læditur per accidens.

DICO 2. obiecta, quatenus poſſunt facere alterationem corruptivam, lædunt, & aliquando omninò deſtruunt, per ſe quidem organū, per accidens autem potentiam ſenſitivam, prima pars patet ex antecedentibus; Cum n. obiectum non poſſit inferre damnum ratione ſpecierum, & experientia conſtet, nimium lumen excæcare, vehementem ſtrepitum ſurdefacere, reliquum eſt, ut id faciant, quatenus per alterationem corruptivam deſtruant potentiam organicam. 2. pars prob. potentia vitalis ut ſic non habet contrarium, ergo non poteſt immediatè & per ſe corrumpi; corrumpatur ergò quia aboletur ſubiectum, à quo tanquam accidens in eſſe & conſervari dependet. . Et hinc colligitur; ſenſus interdum lædi à vehementi ſenſili propter qualitatem realem quæ producitur in organo; primò enim lumen nimis vehemens aliquando reflectitur in ſpeculo, tantumque calorem producit, ut eum temperies pupillæ ferre non poſſit; Deinde qui aſpiciunt æs candens, ſæpe læduntur aut etiam excæcantur propter noxias exhalationes ab ære emiſſas; idem evenit diu ambulantibus per nives; Et ſimilia intellige de auditu, cuius organum à vehementi ſono & hinc aëre commoto læditur; Interdum autem offenditur ſenſus ideò, quia nimis intenſa ſpecies producitur, cui cum debeat reſpondere operatio, nimis multæ ſpecies concurrunt ad organum, quibus vehementiā operationum conſumptis læditur organum; Ita fit nimis diu aſpicientibus ſolem aut aliquam albedinem; Interdum etiam ſpecies ita vehementer imprimuntur, ut aliæ non poſſint ſuccedere, & ita fit iis qui poſt aſpectum lucis aliud quippiam videre non poſſunt.

DIFFICULTAS X.

An facultas ſenſitiva requirat ſpecies ad operandum.

Species quotuplex.

DUplex eſt ſpecierum genus; aliæ enim vocantur impreſſæ, aliæ expreſſæ: hæ fiunt ab illis faciuntq; rem per ſenſum internum cognoſci, quia ſunt termini ſenſationum: Impreſſæ verò cauſantur ab obiectis & ſunt veluti inſtrumentum quibus tam potentia ad operandum quam obiectum ad ſui præſentationē utitur, unde etiam ſenſiles dicuntur, non quod ſentiantur, ſed quod ad ſenſationem faciant; Dicuntur etiam intentionales, quia per illas tendunt potentiæ in ſua obiecta, vel quia deſerviunt cognitionibus quas intentiones vel attentiones vocamus. Unde colligitur nomine ſpeciei intentionalis intelligi qualitatem aliquam habentem virtutem repræſentandi obiectum alicui facultati, v. g. ſpecies intentionalis viſibilis quæ de ſe exhibere poteſt colorem vel lumen viſui.

Per ſpeciē intentionalem quid intelligatur.

Cæterùm an hæ ſpecies neceſſariò ad ſenſationem requirantur, an verò obiectum ſeipſo ad hoc præſtandum ſufficiat, litigant inter ſe Authores ut videre eſt apud Conn. l. 2. de anima c. 6. q. 2. a. 1. Nam aliqui concedunt has ſpecies in ſenſibus externis, negant autem eas in internis, vel produci eas in potentiis, & effectivè concurrere ad producendam ſenſationem, quia putant ſatis eſſe, ſi obiectum intrà debitam ſubſtantiam ponatur; Alii concedunt eas produci in ſenſu, negant autem effectivè concurrere ad ſenſationem; Alii ſunt qui eas omninò negēt ut Porphyrius l. de ſenſu, Gal. l. 7. de plac. c. 6. Durandus, Occam & alii ex recentioribus, ſi non typo & publicè, ſaltem voce, ſcripto & privatim in diſceptationibus ſcholaſticis.

Species ſunt neceſſariæ.

DICO, ſpecies intentionales ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad ſenſationem, neq; ſine illis potentia vel ab obiecto pati, vel elicere poteſt cognitionem naturaliter. Dico naturaliter, quia probabile eſt, poſſe fieri ſenſationem etiā ſine ſpecie, Deo tamen ſupplente concurſum ſpeciei, modo exhibeatur obiectum tanquam præſens. prob. concluſio 1. ſenſus eſt facultas indeterminata ad hoc vel illud ſentiendum, ergo debet determinari ab obiecto per ſpeciem ſenſilem, quia non poteſt obiectum diſtās concurrere cū potentia effectivè niſi aliquid producat in medio; neq; valet dicere, quod concurrat obiectivè ſeu formaliter extrinſecè, quia ſic neq; intervallo neque ullo corporum interpoſitu aut tenebrarum impediri poſſet ſenſio; nunc verò impeditur, quia ſpecies non poſſunt ab obiecto usq; ad organum pervenire; quod ſi non opus eſt ſpeciebus, nō eſt ratio cur actio impediatur. prob. 2. ideò oculus ſe non videt niſi in ſpeculo, quia ſpecies ab oculo egreſſa reflectitur in ſeipſam, ergo dantur ſpecies. 3. per conſpicilia concava plerique vident acutius non niſi quia in centro coguntur ſpecies & ad repræſentandum redduntur efficaciores. 4. rem ſemel viſam etiam abſentem revidemus, ergo imaginem ejus retinemus. 5. id quod in organo recipitur, ſentit facultas; At tactus v. g. ſentit calorem ignis aut aëris, ergo hic in organo recipitur; non recipitur autem per ſe, ergo per ſpeciem, ergo dantur ſpecies calores. Experientiæ quibus ſpecies probantur & confirmantur, præter enarratas plurimæ citantur à variis, ut quod ſi titio toreatur, circulum faciat eâ ſolum de cauſâ, quia ſpecies ibi apparent ubi non eſt amplius obiectum; Quod ſol in ortu major appareat quā in meridie, quia per medium denſum traiicit ſpecies; quod virgulæ rectæ pars aquis immerſa appareat curva; quia ſpecies à parte demerſa craſſiores per medium denſius, ab altera verò per mediū ſubtilius debiliores tranſmittuntur. Quod arbores, turres &c. ad litus videantur ordine inverſo, quia reflexa ſpecies refert arborum radices & fundamenta turrium ad oculos breviori linea quà referat earum faſtigia, ideoque hæc remotiora, illa propinquiora videntur. Hurt. diſp. 12. de an. §. 5. ideò dicit inverſa videri obiecta, quia ibi repræſentatur obiectum, ubi incipit reflecti ſpecies, quia autem hæc incipit ex aqua reflecti v. g. cæli, ideò cælum in aqua eſſe videtur, & quia diſtantia repræſentatur, ideò ſub aqua eſſe putatur; ſed cælo ſunt propinquiora faſtigia turrium, arborum, quam ſint fundamenta, ideò etiā inverſa videntur, quia reflexè cum diſtantia videntur. Autoritas Ariſtotelis paſſim habetur pro ſpeciebus, ut 2. de an. c. 12. ubi vocat formas ſenſibiles abſque materia, lib. de memoria ait nos recordari rerum abſentium propter ſimulachra &c.

DICES, ſi dantur ſpecies, vel recipiuntur in uno oculo vel in utroq; quod fieri non poteſt; Et ſi fieret, vel erit una viſio vel duæ. *Reſp.* ſingulas in ſingulis oculis ſpecies recipi, proinde duas eſſe viſiones licet inadæquatas & imperfectas ex parte principii viſionis; Concurrunt autem ſpecies ſimul cum potentia effectivè, id eſt, inſtrumentaliter & partialiter ad ſenſationem, ita tamen ut ex utroque fiat unum totale principium compoſitum, qua de re videantur philoſophi: Non ſunt autem, quod advertendum eſt, ſpecies ſenſibiles nobiliores quam ſint ipſa accidentia, quæ per eas repræſentantur, quia color. v. g. eſt quid perfectius quam ejus imago, unde etiam intentionale imaginis dicitur, id eſt, diminutum quid & imperfectum.

Accidentia ſunt nobiliora quam ſpecies.

DIFFICULTAS XI.

Quid ſint ſpecies intentionales.

Per ſpecies quid intelligatur.

COnſtat, per ſpeciem nihil aliud intelligi niſi imaginem, ſimilitudinem vel formā quan-

Digitized by Google

quandam repræſentativam obiecti, quæ ideò ſenſibilis dicatur, quod deſerviat ſenſui &c. Iam quæritur, an hæ ſpecies ſint ſubſtantiæ an accidentia,

DICO 1. ſpecies non ſunt ſubſtantiæ ſeu corpuſcula quædam ſubtilia, ut quidam delirant. Ratio eſt, quia harum cauſa principalis ſunt accidentia, quæ per ſe primò percipiuntur, ergo etiam ipſæ erunt accidentia, cum effectus nõ debeat eſſe nobilior ſua cauſa. Deinde ſpecies v. g. viſiles recipiuntur in oculo quod de ſubſtantia dici non poteſt. Adhæc ſpecies ab objecto recipiuntur in oculo in inſtanti, quod nullo modo fieri poſſet, ſi eſſent corpuſcula.

Species ſunt accidentia.

DICO 2. ſpecies quæ ſunt qualitates reales, materiales, repræſentativæ ſuorum obiectorum, ſunt activæ, & pertinent ad tertiam vel potius ad primam ſpeciem qualitatis, ex quo neceſſariò ſequitur eſſe reales; Non poteſt autem melius cognoſci natura huiusmodi ſpecierum quam ex comparatione cum lumine propter eximiam analogiam quam habent inter ſe. primò enim producuntur in inſtanti. 2. obiectum ſpecierum eſt quaſi centrum ſicut corpus lucidum luminis. 3. lumen & ſpecies producuntur per lineam rectã. 4. utrumq; reflectitur à corpore opaco. 5. dependent ſemper à corpore à quo producuntur eoq; ſublato pereunt. 6. recipi poſſunt in ſubiecto, ubi nulla eſt qualitas prima ut in cælo. 7. augentur per rarefactionem, ut patet in conſpiciliis & aqua. Et hinc ſi ſpecies ſint ſenſuum externorum, pertinent ad diſpoſitionem, quia ſunt facilè mobiles; ſi internorum, ad habitum, quia diutius conſervantur; Non ſunt autem ſimilitudines obiectivæ nec ſpecies expreſſæ, quæ dicuntur verè formales, id eſt, formaliter in ſe obiectum ſuum continentes, ut ſtatua Cæſaris Cæſarem, ſed ſunt ſimilitudines virtuales obiecti repræſentantes illud non per modum imaginis, ſed cauſæ vel virtutis, & ſunt ſpecies impreſſæ quæ determinant potentiam ad formalem repræſentationem objecti. ſic viſio v. g. eſt formalis expreſſio & repræſentatio objecti per ſpeciem expreſſam, quæ tamen prius à ſpecie impreſſa determinatur: Hæ enim nõ ſentiuntur, ſed ſunt id quo ſentiuntur obiecta; ſic ſpecies recipitur quidem in oculo ſed non percipitur; Neq; id percipitur, quod in oculo recipitur, quia aliàs id quod videtur, non eſſet maius oculo, & quod in ſomno imaginamur, non eſſet maius cerebro.

Species ſunt activæ.

Species pertinent ad diſpoſitionem.

DIFFICULTAS XII.

Quomodo producantur & conſerventur ſpecies ſenſiles.

SVppono 1. omne obiectum per ſe ſenſibile eſſe accidens, v. g. colorem reſpectu viſus, ſonum reſpectu auditus &c. 2. etiamſi non omnes qualitates ſint activæ ut colores & ſimiles aliæ, quæ non producunt ſibi ſimilem vel diſſimilem qualitatem naturalem; ſufficere tamen ad eam efficientiam quæ competit ſpeciebus intentionalibus, quæ quidem qualitates ſunt, non tamen naturales (prout hæc vox ſignificat formam ſenſibilem & ſtabilem in ſubiecto), ſed intentionales, quarum eſſe fugax eſt, imperfectum & diminutum.

Species non ſunt qual. naturales, & ſtabiles.

DICO 1. Obiecta producunt ſpecies è potentia materiæ, hoc eſt, ex organo vel medio, & in his recipiuntur tanquam in ſubiecto. Ratio, quicquid fit dependenter à materia, educitur ex illa; ſed ſpecies ſenſibiles dependenter fiunt à materia, quæ eſt vel organum vel medium, aër ſcil. vel aqua, ergo. major eſt phyſicorum, minor patebit ex ſequentibus, quia nullo modo poſſunt eſſe extrà materiam & ſeparatim exiſtere. Et confirm. quia ſi non educuntur ex materia, neq; dependenter ab illa fiunt, creantur, quod eſt falſum. Et hæc concluſio eſt communis apud omnes contrà Averrhoem, qui putabat ſpecies produci à ſenſu agente quem ſicut intellectum agentem admittebat.

DICO 2. ſpecies ſenſibiles producuntur in inſtanti per ſe, ſucceſſivè autem per accidens: prob. ſpecies non habent contrarium, & agens eſt neceſſarium, ergo ſi nihil obſtat, producet ſui ſpeciem totam in inſtanti; Cur ſonus fiat ſucceſſivè alibi dicetur.

DICO 3. una ſpecies in medio producta poteſt producere aliam in alia parte medii, idque ſemper cum actuali dependentia ab objecto. Primum patet inde, quia cum lapis v. g. videtur in ſpeculo, per reflexionem producitur ſpecies eius in oculo, non quidem immediatè à lapide ſed à ſpeculo, hoc eſt, à ſpecie lapidis in ſpeculum proiecta & reflexa ad oculum, ergo manifeſtè ſentitur ab una ſpecie aliã produci: Quod a. ſpecies extrà potentiam poſita aliam in potentia efficiat, experientia patet, quia quàm ſpeciem lapidis quis in ſpeculo videt, non eſt illa quam lapis à tergo poſitus in ſpeculum proiicit, ſed alia de novo producta à prima ſpecie lapidis. 2. pars prob. primo ſpecies ab obiecto primum producta, eſt virtus & inſtrumentum obiecti eo fine facta ut per eam obiectum immutet potentiam, ergo quicquid agit, agit tanquam virtus objecti, ergo dependenter ab illo. 2: ſpecies ab obiecto facta non quomodocunq; dependet ab eo in conſervari, ſed per continuatam emanationẽ, ergo per eandem dependet in actione ſua; ſi quid ergò producet, producet illud cum actuali. Adverte autem hic, tametſi hæ ſpecies reverà materiales ſint, dici tamen ſpirituales reſpectu aliarum rerum; primò quia minus entitatis habent quam res aliæ. 2. quia non habent eſſe ſtabile in materia, cum pendeant in eſſe ſuo ab obiectis, iisq; ceſſantibus ſtatim pereant. 3. quia non denominant materiam. 4. quia ſenſus effugiunt & per ſe nõn cognoſcuntur. 5. quia in inſtanti potius inducuntur in materiam quam educantur, 6. præcipuè quia reſpectu obiecti quod repræſentant, ſunt ſpirituales, cum non ſint verè & univocè tales quales ſunt obiecta, quia ſunt quaſi quædam umbra eorum.

Una ſpecies producit aliam.

Colligitur, ſpeciẽ unam non producere aliã

Pp 2 ſive

ſive directè ſive reflexè tanquam cauſa principalis, ſed ſolum objectum, quia aliàs ſpecies ſpeciem in infinitam diſtantiam produceret, proinde objectum in infinita diſtantia poſſet percipi, ſi magnæ molis foret; Dixi tamen tanquam cauſa principalis, quia poteſt producere ſaltem ut cauſa inſtrumentalis, quomodo producitur lumen in ſpatio remoto non ſolum à ſole, ſed etiam à lumine in medio producto, aliàs daretur actio in diſtans, quod potiſſimum habet locum in reflexione luminis à ſpeculo &c.

Quomodo ſpecies producant ſe

DIFFICVLTAS XIII.

A quo conſerventur ſpecies.

ADverte, eſſe quædam entia, quorum eſſe nihil aliud eſt quam quoddam fieri continuum, cuiusmodi eſt lumen ſolis; Et hoc perpetuo influxu cauſæ efficientis non tantum univerſalis, ſed etiam particularis indigent; quæritur an eodem modo ſe habeant ſpecies. Eſt autem quæſtio non de omnibus ſpeciebus, ſed ſenſuum externorum tantum; Nam ſpecies intelligibiles & quæ imprimuntur ſenſibus internis diu conſervantur, ut patet de memoria & reminiſcentia, unde etiam ejusmodi ſpecies longè ſunt nobiliores & defecatiores quam ſenſuum externorum. Sunt qui putant ſpecies ſenſuum externorum poſſe ſaltem aliquamdiu ſemotis objectis perdurare, quod patet in iis, qui cum in ſole ſteterunt, & in umbram ſeſe recipiunt, videntur adhuc ſibi aſpicere lucidos colores & velut circulos quosdam oculis oberrantes, quod idem Ariſt. l. de inſomn. c. 2. iisdẽ experientiis confirmat,

Species ſenſ. intern quare nobiliores.

DICO 1. tametſi non omninò improbabile ſit aliquamdiu ſpecies poſſe conſervari, longè tamen probabilius eſt, non poſſe, ſed ſublatis objectis ſtatim perire. Ratio eſt, quia ita videmus per contrariã experientiam, ut amoto colore vel alio objecto ſenſibili nihil amplius percipiamus; Confirmatur exemplo luminis, quod eodem modo dependet à corpore luminoſo. Exemplum illud eorum, qui à ſole ad umbram ſeſe recipiunt, fallax eſt & incertum, quia contingit & vigilantibus & ſanis, ut ea quæ phantaſia vel intellectus fortiter apprehendit, ſenſu quaſi externo percipere videantur, eſto de facto nihil eorum adſit; fit autem ut phantaſia judicet adhuc verſari objectum ante oculos, quia prius vehementer pulſaverat ſenſum & organum. De ſpeciebus odoriferis res longè difficilior eſt præſertim apud eos, qui docent ambrã v.g. intentionaliter tantũ perſtringere organum olfactus, cum tamẽ amotâ longius ambrâ nihilominus odor adhuc diutius remaneat; ſed dubio procul fit hoc non à ſpeciebus tantum, ſed à ſubtiliſſimis exhalationibus, quæ multo tempore non tantum in ſenſorio, ſed etiam in veſtibus, aëre aliisq; ſubjectis adhærent.

Odorifera quare diu ſentiantur

DICO 2. nihilominus divina potentia fieri poteſt, ut ſpecies in externo ſenſu obiecto etiã abſente remaneat. prob. poteſt Deus ſupplere efficientiam, quam exhibet obiectum in productione ſpeciei, ergo. Anteced. patet in myſterio SS. Euchariſtiæ, ubi Deus ſæpè puerum, carnem, manum &c. repræſentavit, producendo ſcil. ſpecies earum verum in oculò videntis, etiamſi reverà non eſſent præſentes quæ cernebantur. Adverte hic, duo præſtare obiectum viſile v.g. primo producit ſpeciem ſui in genere cauſæ efficientis eamq; imprimit organo. 2. extrinſecè determinat & ſpecificat viſionem in genere cauſæ formalis, quod fieri poteſt etiam obiecto abſente, imò fit hoc ſemper in cognitionibus internorum ſenſuum; prius verò ſuppletur & ſuppleri poteſt à Deo, qui omnem effectum cauſæ efficientis ſe ſolo poteſt exercere; Debet tamen obiectum quaſi præſens exhiberi, quia hæc eſt natura ſenſus externi, ut non tendat in obiectũ, niſi prout eſt hic & nunc, hoc eſt, prout materialibus cognitionib. ſitus, diſtãtiæ & qualitatibus affectũ exiſtit. Si quid tamẽ eiusmodi à præſtigiatoribus fieri videtur ope Dæmonis, non fit per productionem viſibilium, ſed per commotionem eorum quæ in phantaſia reſident. Ratio, quia communis eſt opinio Theologorum & Philoſophorum, Angelos vel bonos vel malos nihil in hoc mundo poſſe producere præter motum localem applicando activa paſſivis, qua de re videri poſſunt, quæ de ſpiritibus disputari ſolent.

DIFFICULTAS XIV.

An ſpecies ſint diviſibiles.

DVplex eſt extenſio & diviſibilitas, una ſubiectiva altera obiectiva, ſive una in eſſendo altera in repræſentando; Illa eſt, quando ſubiectum ita comenſuratur, ut una pars eius uni parti, & altera alteri reſpondet; Hæc verò quando etiam ſpecies habet partes ſicut obiectum. Iam ergò quæritur, an utraq; hæc extenſio & diviſibilitas conveniat ſpeciebus, hoc eſt, an partes illius coextendantur partibus ſubiecti quanti, & an, ſicut tota totum repræſentat obiectum, ita & pars partem, vel potius quælibet totum obiectum.

DICO certum eſt ſpecies eſſe ſubiectivè ſeu in eſſendo diviſibiles; Ratio comuniſſima eſt, quia verè educuntur è ſubiecto quanto & in eodem recipiuntur; Deinde non ſunt immateriales ergo. Deniq; non eſt probabile, eandem ſpeciem coloris v.g. eſſe totã in toto medio & totam in qualibet eius parte, eſſe etiam eandem in ſingulorum hominum oculis qui eum colorem intuentur, ergo illa ſpecies eſt ſecundũ ſuam entitatem diviſibilis. Confirm. non eſt alia ratio, cur fracto ſpeculo ſpecies, quæ prius una apparebat, poſtea duplex videatur, niſi quia duæ illæ partes in diſtinctis & diſſitis ſubiectis exiſtentes reflectuntur, quaſi eſſent duplicis faciei & non unius tantum, ergo tales ſpecies in eſſendo debent eſſe diviſibiles.

Cæterùm an etiam obiectivè ſeu in repræſentando ſpecies iſtæ ſenſiles ſint diviſibiles, ita ut quælibet pars determinata repræſentet deter-

determinatam partem objecti, non verò quælibet totum, acriter diſputant Authores, quia ex recentioribus poſt Rubium & Soarium affirmat id Hurt. diſp. 11. de anima. §. 61. negant autem cum Toleto & aliis Conn. 2. de an. c. 7. q. 5. a. 2. eſtque in ſcholis ſententia profeſſorum communior aut certè æquè communis: Affirmantium ratio inter cæteras prima eſt, ſpecies quam producit pars objecti A. non producitur à parte B. ergo per illam non videtur pars B. ſed A. conſeq. prob. objectum enim ſenſile non percipitur niſi per ſpeciem quam produxit, aliàs per unam ſpeciem coloris A. poſſem cognoſcere omnes colores, ſive ejusd. ſive diverſæ ſpeciei. 2. unum objectum non poteſt producere ſpeciem ſive ſimilitudinem objecti ſibi diſſimilis; Caput enim v. g. non poteſt producere ſpeciem pedis, aliàs ſpecies pedis repræſentaret caput: ſed ſi omnes partes corporis heterogenei producunt ſimul unam ſpeciem, hoc omninò accideret, proinde granum milii producet ſpeciem tritici, ſi ſint in unum cumulum congeſta. 3. duo objecta diſcontinua videntur per duas ſpecies totales, quodlibet per propriam; uniantur duæ aquæ v. g. idque ſine motu viſibili, tunc unaquæque retinebit ſuam ſpeciem, quia retinet eandem in diſtantiam & virtutem activam, quia unio neutram tollit, ergo illæ duæ aquæ videntur per ſpecies diſtinctas. 4. ponamus augeri objectum viſibile turrim v. g. addita majori parte; vel ſpecies ante producta à turri repræſentat etiam hanc novam partem, vel opus eſt ut hæc ſpeciem ſui emittat per quam videatur: Non primum, quia ſpecies non repræſentat niſi id à quo producitur cum ſit inſtrumentũ illius, alioquin fieri poſſet ut ſpecies albedinis bicubitæ repræſentet tricubitam, imò 10. viginti cubitorum vel quamvis etiam albedinẽ, quia omnes ſunt ejusdem rationis, atque ita videretur aliquid quod tamen non concurreret quoad ſpeciem ſui ad ſenſationem. Si verò ſecundum, manifeſtè ſequitur, ſpeciem eſſe diviſibilem in repræſentando, quia hæc pars repræſentabit hanc ſolam & illa aliam & ſic deinceps. Negantium ratio prima eſt, quælibet pars ſpecierum æquè benè totum objectũ repræſentat, ac tota ſimul ſpecies, v. g. quælibet pars ſpeciei viſibilis non minus exhibet oculo totum colorem quam ſi tota ſpecies in eo fuiſſet recepta, ergo. 2. quotiescunque agens omnibus neceſſariis ad agendum poſitis eſt neceſſarium & non liberum, producit effectum; atqui totum objectum & ſingulæ partes objecti poſitę intrà ſphæram potentię ſunt agentia neceſſaria, ergo & totum & ſingulæ producent ſuum effectum, effectus objecti nõ eſt alius quam ſpecies, ergo. Confirm. nam ſi una pars produceret ſui ſpeciem in una parte medii, altera in altera, non autem omnes in toto medio & eâdem parte medii, non poſſet ſol, qui ſecundum Aſtrologos totâ terrâ ferè 167. major eſt, totus ex quavis parte medii videri, quia ut omnes partes in diſtinctis partibus medii ſui producant ſpeciem, deberent habere ſpatium incredibiliter extenſum; atqui ſol videtur in qualibet parte medii, etiam per foramen acus, ergo omnes partes illius producunt ſpeciem in quavis parte medii, aliàs ſimiliter dicerem, unam partem medii ab una parte ſolis, alteram ab altera illuminari. 3. ex contraria ſententia ſequitur, dari ſimul & ſemel infinitas ſpecies in eodem ſubjecto, quia infinitæ ſunt partes cuiuslibet objecti; quando autem videmus exercitum, neceſſariò debemus habere diſtinctas ſpecies haſtarum, equorum, hominum, veſtium, colorum &c. proinde alia viſione videbimus unâ haſtam, alterâ alteram, aliâ unum colorem, aliâ alterum &c. Reſponſa ad hæc argumenta quisq; videat apud Animaſticos, eligatque ſibi quam volet opinionem; Non enim ſunt huius loci, niſi ut etiam Medici videant quam neceſſaria ſit iis doctrina & cognitio de anima eiusq; ſingulis facultatibus & operationibus.

DIFFICVLTAS XV.

An ſpecies ſenſiles ſint etiam intenſæ.

NOta, duobus modis intelligi poſſe, ſpecies eſſe intenſas; primò quod repræſentent plures gradus intenſionis objecti, v. g. 4. 5. vel 6. coloris, caloris. 2. quod repræſentent eosdem magis & minus perfectè. Quæritur ergò, an ſpecies ſint diviſibiles ſicut ſecundum extenſionem quam habent ab objecto & ſubjecto, ita etiam ſecundum intenſionem, idque alterutro iſtorum modorum, uno verbo an ſuſcipiant magis & minus.

Species ſuſcipiunt magis & minus.

DICO breviter, ſpecies intentionales ſenſibiles intenduntur & remittuntur. Ratio eſt, quia exiſtunt aliquando fortiores, aliquando debiliores, & repræſentant aliquando objectum expreſſius, ſæpè obſcurius, quod eſt intendi & remitti; Et hoc totum confirmat experientia in turri v. g. albedine affecta, quæ aliquando magis aliquando minus perfectè tam ratione medii quam organi videtur; Nam objectum diſtans minus perfectè videtur quam ſi ſit propinquum, quod reverà nihil aliud eſt quam habere intenſionem vel majorem vel minorem. Et hinc colligitur, quando obiectum proximius eſt potentiæ viſivæ & clarius videtur, non oriri tum illud ex approximatione, ſed ex intenſione ſpeciei, quia obiectum tanquam agens naturale tantò fortiorem producit effectum, quantò proximius eſt paſſo.

Sola ſpecies obiectorum propriorum ſuſcipiunt magis & minus.

DICES, ſi ſpecies ſuſcipiunt magis & minus, ſequitur etiam quantitatem & figuram intendi & remitti; ſed hoc falſum eſt, ergo & illud. Reſp. neg. ſeq. quia ſpecies obiectorum propriorum tantum ſuſcipiunt magis & minus, non verò communium. Ratio, quia obiecta communia ſentiuntur tantum per ſpecies propriorum à ſe modificatas.

DIFFICVLTAS XVI.

An ſenſus percipiat ſpecies ſicut objectum.

SEnſus quæſtionis eſt, an v. g. videat oculus ſpeciem coloris ſicut videt ipſum colorem.

Adulti hoc affirmanr, ſed diverſimodè; Nam imprimis Scalig exerc. 99. contra Card. docet ſpecies & non objectum percipi, etiam illas quæ ſunt in organo: Alii verò docent ſpecies objectorum quidem percipi v. g. ſpecies parietis, albi ab oculo, non tamen eas quæ ſunt in oculo, ſed quæ ſunt in medio.

Senſus non percipit ſpecies. DICO, ſenſus non poteſt percipere ſpecies. prob. 1. illud quod v. g. ab oculo percipitur, debet eſſe vel coloratum vel luminoſum; ſed neutrum dici poteſt de ſpeciebus, quę tantum ſunt luminis & coloris repræſentativæ. 2. ſi ſpecies perciperentur, ſequeretur quod ſenſus ſemper putaret ſe non objecti ſpeciem ſed objectum percipere, adeoque ſemper in errore verſaretur. 3. quotieſcunque ſenſus percipit objectum aliquod. v. g. turrim, percipit illam cum cognitione certæ diſtantiæ; ſed ſi ſpeciem viderentur, non poſſet fieri cum hoc judicio, quia ſpecies non diſtant ab oculo ſicut objectum, ergo.

DICES 1. quando vitrum aſpicimus, & poſt vitrum parietem album, vel quodcunque corpus aliud coloratum. videmus hoc eodem colore imbutum quo vitrum, cuius ratio eſt. quia ſpecies coloris vitri in illo corpore recipitur, ergo ſpecies videntur. Reſp. neg. conſeq. & rationem datam, quia color qui videtur poſt vitrum, eſt quidem color vitri, non eſt autem in ſubjecto poſt vitrum exiſtente, quia error ad ſenſum referendus eſt.

DICES 2. quando nos videmus in ſpeculo, tunc tantum percipimus noſtram ſpeciem, ergo ſpecies percipiuntur. Reſpond. neg. antec. quia videmus nos ipſos & noſtram imaginem à ſpeculo ad noſtrum oculum reflexam. Hoc confirmatur ex eo, quia videmus nos in ſpeculo in tali diſtantia quæ eſt inter nos & ſpeculū.

DIFFICULTAS XVII.

In quo conſiſtat formaliter ſenſatio, & quomodo ad hanc concurrant ſpecies.

Sentire quid. DICO 1. ſentire non eſt recipere ſolùm ſpeciem intrà organum & potentiam. Ratio, quia etiam leo qui apertis oculis dormit, videret, quia recipit ſpecies. Neque eſt tantum pati, quia ſentire eſt operari vitaliter, & aliquid in ſe producere, ergo qui ſentit, non ſolum recipit, ſed etiam producit aliquid cum attentione. Neq; eſt tantum agere, quia aliàs ſi Deus ſeipſo produceret ſpeciem, diceretur ipſe videre objectum, tametſi ſentire involvat actionē. Sentire itaq; formaliter non eſt producere ſolum ſpeciem, ſed etiam eam in ſe recipere, ac proinde agere & pati. Quod ſi

Quæras, an principium ſenſationis ſit cor vel cerebrum, Reſp. dubium eſſe apud Authores, quia Medici cerebrum ideò ponunt, quod eo affecto ſtatim pereat omnis ſenſus & motus ut fit in apoplexia: Philoſophi autem cor eſſe docent, quia ajunt hoc eſſe principale membrum corporis & influere in omnes partes; ſed de his alibi.

DICO 2. ſpecies non concurrit ad actum in genere cauſæ materialis ut ex illa tanquam è ſubjecto educatur ſenſatio. Ratio eſt, quia actus vitales dependent à principio vitæ qualis non eſt ſpecies. Nec concurrit in genere cauſæ formalis intrinſecæ, quia poteſt Deus ſupplere concurſum ſpeciei, non autem effectum cauſæ formalis ut docent philoſophi. Nec concurrit ad actum motivè & objectivè, ita ut ſpecies ſit primarium objectum, res ipſa ſecundarium. Ratio, quia ſpecies non cognoſcitur, aliàs ſemper videretur & objectum & ſpecies contrà experientiam; ſed concurrit unà cum potentia effectivè ad ſenſum, ita ut ex utroq; fiat unum totale compoſitum principium ex duplici partiali. Ita docent præter alios Conn. 2. phyſ. c. 7. q. 19. a. 3. & 2. de an. c. 6. q. 2. &c.

DIFFICVLTAS XVIII.

An ſenſus ſint virtutes influentes à cerebro.

GAl. 6. & 7. de plac. Hipp. & Plat. & cum eo nonnulli Medicorum docent, ſenſus externos non eſſe potentias organis ingenitas & infixas, ſed virtutes quaſdam influentes à cerebro per modum irradiationis; & tamdiu manere in corpore quamdiu maneat operatio, v. g. hominem tunc habere potentiam videndi è cerebro delabentem quando actu videt; idem intellige de aliis ſenſibus; Cum autem non videt nec audit, nō habere. Ratio huius opinionis infrà afferetur & ſolvetur; Itaq;

DICO, ſenſus externi ſunt potentię ſuis organis ingenitæ & unà cum productione vel infuſione animæ infixæ. prob. ſi communicatio vel irradiatio ſenſus in organo animalis eſt productio virtutis ſenſitivæ, ſequitur primo, quemadmodum una pars lucis generat aliam in diaphano, ita etiam unam partem ſenſus gignere aliam in organo animalis; ſed hoc falſum eſt, ergo & illud. 2. ſequitur, virtutem ſenſitivam quantò remotior eſt à cerebro in aliqua parte corporis, tantò etiam eſſe imbecilliorem & minus efficacem, ſicut lux eſt tantò remiſſior, quantò magis diſtat à luminoſo. Nā tactus ut experientia teſtatur, in extremis digitis manus plus viget quam in reliqua parte brachii, etiamſi longius diſtant à cerebro. 3. prob. naturales potentiæ manāt ab ipſa anima in prima generatione vel ortu, ergo non

deri-

derivantur à cerebro per modum lucis vel irradiationis, ſed hærent fixæ & ſtabiles in organis. 4. calor, frigus aliaque accidentia, quæ ſunt deterioris conditionis, non evaneſcunt poſt operationem, ſed permanent nihilominus in ſubjecto, ergo etiam potentiæ ſenſitivæ in ipſis organis.

Virtus an influat à cerebro. DICES, obſtructâ viâ, per quam cerebrum ſeſe externis ſenſibus communicat, omnis eorum actio ceſſat, ergo omnis virtus influit à cerebro in organa. Neque reſpondere licet, ruriſ feriari ſenſus quia occluduntur meatus, per quos ſpiritus animales ad ſenſitoria devehuntur, & non quia impeditur vis influens; Contrà enim eſt, quia fieri poteſt, ut in organo non deſit copia talium ſpirituum, v. g. cum quis dormire incipit, & tamen ſenſus non poſſit functionem ſuam exercere; quare aliquid aliud in organo deſiderabitur, propter cujus defectũ deficit ſenſus, ſcil. virtus illa quæ debet à cerebro derivari. Proinde hæc virtus ſenſuum functiones tanquã immediatum principium exequitur. Reſp. quando præcluditur via, qua cerebrum externis ſenſibus ſeſe communicat, ceſſare eorum actiones ideò, quia deſinit cerebrum eis impertiri ſpiritus animales, quorum ope deſtituti ſenſus non poſſunt operari; Cum autem hi ſpiritus ſint valdè agiles, facileque diffluant & evaneſcant, egent ſenſus perenni eorum appulſu & defluxu à cerebro, ideoque ſi viæ illis præcludantur, vel ſtatim vel paulò poſt extinguuntur omnes facultatum operationes, non autem quaſi organa priventur virtute influente ſicut à quibuſdam Medicis aſſeritur.

DIFFICULTAS XIX.

Quæ facultates cognoſcitivæ requirant ſpecies intentionales.

QUæſtio hæc non tantum concernit actus ſenſuum externorum ſed etiam internorum & ipſius intellectus, de quibus omnibus difficultas eſt an requirant ſpecies.

DICO primo, facultas viſiva requirit ſpecies ad eliciendos actus ſuos, hæc concluſio eſt omnium eorum qui admittunt ſpecies, quia eas maximè in viſu admittendas eſſe cenſent, & probant id multis experientiis, ratione a. hac firmiſſima, quia objectum debet potentiæ conjungi ut ab ea percipiatur; ſed non poteſt conjungi per ſe ergo per ſpeciem intentionalem; Vide diſp. ſeq. diffic. 2.

DICO 2. Auditus indiget ſpeciebus ad eliciendos ſuos actus: hæc concluſio etiam facilè admittitur, exceptis Occam, Durando, aliiſque nominalibus & nonnullis recentioribus, qui omnes ſpecies ex hoc mundo eliminant. probationem vide diſp. proxima, diffic. 18.

DICO 3. Etiam olfactus habet ſpecies; Eſt contra quoſdam, qui eos etiam in viſu & auditu ultrò admittunt, quia inquiunt odor ſemper eſt præſens quando percipitur, nec poſſumus diſcernere ex quo loco veniat, unde tantum odoramus præſentem; ſed prob. concluſio primo, odor non poteſt ſe extra rem odoriferam multiplicare, quia non eſt actus, atque ita ad organum pervenire, ſed tantum per ſpeciem, ergo 2. ponamus exhalationem odoriferam ita applicari ſenſorio, ut proximè attingat; ſi tunc odor percipitur ſine ſpecie, quæro modum; ipſa ſubſtantia fumida non eſt ſenſibilis, ſed ſolus odor, hic autem hæret in exhalatione quæ eſt res diſtincta ab organo; ergo ut percipiatur, vel debet producere ſibi ſimilem in organo, vel certè ſpeciem ſui; prius non poteſt, quia activa non eſt, ergo neceſſario per ſpeciem ſui id facit. *Quomodo odor percipiatur.* Ex quibus ſequitur, odorem nunquam ſeipſo mutare potentiam aut ſentiri, ſed ſemper per ſpeciem intenſionalem; Ex quo facile apparet, quid ad rationes contrarias ſit reſpondendum.

DICO 4. Etiam guſtus & tactus percipiunt ſua objecta per ſpeciem; Eſt rurſum contra nonnullos modernos & alios apud Rubium, qui docent ideò hos ſenſus non percipere objecta ſua per ſpeciem, quod ſemper ſint præſentia; ſed prob. concluſio de guſto, ad hoc ut aliquid vitaliter cognoſcatur, non ſufficit, ut per realitatem ſuam ſit præſens potentiæ cognoſcitivæ, alias intellectus ſeipſum ſemper intelligeret & ſine ſpecie; ſed debet illi eſſe præſens eo modo, quo cognoſcibilis eſt à tali potentia, v. g. objectum intellectus debet illi conjungi ſecundum eſſe intelligibile, objectum viſus per eſſe viſibile, ergo etiam ſapor eſſe præſens per eſſe guſtabile, hoc eſt, per ſuam ſpeciem, quia per hanc conſtituitur formaliter ineſſe guſtabili; Vide diffic. 25. ſeq. diſp. prob. de tactu ſimiliter, quia non ſufficit quævis unitio & conjunctio rei cognoſcibilis cum recognoſcente, ut vult Valeſ. & Tol. ſed debet illi uniri modo & ratione cognoſcibili, quam rationem cognoſcibilitatis non habet objectum ab eſſe ſuo naturali ſed intentionali, vide diffic. 29. diſp. proximè ſequentis.

DICO 5. Ad actus ſenſuum internorum omnium etiam neceſſariæ ſunt ſpecies. Prob. ab experientia, quia elicimus etiam tales actus, quando objecta non ſunt præſentia, & ad actus illos intellectus noſter eſt indifferens, ergo ab aliquo determinari; ſed non poteſt determinari ab objecto, ut patet, ergo à ſpecie; Hæc omnia habemus, dum recordamur rerum abſentium, & quas ante multos annos vel vidimus vel audivimus, quæ etiam in ſomno tam hominibus quam brutis occurrunt. Quod ſi dicas, ſi in ſenſu interno eſſent ſpecies, deberet ſemper cognoſcere, quod eſt contrà experientiam. Reſp. neg. ſeq. maioris, quia requiritur etiam præter potentiam & ſpeciem applicatio ſive excitatio ſpeciei.

DICO 6. Vt intellectus operetur, neceſſariò requirit ſpecies intelligibiles. Prob.

Digitized by Google

ut intellectus agat & intelligat, debet determinari vel ab objecto vel à ſpeciebus, cum ipſe non ſit ſufficiens principium intellectionis; ſed non poteſt determinari ab objecto. ergo à ſpeciebus: Neque dicas, ſufficienter determinari à cognitione ſenſus interni, cum non poſſit operari niſi hoc ſimul operante; Quia reſpondetur, intellectum eſſe ſpiritualem, qui proinde non poſſit moveri & determinari à ſpecie materiali, de quo pluribus vide animaſticos.

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA.

De quinque Senſibus externis in homine.

OCulis hic imprimis opus eſt qui ſint humanæ conditionis & perfectionis poſt factam è maternis vinculis eruptionem teſtes: Et meritò quidem, quia oculi debentur homini, cui etiam inter primas actiones ſenſitivas videre primùm convenit; Ut primum enim homo uterum egreditur, oculos prius clauſos aperit, fortè lucentem hanc auram non minus demiraturus quam humanam miſeriam ſtatumque mortalem in quem natus, luctarus. Sunt hi oculi non tantum inter res omnes quæ ſub cælo ſunt, artificioſiſſimi, ſed etiam inter ſenſuum organa prima in operando, pulcherrima in repræſentando, nobiliſſima in eſſendo, quia mirè colorum varietate ſplendent, fulgore lucis radiant, & tanquàm faces ſydereæ in admirationem trahunt hominem; Et certè nihil eſt in hoc ſpectabili mundo pulchrius homine, nihil in homine dignius capite, nihil in capite vultu decentius, nihil in vultu oculis elegantius & amabilius ut ait Sabianus; Hoc enim ſapientiſſimus Artifex ita effinxit, ut ad lumen & colorem dignoſcendum ſibi mutuas præſtarent vias, & uterque ſe eodem momento ſurſum & deorſum, ad dextrum & ſiniſtrum & omninò omnem in partem ad quippiam videndum inflecteret; Et valent nihilominus ad ornamentum faciei quaſi ad eum unum finem deſtinati eſſent; valent ad dirigendos greſſus, ad vitandos ictus, ad cavendam ex altiori quaſi ſpecula offenſionem, ad producendos animi motus in triſtitia, hilaritate, lætitia, ad ipſum linguæ officium ſupplendum, ad rerum denique omnium cognitionem lectione & experientia hauriendam. Proximum à viſu dignitatis locum occupat facultas audiendi, tum quia ad capeſcendas diſciplinas aptiſſima eſt, tum quia ad effectuum in omnes partes inflexionem auditâ voce proportionata. Hunc ſequitur odoratus ut ſuaviſſimas & gratiſſimas mixtorum dotes ad uſum humanum conditas percipiat; Guſtatus item qui in alimento delectum habet & ſuavitatem; & noviſſimum tactus, tanto ignobilior quanto communior; Nullum enim animal eo caret, nec determinata aliqua particula corporis aſſignari poteſt, in qua ſola reſideat ut in cæteris contingit, ſed totum corpore ita diffuſus eſt, ut mirum, Philoſophos aut Medicos quoſdam adhuc dubitare de organo illius; Aliqui enim carnem aſſignant, alii nervos ſub carne latentes, alii utrumque. Et his quia nobiliſſimus animalium homo præditus eſt exquiſitè, & plus quam ullum cæterorum viventium, ideò ad eos perfectius cognoſcendos ſit

DIFFICULTAS I.

Quænam ſit oculi conſtitutio.

SUppono, quinque tantum eſſe ſenſus externos, quem numerum Ariſt. tantum ex organis deſumit, Alii verò colligunt hunc numerum ex modo quo objectum ſenſibile mutat potentiam. Tot enim ſenſus dari neceſſum eſt, quot ſunt modi quibus potentia ſenſitiva immutari poteſt à ſenſibili, quos tantum quinque eſſe probant animaſtici. Cæterum veniunt tria de ſingulis ſenſibus in diſputationem. Organum primò, tum objectum & tertiò medium per quod ſentit quicunque ſentit. Et licet quoad originem primus ſit tactus, quia radicem habet in primis qualitatibus, quarum temperies eſt neceſſaria diſpoſitio ad vitam ſenſitivam, quâ ſolutâ pereunt ſenſus cum animali; Guſtus ſecundus, auditus tertius, viſus quartus, olfactus quintus; dignitate tamē primus eſt viſus, quia celerrimè clarè & quidem multa & ingentia licet remotiſſima percipit objecta: Secundus auditus. Tertius odoratus. Quartus olfactus. Quintus tactus. Conſtat autem oculus ex nervis, muſculis, tunicis & humoribus, idque ſententia Medicorum & Anatomicorum, de quorum authoritate hic agitur. Hinc

DICO primo, Nervi duo ſunt, movens & opticus: Vterque ab interiore parte cerebri oritur. Movens ſpargit tenuiſſimas fibras in muſculos oculi; Opticus ſeu viſorius duobus ramis è cerebro oritur qui aliquantò poſt coeunt non tamen continuantur, nec ut aliqui *Nervi oculorum.* putarunt, ſeſe interſecant, ita ut dexter fiat ſiniſter & contra; ſed contingunt ſe, & mox

unus

unus ad dextrum, alter ad ſiniſtrum oculum tendit, qui ab eo dependet ſicut à pedunculo ſuo ceraſum: Hic in 3. tunicas diffunditur; Nam intima ejus para, per quam ſpiritus ex cerebro influunt, à ſubſtantia cerebri profecta in rationem & arcanam deſinit, proxima verò quam ſuggerit pia mater, in choroidem & uveam. Extima denique à dura meninge derivata in corneam commutatur; Eſt inſuper veluti canalis, per quam ſpecies ad ſenſum internum immittuntur & ſpiritus animales ex cerebro emittuntur.

Muſculi. DICO 2. Muſculi ponuntur 7. à Medicis, quorum nonnulli ſex tantum, præſertim in homine admittunt. Et de his quia nulla occurrit difficultas; idcircò

Tunicæ. DICO 3. Quamvis circà numerum tunicarum & Medici & optici quorum alii 3. eſſe docent, alii 6. alii 7. aut etiam 8. variè inter ſeſe decertent, nominibus tamen litigant ſolum & in re omnes conveniunt; Nam ſi quis ad continuitatem attendat & identitatem quæ inde ſumitur, erunt tres tantum principales tunicæ; ſi autem ſitum, temperamentum, diverſitatem officij & ſimilia, rectè aſſignantur 7. aut 8. quæ omnes varii nominibus illuſtres ſunt hoc ordine. Prima eſt adnata, quæ etiam dicitur conſolidatiua, concomitativa, alba, adhærens, conjunctiva &c. contegit majorem oculi partem oriturque ex pericranio, 2. eſt cornea, cornicularis, cornuformis; totum hæc oculum cingit & eſt pellucida inſtar cornu laternarum; adnatæ modicè in circuitu incumbit & à medio oculi paulum protuberat; ſub ea continetur humor aqueus. 3. Sclerodes vel candida dicitur ab inſigni duritie quam habet à dura meninge ex qua naſcitur; reipſa non diſtinguitur à cornea ſed eſt ipſius pars poſterior non pellucida. 4. Vuea, quia acino uvæ detracto pedunculo ſimilis, antrorſum pertuſa eſt foramine quod propriè pupilla vocatur; in nimia luce contrahit ſe, in luce verò extenditur ut pupilla maior ſit; naſcitur à choroide proxima, & utraque à tenui meninge cerebri quæ propriè mater dicitur; intus omninò nigricat, exterius ſæpè ſubviridis, quandoque glauca, interdum cæſia eſt, ſæpè alium colorem refert, unde is locus, qui circa pupillam ſupra humorem cryſtallinum radiat, à diverſitate colorem iridis nomen accipit. 5. Choroides ſeu tunica implexa reipſa non differt ab uvea, ſed eſt ejus pars poſterior, plurimis venulis abundat ſicut uvea; intus nigra eſt ut dixi exterius vario colore imbuta; in brutis intus quoque colorata, in tauris cæruleo colore, in felibus flava &c. 6. aranea, telæ aranearum ſimilis eſt, leviſſima, tenuiſſima, totum humorem cryſtallinum arctiſſimè tegit in ambitu, quaſi eſſet ipſius extima ſuperficies adhæreſcens; utrimque ad uveam ſe extendit; ab hâc non differt illa, quam aliqui ciliarem vocant, quia hæc ipſa habet quaſdam productiones ciliorum pilis ſimiles; ſunt autem proceſſus ciliares nihil aliud quam communia quædam omnium tunicarum vincula & unam ab alia diſterminãt à pilis ſuperciliorum ſic dicta; Naſcitur à retina, cum qua proinde reipſa idem eſt, utraque autem ab intima parte nervi optici, quam ipſe à ſubſtantia cerebri trahit. 7. Retina ſeu vitrea dicitur, vel quia hemiſphæricam figuram refert, ſimilem certo cuidam generi retia, quod ligneo circulo circumcirca ligatum unica manu tenere & ad piſcandum adhibere ſolemus, vel ut Scheinerus putat, quæ ob multitudinem venularum hinc inde varie ſparſarum quandam quaſi filis & funiculis contextam retis figuram exhibet, & ſub hac continetur humor vitreus; inter eum ſurſum & verſus uveam manet humor aqueus. Octavam aliqui ponunt ut Repl. in paralippom. ad Vitellionem quæ immediatè contingit humorem vitreum cum quo etiam eximi poſſet, manentibus retinâ & reliquis tunicis ſalvis; Ea tenuiſſima eſt & veluti ſuperficiea humoris vitrei, unde etiam non aliter vocatur quam tunica vitrei humoris; Omnes autem tunicas Diaphanas eſſe præter uveam advertit Schein, in ſuo oculo.

DICO 4. Humores omnium conſenſu 3. ſunt, primus Cryſtallinus à congelatione etiam glacies dictus, aquæ congelatæ ſeu cryſtallo luciditate & ſplendore ſuo ſimilis; videtur omnium partium oculi præſtantiſſima & certè pulcherrima; non omnino in medio conſiſtit, ſed ſupra oculi centrum verſus pupillam propinquior; poſteriore ſui parte minus pellucet nec perfectè ſphæricus eſt, ſed figuram ovi vel lentis refert; anteriore ſui parte ſeu ſuperficie concretus eſt tunicæ corneæ. Secundus eſt aqueus ſeu albugineus, valdè diaphanus & tranſparens, albumini ovi quam ſimillimus, unde etiam nomen traxit. Tertius vitreus à vitri fuſi ſimilitudine dictus, magnitudine duos reliquos excedit, videturque craſſior, vel ſaltem minus pellucidus, qua de re tamen aliqui dubitantur videre eſt pluribus apud Anatomicos.

DIFFICULTAS II.

Quomodo fiat viſio.

PRopoſitæ ſunt omnes partes oculi quæ ad viſionem perficiendam pertinent; Jam quæritur, quomodo perficiatur viſio, an emiſſis radiis ex oculo, an receptis ſpeciebus. Nam præter Stoicos & Platonicos Gal. quoq; de placitis ſpecies viſiles ſuſtulit, & radios ab oculo emitti cenſuit, cujus ſententiæ explicationem vide apud Zabatell. l. 2. de viſu c. 1.

Suppono autem ſpecies ad ſenſationem omnino neceſſarias eſſe, eâque de cauſa potiſſimum, quia ut ſenſus in objectum agat, eidem conjungi debet, quæ conjunctio an non alio modo quam per emiſſionem radiorum ex oculo fieri poſſit, nunc dubitatur.

DICO, viſio non fit ideo, quia radii foras emittuntur, ſed quia ſpecies ab objectis intrà oculum recipiuntur, hæc poſterior pars prob. *Viſio quo modo fiat.*

jiſdem

Digitized by Google

jiſdem argumentis quibus conſtat dari ſpecies ſenſiles; Eſt autem tota concluſio non tantum Ariſt. l. de ſenſ. & ſenſ. aliiſque in locis, ſed etiam omnium Philoſ. & Mathemat. qui de re optica ex profeſſo ſcripſerunt: Nam prob. primò ex Ariſt. cit. quia ſi in viſione aliquid ex oculis emitteretur foras, vel eſſet lux, vel aliquod corpuſculum vel quid ſimile. Non primum, quia ſi ſtella quæ infinitis penè partibus major eſt oculo, vix ſuam lucem uſque ad terram emittit, multo minus poterit tantillus oculus lucem effundere uſque ad ſtellas, nec ſecundum, quia ſequeretur oculos paulatim per viſiones minui, imò id unica viſione uſque ad ſtellas fieri oportere, Prob. 2. viſio eſt operatio vitalis quæ fit in corpore animato; ſed ſi fieret per emiſſionem radiorum, non fieret in corpore animato ſed apud objectum, quod prob. quia ibi fit viſio ubi fit unio cum objecto viſibili; ſed illa unio fieret foras & non in oculo, ergo. 3. ſi oculi emittunt lucem, non eſt ratio cur noctu non videamus, aut cur hac luce non illoſtrent aërem. 4. ſi cubiculo clauſo undique per angoſtum foramen admittatur lux, eique apponatur carta vel papyrus albus, repræſentabit quicquid extra hæc ex oppoſito conſiſtit, quod fieri non poteſt per emiſſionem radiorum; & hujus rei plurimas experientias inter alias dedit Schein. in ſuo oculo. argumenta autem plura vide apud Zabarell. l. 2. de viſu c. 4. & 5. Aquil. l. 1. opt. propoſ. 67. & ſeqq.

DICES primo, per receptionem ſpecierum non poteſt judicari de magnitudine rei; quomodo enim ſpecies montis ingrediontur oculum. Reſp. viciſſim quærendo, quomodo ingrediatur phantaſiam, quæ licet plus ſpatii in capite occupet quam oculus, non eſt tamen capax montis, poteſt autem id fieri, quia ſpecies non ſunt magnæ magnitudine formali ſed virtuali, hoc eſt, poſſunt repræſentare magnitudinem vel majorem vel minorem pro anguli viſualis obtuſitate vel acumine.

Species quæ rem repræſentant, ſunt magnæ virtualiter.

DICES 2. Qui verſatur in nebula, vicinam nebulam non videt ſicut remotiorem, cujus rei ratio non poteſt reddi ſine emiſſione radiorum, nimirum quia oculi vicinum locum poſſident & non remotiorem. Reſp. hanc eſſe cauſam, quia teſte experientia facilius emittuntur ſpecies & vehementiores ab objecto vicino quam remoto, idcircò res quæ propè nos ſunt in nebula cum vehementiores ſpecies tranſmittant, efficiunt ut vicina nebula nobis ſit medium; quæ autem ſunt in remota nebula, non poſſunt ſatis vehementes ſpecies emittere, & idcircò ipſa nebula eſt nobis loco objecti, quia in illa diſtantia ejus ſpecies aliarum rerum ſpecies ſuperant. Deinde nebula vicina propter raritatem non videtur ſicut remota, quæ reſpectu oculi videntis multiplicata fit denſior, unde à nobis videtur & non illa.

DIFFICULTAS III.

In qua parte fiat principaliter viſio

TOtus quidem oculus concurrit ad viſionem, ſed tamen una ejus pars magis quam altera; quæritur quæ propriè ſit viſus organum.

Opinio prima docet. viſionem fieri in congreſſu nervi optici. Ita Avic. teſte cælio l. 4. c. 20. & vitellino l. 3. theorem. 4. & 20. ſed contra eſt, quia hinc ſequeretur, eos homines in quibus illi nervi non cojunguntur, quales reperiſſe ſe Veſal. l. 4. c. 4. teſtatur, nihil unquam videre potuiſſe, quod tamen falſum eſt.

Opinio 2. eſt, fieri in humore cryſtallino; hæc ſententia attribuitur Ariſtoteli & Galeno à Conn. c. 7. q. 7. a. 2. ubi cum Rubio multiſque aliis idem ſentiunt. Sed contra eſt, quia ibi non poteſt repræſentari viſile, ubi ſpecies rerum viſilium non ſiſtunt neque figuntur; ſed neque in cryſtallino figuntur neque immediatè poſt illum, ergo. maior certa eſt, minor prob. quia humor cryſtallinus inſtar vitri ſeu cryſtalli tranſparet ita ut per eum color choroidis tranſpareat & oculi fundus videri poſſit ut docet experientia. Deinde organum viſus debet eſſe animatum; ſed an humor cryſtallinus ſit animatus, valdè incertum eſt, tum quia humores non ſunt animati, tum quia non ſatis cònſtat, an ſit continuus, tum quia nulli ſpiritus vitales aut animales in illum penetrare videntur. Vide hac de re Schein. l. 2. optic. p. 2. c. 5.

In humore cryſt. non figuntur ſpecies.

Opinio 3. Statuit fieri in tunica aranea; Ita Toletus & alii, eò quod nullus humor animatus ſit aut ſentiat; Et ſequitur Aquil. l. 1. optic. 9. q. 27. ſed contra eſt, quia eſt eiuſdem perſpicuitatis cum humore cryſtallino eumque tam arctè complectitur, ut nihil aliud niſi extima ipſius ſuperficies videri poſſit; hinc argumenta quæ ſunt contra humorem cryſtallinum cæteroſque humores, ut quod ſpecies in iis non figantur, ſunt etiam contra hanc tunicam. Et hinc

DICO, tunica retina propriè eſt organum viſus; Ita plerique recentiores cum Kepl. in paralipp. ad Vitell. c. 5. p. 168. Schein. in oculo p. 1. c. 14. 15. 16. &c. Et ſuppoſitis quibuſdam fundamentis opticis quæ alibi videntur, patet ex dictis, quia nulla pars alia ſupereſt, cui hæc operatio & potentia tribui poſſit, quod confirmatur ex natura huius tunicæ & conſtitutione, quæ omnino aptiſſima eſt ad ſenſationem: Cum enim ex meditullio nervi optici & medulla cerebri procedat, poris multis & cavernulis maximè in exitu ad radicem, ubi nervo cohæret, pleniſſima eſt ad recipiendos ſpiritus animales, qui ad ſenſationem neceſſarii ſunt. Et quamvis à tergo diaphana ſit, habet tamen choroidam quæ non modo denſa eſt ſed etiam nigra in pleriſque ad

pro-

prohibendum lumen & ſpecies ne ulterius progredi poſſint; Deinde experientiæ omnes per hanc opinionem facilè explicãtur & cauſæ mirabilium apparitionum in viſione redduntur, ut fusè Schein. Repl. & alii.

DICES primò, cum Conn. loco cit. humorem cryſtall. in medio eſſe collocatum, ergo. Reſp. neg. Conſeq. ſed & antec. falſum eſt, quia plus antrorſum vergit ſupra centrum oculi poſitus. Si urgeas, nullo colore eſſe imbutum ideòque aptiſſimum eſt ad viſionem. Reſp. idem in ratione contingere, cui præter hæc alia inſuper ut patet ſuppetunt, lux non obſtat organo, quod aliqui timent, quia non tantum pro objecto ſe habet, ſed etiam ad medium pertinet & eſt neceſſaria conditio; quod autem hic humor ſit maximè neceſſarius, poteſt inter alios fines hic eſſe, ut in ipſo ſpecies illuſtrentur

DICES 2. deſtructo humore cryſtall. nulla fit amplius viſio, ergo Reſp. neg. conſ. quia eſt pars maximè neceſſaria ad videndum; Nam quilibet defectus rei neceſſariæ ad ſenſationem tollit illam; Et ſi quid concluderet, valeret etiam pro retina, quia deſtructâ hac perit omnis omnino ſenſatio.

DICES 3. communiter vocari à Philoſophis & Ariſt. cor omnium ſenſuum organum, Reſp. eſſe organum remotum & commune, quatenus ſuppeditat omnibus ſenſibus ſpiritus, ſine quibus nihil poteſt ſentiri, non verò proximum.

DICES 4. Sæpè apertis oculis præſens objectum non videmus, ergo viſio non poteſt fieri in oculo. Reſp. non ſatis eſſe ad viſionem, ut præſens objectum ſpecies in oculum immittat, ſed requiri etiam, ut anima ſit præſens & eliciat viſionem, quod ideo autem ſæpè non fit, quia ad alia attendit ab hac actione avocata.

DIFFICULTAS IV.

Quodnam ſit objectum viſus.

DE hoc quæritur, ſitne ſolum lumen, an ſolus color an utrumque; quæritur autem tam de objecto formali quam de materiali.

Color & lumen objectum viſus. DICO primo, objectum materiale adæquatum viſus eſt color & lumen, vel ut alii, motivum actu perſpicui; Motivum intellige per ſpeciem à ſe tranſmiſſam, quod autem ſolus color non ſit adæquatum objectum viſus, patet in ſole cæteriſque aſtris, in quibus propè nullus color eſt; quod nec ſolum lumen, confirmat color, qui per ſe movet viſum ut ait Ariſt. 2. de anima. c. 7. ad initium. Denique tam lumen quam color repræſentatur à ſpeciebus viſilibus, ergò utrumque eſt objectum adæquatum viſus; nullum autem aliud eſſe præter hæc duo, patet experientia, quia nihil videtur quod non ſit coloratum aut lucidum.

DICO 2. ratio formalis objecti viſus non eſt lumen, ſed eſſe viſile. prob. quia ratio formalis eſt, quæ conſtituit tale in genere cauſæ formalis; ſed lumen non facit colorem eſſe viſibilem in genere cauſæ formalis, quia lumen non recipitur in corpore opaco in quo tamen eſt color. Hic adverte, viſibile movere viſum per ſe vel per accidens, illud quidem ut lux quæ per ſe & primo, vel color qui etiam per ſe ſed ratione lucis ſenſum movet, hoc autem ut ſubſtantia corporea quæ niſi mediante aliqua ſpectabili qualitate videatur, nullo modo per ſe ſub ſenſum cadit.

DICES primò, quæ noctu videntur, non ſunt actu perſpicui motiva, & tamen videri poſſe; Item color illuminatus cernitur etiamſi & medium & oculus in tenebris ſint. Reſp. per lucem ab illis objectis emiſſam tantum illuminati medium, ut illorum ſpecies recipi poſſint & organum movere.

DICES 2. ligna putrida non videntur motiva perſpicui, cum neque lucem habeant neque colorem tam fortem per quem viſum moveant. Reſp. hæc ligna, quod idem de certis quibuſdam inſectis intellige, videri de die per colorem ſuum de nocte verò per lumen quod producunt in aëre uſque ad oculum; reverà enim luminoſa ſunt, etiamſi de die propter exiguitatem ſuam eâ luce minimè appareant; Cauſam cur noctu luceant, Alb. M. tr. de homine, in putrefactis ait eſſe abundantiam caloris egredientis cum humido ad partes exteriores ibique ſe congregantis; in non putrefactis ſimiliter eſſe copiam caloris, verum non congregari ſed inditi à natura &c. *Ligna putrida lucent, & quare.*

DIFFICULTAS V.

Quæ ſit natura perſpicui.

PErſpicuum aliquando ex Ariſt. de ſenſ. & ſenſ. accipitur pro corpore luminoſo, quod ſcil. eſt luminis particeps; aliquando pro diaphano quod tranſlucet. Jam

DICO, perſpicuum eſt id, quod non per ſe, ſed alieno lumine viſibile eſt, Ita Ariſt. 2. de an. c. 7. Explicatur ex mente Authorum. Perſpicuum unum eſt terminatum, alterum interminatum; hoc omninò pervium eſt nec aſpectum terminat; illud contrario modo ſe habet; Illud iterum eſt duplex, quia vel proprio lumine lucet ut ignis in ſphæra ſua. vel alieno ut aer & aqua, unde aliquando perſpicua ſunt potentia tantum cum carent lumine, aliquando actu. Hic definitur perſpicuum interminatum, quod ab aliquo alio accipit lumen, & aliquando eſt illuſtratum aliquando non. Cum dicitur in definitione non per ſe ſed alieno, manifeſtè inprimis excluditur ignis & ſimilia, quæ licet revera perſpicua ſint, lumen tamen ſeu lucem ex ſe, non aliunde habent: Deinde excluduntur luna & Aſtra, quia licet aliunde lucem ſuam *Perſpicuum quid.* *Ignis non eſt perſpicuus.*

ſuam participant, ex ſe tamen quamvis modicè fulgent; deinde hoc ipſo quod terminata ſint, reiiciuntur. Viſibile dicitur, ex ſe ſcil. ſi nihil ex requiſitis conditionibus deſit; unde aer & ignis quamvis ſint perſpicua, à nobis tamen minimè cernuntur propter defectum denſitatis; ſub viſibili intellige, intus & ſecundum ſe totum, & non quod in ſuperficie perſpicuum ſeu potius conſpicuum eſt. Quod ſi quis ſub hac definitione vult comprehendi omne perſpicuum interminatum, etiam quod proprium lumen obtinet, ſic definiat, perſpicuum eſt, quod alieno lumine videri poteſt ſive habent proprium ſive non; ſi enim ex ſe nullum obtinet, neceſſario videbitur alieno; ſi autem habeat proprium, non repugnat eo ſublato per alienum illuminari. Et hinc ſimpliciter non eſt neceſſarium, ut perſpicuum per ſe ſeu proprio lumine conſpiciatur, ſed ſufficit, ſi alieno; periode ergo eſt ad rationem perſpicui habere ex ſe lumen vel non habere; hoc non obſtat. illud non requiritur. Itaque non ſunt omnia perſpicua ejuſdem rationis & naturæ, quia quædam omnino tranſparent ut aer, quædam minus ut vitrum, quædam denique ſunt opaca & non niſi ſecundum aliquam ſui partem conſpiciuntur ut lapides &c.

DIFFICVLTAS VI.

An lumen ſit corpus.

MUlta ſunt, quæ de lumine diſputari ſolent, è quibus primum occurrit, ſitne ſubſtantia an qualitas.

Lumen nõ eſt ſubſtantia.

DICO, lumen non eſt corpus ſed qualitas tertiæ ſpeciei, Prob. primò, non eſſe corpus, quia vel efflueret è corpore lucido vel fieret de novo: ſi primum paulatim corpus lucidum conſumeretur contra experientiam; ſi ſecundum, vel fit ex aliquo ſubjecto vel ex nullo; ſi illud fieret v. g. ex aere; at digreſſo lumine nulla apparet in aere facta mutatio; deinde unum corpus non poteſt eſſe ſubjectum alterius &c. ſi hoc, ergo continuo creabitur quod eſt abſurdum. 2. ſi lumen eſſet ſubſtantia daretur penetratio in corpore diaphano ſeu perſpicuo, motus etiam localis fieret in inſtanti, quia lumen caret contrario & producitur in medio. 3. lumen recipitur in materia tanquam in ſubjecto, & eſt ſenſibile per ſe, ergo non eſt ſubſtantia ſive corpus ſed qualitas.

DICES primo, lumen dicitur reflecti, quod eſt alioquin corporis vel ſubſtantiæ. Reſp. id dici tantum metaphoricè vel ad ſimilitudinem alicujus corporis quod reflectitur.

DICES 2. figura convenit corporibus; & lumen habet figurã, ergo. Prob. maj. Si lumen trajiciatur per foramen quadratum, in oppoſito corpore apparet rotundum. Reſp. hoc oriri ex interſectione radiorum; radii enim qui foramen tranſeunt, ſe mutuò interſecant, atque efficiunt pyramidem cujus baſis eſt rotunda, & eâdem de cauſa turris eminus apparet rotunda.

DICES 3. Ariſt. ſect. 11. probl. 8. quærit, cur melius audiantur voces noctis, & reſpondet, quia interdiu aer eſt craſſior propter lumen, ergo corpus ſit oportet. Reſp. Ariſt. id ex aliorum ſententiis locutum fuiſſe, quod inde apparet, quia in fine addit ſuam & dicit, animum videlicet interdiu diſtrahi, noctu autem eſſe collectiorem in audiendis vocibus; vel certè dicendum eſt, noctu omnia eſſe tranquilla, interdiu verò eſſe continuos ubique hominum & animalium ſtrepitus, qui ſonos voceſque mutuò impediant.

DIFFICULTAS VII.

An lumen ſit qualitas intentionalis vel realis.

Lumen eſt qualitas realis.

DICO, Lumen non eſt qualitas intentionalis, ſed realis, Phyſica & naturalis. Eſt ſententia communior contrà Scotum in 2. diſt. 13. quæſt. unica & paucos alios. Prob. primò, ſi lumen eſſet ſpecies intentionalis, non poſſet ſentiri aut videri aut effectum ullum naturalem producere; ſed utrumque ei convenit, ergò. Major patet, quia ſpecies non eſt id quod videtur, ſed quo objectum videtur. Minor probatur, lumen in corpus opacum incidens manifeſtè ſentitur & cernitur, imò calefacit, & per reflexionem etiam ignem excitat, ergo habet eſſe verum & reale Phyſicum. 2. ſi lumen eſſet ſpecies intentionalis, ubicunque lumen v. g. ſolis eſſet, repræſentaret ſolem contra experientiam; Nam quandocunque adeſt ſpecies rei viſibilis, & attendit potentia, cernitur ubicunque etiam res ipſa exiſtat, contrarium vero evenit in homine qui averſus à ſole lumen ejus videt & in oculo habet. Probatio ſecundæ partis quòd nimirum ſit qualitas realis, patet ex primo, quia producit effectus reales & Phyſicos ut calorem, ſiccitatem &c.

Multa accidentia carent contrario.

DICES, Omne accidens ſenſibile & reale habet contrarium maximè ſi ſit qualitas; lumini verò nihil eſt contrarium, ergò. Reſp. neg. maior; Non enim neceſſe eſt, ut qualitates corporum incorruptibilium vel quæ ſunt altioris ordinis quam ſint elementares, habeant contrarium; Itaque præter lumen dantur influentiæ, ſpecies ſenſiles, habitus principiorum, actus quidem vitales, v. g. ire, ſedere &c. quæ carent contrario, de quo vide Soar. diſp. 45. ſ. 3. numero 2. & 3. ubi diſcurrendo per omnes ſpecies qualitatis oſtendit in ſingulis reperiri aliquas contrario carentes.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VIII.

Quid ſit lumen.

NOmen luminis & lucis ſæpè pro eodem uſurpatur, tametſi diſtincta ſint ut mox patebit. Nam lux propriè eſt illa qualitas viſibilis, quæ inhæret corpori luminoſo, ut ſoli, ſtellæ, igni, lapidi &c. lumen verò illa qualitas in corpore illuminato, ſen in medio v.g. in aëre à luce corporis lucentis producta, ut videre eſt apud Conn. 2. cæl. q. 3. c. 7 a. 2.

DICO, lumen eſt actus perſpicui quatenus eſt perſpicuum, Ita Ariſt. 2. de anima c. 7. quam eandem definit; repetivit l. de ſenſ. & ſenſ. prob. explicatione ſingularum partium. primò nomine actus intelligendus eſt actus formalis ut ſit ſenſus, lumen eſt id, quod tribuit perſpicuo ut ſit perſpicuum, illud informando: Quare ridiculi ſunt qui objiciunt Ariſtoteli, quod lumen ſit actus colorum qui faciat ut videantur colores, quia non præſtat hoc lumen tanquam forma, ſed tanquam efficiens, quia concurrit ad producendas ſpecies colorum. 2. cum dicitur perſpicui, hanc partem explicuit ipſe Ariſt. hoc modo, perſpicuum dico quod eſt quidem viſibile, non autem ſecundum ſe ſed propter extremum colorem, in qua definitione non petitur externum principium, quia non definitur perſpicuum per lumen ſed per colorem, color autem notior eſt quam ipſum perſpicuum; ſenſus ergò definitionis eſt quod ſit perſpicuum id quod per ſe quidem videri non poteſt, dici tamen viſibile poteſt eò quod in illo videatur color vicini corporis, ut cum in aëre illuminato videtur color parietis, ipſe autem qui eſt perſpicuus per lumen, non videtur, ſed in eo videtur externus color, id eſt, color alterius corporis. Definitur ergo lumen per perſpicuum tanquam per ſuum ſubjectum; Eſt autem duplex ſubjectum luminis; alterum quod eſt magis connaturale, illud ſcilicet unde emanat, ut ſol, aſtra & ignis; aliud quaſi præter naturam, illud ſcilicet, in quo à corpore lucido producitur, ut aër, aqua, vitrum & ſimilia; non definitur per ſubjectum prioris ſed poſterioris generis. Colligitur, lumen eſſe actum accidentalem perſpicui, quia inhærendo corpori & informando illud formaliter conſtituit in eſſe perſpicui, ita ut ratio perſpicui tribuatur ab ipſo lumine, eô ferè modo quo anima dicitur actus corporis animati, hoc eſt, faciens animatum.

DIFFICVLTAS IX.

Quomodo lumen videatur, an per ſe immediatè, an verò per ſpeciem.

Per ſpeciem videtur ob.

RAtio dubitandi eſt, quia propterea neceſſariæ ſunt ſpecies, ut objectum per eas uniatur potentiæ, lumen verò præſens eſt per ſeipſum oculo & intra oculum, Itaque non opus erit aliqua alia ſpecie per quam cernatur; Et hæc ſententia eſt Cajetani & aliorum.

DICO, lumen non videtur niſi per ſpeciem, nec corpus lucidum videtur immediatè per lumen: Eſt communis hæc doctrina, & prob. primo evertendo fundamentum contrariæ opinionis; lumen vel diſtat ab oculo vel conjunctum eſt; ſed neutro modo videri poteſt abſque ſpecie ſui, Prob. hæc minor, non ſeparatum ut ſic, ergo per aliquam ſpeciem, qua uniatur potentiæ: Neque conjunctum, quia inter organum & viſibile requiritur aliquantum intervallum cum nihil ſupra oculos poſitum videatur; Deinde illa pars luminis quæ contingit extimam ſuperficiem oculi, non eſt extra oculum ſed alia, ergo adhuc ſeipſa non poteſt cerni. Si dicas, videri per eam partem luminis quæ eſt in oculo, quia illa quodlibet lumen extra poſitum veluti ſpecies repræſentat. Contra eſt, omnis pars luminis eſt homogenea & ejuſdem rationis, ergo non poteſt repræſentare aliam quod patet ex dictis de ſpeciebus. 2. ſi lumen abſque alia ſpecie à me videri poteſt, videbo in quocunque ſitu & poſitione è tergo, imò etiam occultatum, quia ſpecies & potentia ſenſitiva ſufficiunt ad eliciendam ſenſationem, ergo ſi lumen exiſtat in oculo meo, videbo illud etiamſi à tergo ſit luminoſum, ſicut videbo hominem à tergo ſtantem exceptâ ejus imagine per ſpeculum. Prob. 3. experientia Ariſtotelis 5. de gen. animal. c. 1, ſi quis inquit medio die deſcendat in profundum & obſcurum puteum, videbit ſtellas quas extrà puteum videre non poterat; ſed ſtellæ non tranſmittunt ſuum lumen illuc, ergo videbuntur per ſpecies & non immediatè per lumen. Cur autem ſtellæ non videntur extra puteum, cum tamen eò etiam mittant ſuas ſpecies, rationem reddit Ariſtoteles, quod ſpecies aliæ vehementiores eas prævertant & occupent viſum, atque idcirco Cæſij, qui exiguum habent lumen in pupilla, melius vident de nocte quam de die, quia de die impeditur viſus à nimis vehementi ſenſili. 4. ſi quis in tenebris per feneſtram proſpiciens videat parietem è regione illuminatum, videt lumen reflexum, non per lumen, quia eſt in tenebris, nec quicquam videt eorum quæ circa ſe ſunt, ergo videt lumen per ſpeciem. Sed de his plura vide Conn. l. 2. cæl. q. 5. c. 3. & Aquil. l. 1. optic.

Lumen videtur per ſpeciem.

DIFFICVLTAS X.

Quomodo lumen ad viſionem requiratur, an ex parte objecti an verò medij.

DUpliciter proponi poteſt hæc quæſtio; primo an ex parte medii ita requiratur lumen, ut nihil poſſit videri niſi totum medium vel aliqua illius pars ſit illuminata. 2. an ex parte objecti, ut ſi totum vel pars medii ſit illuminata, non vero objectum, poſſit videri objectum: Et poteſt duplex eſſe viſionis objectum; primum lumen vel lux corporis luminoſi, alterum color ſive objectum coloratum.

DICO primò, ad videndum objectum lucidum vel luminatum; Eſt Ariſt. l. de ſenſ. & ſenſ. ubi xit, eſſe quædam corpora ſplendida quæ videntur etiam in tenebris. Nam qui ſunt in loco tenebroſo, vident remotam lucem, ergo per medium etiam tenebroſum tranſmittuntur ſpecies lucis, ergò in medio ad recipiendas ſpecies, non eſt neceſſarium lumen ut volunt Conn. 2. animæ, c. 7. q. 4. a. 2.

Res lucidæ poſſunt in tenebris videri non vero coloratæ.

DICES primo, ſine ſpecie objectum videri non poteſt; aliqui de nocte niſi medium ſit illuminatum, ſpecies deferri non poteſt, ergo. Reſp. minorem veram eſſe de corpore colorato, falſam de lucido & luminoſo.

DICES 2. lumen requiritur in medio, ergo ex parte medii. Reſp. neg. conſeq. quia requiritur in medio, non quidem toto ſed vicino corpori viſibili, neque ut diſpoſitio medii, ſed ut producantur ſpecies.

DICES 3. ergo color per ſe non eſt viſibilis quia indiget lumine. Reſp. colorem per ſe eſſe viſibilem, id eſt, per propriam ſpeciem; etiamſi autem requiratur lumen, ut poſſit color emittere ſpeciem, non tamen emittit ſpeciem luminis ſed ſuam.

DICO 2. lumen ex parte objecti ad videndum coloratum objectum eſt omninò neceſſarium, ſine quo coloratum non eſt per ſe actu viſibile, ſed tantum potentiam, ita vitell. opt. l. 3. theor. 10. Conn. loco citato contra Rub. & alios. Prob. primo, color ſecundum Ariſt. de ſenſ. & ſenſ. eſt extremitas perſpicui in corpore determinato non ſecundum propriam naturam coloris, quia hoc pacto etiam in profundo eſt & intrà omnes partes, ergo ſecundum ſolam extremitatem perſpicui, hoc eſt, illuminanti ſeu ut viſibilis. 2. ſi medium ſit magis illuminatum quam coloratum, obſcuratur objectum & videri non poteſt, cujuſmodi eſt Adamas & alia quæ noctu lucent, ergo lumen requiritur potius ex parte objecti quam medii. 3. objectum in tenebris denſis non videtur, modicè illuminatum videtur, quia quo plus illuminatur, eò perfectiorem ſui ſpeciem imprimit, ergo. Colligitur, medium illuminatum non impedire quo minus ſpecies ab objectis ad oculum deferantur, ſed non requiri neceſſariò.

DIFFICULTAS XI.

Quæ ſit differentia inter lumen & lucem.

NOta, lumen dici ſolet ea qualitas, quæ in corpore illuminato ſeu in medio v. g. aëre à luce corporis lucentis producta eſt. Lux verò dicitur qualitas viſibilis, quæ inhæret corpori luminoſo, ut ſoli, ſtellis, igni &c. Radius nihil aliud eſt niſi lumen per lineam rectam à corpore luminoſo procedens, ſplendor autem lumen à corpore directè reflexum. Circa lucem & lumen, an videlicet eſſentialiter diſtinguantur, duæ ſunt magnorum virorum opiniones.

Lux [illegible] & [illegible] quid.

Opinio prima, quod videlicet probabiliter lumen & lux inter ſe ſpecie diſtinguantur, eſt eorum, qui falſo docent, lumen eſſe ſpeciem intentionalem lucis, ſed & eorum, qui volunt lumen ſolis in aëre non à ſubſtantia ſolis ſed ab innata luce tanquam à cauſa principali conſervari, Ita Bannes, Scotus, Cajetanus, Valeſius & alii, quorum nonnulli putant, lucem non videri poſſe abſque ſpecie, lumen autem poſſe. Probationes horum Authorum inter cæteras ſunt, illa ſpecie differunt, quorum unum non poteſt producere id, quod producit alterum in ſtatu connaturali; ſed lux eſt productivum luminis tanquam cauſa principalis ut patet in adamante, noctiluca &c. lumen autem non eſt productivum luminis, ergo. 2. lux eſt qualitas permanens natura ſua ut patet in gemmis, lumen verò natura ſua non eſt permanens; ſed qualitas ſtabilis diſtinguitur ſpecie & eſſentialiter à mobili, ut probabiliter etiam iudicant ipſi Conn. c. de qual. q. 1. a. 3. Quod ſi dicatur, lumen à ſole produci, intellige id fieri mediatè, ſcilicet mediante luce iuxtà principia huius opinionis.

Opinio 2. eſt Toleti & multorum aliorum, lumen non differre ſpecie à luce; Et hæc ſententia videtur etiam prioribus probabilis, quo ſolo non eſt contemnenda. Hanc verò ſi quis ſequi volet, aſſerere eum oportet, lumen produci & conſervari à ſubſtantia ſolis & non diſtingui à luce niſi ſecundum ſubiectum connotatum, proinde etiam debebit aſſerere, lucem ſtellarum, gemmarum &c. intendi à lumine ſolis. Pro hac opinione nulla affertur ratio hâc ſolidior, quia etiam calor qui eſt in igne & qui eſt in aëre, diſtinguerentur eſſentialiter, ſiquidem hic non diu durat ſicut ille. Verum contraria opinio negaret conſequentiam, eò quod calor immediatè produceretur à ſubſtantia ignis, & in facto conſervaretur non ab igne ſed à cauſa prima; lumen verò producitur à luce, & ab ea tam in fieri quam in conſervari dependet.

Lux non differt ſpecie à lumine.

QVÆRES, an plures faces v. g. unum tantũ produ-

Digitized by Google

producant lumen, an v, ſingulæ ſingula Reſp. unum tantum produci, ſi nullum ſit obſtaculum & ſi debitè diſponantur. Ita Tol. 9.8. ad ſeptimum. Nam lumen inquit ab uno luminoſo productum augetur, ab alio luminoſo intenſiore tam extenſivè quam intenſivè, ergo eſt unum. Deinde unus calor à duobus calidis poteſt produci, ergo & unum lumen à duobus vel pluribus luminibus.

DIFFICVLTAS XII.

Quid videatur in ſpeculo, an res ipſa vel ejus imago.

QUam certum eſt, nos videre ea quæ à tergo latent, in ſpeculo, idque variis & miris modis, inverſa, converſa, abeuntia, accedentia &c. ad ludibrium uſque. Ita difficile eſt dijudicare, quidnam tunc propriè oculus videat, an imaginem, an rem ipſam.

Opinio hactenus magnorum virorum ut Averrhois l. de ſenſ. & ſenſibili. c. 1. D. Thomæ, Scoti aliorumque fuit, rem & imaginem videri; ſed perſpectivi ferè omnes, qui ex profeſſorem opticam tractarunt, longè aliter ſentiunt, cum quibus probabilius. Reſp. & breviter

DICO, In ſpeculo res videtur & non imago. Prob. objectum adæquatum viſus eſt color & lux; ſed imago ſuſcepta in ſpeculo neque color eſt neque lux, ergo. Deinde, ſi ipſa imago cernitur, vel cernitur per ſpeciem ejuſdem cum illa naturæ vel diverſæ; Non ejuſdem, quia qualitas intentionalis debet eſſe diverſa ab objecto cujus vice fungitur; nec poteſt dari ratio, cur ſpecies coloris alterius eſſe naturæ debeat & non ea quæ ab imagine coloris in ſpeculo producitur; ſicut enim color objectum eſt, quod videtur ſine ſpeculo; ita ex contraria opinione imago coloris impreſſa ſpeculo eſt imago quod videtur. Si dicas eſſe diverſæ naturæ, ſequitur non cerni per reflexionem, quia à ſpeculo ad oculum ducitur recta linea non reflexa, quo admiſſo non apparet imago ſemper ubi eſt. Ex quibus ſequitur, rem ipſam eamque ſolam cerni idque hoc modo. *Quomodo fiat receptio rei viſæ in ſpeculo.* Petrus tenens ſpeculum proiicit imaginem ſuam in illud per lineam rectam, ſpeculum vero eandem quaſi repercutiens per reflexam lineam remittit in oculum Petri, ubi recepta ſimul eum potentia viſiva elicit viſionem, per quam Petrus cernit ſeipſum. Cernit inquam, non in proprio ſitu vel loco ſed alieno, eo ſcillcet à quo imago ad oculum reſultat & in quo eſt ſpeculum; viſus enim non movetur à ſpecie directa ſed reflexa, quod autem repræſenter in minori quantitate objectum quam ſic, id accidit ex corpore in quo fit reflexio; ſi illud parvum eſt, parvum; ſi magnum, magnum repræſentatur objectum. Inſtabis, in ſpeculo videtur aliquando objectum inverſum, aliquando duplicatum, cum extra ſpeculum non ſit tale. ergo eo caſu videbitur ſola ſpecies. Reſp. objectum aliter videri ideò quam ſit, quia ſpecies refringuntur in cavitatibus & multiplicantur in angulis.

DIFFICVLTAS XIII.

Quare viſus inter ſenſus externos ſit nobiliſſimus.

CErtum eſt quod ſi originem ſpectemus, primus ſit tactus ideò, quia radicem habet in primis qualitatibus, quarum temperies eſt neceſſaria diſpoſitio ad vitam ſenſitivam, quâ ſublatâ ſenſus omnes pereunt cum animali; Quod ſi etiam neceſſitatem abſolutam conſideremus, videtur viſui præferendus eſſe omnes reliquos ſenſus eò quod partim ad cognoſcendum Deum eumque in vera fide & religione colendum ut auditus, partim ad conſervandam perpetuandamque vitam animalis ut odoratus, guſtatus, tactus, ſimpliciter vel minimum ſecundum quid pertineant. Quomodo igitur viſus ita excellat, ut de eo ſemper agamus, dicamus, ſcribamus & ſolliciti ſimus, hic breviter audiendum eſt. Itaque

DICO breviter, quatuor ſolent communiter aſſignari cauſæ, quare viſus cæteris ſenſibus externis ſit nobilior & excellentior. *Viſus quare cæteris ſenſibus excellentior.* Prima eſt dignitas objecti quod lumen & colores comprehendit; Nam lumen eſt qualitas omnibus ſenſibilibus ſuperior, quæque non ſolum in ſublunaribus conſpicua eſt, ſed etiam in immortalibus & cæleſtibus diffuſa; hinc optimè intelligentias ait Guil. Pariſ. 2.2. de univerſ. c. 92. cælum replere non eſſentiis ſuis ſed effulgentiis, ita ut inſtar ſpeculi reluceat ex vicinitate & præſentia beatiſſimorum ſpirituum. 2. eſt, univerſalitas ipſius objecti, quia percipimus viſu corpora cæleſtia, quæ nullo alio ſenſu percipi poſſunt; Nam immenſam illam capacitatem à terræ ambitu uſque ad ipſos, cælos eorumque aſtra momento quaſi penetramus viſu, cernimuſque eorum ſpecies deorſum ad oculum noſtrum dejectas. 3. eſt corporum differentia quam à viſu haurimus & habemus; Vt enim ex communi proverbio cæcus de dictorum varietate judicare neſcit; Ita qui oculis valet & animo, innumeras diſtinguere formas novit & corporum motus, quos nullus ſenſus percipit. 4. eſt excellentiſſimus cognoſcendi modus, ſive ut alii, immaterialitas & altitudo cognitionis, quæ apparet ex celeritate & claritate, quæque aliunde à contrario impediri non poteſt in viſu, ſicut in guſtu v. g. qui ſæpè amaro guſtato manet aliquamdiu ineptus ad ſentiendum dulce.

DIFFICULTAS XIV.

An oculi habeant internam lucem.

AD affirmandum hoc valet illa imprimis experientia, quod ſi claudantur oculi, mirabiles ſæpè & lucidiſſimæ omnis generis viſiones appareant, idque non tantum iis qui calidis febribus detenti deliriis variiſque illuſionibus & falſis phantaſmatis in ſomno tentantur, ſed etiam qui in ſano & quieto ſtatu degunt. Deinde refert Plinius de Tiberio Cæſare & Card. de ſeipſo, quod de nocte omnia clara viderint, denuò tamen brevi virtutem illam fuiſſe ſubtractam & paulò poſt omninò nihil cernere potuiſſe: Ex quo videtur colligendum, oculis internum lumen ineſſe: Quod idem de felibus & aliis lucidiſſimorum oculorum animalibus dici ſolet; ſed

Oculi non habent intern. lucē.

DICO falſum eſt, quod oculi habeant internam lucem. Prob. primo, quia ſequeretur hinc, quod non aliqui tantum homines ſed omnes hoc beneficium haberent, vel dato etiam non omnibus eſſe eandem oculorum luciditatem, minimum nulla eſſet ratio, quare non tantum evigilantes, ſicut ſibi factum fuiſſe Cardanus teſtatur, ſed etiam quacunque noctis hora non omnia æquè videant. 2. oculi ſuo r aqueæ oaturæ, ergo nō ſunt capaces ad recipiendū internum lumen; antec. patet ex Medicis, conſequentia ideò vera eſt, quia nullum aqueum vel nulla aqua lucida eſt ſed perſpicua, proinde nec apta ad ſuſcipiendum lumen. Et hinc ſufficit lumen in medio & in oculo pro elicienda viſione ſuſcipi. Quod ad experientias illas, Medici cum Galeno totum referunt in ſpiritum viſorium. Cardanus in calorem cerebri, tenuitatem ſpiritus & ſubſtantiam oculi atque in prævalidam vim imaginationis &c.

Aqua lucida non eſt ſed perſpicua.

DIFFICVLTAS XV.

Quæ ſit ſtructura aurium.

DE auribus ſcribit Ariſt. l. 1. hiſtor. animal. c. 11. ſed brevius & minus exactè quam ex Medicis Anatomici; Unde cum iis

DICO, præcipuæ partes, è quibus totum auditorium conſtat, ſunt quinque. Ita Veſal. l. 1. Andr. Laur. c. 17. & alii. Prima eſt exterior ea, quæ extra caput propendens in homine cochlearis inſtar vulgò ſolius auris nomen obtinuit; ſed à Medicis auricula dicitur, quam eo fine natura appendit ut arceat ea quæ incidere poſſunt, & cavitate ſua colligat ſonum inſtarque fundibuli ad ſenſorium interius dirigat. Conſtat ex cartilagine, id eſt, media quadam ſubſtantia magis dura quam ſit caro & minus quam oſſa. 2. eſt, meatus flexuoſus, ne ſonus impetu irruens membranam lædat, & ut aeris ſubeuntis frigus flexuum varietate ſenſim miteſcat: Mirabili inſuper prudentia perfudit natura hanc internam cavitatem viſcoſo humore, ut ſi quid noxium irrumperet, in eo inhæreſcat. 3. eſt tympanum, hoc eſt, tenuis quædam ſicca & pellucida membrana tranſverſam quandam partem orbicularis cavitatis inſidens; hanc ſtabiliunt 3. oſſa, quorum unum incudis duobus pedunculis innixi, alterum malleoli, tertium ſtapedis figuram refert. Quarta inter membranam eſt aer congenitus, qui hoc veluti vallo cohibetur, ne vel diffluat vel majori aliquo fragore diſſipetur: Vocatur autem aer à ſimilitudine, quam habet cum aere, quia ſubtilis eſt & tenuis, non autem quod ejuſdem ſit naturæ. 5. denique eſt nervus auditorius per quem & ſpiritus à cerebro & imagines inde ad ſenſum communem deferuntur, ſicut etiam nervi viſorii ab oculis ad cerebrum tendunt.

DIFFICULTAS XVI.

Quænam ex his partibus ſit organum auditus.

OPinio prima eſt quorundam veterum, ſpiritum animalem à cerebro derivatum in partes interiores aurium eſſe organum principale audiendi; ſed malè, quia ſpiritus iſti non ſunt animati.

Opinio 2. docet, nervum, per quem hauriuntur ſpiritus, eſſe organum; Ita Al. M. tr. de auditu q. 1.

Opinio 3. eſt Veſalii l. 1. c. 8. Andr. Laur. l. 4. q. 25. ſuorum anat. auditionem fieri in oſſiculis illis, de quibus ſupra; Nam ajunt, ſicut malleus incudem pulſans ſonum excitat; Ita unum ex his oſſiculis mallei figuram habens, aere impulſo ſeſe collidere cum tympano, & incidens in oſſiculum quod incudis nomen habet, ipſumque percutiens edere ſonum, atque ita potentiam audiendi percipere objectum ſuum quod eſt ſonus. Sed fingitur illa colliſio oſſium, cum nec experientia nec ratione id conſtet; Deinde etiam ſi id fieret, nihil tamen conduceret ad percipiendum ſonum, qui ſit extra.

Opinio 4. eſt Toleti q. 21. potentiam audiendi reſidere in membrana ſeu tympano; Et hanc etiam Rubius q. 6. probabilem judicat. Quamvis autem hæc opinio ſuſtineri poſſit; nihilominus tamen

DICO. probabilius eſt, auditionem fieri in aere innato intrà menyngem contento. Ita Valeſ. 2. controv. c. 7. Cono. 2. de anima, c. 8. 9. 4. a. 2. omniſque paſſim medici. Prob. 1. ex Ariſt. qui id expreſsè l. 2. de anima, c. 8. l. 2. de part. animal. c. 10. & l. de ſenſ. & ſenſ. docet, tum Gal. l. 8. de uſ. part. c. 6. Et prob. organum cujuſvis ſenſus debet eſſe congruum receptaculum ſpecierum, per quas à potentia inibi reſidente ſenſatio fiat; ſed aer iſte propter

Digitized by Google

pter ſubſtantiæ tenuitatem & ſubtilitatem eſt maximè longius, ergo, confirm. ex ſitu ejus & loco quem natura tribuit; Ita enim vallavit cæteris partibus & communivit, ut appareat ejus gratia tanquam nobiliſſimæ partis factum eſſe: Et patet inſuper inde, quia nulla pars poteſt aſſignari, quæ non huic quodammodo famulatur; Nam exterior auris, meatus illi tortuoſi, ac denique tympanum faciunt ad commodè excipiendum & rectè uſque ad proprium organum deferendum ſonum, cum videamus facillimè ſonum percipi in locis cavernoſis.

DICES, aer ille vel eſt ejuſdem naturæ cum aere elementari vel non: ſi primum, ergo non eſt animatus; ideoque non poteſt eſſe organum auditus, ſi ſecundum ergo non eſt capax ad recipiendas ſonorum ſpecies. Reſp. aerem vocari tantum analogicè ob ſimilitudinem ut dixi. Non autem repugnat hunc aerem eſſe animatum, quia nulla ratio id evincit; & neceſſum eſt animatum eſſe, tum anima ibi per ſuam potentiam operetur, ſi non tanquam in ſubjecto adæquato, ſaltem inadæquato.

DIFFICULTAS XVII.

In quo ſubjecto recipiatur ſonus.

ARiſt. 2. de anima c. 8. dicit in producendo ſono duo concurrere, videlicet id quod verberat & quod verberatur; hoc poſito quærit, utrum ex his duobus ſonet; Et reſpondet utrumque ſonare, ſed diverſimodè, utrumque etiam ſæpè non ſonare, ſi v.g. acus acum feriat; ideoque opus eſſe ut id quod verberatur, ſit planum, quo ſimul aer inde reſiliat &c. His poſitis controverſia eſt, quænam corpora ſonent, vel quæ corpora ſint apta ut recipiant ſonum.

DICO primo, ſonus non tantum recipitur in aere tanquam in proprio ſubjecto, ſed etiam quod valdè probabile eſt, in ipſa aqua. primum ab omnibus admittitur: ſecundum prob. quia urinatores & piſces in aqua ſonum percipiunt ut conſtat experientia.

Piſces in aqua audiunt.

DICO 2. Probabilius videtur, etiam ſonum in ipſis corporibus colliſis recipi. Prob. primo, Nam ſi quis v.g. murum etiam craſſiſſimum verberet, audietur ſonus etiam ab altera parte ubi non fit colliſio, ergo per totum corpus concuſſum diffunditur ſonus; Et hoc idem intellige in perticis ſive arboribus, quæ dum ex una parte digito ſaltem percutiuntur, ex altera manifeſtè ſonus auribus admotis percipitur. 2. ſi quis cultro vitrum contingat, aliquanto vehementius reſonat, mox ut manu attingit, reſonare deſinit, ergo ſonus fuit in vitro; ſi enim eſſet in aere, etiam tacto vitro aer reſonaret. Contrarium ut probabile ſequitur Tol. 2. de anima. q. 10. Conim. ibid. c. 8. q. 2. a. 1. quorum ratio, quia niſi ajunt, id dicatur, nulla adferri poterit cauſa, cur per motum in vacuo non fiat ſonus (contraria pars concedit ſonum fieri in vacuo, ſed non audiri propter defectum medii) vel etiam per motum corporum cæleſtium, quibus nihil deeſt præter medium; Nam de iis idem quod de vacuo intellige.

DICES, color, odor, ſapor &c. inhærent tantum ſuo ſubjecto, ergo idem dicendum eſt de ſono. Reſp. neg. conſeq. quia qualitates illæ habent fixum & ſtabile, ſonus verò non eſt niſi dum fit remanetque ſolum ad breve tempus, ut etiam interea opus ſit recipi in corpore intermedio.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quomodo ſonus veniat ad aures.

NEmo eſt, qui neſciat ſe audire ſi campana vel aliud corpus ſonans pulſetur, ſi modo in debita diſtantia ſit poſitum; ſed non omnis æque intelligit, quo modo aut qua via, an realiter an intentionaliter ſonus perveniat ad aures.

DICO primo, ſonus non pervenit continuo motu aeris à corpore ſonante ad aures. Ita doctorum communior eſt ſententia, & prob. experientia, quia etiam quietiſſimo aere ad longum ſpatium audimus; deinde piſces audiunt per ipſas aquas, quo aer non penetrat: hoc idem intellige de urinatoribus.

DICO 2. neque realis ſonus pervenit uſque ad aures. Ratio eſt, aliorum ſenſuum ſenſibilia non perveniunt ad ſenſoria realiter, ergo neque ſonus; Deinde ſi ſonus perciperetur ſine ſpecie, non perciperetur diſtantia rei ſonantis contra experientiam.

Sonus venit ad aures per ſpeciem.

DICO 3. etiamſi ſonus realis aliquouſque diffundatur multiplicatus non à ſono prius exiſtente, ſed una parte aeris aliam impellente cum impetu, ſimul tamen ad omnem partem diffunditur ejus ſpecies, quia non niſi per ſpecies percipitur ſonus ut etiam reliqua ſenſibilia; ſed ubique percipitur corpus ſonans, ergo ubique diffunditur ſpecies.

DICO 4. Species ſoni non in lineam rectā ſed orbicularem ſpargitur continuatâ ſerie more circulorum qui jactu lapidis in aquam à centro verſus omnem loci differentiam abeuntes excitantur. Experientiâ enim docet, ab omni parte circumcirca audiri ſonum; quod autem non continuò percipiatur quando fit ſed paulò poſt, non eſt cauſa, cur ſpecies non produci poſſint in inſtanti, ſed quia ſonus propter motum quam continuatur, non niſi ſucceſſivè fit. Unde colligitur, ſonum eſſe in organo per ſuam ſpeciem, quia auditus debet determinari ab aliqua ſpecie tanquam ab aliqua qualitate magis ſpirituali, ergo ſpecies debet recipi in organo. Deinde foramen illud quod eſt intra aurem, admodum eſt anguſtum, & tamen per illud recipiuntur vehementiſſimi ſoni, ergo veriſimile eſt non ingredi ſonos reales uſque ad intimum organum ſed eorum ſpecies.

Sonus ex ſe fit in inſtanti, ſed propter alliſionem ad corpora fit in tempore.

DICES Si audiretur ſonus per ſpecies, audiretur in inſtanti, quia carent contratio; ſed hoc eſt contrà experientiam, ergo. Reſp. non eſſe eandem ſphæram objecti viſibilis & audibilis, quia cum virtus productiva ſoni minor ſit quam ſpeciei viſibilis, etiam objectum auditus debet eſſe vicinius quam objectum viſus, unde ſi quis pulſet campanam v. g. & alius ſtet intra ſphæram, prius videbit ictum quam audiat ſonum; Contrà verò ſi ſit extrà ſphæram, cujus ratio eſt, quia ſonus propellitur cum aëre ut docet experientia flante vento pacatoque rurſum aëre, quod in ſpeciebus rei Viſibilis planè non ſit, quæ in inſtanti per inquietiſſimum etiam aerem commoventur. Itaque licet ſonus ex ſe fiat in inſtanti, quia fit in ipſo corporum contactu qui ſit in inſtanti; nihilominus tamen multiplicatur per medium in tempore, quia ad aliud atque aliud corpus fit colliſio, atque ita ſucceſſivè defertur uſque ad auditum &c.

DIFFICVLTAS XIX.

Quid ſit Echus, quæ ejus natura & cauſa.

ECHus inter naturæ prodigia ſeu ludibria cenſetur, unde etiam Poëtis materiam fingendi dedit, idquod apud Ovid. l. 3. metamorph. manifeſtum eſt. Deſcribitur autem hic Philoſophicè juxtà ſententiam & doctrinam variorum Authorum, tum imprimis ex mente Ariſt. 2. de anima c. 8. Tol. q. 22. Conn. ibid. c. 8. 9. 2. a. 2. & aliorum; Et ſecundùm hos

Echus quid. DICO primo, Echus nihil eſt aliud quam ſonus repercuſſus ad corpora ſolida & concava; vel Echus eſt repercuſſio ſoni vel ſpecierum; Utrius autem verius, infrà determinabitur: Ariſt. loco citato exemplo pilæ explicat Echum, quæ ad parietem projecta redit verſus ludentem, quod exemplum non ſecundum omnia applicari debet, quia non idem numero ſonus redit ad nos ſicut eadem numero pila: melius declaratur in radiis ſolaribus; ſicut enim experientia cernimus hos in opaca corpora directè incidentes reverberari, quando non datur ulterius progredi; Ita quoque in ſono fieri putandum eſt.

Sonus quomodo reflectatur. DICO 2. Sonus reflectitur hoc modo: Aer impulſus à loquente vel vociferante continua agitatione & quaſi fluctuatione, ut in aqua poſt immiſſum capillum circulos multiplicantem apparet, in corpus ſolidum & concavum incurrens cum negatur tranſitus, retrorſum cedit, & ſpecies audibiles ſecum deferr, ſi non ad aurem uſque, ſaltem ad aliquod ſpatium, ubi aliæ atque aliæ produci poſſint, donec ad organum perveniatur. Quod ſi tamen idem numero aer ob debilitatem vocis non poſſit propelli modo jam dicto, producatur tamen ſpecies ad murum uſque, quo obſtante, neque in aere poſteriori generentur aliæ ſpecies, producentur illæ in partibus anterioribus verſus loquentem & audientem; unde ſicut de reflexione luminis alias monitum eſt, non oportet imaginari quod eadem numero ſpecies impacta muro retrorſum eat, ut contingit ſi quis gladium in murum impingat aut baculum, ſed dicitur metaphoricè & impropriè reflecti, quia ſaltem ejuſdem rationis ſpecies per continuam generationem multiplicata ad nos pertingit, Et tametſi omnes ſyllabæ reverberarentur, ultimæ tamen audiuntur ſolæ, quia primæ ab illis veluti opprimuntur, & intercedit tempus aliquod, antequam audiamus, non quod ſpecies in inſtanti non poſſint generari, ſed quod ſine motu ſucceſſivo non ſit earum productio: Fit etiam aliquando ut ſpecies ſemel reflexa iterum iterumque illiſa reſultet, ut duplex aut triplex audiatur. Echus. Exemplum habetur extrà murum ad Baſilicam divi Petri Romæ. Cardanus l. 18. de ſubtil. refert Papiæ eſſe ingentem quandam aulam, quæ ſepties reddat vocem, ſed ſemper languidius; unde ſi quis clamat, Heu me, poſtremus ſonus ſit morienti ſimilis. Fit itaque Echus primo per reflexionem ſpecierum. 2. ſonus non producit ſonum principaliter, quia alias in omnem partem reflexus diffunderetur ſonus, ſed producit ſolum ſpecies, ne dicatur articulariter edere voces, quod ſolis animatis convenit. *Sonus an producat alium ſonum vel ſpecies.*

DIFFICVLTAS XX.

Quid ſit vox.

NOta primo, ex Ariſt. 2. de anima c. 8. in fine diſtinguitur ſonus, vox & ſermo, Sonus eſt à quolibet, Vox non niſi ab animali, ſermo ab homine tantum.

Nota 2. Inſtrumenta vocis eſſe hæc quinque. Pulmo, muſculi, aſpera arteria, larynx & gurgulio. Pulmo aërem ſuſcipit & reddit: muſculi movent; aſpera arteria eſt quædam quaſi fiſtula per quam formatur vox: Larynx eſt oſtium ſive ſuperior pars arteriæ prædictæ, quæ tegitur membranâ cartilagineâ, quæ eſt veluti lingula ſimilis illis, quarum uſus eſt in tibiis & fiſtulis unde etiam Epiglottis dicitur; gurgulio eſt caruncula rotunda in extremo palato dependens ſub qua eſt Epiglottis: Et hæc duo niſi veluti obices obſtarent in via, ad quos reſtringeretur aër ex pulmonibus exiens, nulla vox formaretur, quia ſine ullo ſono aër totus ex pulmonibus liberè efflaretur: Eſt itaque larynx veluti caput fiſtulæ, gurgulio verò inſtar plectri, quibus palatum, labra, & dentes cum lingua non tantum vocem ſed etiam cum mira varietate & modulatione formare ſolent.

Vox quomodo fiat. ſolent. E pulmonibus beneficio muſculorum compreſſis aër eſpiratur per aſperam arteriam & emittitur uſque ad laryngem; Aërem à concavitate arteriæ ap pulſum lingua variè frangit dentibus, labris & palato adjuta; ſi lingua nimium ſit humida & mollis. ut accidit in pueris & ebriis, balbutit; & ordinariè qui ſunt balbi, vel cerebrum nimis habent humidum vel linguam vel utrumque; palatum autem inſervit locutioni, quia quatenus eſt ſcabrum, detinet vocem, & quia cavum, ad ejus latera vocis ictus geminantur; dentes verò qui excipiunt linguæ ictum, verborum ſonum moderantur; unde qui dentibus carent, vel admodum raros habent, confuſâ quâdam & indiſtinctâ loquuntur voce. Labra plurimùm moderantur vocem, quia eorum compreſſione vel diductione verborum & ſyllabarum diſtinctio magna ex parte continetur. Iam

Vox quid. DICO, vox eſt ictus aëris reſpiratione attracti, qui ab anima in pulmonibus exiſtente cum quadam imaginatione efficitur. Dicitur primò ictus aëris in ſenſu cauſali non formali, quia ictus ſeu percuſſio aëris gignit ſonum; hinc melius diceretur, vox eſt ſonus editus ictu aëris. Dicitur 2. per reſpirationem attracti; primò enim intus trahitur, & ubi formanda vox eſt, redditur. Dicitur 3. ab anima, ut nimirum cauſa efficiens ſignificetur. Dicitur ultimò cum quadam imaginatione, hoc eſt, antequam per virtutem motivam applicentur inſtrumenta ad formationem vocis, debet vel tempore vel natura intercedere apprehenſio aliqua phantaſiæ, qua animal velit aliquid indicare, ſcil. ſuum amorem, dolorem, deſiderium, affectum &c. Definitio hæc continet 4. cauſarum genera ideoque perfectiſſima cenſetur; Aër enim eſt materia vocis; anima cauſa efficiens, forma ſonus, finis ſignificatio.

Summa dictorum de auditu eſt: Organum auditus eſt aër innatus, objectum ſonus, medium aër aut ſimile corpus capax ſoni.

DIFFICULTAS XXI.

Quodnam ſit organum olfactus.

SUppono 1. objectum olfactus eſſe odorem ſive odorabile. 2. medium odoris eſſe aërem & aquam ex Ariſt. 2. de anima t. 91. & 4. hiſt. animal. cap. 8. Et patet experientia, quia animalia terreſtria & volatilia per aërem, piſces verò per aquam odores hauriunt &c.

Adverte, partes quæ ad conſtruendum odoris organum ſpectant, ſunt imprimis naſus, quem non malè tectorium, funibulum, promontorium, hauſtrum &c. vocant: Nam primò tecti inſtar nares introrſum poſitas obtegit. 2. excrementa cerebri per eam egeruntur. 3. aër attrahitur & remittitur. 4. quæ minus grata apparent oculis, abſcondit, 5. velut promontorium deſuper incumbit ori & faucibus. Deinde ſunt nares, videl. duo canales ſeu meatus interni, qui à cerebro orti viam præſtant iis quæ attrahuntur & reiiciuntur, quamvis hoc nomine tota inferior conſtitutio naſi ſæpè vocetur. Adde, quod canales iſti in extremitatibus habeât duo quædam tubercula mammillarum ſimilitudine quæ propriè carunculæ mammillares ſeu papillares vocantur. Adhæc ſubeſt os quoddam bipartitum, quod præter poros multos minores etiam foramina habet duo majora, quæ reſpondent duobus naſi foraminibus propter ſimilitudinem eum ſpongia, unde etiam Medici os ſpongioſum vocant. Denique duabus prædictis partibus oſſis reſpondent 4. foramina ſeu meatus duo ad naſum; extra ſeu foras tendunt cartilagine velut muro intermedio diviſi, quibus tandem eſt porrecta membrana quædam continuata cum ea quæ ad linguam aſperam arteriam & palatum extenditur; duo reliqui ad fauces flexuoſo ductu pergunt; vide Andr. Laur. ſuæ anat. l. 4. c. 19. Conn. cit. c. 9. q. 4. & alios.

DICO, organum odoratus proprium ſunt duo tubercula ſeu carunculæ mammillares. Eſt communis ferè ſententia Conn. cit. Rub. q. 3. Dand. l. 2. de anima, comm. 137. &c, contrà Gal. l. de inſtrumento odoratus, ubi ſuos anteriores cerebri ſinus nominat; quomodo autem calumniandi gratià in Ariſt. invehatur & quas rationes afferat, vide Dand. ait; ubi pluribus Ariſtotelem contrà Galenum tuetur. Probatur autem concluſio hoc modo, nulla aliarum partium apta eſt ut recipiat in ſe potentiam olfactoriam, ergo neceſſarium eſt eam reſidere in prædictis tuberculis. Antec. prob. diſcurrendo per ſingula: De naſo & meatibus per ſe patet; ſupereſt igitur os ſpongioſum & membrana. In oſſe nequit collocari ob nimiam duritiem, quæ etiam cauſa eſt, cur multi ne quidem ſenſum tactus eis concedant, alii autem valdè exiguum. De membrana illa ex eo conſtat, quia cum protendatur ad extimas uſque oras naſi, ſequitur rem odoratam iisdmotam ſine inſpiratione mox ſentiri, quod eſt contrà experientiam, quæ etiam docet, nos in parte magis abdita & latente odorati. prob. 2. organum olfactus debet eſſe circà vel propè cerebrum ut docet Ariſt. de ſenſ. c. 2. nihil autem excogitari poteſt amplius ad olfaciendum aptius tuberculis quod ſit vicinum cerebro. 3. refutando ſententiam Gal. de anterioribus cerebri ſinubus, quia hi ſinus non ſunt pervii aëri aut odoribus, nec ibi poteſt miſceri aër cum ſpiritu, qui debet eſſe puriſſimus pro ſenſu & motu: omnis enim aër qualiſcunque demum ille ſit, cerebro eſt pernitioſus, præſertim ſi ſinus penetret, plura vide apud Dand. cit. *Organ. olfactus tubercula.*

DICES cum Gal. & Valeſio, eſſe ipſum cerebrum. Contra eſt, quia ibi organum olfactus conſtitui debet, ubi percipitur voluptas ex odoribus; hæc non percipitur in cerebro, ſed in ſuperiori parte narium. Quod autem oſten-

offendatur cerebrum ex tetro odore, fit propter ingreſſum ſubſtantiæ fumidæ & qualitatis diſconvenientis. Adde quod nimis humidam & frigidam naturam habeat, & per hoc ipſum ineptum ſit ad tam delicatam ſenſionem odorum, qui magis ſunt amantes ſubiecti ſicci quam humidi.

Colligitur, ad anteriores cerebri ſinus nec odores nec inſpiratum aërem penetrare imò nec debere contrà Galenum.

DIFFICULTAS XXII.

Quomodo odor perveniat ad olfactum.

TRes ſunt modi; primus cum exhalatione ſive ſubſtantia odorifera, 2. per multiplicationem & productionem odoris in medio usque ad organum. 3. per ſpeciem intentionalem. Iam

DICO 1. ſæpè odores deferuntur cum exhalatione. prob. 1. ex iis quæ accenſa maximè olent. 2. ex iis quæ diuturno odore emiſſo paulatim extrahuntur ut poma, flores. 3. Ariſt. l. de ſenſ. & ſenſ. ait odorem eſſe aſpirationem fumidam.

Aliquando venit res odorifera ad ſenſorium. DICO 2. non ſemper defertur odor cum exhalatione fumida ad ſenſorium ut vult Gal. 4. de ſimpl. prob. 1. vultures ſentiunt cadavera interdum ad multa miliatia, quò incredibile eſt halitum è corporibus pervenire. 2. interdum odor citius ad olfactum pervenit quā videatur deferri poſſe ſubſtantia humida, ergo. 3. ſubſtantia illa levis eſt, & ſurſum tantum evolat, odor etiam deorſum vergit, ergo non ſemper cum vapore. Confirm. quia ſenſus non cognoſcit obiectum niſi per ſpeciem, ergo neque olfactus obiectum. 4. piſces ex Ariſt. etiam in qua olfaciunt cibum; ſed per aquam non poteſt deferri exhalatio, ergo. major eſt Ariſt. 2. animæ. c. 9.

Odoratio ſemper fit per ſpecies. DICO 3. perceptio odoris ſemper fit per ſpeciem intentionalem quomodocunque applicetur res odorifera. Eſt contrà multos apud Rub. q. 2. quorum aliqui putant, ipſum odorem realem immutare organum; Alii verò à re odorifera aliquousq; in aëre vel aqua produci alium odorem, & ab hoc alium, donec tandem ita debilitetur, ut non poſſit amplius producere niſi ſpeciem ſui. Alii denique, tunc ſaltem ſine ſpecie percipi, cum ipſa exhalatio continens odorem nares ſubit & ad ſenſorium ſeſe applicat. Sed contrà hos omnes prob. concluſio 1. Odor eſt proprium accidens corporum mixtorum & in illis præſupponit certam temperiem primarum qualitatum ex quibus naſcatur; ſed aër & aqua, quæ media eſſe odoris jam conſtat, ſunt corpora ſimplicia, vel ſi non ſint pura, eam minimùm non habent temperiem primarum qualitatū, quæ requiritur, ergo ex iis non poteſt educi odor neque in illis recipi, ergo ſolum ſpecies illius, ergo non niſi per ſpeciem percipitur odor. prob. 2. Odor eſt qualitas ſecunda ſicut color; ſed hæc non eſt activa ad producendum ſibi ſimile, ergo nec odor poteſt ſe extrà rem odoriferam multiplicare atque ita pervenire ad organum, ſed tantum per ſpeciem. prob. 3. ponamus exhalationem odoriferam ita applicatam ſenſorio, ut proximè attingat; ſi tunc odor percipitur ſine ſpecie, quæro quo modo? Ipſa ſubſtantia fumida non eſt per ſe ſenſibilis, ſed ſolus odor; hic autem hæret in exhalatione quæ res eſt diſtincta ab organo, ergo ut percipiatur, vel debet producere ſibi ſimilem in organo vel certè ſpeciem ſui; primo non poteſt, quia activa non eſt, ergo neceſſariò per ſpeciem ſui id facit: Et ex his ſequitur. odorem ſeipſo nunquam mutare potentiam aut ſentiri, ſed ſemper per ſpeciem intentionalem. *Quare res odorifera ſentiatur per ſpecies.*

DIFFICVLTAS XXIII.

An bruta habeant perfectiorem olfactum quam homines.

HAnc difficultatem facit Ariſtot. qui 2. de an. l 92. heberem ait eſſe in hominibus odoratum. Deinde contrarium ſcribit 5. de gen. animal. c. 2. ubi habet, hominem percipere plures odores quam bruta; quæ duo quomodo combinari poſſint, videndum eſt.

DICO 1. homines peius olfaciunt multis brutis, quia neque tam exquiſitè neque tam exiguos percipiunt odores quam quædam bruta. prob. 1. quia cerebrum in homine eſt longè humidiſſimum, quod impedit olfactū, quia organum olfactus, quod eſt propè cerebrum, deberque eſſe calidum & ſiccum, impeditur à cerebro. 2. prob. experientia, quia qui maximè odoratu præſtiterunt inter homines, nunquam potuerunt percipere odores quos percipiunt canes.

DICO 2. bruta non ſolum percipiunt odores delectabiles propter cibum, ſed etiam per ſe, ut ſunt odores florum, qui ad cibum non referuntur. prob. 1. experientia canum venaticorum, qui perſequendo feram ſi tranſeat per loca conſita floribus odoriferis, facilè feram amittunt non alia de cauſa, niſi quod odores florum vincant odorem feræ. Item canes agnoſcunt heros ſuos ex odore. Deinde tradit Ariſt. ſect. 13. probl. 4. & Plin. l. 21. c 7. alias feras adeò delectati odore pantheræ, ut ad eam etiam latentem accurrant itaque ita ab ea capiantur.

DICO 3. Rectè nihilominus dicitur cum Ariſt. odores per ſe delectabiles eſſe proprios hominis. prob. 1. quia homo maximè cognoſcit ſuavitatem & proportionem odorum. 2. quia cum homo habeat cerebrum humidiſſimum, quod recreetur & reficiatur talibus odoribus, videtur natura ejus gratia potiſſimùm tales odores inſtituiſſe & mixtis attribuiſſe.

buiſſe. Itaque organum olfactus ſunt catunculæ mammillares, objectum odor vel res odorifera, medium aër vel aqua.

DIFFICULTAS XXIV.

Quæ ſit ſtructura organi guſtus, & in qua parte fiat.

ADverte, guſtum cuius obiectum ſapor eſt vel res ſapida, non egere medio externo & c. 2. de an. c. 10. cuius ratio eſt, quia nunquã guſtamus, niſi guſtabile immediatè contingat linguam vel palatum; unde etiam guſtus habet tantum medium internum quod nihil eſt aliud niſi ſpongioſa & poroſa lingua caro qua nervi veſtiuntur. Cæterùm in lingua quætendum eſſe organum nemo dubitat, ſed in qua parte propriè, non item manifeſtum eſt.

DICO 1. lingua conſtat carne ſibi propria & ſpongioſa, tum membranis, nervis tribus, veniſque & atteriis quamplurimis, tandemq; muſculis & ligamento validiſſimo: Ita Andr. Laur. l. 4. cap. 22. aliique communiter anatomici. Reliquis autem partibus omiſſis illud obſervandum eſt, inter nervos quibus conſtat, duos quoſdam à cerebro, per mediam linguam tendentes, alios minores veluti ramuſculos ad utramque partem ſpargere, tum ad palatum uſque hos ipſos tegere carnem ſpongioſam poriſque plenam, ut advenienti liquori pervia ſit. Vnde

DICO 2. in his duobus nervis tanquam organo ineſt potentia guſtandi. Eſt communis ſententia apud Philoſophos & Medicos quos vide apud Rub. q. 2. prob. autem inductione & experientia; Nihil enim ſupereſt, in quo commodius collocati poſſit, & nos experimur in lingua percipi voluptatem & moleſtiam ex ſaporibus. Viget autem guſtus magis in parte anteriori linguæ, quia nervus ibi delicatior eſt; Et videmus, ſi quis aliquid guſtandò explorate velit, eum ſemper guſtabile parti extimæ linguæ admovere, eò quod ibi nervus ſit molliſſimus, temperatiſſimus &c. Hiſce conformia docer Ariſt. cit. ubi ait, eum guſtabile ſit humidum, conveniens eſſe imò neceſſarium, ut inſtrumentum ſenſus ipſius neque humidum ſit actu, neque etiam tale ut humectari non poſſit; patitur enim guſtus aliquid ab ipſo guſtabili qua illud eſt guſtabile; unde etiam neceſſarium eſt, inſtrumentum guſtus potentia quidem humidum eſſe, humectari autem actu &c.

Organum guſtus.

DIFFICVLTAS XXV.

Quomodo ſapor percipiatur.

VAleſius 2. controv. c. penult. docet, ſenſum immutari ſeipſo à ſapore, idque putat ex Ariſt. conſtare: Cum enim hic 2. de an. c. 12. dicat, medium in guſtu non eſſe extrinſecum, aerem ſcil. aut aquam, ſed internum, ſcil. carnem ſpongioſam linguæ cui immediatè applicatur res ſapida, non videtur opus eſſe aliqua ſpecie diſtincta: ſed

DICO, ſapores non niſi à potentia per ſpeciem ſentiuntur. Ita Rub. q. 1. & alii communiter cum Ariſt. l. 2. de an. c. ult. & prob. ratione; vel res ſapida pervenit ad ipſum organum, hoc eſt, ad nervum ſub ſpongioſa carne abſconditum eumque intrinſecè afficit & quodammodo permeat, vel non, ſed tantum manet in carne circumpoſita; Neutro modo poteſt ſapor ſentiri ſine ſpecie: De poſteriori patet, quia ſi non ineſt ipſi organo realiter vel debet ipſi conjungi per ſpeciem quod negas, vel per alium ſaporem à ſe productum; Atqui ſapor non eſt activus ſicut nec odor nec color. prius quidem difficilius eſt, ſed prob. ad hoc ut aliquid vitaliter cognoſcatur, non ſufficit ut per ſuam realitatem ſit præſens potentiæ cognoſcitivæ, alias intellectus ſeipſum ſemper intelligeret & ſine ſpecie, ſed debet illi eſſe præſens eo modo quo cognoſcibilis eſt à tali potentia, v. g. objectum intellectus debet illi conjungi ſecundum eſſe intelligibile, objectum viſus per eſſe viſibile, ergo etiam ſapor eſſe præſens ſecundum eſſe guſtabile, hoc eſt, per ſuam ſpeciem, quia per hanc formaliter conſtituitur in eſſe guſtabile. Et confirm. quia obiectum concurrit activè cum potentia, & tanquam cauſa partialis ad ſenſationem, quod fieri non poteſt, ſi coniungatur illi per ſolum contactum, quia hic ſufficit quidem in actionibus tranſeuntibus, caloris ſcil. aut aliatum qualitatum, ſed non in vitalibus ſenſuum quæ immanentes ſunt, & non verſantur circa paſſum extrinſecum, ergo ſpecies etiam eſt neceſſaria in hoc ſenſu.

Sapor ſit per ſpeciem.

Res ſapida eſt guſtabilis per ſolam ſpeciem.

DIFFICVLTAS XXVI.

An guſtus diſtinguatur à tactu.

COmmuniter dici ſolet, guſtabile eſſe quoddam tangibile, & guſtum eſſe quendam tactum ut videre eſt apud Ariſt. 2. de an. c. 10. Hinc autem oritur quæſtio, ſitne guſtus ſenſus diſtinctus à tactu, an verò ſit ſpecies quædam tactus.

DICO, guſtus eſt ſenſus diſtinctus à tactu. Ita communis eſt doctrina contra Ægidium. Sed advette prius, tactum dupliciter ſumi poſſe, primò latè, quando ſcil. inter potentiam & obiectum nullum intercedit medium, proinde eorũ extrema ſunt ſimul, quo pacto ſecundum Ariſt. guſtus eſt tactus, & guſtabile eſt tangibile; Et iſte cõtactus eſt etiã cõmunis inanimatis. 2. propriè pro contactu potentiæ vitalis, quatenus ſolas qualitates tangibiles percipit, quo pacto guſtus diſtinguitur à tactu eſſentialiter. Adhæc ab obiectis diverſimodè

Contactus quid.

modè immutantur potentiæ v. g. à ſapore aliter immutatur guſtus, à primis qualitatibus aliter tactus; Nam cum aqua bibitur, lingua ſentit primas qualitates non ſapores, & catenus etiam ſentitur obiectum tactus non guſtus; quod ſi etiam aqua fuerit ſapida, elicietur etiam ſenſatio reſpectu ſaporis. Et confirm. guſtus & tactus differunt ſede & loco, præterea ab invicem ſeparantur; manus enim tangendo percipit primas qualitates obiecti, ſed non ſaporem, ergo. Deinde læditur ſæpè guſtus integro tactu, ut notum eſt in ægris, quia ſæpè ciborum ſapores non percipiunt, licet percipiant frigus aut calorem; tactus inſuper diffuſus eſt toto corpore, guſtus autem eſt tantum in lingua & palato. Tandem conſtat, tactum reperiri in omnibus animalibus, cum guſtus non reperiatur in omnibus, quia ſpongiæ & quæ dicuntur affixa, nutriuntur inſtar plantarum neque habent guſtum.

DICES 1. lingua & palatum quæ ſunt organa ſenſus, ſunt & organa tactus ergo etiam eſt idem ſenſus. Reſp. linguam & palatum eſſe quidem organa tactus ſed inadæquata, ſunt autem organum adæquatum guſtus: Deinde lingua eſt quidem organum tactus & guſtus, ſed non ſub una ratione, quia ſub uno percipitur ſapor, ſub altero calor, frigus &c.

DICES 2. guſtus fit beneficio humidi quod per ſe etiam eſt tactile. Reſp. guſtum fieri beneficio humidi per ſe & formaliter, negatur; materialiter & diſpoſitivè, conceditur. Et hinc colligitur, guſtum & tactum convenire primo, quoad obiectum materiale, quia uterque circà qualitates ſecundas verſatur. 2. quoad medium, quod utrobique non eſt extrinſecum nec internum niſi per accidens. 3. quoad organum, quia utrobique ſunt nervi eſto non ſoli. 4. quoad medium ſentiendi, quia utrobique fit cum reali immutatione ſubiecti; differre etiam primò, quia habent obiectum adæquatum formale diverſum; Et quamvis uterque ſenſus non percipiat obiectum ſuum ſine contactu, ſapor tamen immutat potentiam ſub alia ratione formali quam qualitates tangibiles, quod patet in aqua inſipida, quæ ſi daretur, immutabit linguam ſecundum qualitates tangibiles tantum. 2. guſtus per ſe primò verſatur circà ſaporem, circa quem nullo modo verſatur tactus. 3. pro hoc ſtatu naturæ guſtus ſemper utitur medio conjuncto, id eſt, extremis partibus linguæ, tactus autem ex ſe nullum poſtulat medium.

DIFFICULTAS XXVII.

Quodnam ſit organum tactus.

EXternus & extremus hic ſenſuum tactus tantò ignobilior eſt quantò communior; Nullum enim animal eo caret, nec determinata aliqua particula corporis aſſignari poteſt, in qua ſola reſideat ut in cæteris contingit, ſed toto corpore diffuſus eſt, ut mirum ſit, philoſophos & Medicos adhuc dubitare de organo illius, dum alii carnem, alii nervos ſub carne latentes, alii utrumque ſtatuunt; Nomina eorũ cum argumentis vide apud Conn. Tolet. Rub. & alios.

Cæterùm quid Ariſtot. hac in re ſtatuerit, valdè incertum eſt. Nam l. 1. de hiſt. animal. c. 3. dicit eam partem in qua eſt vis tangendi, carere nomine, & in quibuſdam eſſe eandem, in aliis proportione quadam; Et mox cap. 4. hanc interpretatus eſt eſſe partẽ homogeneā, id eſt, carnem, aut in iis quæ carnem non habent, talem quæ carni proportione reſpondet, & omninò ſanguineam aut in exanguibus eam quæ illi analoga eſt: Eandemq; ſententiam habet l. 2. de part. c. 1. 3. & 5. & confirmat l. 3. de hiſt. animal c. 11. dum cutem omni ſenſu carere dixit, maximè verò eam quæ eſt in capite; ſed in eod. lib. 2. de part. c. 8. viſus eſt rem dubiam facere, an caro ſit organum vel medium: Et l. 2. de anima c. 11. apertis verbis id negat; tactus inquit, primum ſenſorium non pars ejuſmodi aliqua, ſed aliquid intimũ, quod l. de ſenſ. & ſenſ. l. de juv. & ſeneƈt. aliiſque in locis paſſim juxtà cor eſſe pronunciavit. De his locis quid Authores interpretati ſint, longum nimis foret recenſere, quia varii varia intellexerunt: Dandinus primò Medicus, tum Philoſophus, Theologus magnusq; Ariſt. interpres l. 2. de anima comm. 168. putat, eum voluiſſe in re ancipiti ſignificare difficultatem & nihil certi ſtatuere; In aliis tamen locis apertè affirmaſſe, quod caro ſit organum tactus ideò quod hæc maximè conſiſtat in mediocritate qualitatum tactilium, ſit temperata & apta ad exceſſum quemlibet cognoſcendum, proinde concludendum, tangendi organum eſſe molliorem quamcunque & magis temperatam partem homogeneam, quæ ſentiente anima ſit prædita. Quod autem dixerit Ariſt. tactus organum eſſe innominatum, ideò fortè dixiſſe quod plures partes complectatur quibus unum nomen non ſit, ſed aut caro, nervus, cutis aut quid ſimile: plura vide apud eundem Dandinum.

DICO, ſenſorium tactus non eſt ſola caro, aut ſolus nervus, ſed omnes partes interiores animatæ exceptis fortè paucis aut terreis & duris aut aqueis & mollibus nimium. prob. prima pars de carne & cute, quia in eo fit tactus, quod in qualitatibus eſt magis temperatum; ſed caro & vera cutis ita ſe habent, ergo. major vera eſt, quia ideò oſſibus, cerebro, pulmonibus &c. vix aliquis ineſt ſenſus, quia temperata non ſunt. Minorem non tam Medici quam Philoſophi concedunt. Secunda pars de nervis ſub quibus omnem ſubſtantiã nervoſam & membranoſam intellige, conſtat experientia; Nam nervus omni carne denudatus, ſi pungatur aut ſcindatur, acerrimè ſentit & dolet. Tertia pars de reliquis partibus interioribus etiam prob. quia multæ ſunt partes, in quibus nullus reperitur nervus, nec can- *Organum tactus.*

Google

eandem cum carne habent rationem, ut caro, epar, tunicæ, pericranium &c. & tamen ſentiunt puncturas: Et certè valdè conveniens fuit naturæ animalis, ut cum à tam multis extrinſecis malis ubiq; lædi poſſit, haberet vim ac percipiendi & avertendi. Dicitur etiam partes interiores ſentire, non addendo ſignũ univerſale omnes, quia de cerebro multi dubitant, & de oſſibus adhuc plures, quod tametſi ſine incommodo concedi poſſet; probabilius tamen videtur oſſa habere aliquem ſenſum quamvis obtuſum propter duritiem & terreſtreitatem ſuam.

DICES, Ariſtot. ubique cor aſſignare pro ſubiecto tactus, imò aliorum quoque ſenſuum. Reſp. Ariſt. non putaſſe cordi ineſſe tactum tanquam in ſubiecto immediato & inhæſionis, ſed tanquam in principio primo communicante & conſervante; Deinde credidit à corde oriri omnes nervos & arterias; Denique doctrina Ariſtot. eſt à corde fieri influxum in omnes partes in quibus reſideat facultas ſenſitiva, qua de cauſa non malè dictum eſt ab eo, cor eſſe ſubiectum tactus, nimirùm radicale & communicativum. Ad alia loca, ubi videtur dicere, carnem non eſſe niſi medium tactus. Reſp. ita fuiſſe locutum, non per modum affirmantis ſed diſputantis, cum l. 1. hiſt. animal. c. 4. & 2. de part. cap. 1. 3. & 5. contrarium doceat. Quod ſi primo de anima c. ult. & l. de ſpiritu nervis ob terreſtreitatem ſenſum neget. Reſp. cum Rub. Tol. & aliis, quamvis nervi ſint ſicciores & frigidiores ex temperamento innato, ex adventitio tamen & influente, videl. à ſpiritibus & carne calefieri & humectari, ut proinde fiant maximè idoneum tactus organum.

Nervi quomodo organum tactus.

Colligitur 1. falſum eſſe, quod Fern. dicat nervum eſſe ſolum organum tactus, carnem verò quâ veſtitur, eſſe tantum medium internum. 2. inter omnes ſenſus tactum eſſe maximè materialem & corporeum ex Ariſt. de ſenſu & ſenſ. quia ex materia & corpore educitur, & per totum protenditur, materiali maximè corpulentoque utitur organo; circà obiectum maximè materiale occupatur, & materiali demum modo maximè occupatur, dum non niſi tangendo ſentit ea quæ immediatè ipſi conjunguntur.

DIFFICULTAS XXVIII.

An tactus requirat aliquod medium.

INternum medium dicitur pars eiusdem ſenſorii unita illi & continuata, ut caro linguæ reſpectu nervi latentis. Externum eſt corpus aliquod diſtinctum à ſentiente, ut aër vel aqua reſpectu viſus. Quæritur an ſicuti viſus v. g. requirit medium externum, ita etiam tactus requirat.

DICO, tactus per ſe loquendo nec indiget medio externo, nec interno, ſed ſine utroque poteſt ſentire quælibet corpora. De externo prob. quia corpora vel ſunt mollia vel dura; de mollibus non eſt dubium, quia ſi quis in aquam immergatur, ſentit frigus & humorem illius ſine ullo medio inter cutem & aquã; De corporibus duris prob. quia hæc ſecundum aliquas ſui partes ita ſunt planæ ut poſſint ſe tangere, ergo ſecundum illas partes nõ requirunt ullum medium ad tangendum; quia hoc ex ſe contactus requirit, ut extrema ſe tangentium ſint ſimul & in eodem loco. De medio interno vide priorem difficultatem; ſi enim caro vel cutis ſunt organum tactus, habentque medium, ibitur in infinitum, nec ulla pars poterit aſſignari, quæ primò percipiat corpus tactile abſque medio. Dicitur in reſponſione per ſe, quia per accidens poteſt tactus habere medium internum; Nam v. g. primæ qualitates quæ primò contingunt & immutant cutem & carnem, his mediantibus etiam immutant & alterant nervos aliasque partes interiores.

DIFFICULTAS XXIX.

Quomodo fiat ſenſus tactus

TActilia ſunt primæ qualitates & ex iis ortæ ſecundæ, ut durities, mollities, odor &c. De his quæritur quomodo immutent, an per eſſe reale an intentionale an utrumque.

Opinio 1. eſt Tolet. 3. de anima q. 2. & Valeſ. omnes qualitates tactiles ſecundum eſſe reale percipi, primas quidem quia activæ ſunt, per aliam ſibi ſimilem in organo productam, ſecundas verò, quia non ſunt activæ, per immediatam conjunctionem ſui & contiguitatem; ratio, ſpecies non eſt neceſſaria niſi ut conjungat objectum potentiæ, ſed magis unitur per realem ſui exiſtentiam in organo quam per ſpeciem.

Opinio 2. eſt ferè omnium, utroque modo & per ſe realiter, & per ſe ſpecies tactiles qualitates percipi à tactu, ita ut mutatio naturalis prior ſit & requiratur ad hoc, ut obiectum poſſit in organo ſpeciem intentionalem producere. Iam

DICO 1. ſola naturalis immutatio vel contactus immediatus obiecti non ſufficit ad ſenſationem tactus, ſed neceſſariæ ſunt ſpecies intentionales. Eſt Ariſt. 2. de anima c. ultimo, Conn. eodem lib. c. 11. q. 3. a. 3. prob. 1. eodem argumento, quo ſuperius de guſtu probatum eſt non poſſe niſi per ſpeciem intentionalem ſentiri; Non enim ſufficit quævis unitio & conjunctio rei cognoſcibilis cum re cognoſcente, ut vult Valeſ. & Tol. ſed debet illi uniri modo & ratione cognoſcibili; Et hæc unitio non habet rationem cognoſcibilitatis ab eſſe ſuo naturali ſed intentionali. prob. 2. Omnis ſenſus eſt potentia paſſiva & patitur ab obiecto non paſſione propria & corrupti-

Ad tactũ requiruntur ſpecies.

vs ſed perfectiva; ſed imntatio naturalis quæ fit per primas qualitates, eſt corruptiva & non perfectiva, ergo danda eſt alia ſecundum quã patiatur ab obiecto per ſpeciem intentionalem quæ ſit perſectiva, &c.

DICO 2. ſicut naturalis immutatio ſola non ſufficit, ita nec ſola intentionalis, ſed ad hanc neceſſariò præreqniritur alia naturalis im̃utatio organi ut fiat ſenſatio tactus. prob. ut obiectum agat in potentiam & producat ſpeciem ſui, debet certo modo eſſe approximatum; Sed conveniens approximatio qualitatum tangibilium reſpectu tactus eſt, ut reali contactu organum contingat immediatè. Dicitur aliquam naturalem immutationem prærequiri, per quam non debet intelligi naturalis alteratio ex ſe corruptiva, v.g. calefactio; ſed realis contactus objecti tangibilis; hoc enim poſito ſtatim producitur ſpecies tactilis, & in inſtanti fit tactio ante calefactionem, tempore autem poſt ſequitur calefactio ab eadem parte ſenſibili manans; ſed hoc ad ſenſationem tactus non neceſſariò prærequiritur licet conjuncta ſit, ſed illa tantum quæ conſiſtit in tactu reali corporis tangentis & tangibilis; ſi enim neceſſaria omninò eſſet alteratio corruptiva, qualitates non activæ, ut durities, color &c. non poſſent ſentiri quod falſum eſt; unde colligimus, non per ſe ſed per accidens conneaam eſſe alterationem talem, imò tempore poſteriorem, per ſe verò reqniri contactum.

Ad fundamentum primæ opinionis Reſp. nõ ſufficere quamvis unionem potentiæ cum objecto, ſed eam tantum, quæ fit modo cognoſcibili per ſimilitudinem obiecti impreſſam organo ad eliciendam ſenſationem. Ex quo etiam ſequitur, ſi Deus impediret productionem ſpeciei tactilis, aut homo juxtà ſolem poſitus in ſe reciperet calorem, qui formaliter in ſole nunquam eſt, non propterea illum ſenſurum moleſtiam vel dolorem ex illa coloris præſentia, quia ad ſenſationem ſimpliciter requiritur ut obiectum uniatur in ratione ſenſibili & cognoſcibili, quod ponitur hic non fieri, imò combureretur talis homo & tamen non ſentiret quicquam, ſed inſtar ligni aut ſtuppæ ſine ſenſu doloris reſolveretur in cineres.

DIFFICULTAS XXX.

Quos gradus qualitatis ſentiat tactus, an omnes an verò aliquos.

COgita manum tuam eſſe calidam ut 4. & applica obiectum tactile calidum ut 5. quæritur, an manus percipiat quintum gradum qui eacedit, an verò primum, ſecundum &c. ſcrupulum movet Ariſt. ubi docet, nos non ſentire obiectum quatenus ei diſſimiles ſumus: hinc enim ſequitur, tantum ſentiri gradus excedentes, quia organum debet eſſe denudatum eo quod eſt ſentiendum. Multi tamen aliter ſenſerunt & alios eacogitarunt modos hunc ſcrupulum diſſolvendi ut videre eſt apud Rub. q. 4. Cui tamen ſecundum principia ſemel poſita loquuntur, videl. quod non fiat tactio niſi per ſpecies intentionales, & quod ipſæ ſine alteratione corruptiva producantur, in cæteris conſequenter pergunt. Cum his itaque

DICO, obiectum tangibile non ſentitur nec producit ſpecies tactiles niſi ſecundum grados quibus excedit organum. Ita plerique cum Ariſt. ſentiunt contrà nonnullos qui volunt gradus ſuperiores, inferiores & æquales ſentiri, ſed in modo explicandi differunt; Et quamvis difficile ſit argumentis efficacibus id probare, nihilominus tamen prob. 1. evidenti experientia, quia quilibet experitur in ſe nec inferiores nec æquales gradus á quocunq; tangibili percipi ſed tantum majores tam in qualitatibus activis quam paſſivis. 2. ſi tactus ſentit etiam gradus æquales & inferiores, ſequitur quod etiam ſentiat eos quos habet ex proprio temperamento vel quovis alio modo, cum ſemper habeat illos præſentes, adeoque erit perpetua ſenſatio contrà experientiã. 3. qualitates activæ tangibiles non agunt in ſubiectum omninò ſimile alteratione corruptiva ſibique naturali; Neq; enim calor ut 4. produci poteſt in eo, quod jam habet calorem in quarto gradu, ergo etiam conveniens eſt, ut non agat immutatione intentionali niſi ſecundum exceſſum, nec producat ſpeciem tactilem niſi graduum quibus ſuperatur organum ab obiecto.

DICES, obiectum eſt cauſa naturalis reſpectu ſpecierum, ergo agit quantum poteſt, ergo omnes gradus producunt ſui ſpeciem in organo. Reſp. agens naturale agit quantum poteſt, requiſitis omnibus ad agendum neceſſariis nulloq; poſito impedimento; hic a. ſubiectũ eſt incapax nec recipere poteſt niſi ſpeciem graduum ſuperantium, quia affectum eſt qualitate ejuſdem intenſionis, quâ tamen debetet ad ſentiendum eſſe denudatum; Et hinc non producit niſi ſpeciem graduum ſuperiorum; etiamſi in ſe ſpectata qualitas poſſit ſecundum ſe totam ſpeciem intentionalem producere.

DIFFICULTAS XXXI.

An organum tactus ſentiat ſuam qualitatem an verò objecti.

SErmo non eſt de toto corpore, nec una parte reſpectu alterius; Conſtat enim nervum v. g. ſentire nimium calorem ſanguinis vel bilis accenſæ ut contingit in febriente, & manum applicatam fronti nimis calefactæ ab ea alterari; ſed de particulari aliquo obiecto, v. g. particula carnis an percipiat calorem ſibi inhærentem.

DICO, tactus ſentit tantum qualitatem obiecti externi; non verò eam, quam in ſe habet connaturaliter. prob. 1. qualitates non activæ hærent in carne, v.g. durities quã teſte experientia manus non ſentit; eadem ratio *Tactus non ſentit ſuam qualitatem connaturalem*

eſt

eſt in activis qualitatibus, ergo neutræ ſenſorio inhærentes ſentiuntur. 2. aliàs ſequeretur nos continuò ſentire qualitates noſtri temperamenti, quod eſt contrà omnem experientiam, ergo tantum percipitur ea qualitas quæ eſt in obiecto externo, vel certè in parte eiusdem coporis diſtincta. Eſt contra Toler. 3. de anima q.2. & alios nonnullos, qui docent, per calorem ab igne in ſenſu productum ſentiri calorem ignis, proindeq; utrumque & obiecto & organo inhærentem ſentiri. ſed primum plerique recentiores ſequuntur. Nota, in concluſione additum eſſe connaturaliter, quia ſentitur tantum illa qualitas, quæ eſt ultrà connaturalem temperiem organi ut fieri ſolet in febrientibus: Et quamvis calor in organo exiſtens etiam naturaliter, non ſit minus ſenſibilis quam qui eſt extrà illud, non eſt tamen ſenſibilis ab eo organo, cuius eſt calor ob rationes allatas.

DICES, hydropicus non ſentit illam humiditatem corpori ſuo inhærentem, ergo falſum eſt, quod organum ſentiat illos gradus qui ſuperant connaturalem temperaturam. Reſp. ideò non ſentire illam humiditatem, quia aut minus activa eſt in corpore vivente, aut quia paſſivè ſe habet & conjuncta eſt quaſi connaturaliter organo. Vide Conn. 2. de anima, c. 12, q. 3. a. 3. ubi ad hanc quæſtionem an ſcil. qualitas ultrà debitam temperiem intenſa producat ſui ſpeciem, & ſentiatur non ſolum in parte vicina ſed etiam in eadem parte organi, affirmativè reſpondent. Quod ſi quæras, quando caro vel nervus dividitur quid ſit illud, quod ſentiatur cum dolore. Reſp. eſſe qualitatem corporis vulnus ſubintrantis, quæ organo peregrinam & contrariam imprimat ſpeciem, ut eſt à gladio, aëre &c. calor, frigus &c.

Quid ſentiatur cum dolore.

DIFFICULTAS XXXII.

An tactus ſit unus tantum.

DICO, tactus eſt unus tantum. Eſt ſententia communior quam ſit contraria. Ratio eſt, potentiæ ſpecificantur ab obiecto formali adæquato, hoc eſt, à ratione immutandi organum; ſed omnes qualitates tactiles habent unam rationem unumque modum immutandi organum, qui in eo conſiſtit, quod immutent illud per contactum naturalem, eóq; mediante producant ſpeciem intentionalem ſui repræſentativam abſque medio tam interno quam externo per ſe loquendo, & cum alteratione phyſica ſimul, qua imutent complexionem primarum qualitatum animalis; non oportet ergò plures ſpecie potentias tangendi admittere quod magis ex ſolutione patebit.

DICES 1. unus ſenſus unius eſt contrarietatis primæ; ſed plures ſunt contrarietates, ergo. Major eſt hic Ariſt. c. 11. minor prob. una contrarietas eſt caloris, altera frigoris &c. Reſpond. has omnes contrarietates convenire in una ratione imutandi potentiam, & ſic plura contrarietates pertinere poſſunt ad eundem ſenſum, Ariſtot. autem eo capite pleraq; protulit non tam affirmantis quam diſputantis more.

DICES 2. dolor & voluptas tactu percipiuntur; ſed hæc duo diverſum habent modum immutandi ſenſum, quia omninò repugnant, ergo oportet plures admittere potentias tangendi. Reſp. ad dolorem tria concurrere; primum eſt diviſio continui vel intemperies ſine ſolutione continui; ſecundum, cognitio eius ſenſitiva ſine qua non poteſt eſſe dolor, quia aliàs in ligno vel lapide diviſo eſſet dolor; Et hæc ſenſio vel diviſio dupliciter percipitur, ſenſu ſcil. externo, vel interno, puta phantaſia, qua apprehenditur ut diſconveniens naturæ, ideoque ſtatim ſequitur 3. appetitus, cui malum illud proponitur, & qui hanc ſolutionem continui vel diſtemperiem apprehendit, æſtimat, naturæque noxiam refugit. Ex his primum eſt quaſi materiale doloris, quia circa illud verſatur tactus. Secundū ex parte ſenſationis tactus eſt etiā materiale, accedit tamen ad formale, quatenus per aliquem ſenſum internum apprehenditur ut diſconveniens, & ideò eſt veluti conditio doloris formalis, quia eſt formalis ſenſio; In ultimo tandem, hoc eſt, in actu appetitus ſenſitivi, quo averſatur & non vult eam diſconvenientiam, formaliter conſiſtit ratio doloris, quia ad ſenſum internum, ſcil. ad appetitum ſenſitivum quatenus æſtimativus eſt, pertinet. In voluptate eadem ſed contrario modo intellige. Nam primò eſt alteratio quædam facta à qualitatibus tactilibus, ſcil. per appulſum qualitatum convenientium, attractionem ſpirituum ſubſilientium aliarumq; partium leniter blandientium. 2. perceptio eius alterationis tam à ſenſu tactus quam ab æſtimatione ſive phantaſia. 3. ejuſdem tanquam bonæ & convenientis appetitio ſeu perſecutio. Ex quibus quid ad propoſitum argumentum reſpondendum ſit, patet. Nam dolor & voluptas formaliter accepta ne quidem ad ullum ſenſum pertinent, materialiter verò quatenus includunt aliquam cognitionem ſenſitivam ad tactum quidem referuntur, ſed non idcircò nova potentia opus eſt, quia eodem modo immutatur ſenſus ab illis qualitatibus, quo ab aliis. Nec laborandum eſt, an diviſio continui ſit adnumeranda objecto proprio tactus, an inter ſenſibilia communia ponenda, qui hoc nihil ad rem facit, ſatis eſt, quod eodem modo moveant potentiam; ſimiliter de fame & ſiti ratiocinandum eſt; In quantum enim ſunt quædam intemperies & divulſio in ventriculo cum motu locali factæ, ad tactum pertinent, ut autem quidam dolor exinde ortus ad ſenſum internum.

Ad dolorē quæ concurrant.

Voluptas quomodo fiat.

DIFFICVLTAS XXXIII.

An homo vel animal neceſſariò ſentiat.

QVæſtio eſt, an fieri poſſit nt animal, ſi nratur, ſecetur, ſauciatur aut quovis modo ſolutionem continui patiatur, nihilominus io his caſibus oullum dolorem ſeotiat. ſive id fiat remediis licitis & natutalibus ſive illicitis & ptæternaturalibus. Nam conſtat non tantum quæri hoc de medicinis & mixtis virtualibus, ſed etiam de viribus abſolutè lumptis, ſive ſint in rebus naturalibus ſive in ſpiritibus. Hinc

DICO 1: qnoties animali triſte obiectum propooitur, ſentit illud ordinariè, & oiſi aliunde fiat impedimentum, prob. Omne animal babet ſenſum tactus, ergo ſentit, ergo quoties notabilis aliqua iotemperies vel coo-tinui ſolutio accidit, ſentit eam. Antec. eſt Ariſt. 4. de hiſt. animal. c. 8. & confirm. quia niſi hunc animal haberet, non poſſet dici ſenſitivum, cum ſit propriiſſima affectio animæ ſeoſitivæ. Dico autem ordinatiè & niſi aliunde fiat impedimentum. Nam

DICO 2. naturaliter fieri poteſt, ut bomo vel animal uſtum, puoctum aut ſauciatum dolotem quocunque modo ſumptum oon ſentiat. prob. 1. poteſt animali ſenſus internus, qui ad formalem ſenſiouem requiritur, planè eſſe perturbatus, ut in affectibus gravioribus docet experientia, ergo tum temporis nihil ſentiret aut punctus aut uſtulatus. 2. ſomnus profundiſſimus coociliari, origo nervorum obſtrui, influxus facultatis ſeoſitivæ impediri, atque ita ſenſus omnis ſtupefieri poteſt, ergo ſenſatio tolli & impediri. Id autem quo modo fiat, vid. l. 2. diſp. de qual. virtualibus. diffic. de ſtupefacientibus.

DICO 3. Etiam virtute Dæmonis fieri poteſt, nt homo vel animal nihil ſentiat etiam à triſtiſſimo obiecto. Hæc concluſio de ſeoſu actuali non de potentia ſenſitiva intelligenda eſt, prob. 1. autboritate omoium qui de rebus magicis unquam ſcripſerunt, ut Delr. Wier. Spreog. Gril. &c. 2. poteſt Dæmon facere, quod faciunt medicinæ aliæque res naturales; ſed hia ipſis poteſt ſenſus à membro tolli, ergo etiam opera Dæmonis. 3. Experientia docet id in veneficis & ſtygibns, quæ cũ Denm abjurant & dæmoni ſeſe devoveot, variorum ſtygmatum teſſerâ notantur, ideoque iis io locis omni ſenſu deſtituuntur, ut alibi pluribus dicetur.

DIFFICVLTAS XXXIV.

Quid ſit dolor, & quid voluptas.

SVnt qui putant objectum ſenſationis dolorificæ & voluptuoſæ eſſe peculiarem aliquam qualitatem dolorificam; alii eſſe ſolutionem continui, ſed difficulter intelligitur hoc, quia vel ſentitur diſcontinuatio ut privatio eſt, & malè, vel ut motum habet adjunctum; ſed motus non eſt objectum ſenſna dolorifici. Alii ergò dicunt dolorem conſiſtere in intemperie primarum qualitatum, vel certè eſſe ſenſationem ipſam objecti diſconveoientis, ſicut voluptas ſenſatio obiecti convenieotis. Cæterùm dolor & volnptas propriè ſunt in tactu & in cæteris ſeoſibus propter adjunctum tactum, ut teſtatur guſtus, qui offenditur ab acribus, acidia &c. delectatur autem dulcibus &c. Idem intellige de aliis ſenſibus.

Suppono, poſuiſſe naturam dolorem & voluptatem in tactu propter animalium conſervationem, ut noxia fugiant & utilia appetant; Iam reperitis proximè dictis

DICO, dolor eſt triſtis, voluptas autem blandus ſenſus. Ita communis eſt doctrina & patet ex Conn. l. 2. de geo. c. 11. q. 3. a. 2. docet etiam conformiter Dand. l. 2. de anim. digreſſ. 60. de tactu, ubi cum Gal. l. 2. de loc. affect. c. 2. dolorem & voluptatem formalitet vocat ſenſiones rei coovenientis aut nõ conveoieotis, & hoc ex Concil. diff. 77. Geot. 2. prim. doctr. 2. & Feroel. l. de ſympt. c. 6. ubi docent, dolorem non eſſe ipſam noxii perceptionem, ſed quippiam unde cooſequeos, & qualitatem quandam vel moleſtiam aoimi ex tactu profectam, &c. Contraria in voluptate intellige. *Voluptas quid.* Iam prob. 1. dolor & voluptas oon ſunt niſi dum ſentiuntur, imò nec concipi absqne ſenſu, ergo ſunt vel triſtis vel blandus ſenſus. 2. lætari & triſtari ſunt operationes quædam formales, ergo in qualitates, ut volunt Concil. Gentil. & Fernel. ergo oon facultates. Nam qualitates ſenſibiles etiamſi oriantur ex aliis, per ſe tamen nonnunquam ſuot, licet à nullo ſeotiantur; deinde perficiunt etiam facultatem in aliquo ſaltem gradu; dolor autem oon eſt absque ſeoſu, ideoque etiam ſemper lædit. 3. dolor & voluptas corporis, quod idem de cæteris actiooibus appeteodi vel repudiandi intellige, ſunt actus appetitus ſeoſitivi; ſed tales actus ſunt ſeoſiones, ergo dolor & voluptas ſunt triſtis & blanda ſenſio: hæc minor manifeſta eſt, quia formalitet conſiſtunt in ſeoſione, quia ſunt apprehenſio tei cooveni-entis vel diſconvenieotis; Major conſtat ex dictis; Nam ut in compendium velut omnia redigantur, formalis ratio doloris non eſt ipſa intemperies vel ſolutio continui, neqne cognitio illius intemperiei vel diſſolutioois per ſenſum aliquem externum, videl. tactum, ſed cognitio per ſeoſum internum, puta phantaſiã, qua apprehenditur res ut cooveniens vel diſconveniens. Similiter io titillatione ſi ad dolorem referatur, eſt primo horror ſeu fuga attractationis, tum operatio; ſi ad voluptatẽ, eſt primo confluxus ſpirituum & materiæ prurieotis, qui refertut ad tactnm, ſecuodo perceptio & apprehenſio huius materiæ prurieotis, & hic actus pertinet ad appetitũ ſenſitivam. Nec aliud qrippiam de fame & ſiti intellige; Nam in fame primò occurrit divulſio

ven-

Dolor quid

Dolor & voluptas ſunt actus appetitus ſenſitivi.

ventriculi, tum dolor ex ea ortus, tandemque appetitio calidi & ſicci; in ſiti etiam intemperies faucium & ventriculi ex ſiccitate, tum dolor & appetitus frigidi & humidi. divulſio & intemperies pertinent ad tactum, dolor autem & appetitus ad ſenſum interoum. Itaq; ex multis aliis optimè videtur ſeoſiſſe D. Tho. 1.2. q.35.a.1. ubi docet dolorem & voluptatem eſſe actum appetitus ſeoſitivi, ipſam autem ſenſationem objecti convenientis vel diſconvenientis tantum præſupponi ad voluptatem vel dolorem; Cum enim anima per ſenſum apprehendit obiectum diſconveniens, ſtatim conſequitur in appetitu ſeoſuali actus fugæ quem imitatur dolor; ſi autem apprehendat obiectum conveniens, conſequitur inclinatio & propenſio quædam actualis, qua animum ſuo pondere & impetu ſuaviter afficit, & obiecto adhærere facit; Et in hac ſoavi adhæſione formaliter voluptatem conſiſtere docet.

DIFFICULTAS XXXV.

Quæ ſint cauſæ doloris, an primæ qualitates eæque omnes.

CONſtat ad omoem dolorem concurrere ſolutionem continui, vel alterationem aliquam notabilem factam circa primas qualitates: Iam quæritur, quænam ex his ſit cauſa doloris, an una vel altera vel omnes. Ratio dubitādi eſt, quod ex refrigeratione man9 doleant, ubi tamen nulla apparet diſtenſio vel divulſio; & rurſum, quod ex punctura nervi v. g. acerrimus dolor ſequatur, non autem ſatis conſtet, qualis intemperies qualitatum tam citò generari poſſit.

Galenus 12. meth. c.7. docet intemperiem & ſolutionem continui cauſas eſſe doloris, quod & 2. de loc. affect. c.5. & alibi ſentit; libro autem 1. de ſympt. cauſis c. 6. unicam ſolutionem continui cauſam eſſe docet, ſed addit ſi intemperies eſt cauſa, hoc eſſe quatenus ſolvit unitatem: ſic ille; Galenus enim 2. de ſympt. cauſ. c.6. ſolutionem continui ſolam ...

DICO 1. nec ſola diviſio continui, nec ſola intemperies eſt cauſa doloris. Ita Dand. & Conn. citati. Ait n. Dand. omnem dolorem proficiſci ex forti obiecti tactilis impreſſione, duas illius cauſas eſſe inconvenientē alterationem & ſolutiooem continui. Ratio eſt, quia ex his duobus deſtruitur harmonia & juſta temperatio cuiusq; membri tam in figura & compoſitione quam in primis qualitatibus.

DICES, ſola diviſio continui facit dolorem ut patet in vulnere, ruptura &c. & ſola item intemperies, ergo. Reſp. Quamvis ſolutio continui nunquam poſſit eſſe abſque intemperie partis, & hæc aliquando etiam ſine illa, non eſt tamen ſenſus coniunctivus, quaſi verò ſemper ad dolorem & ſoluta unitas & alteratio p. n. requiratur, quia ſufficit ſæpè ſi diviſim ſumantur; unde ſi dicam, ſola tibiæ fractura vel contuſio fecit dolorem, non ſequitur, ergò frigus intenſum, vel calor vehemens nullam parit moleſtiam.

DICO 2. omnes primæ qualitates poſſunt facere dolorem, ſed magis calor & frigus. Eſt Averrh. loco cit. tum 4. Collig. c. 46. Contrà Concil. & Avic. qui volunt ſolum calorem & frigus dolorem inferre, ſiccitatem verò & humorem ex accidente tantum, ſiccitatem quidem qui conſtringit, humorem verò quia perforat ſi acutus ſit v. g. pituita vitrea. Quod ad Gal. hic ſibi non conſtat, quia l. de ſympt. de cauſ. calori & frigori ſolùm aſſcribit dolorem in 2. art. p. etiam duas reliquas qualitates cum Turiſ. admittit. Iam prob. concl. 1. qualitates omnes primæ ſunt ſe tactiles propriumq; illius ſenſus obiectum; ſed dolor fit ex ſenſione tactilis obiecti excedentis & improportionati, ergo omnes per ſe dolorem faciunt. 2. omnes 4. primæ qualitates poſſunt adferre mortem ergo & dolorem. 3. fames & ſitis ſunt dolores; ſed utraque oritur ex defectu humidi & ſiccitate, ergo. Quod autem minores cauſent dolores quam frigus & calor, ideò ſit, quia minorem & tardiorem habent actionē.

DIFFICVLTAS XXXVI.

Quomodo diſtributi ſint animalibus ſenſus.

QVæſtio eſt, an omnia animalia habeant omnes ſenſus, an verò quædam ex iis uno vel altero careant, ut patet de talpa quæ cæca habetur. Suppono, animalium aliud eſſe perfectum, ut homo, equus; quia habent cum perfectione organorum omnes ſenſus & potentias vitales; aliud imperfectum ut vermis, muſca, inſecta & ex putri nata quæ contrario modo ſe habent.

DICO 1. animalia imperfecta non habent omnes ſenſus. prob. 1. quia non habent omnia organa pro ſenſibus accommodata ut ſupponitur, & unde dicuntur imperfecta, ergo. prob. 2. ex Ariſt. qui 3. de anima c. 7. dicit, ea animalia non habere omnes ſenſus, quæ imperfecta membriſque capta ſunt, id eſt, quibusdam organis deſtituta. hoc idem docet 4. de hiſt. animal. c. 8. ubi ait, aliis animalibus ineſſe ſenſus omnes, aliis pauciores. Nam quædam viſu, alia auditu, alia alio ſenſuum carent, ut videre eſt in diverſis locis Ariſt. ſuorum lib. de hiſt. animal. maximè in fine l. 4. c. 8. *Animalia unde perfecta & imperfecta*

DICO 2. animalia perfecta omnes habent ſenſus. prob. hæc concluſio à contrario, quia videl. habent omnia organa ſenſuū quę in imperfectis deſunt: Et cōſtat ſæpius apud Ariſt. maximè loco jam citato, ubi air, hominem & quæcunq; terreſtrium animal generant, atq; etiam quæ ſanguinem habent & animal pariunt, ſenſus omnes habere; Et hoc cit. capite ad longum per enumerationem ſenſuū probat; Nam poſtquā oſtendiſſet animalibus perfectis ineſſe ſenſus omnes, & piſces in aquis etiam audire, olfacere &c. ſubjungit, animalia imperfecta ut mollia, cruſtata, teſtata & inſecta, habere quidem olfactum, guſtum

guſtum & tactum ; de viſu autem & auditu rem valdè incertam eſſe, tametſi pectines admoro digito dehiſcant, moxque ſe comprimant &c.

Talpa animal perfectum.

Talpa an ſit animal perfectum, incertum eſt; Nam aliqui putant, Ariſt. eius imperfectionem ſuppoſuiſſe argumentum ab eo cui minus ineſſe videtur, quaſi diceret, ſi talpa, quæ animal eſt inferioris notæ, viſum aliquem habet, multò magis dicendum eſt, animalia perfecta eſſe habitura; Deinde quamvis talpa non videat, habere tamen aliquam inchoationem, id eſt, intendiſſe quidem naturam tribuere viſum, ſed ideò non tribuiſſe, quod in ſubterraneis tenebris ei viſus minimè conveniret. Et hoc innuit idem Ariſt. 3. de anima c. 1. ubi ait, talpam ſub cute oculos habere; aptius autem 1. hiſt. animal. c. 9. & 4. ejusd. operis c. 8. ubi ait, homo igitur & quæcunq; terreſtrium animal generant, omnes habent ſenſus, niſi quid læsû laceſſitumq; ſit quale eſt genus talparũ, cui viſus deeſt; Non a. oculos in aperto id habet, cute tamen detractâ, quæ craſſiuscula obtenta ſedem lumini opacat, oculi intus laceſſiti imperfectiq; viſuntur, ſed ita ut partes easdem habeant omnes quibus oculi integri conſtent; habent enim nigricantem illum orbiculum & quod intra eum continetur, quam vocant pupillam, atque etiam portionis albidæ ambitionem, ſed non tam liquidò quàm oculi conſpecti & eminentes; nec in partem exteriorem apparere hæc poſſunt ob cutis obductæ corpulentiam, utpote cum natura inter generandum lædatur, atq; ita opus inchoatum relinquatur: Hæc Ariſtot.

DISPVTATIO VIGESIMA TERTIA.

De ſenſu interno hominis.

INternus ideò dicitur, quia habet organa in ſede interna, ubi latent abſcondita, homini quidem & animalibus perfectis in parte determinata, imperfectis autem & quæ diviſa retinent ubique motum & appetitum, non in loco certo aut determinato. Eſt hic ſenſus vigilantiſſimus, quia cum externi quieſcunt, ipſe utplurimùm vagatur & loca penetrat, quò nunquam pedes poſſent: Experimur hoc ipſum in nobis dormientibus cum iraſcimur, rixamur, diſputamus &c. quæ partim in brutis etiam fieri videmus. Vbi autem hic ſenſus ſuum habeat propriè domicilium, diſputant Authores, quorum aliqui ut diſtinctos ſenſus, ita etiam alios ſinus ſive cellulas quærunt. Certum eſt, intrà calvariam & menynges in ipſa cerebri ſubſtantia quieſcere, quod hinc manifeſtum eſt, quia læſo cerebro perit ſenſus internus, eoque reſtituto redit quoque ad integritatem: Et mira ſunt profectò, quæ operâ ipſius inter dormiendum contingunt, quia phantaſia eſt, quæ corpore quieſcente non quieſcit, ſed quæ animo in diverſa abrepto ſupera & ima petit, operaturq; nonnunquam ea, quæ in vigilante non poterat; Teſtes ſunt noctambuli, quorum actiones omnem penè fidem ſuperant, licet aliquando veræ ſint. Sed quid de ſenſu interno? Dicam ego in ſequentibus, quid de huius natura, ſede, numero & operationibus meliores & philoſophi & Medici doceant, ut quisque habeat quod ſequi poſſit & velit; Nam varii variè ſentiunt, prout quemque ſuus trahit captus & affectus. Sit itaq;

DIFFICVLTAS I.

An detur ſenſus internus in homine Oriente.

DIcitur ſenſus internus, quia interius reconditum habet organum, communis autem quia ab hoc percipiuntur omnium externorum ſenſuum operationes; Nam huius ſenſus cõmunis operationes ſunt cognoſcere omnia obiecta externorum ſenſuum, tum dijudicare illa & diſtinguere & agnoſcere omnium defectus; Denique ſenſiones externorum ſenſuum cognoſcere, quod videl. aſpectus videat, auditus audiat &c. Iam

DICO 1. datur ſenſus internus in homine Oriente, id eſt, in puſillo & vix nuper nato. Ratio eſt quia ſenſitivus eſt, habetque omnes facultates quæ animam ſenſitivam ſequuntur, ergo etiam ſenſum internum, qui maximè ad eam ſpectat, & in omnibus animantibus brutis etiam reperitur. Et quamvis hæc anima ſenſitiva in parvulo ob teneritudinem & inhabilitatem organorum parũ operetur, operatur tamen quantum licet, ſeque non tam formam hominis quam gradum animæ ſuperioris oſtendit in phantaſia, quæ ſicut in brutis ita etiam in recenter natis maximè elucet. Cæterùm cum hic ſenſus perfectius in majori ætate, quæ etiam ad hominem orientem ſpectat, adminiſtretur, intentio autem ſit & ordo operis poſtulet poſt priores hominis affectiones & potentias etiã ſenſum internũ,

qui

qui paulatim cum eo creſcit locumq; digniorem occupat, eâ qua decet brevitate & claritate ex optimorum cum Medicorum tum philoſophorum doctrinis & opinionibus exhibere; Neceſſum eſt de eo plenam vel certè pro hoc loco ſufficientem cognitionem, quæ totius eſt ſuppoſiti ſenſitivi, tradere. Itaque

DICO 2. præter ſenſus externos datur omninò ſenſus internus ab iis diſtinctus: Ita communis eſt opinio, & ratio, quia multi ſunt actus qui neq; ab externis ſenſibus elici poſſunt, neq; ab intellectu procedunt, cum etiam in brutis reperiantur, ergo præter ſenſus externos oportet dari aliquam potentiam, imperfectiorem intellectu, perfectiorem ſenſibus externis & quaſi medio modo ſe habentem; Antec. patet ab enumeratione huiuſmodi actuum, quorum primus eſt notitia, qua omnes actiones ſenſuum externorum percipimus dijudicantes inter omnia objecta eorum, quod fit cum judicamus ſenſatum per viſum non eſſe ſenſatum per auditum: Et potentia quæ id præſtat, vocatur ſenſus communis, quia communiter ſeu ſimul omnibus ſenſibus externis præeſt & quaſi communis eorum judex exiſtit, 2. eſt quo de obiectis aliquando ab externo ſenſu cognitis jamque abſentibus interdum in ſomno judicamus, ſed ſine compoſitione; Et hic actꝰ vocatur phantaſia. 3. eſt, cum ex duobus ſimplicibus ſenſatis componimus tertium, v. g. ex monte & auro, montem aureum: Et hic dicitur imaginatio. 4. exiſtit, quando per ext. ſenſum percepta apprehendimus ſub nova quadam ratione convenientiæ aut diſconvenientiæ, quam ſenſus externus non poteſt aſſequi; v. g. ſi ovis concipiat lupum ſibi inimicum; facultas autem per quam id fit, dicitur æſtimativa, & verſatur tantum circa præſentia, 5. occupatur circà abſentia ut abſentia, ſenſata tamen prius per aliquem ſenſum ext. & vocatur memoria. 6. eſt, cum datur in homine quædam cognitio, circà præſentia tamen & circà ſenſibilia particularia ſenſata eodem modo & ordine, quo intellectus circà illa vel univerſalia verſatur; unde aliquo modo videtur participare rationem intellectus, & dicitur cogitativa. 7. tandem occupatur non modo circà ſenſibilia particularia præſentia, ſed etiam circa ea ut præterita ſenſata, cum quadam tamen quaſi indagatione unius ex altero, & quodam diſcurſu imperfecto, & dicitur reminiſcentia. Ecce quæ ſit neceſſitas ponendi ſenſus internos quocunque tandem numero, ſiquidem nullus iſtorum actuum à ſenſibus externis fieri poteſt; nec à ratione etiam, cum in brutis etiam reperiantur ut in ſequentibus cōſtabit,

Actus 7. ſenſus interni.

DIFFICVLTAS III.

In qua parte reſideat ſenſus internus.

Etiam animalia imperfecta

SVppono, nullum animal quantumvis imperfectum interno ſenſu eſſe deſtitutum; Ita docet Ariſt. multis in locis, & eſt ex ſe manifeſtum, quia omnia animalia appetunt convenientia, ſentiunt dolorem & voluptatem, refugiunt noxia, ſi pungantur, contrahunt ſeſe &c. quæ omnia ſunt opera ſenſus interni.

habent ſenſum int.

DICO 1. in animalibus imperfectis ſenſus internus non eſt in aliqua parte determinata ſicut in perfectis. Ratio eſt, quia ſi in partes dividantur, retinent ubique animam, motum, appetitum &c. ſed hic non poteſt eſſe ſine apprehenſione convenientis, ergo nec ſine ſenſu interno.

DICO 2. in animalibus perfectis ſenſus internus eſt in parte determinata. & quidem in cerebro. primum prob. ex ratione priori oppoſita, quia ſi equo v. g. aut canipedem auferas, hic non ſentit amplius, quia non retinet animam & conſequenter nec potentiam aut facultatem ullam, ultimum eſt Gal. 8. de uſ. part. c. 3. & 4. Conn. Rub. Tol. Hurt. & aliorum contrà Ariſt. 2. de gen. animal. c 4. & alibi paſſim qui cū nonnullis aliis ſedem in corde ponit, ſed prob. 1. læſo cerebro & non corde munia ſenſus interni turbantur, quia oritur oblivio, delirium &c, medicina verò non cordi ſed cerebro adhibetur; Deinde ſtudio diuturno & exercitio ſenſus interni acquiritur dolor non cordis ſed capitis; ſimiliter experimur imagines & ſomnia in capite fieri, unde Daniel ad Nabuchodonoſorem ait, ſomnium tuum & viſiones capitis tui huiuſmodi ſunt Dan. 2. prob. 2. idem eſt ſubiectum ſenſus interni & animalis operationis, ſcilicet principium nervorum; ſed ex anatomia conſtat, eos ex corde derivari nec cor attingere ut Ariſt. putavit, excepto unico, ergo. Confirm. Nam omnes Medici aſſcribunt cerebro ſpiritus animales, qui motibus, vocis formationi & ſenſationi inſerviant, cordi verò ſolùm ſpiritus vitales, qui ſunt cauſa pulſus & palpitationis; Et hi cum ſint igneæ quaſi naturæ, imaginationi ſervire non poſſunt ob nimium æſtum, proinde ad cerebrum delati temperantur; adde quod poſt prandium ſtudium intenſum ſit pernicioſum, quia cerebrum avocat è ſtomacho ſpiritus vitales, quorum defectu non fit perfecta concoctio, proinde relinquit crudos humores viſcōcoctiva. Quod ſi dicas, cerebrum à natura eſſe datum ad cordis refrigerium, id ſine fundamento eſt, quia cor per aërem à pulmonibus attractum abundè refrigeratur, cerebrum à corde nimium diſtat, & prius partes intermedias v. g. collum, fauces &c. frigefaceret quam ipſum cor contrà experientiam. Quando itaque dicitur in corde reſidere ſenſum internum, id ita intelligendum eſt, quod videl. à corde proveniant ſpiritus ad cerebrum, ſine quibus internorum ſenſuum operatio nulla fieri poſſit; ideò in vehemēti imaginatione alteratio quædā circà cor fieri ſolet; Et patet etiam experientia, cum cui ligantur venæ in collo, omninò fieri ſtupidum, cuius hæc ſola eſt ratio, quod ſenſus qui ſunt in capite, cum dependeant à corde,

Senſus internus eſt in cerebro in animalibus perfectis.

conſtructione venarum in ſuis operationibus impediantur.

DIFFICVLTAS II.

An tot ſint ſenſus interni, quot ejus actus.

PAtet ſeptem eſſe act 9, qui ab interno ſenſu eliciantur, & quorum 5. priores etiam in brutis licet non omnibus inveniantur, reliqui duo in ſolo homine; Jam quæritur an totidem ſint ſenſus interni, & quia variæ ſunt hujus difficultatis opiniones, repetam eas breviter, ut quiſq; ex iis quam probabiliorem judicet, ſibi deligat.

Opinio 1. eſt, ſenſus internos eſſe quatuor, videl. ſenſum communem, phantaſiam, æſtimativam & memoriam; cogitativam reducunt ad æſtimativam, reminiſcentiam ad memoriam & imaginativam ad phantaſiam: Ita D. Thomas, Cajetanus & alii.

Opinio 2. eſt Avicennæ. qui his quatuor imaginativam à phantaſia diſtinctam addit.

Opinio 3. eſt Gal. Valeſii & plerorumque Medicorum, qui juxtà numerum cellularum in cerebro tres ſolùm conſtituunt, ſenſum communem, imaginativam ſive æſtimativam & memoriam. Hanc in occipite collocant, mediam in media cellula, & ſenſum denique communem in prima vel anteriori, quæ duplex eſt.

Opinio 4. eſt Conn. 3. de anima, c. 4 q. 1. a 3. Fonſec. 5. metaph. c. 28. q 7. ſ 4. & multorum aliorum, duos eſſe diſtinctos ſenſus internos, ſenſum ſcil. communem & phantaſiam, & ad hanc revocant actus æſtimativæ & memoriæ.

Opinio 5. eſt recentiorum ut Hurtad. d. 17. de anima, §. 52. & plurium aliorum, qui docent, reipſa eſſe unum tantum ſenſum internum, nominibus & officiis diſtinctum eo ferè modo quo de potentiis vegetabilibus dictum fuit: Et hæc opinio ut probabilior probatur & explicatur: Nam multæ ſunt operationes intellectivæ ut apprehendere ſimpliciter, componere, dividere, unum ex alio deducere &c. idque pluribus modis, unde etiam tria operationum genera diſtingui ſolent; Item verſari circà res univerſales, ſingulares, abſentes, præteritas, materiales, ſpirituales &c. Nemo tamen propterea ponit plures intellectus, ſed una eademque potentia videtur ſufficere, quamvis variè denominetur, v. g. intellectus practicus, ſpeculativus, affirmativus, negativus, verus, falſus &c. quia ſcil. actus illi ſunt inadæquati; Ita etiam ſenſus internus multa habet munera & operationes multas indeque ſua nomina; non eſt tamen neceſſarium ponere plures potentias, quia omnes actus illi inadæquati ſunt, & ſub una aliqua ratione ſenſibilis ſenſati conveniunt: Quatenus itaque diſcernit inter obiecta ſenſuum externorum, dicitur ſenſus communis; quatenus de abſentibus, phantaſia; quatenus componit, imaginativa & ſic deinceps. Cæterùm quod primo imaginatio & phantaſia non diſtinguantur reipſa, prob. quia quicquid dicitur præſtare phantaſia, hoc etiam poteſt præſtare imaginatio & quidē neceſſariò ergò non diſtinguuntur; Antec. prob. quia phantaſia ideò dicitur diſtincta, quia ſimplicia apprehendit, imaginatio verò compoſita ut aureum montem; ſed impoſſibile eſt facere compoſitionem niſi prius apprehendat ſimplicia, ſicut intellectus non poteſt facere judicium compoſitum per ſecundam operationem, niſi prius apprehendat terminos ſimplices per primam, ideoque imaginatio ſola ſufficit ad utrumque præſtandum. Quod 2. memoria ſit diſtincta ab æſtimativa, prob. quia ſicut ſe habet phantaſia ad ſenſum communem, ita memoria ad æſtimativam; Nam hæc verſatur circà ſenſibilia inſenſata præſentia, memoria verò circà eadem ut abſentia, quod diſcrimen non ſufficit ad duas potentias diſtinctas conſtituendas; Et confirmatur ex memoria intellectiva, quæ non diſtinguitur à potentia intellectus qui æſtimativæ in hoc comparatur. Quod de memoria dicitur, id quoque de reminiſcentia intellige, & quod de æſtimativa, idem etiam de cogitativa, quia ſolis connotatis differunt, & ſunt in homine cuius rationi quodammodo inſerviunt. Quod 3. phantaſia & ſenſus communis non differant, prob. quia actus ſenſus communis convenit phantaſiæ, quod prob. quia hæc cognoſcit ſenſibilia abſentia; ſed hoc non poteſt, niſi etiam ſimul cognoſcat præſentia, ergò, min. prob. ideò cognoſcit abſentia quia ſpecies impreſſas ab objectis & ſenſationibus, cum actu præſentes eſſent, accepit, ergo ſicut per eas ut conſervatas apprehendit abſentia, ita etiam per eaſdem cum præſentes eſſent, cognoſcebat obiectum & operationes ſenſus externi. Quod 4. æſtimativa & memoria reipſa non differant à ſenſu communi phantaſia & imaginativa, prob. quia propterea differunt hæ potentiæ ſecundum quoſdam, quia æſtimativa & memoria verſantur circà obiecta non ſenſata à ſenſibus externis v. g. circà convenientiam & diſconvenientiam, phantaſia autem & ſenſus communis circà ſenſata; ſed hæc cauſa non ſufficit, ergo. prob. min. potentia quæ circà objecta inſenſata verſatur, neceſſariò prius debet moveri per ſpecies ab obiecto ſenſato; ovis v. g. non poteſt lupum apprehendere ut ſibi inimicum, niſi prius videat vel audiat illum. ergo etiam poteſt operari circà objectum ſenſatum; Ratio ergò illa non ſufficit ad diſtinguendas plures potentias &c.

Unus reipſa ſenſus internus.

Intellectus elicit multos actus diſtinctos.

Senſus int. officiis multiplex.

DIFFICULTAS IV.

In qua parte cerebri reſideat ſenſus internus.

NOn ſatis eſt ut ſciamus in cetebro ſenſum iotetnum habere ſuam ſedem, ſed oportet etiam ſcire in quanam ejus parte reſideat, præſertim cum hoc amplum ſit cetriſque ſinubus & meatibus diſtinctum. Nam Gal. l.8. de part. c. 6. & Fracaſtor. 2. de intellectione 3. cellulas ſeu ſinus diſtinctis ſedibus aſſignant. In primo & arteriori ſuprà oculos duplicato ſenſum communem & phantaſiam, in medio imaginativam & æſtimativam, in ultimo ſeu occipite vel cerebello utpote humidiori collocant memoriam. Probant, quia læſo graviter occipite deficit memoria illæsâ phantaſiâ, æſtimativâ & aliis; ſed ſi uno eodemque ſinu plures eſſent ſenſus, uno læſo læderentur etiam alii quod eſt contrà experientiam. Omiſſis itaque aliis opinionibus.

Senſus interni non diſtinguũtur ſubjecto.

DICO, ſenſus interni non diſtinguuntur ſubjecto, proinde ubi eſt unus, ibi etiam eſt alter, in toto ſcilicet cerebro. Ita docet Fernel. l.6. phyſiol. c. 5. Andr. Laur. l.4. anatom. c. 12. q. 3. & alii. Prob. primo, ſæpè contingit, ut qui ex media parte cerebri in apoplexiam incidunt, omnium ſenſuum internorum eliciant actiones licet imperfectius, ſi nõ primis ſaltem ſubſequentibus diebus; ſed hoc non accideret ſi ſubjectis diſtinguerentur ſenſus interni, ergo. 2. læsâ memoriâ non ſolum occipiti ſed etiam toti cerebro adhibentur remedia. Confirm. in ventriculo una eſt potentia concoctiva, quæ juxta diverſa munia diverſas ſortitur denominationes; dicitur enim jam attractiva, jam expulſiva &c. & læditur una illæſis aliis, ergo. 3. nulla eſt neceſſitas ponendi diſtinctas in cerebro ſedes pro ſenſibus internis, ergo.

DICES, ideò dari diverſos ſinus in cerebro, quia diverſæ ſunt potentiæ, quarum una poteſt operari nihil operante alia propter læſionem; læſo enim graviter occipite perit memoria ſalvâ æſtimativa &c. ergo diſtinguuntur ſubjecto. Reſp. neg. antec. ad probationem dico, poſſe in eâdem parte organi lædi temperamentum neceſſarium ad unum actum & non ad alterum, quia requirit anima ejuſque potentia ad hunc actum meliores & firmiores diſpoſitiones quam ad illum, & poſſunt eædem ad unam operationem eliciendam facilius & à cauſis levioribus depravari quam ad aliam; ſic in eâdem parte oculi poteſt potentia viſiva deſtrui & perire illæſa nutritivâ, eò quod ad hanc deſtruendam aliæ requirantur injuriæ quam ad illam: Et fieri poteſt, ut ſenſus internus in aliqua parte quoad aliquos actus magis vigeat ob meliorem temperiem & reliquas diſpoſitiones, v. g. in cerebello melius memoria ob humorem abundantem quam in parte media cerebri vel anteriori, in medio æſtimativa ob diſpoſitiones temperatas &c. non quod non alibi etiam vigeant ſed quod hic melius; Et hac ratione fortè conciliari poteſt Gal. & Fracaſt. cum Fernelio quoad operationem.

Poteſt in eâdem parte lædi una potentia illæsâ altera.

In oratione v. g. cur hæc potius quam alia verba occurrant.

QUÆRES, cur dum multa carmina memoriæ mandavimus, certo ordine ſpecies vel potius hujus carminis quam alterius occurrant. Reſp. ſpecies multum pendere ex ordine quo acquiſitæ ſunt, ſubinde ex affectu, ſubinde ex majori attentione & imaginatione &c.

DIFFICULTAS V.

Quodnam ſit objectum ſenſus interni.

CUm quælibet potentia habeat certum aliquod objectum circa quod verſetur, ut potentia viſiva circà rem viſibilem, guſtus circa ſaporem, olfactus circa odorem, concoctrix circa alimentum &c. ideo quæritur, circa quod objectum verſetur etiam ſenſus communis.

DICO, adæquatum objectum ſenſus interni eſt ſenſibile ut ſic univerſaliſſimè acceptum. Explicatur & probatur, ſicut ſe habet intellectus ad intellectionem, ita ſenſus internus ad cognitionem ſibi propriam ſervata proportione & prærogativa intellectus; ſed hic habet objectum non hoc aut illud ens particulare, ſed ens univerſaliſſimum, ergo etiam ſenſus internus habet ſenſibile in tota ſua latitudine acceptum, quatenus ſcil. complectitur non tantum ſenſibilia ſenſuum externorum, ſed etiam ſenſationes eorum; Per hoc igitur diſtinguitur à cæteris potentiis, quod verſetur circa ſenſibile quatenus ſenſatum eſt, vel dependenter ad illud ſe habet eo modo quo ratio convenientiæ, quam apprehendit ovis ad herbam. Poſſumus enim in objectis v. g. colore triplicem rationem ſpectare, primo quatenus eſt viſibile, & eatenus ad ſenſum externum pertinet. 2. quatenus intelligibile, & eatenus ad intellectum. 3. quatenus eſt ſenſatum & cognitum à potentia viſiva, & eatenus eſt objectum ſenſus interni, qui propterea medio quodam modo ſe habet inter ſenſum externum, qui habet infimum modum cognoſcendi, & intellectum, qui habet ſupremum. Vide plura apud Tul. 3. de anima c. 2. q. 3. ad quartum. Conn. ibid. c. 2. q. 1. Rubium q. 3 & alios.

Senſibile univerſ. eſt objectũ ſenſus int.

Color ut viſibile quomodo ſpectet ad ſenſ. ext. ad int. & intellectum.

Corollarii loco hic adde, animalia perfectiora eſſe in duplici differentia: quædam habent præter ſenſum communem etiam æſtimativam, imaginationem & memoriam, ſed non ſunt diſciplinæ capacia, quia carent auditu; alia ſunt diſciplinæ capacia ut equi & canes: Itaque non eodem modo omnibus ineſt ſenſus internus. Verum de ſingulis generibus animalium quæram, quibus & quot ſenſibus prædita ſint, quia magis ex hiſtoriis & experientiis pendent quam ex rationibus phyſicis, videantur Authores, imprimis verò Ariſt. libris ſuis de hiſt. anim.

DIFFICULTAS VI.

Quomodo ſenſus internus percipiat actus ſenſuum externorum.

DICO, ſenſus internus percipit actus externos in concreto, id eſt, objectum & actum ſive operationem. Eſt Conn. Rubii & aliorum locis citatis contrà quoſdam, qui negant percipi actum externum eò quod hic, cujuſmodi eſt v.g. viſio, ſit ſimilitudo objecti, proinde non imprimat ſui ſpeciem, quia aliàs etiam ſimilitudo impreſſa perciperetur. Sed Prob. primo experientia, quia experimur, nos non ſolum recordari objecti ſed etiam actus præteriti, v. g. quod unam eandemque civitatem ſæpius viderimus: Sed meminiſſe iteratæ viſionis eſt actus memoriæ ſenſitivæ, ergo. Prob. 2. ratione, bruta refugiunt locum ubi aliquando fuêre percuſſa, redeunt ad illa loca, ubi ipſis aliquando benè fuit, ergo recordantur doloris & voluptatis; Deinde animalia, quando à longinquo audiunt ſonum vel vocem, erigunt aures, ergo ſuas operationes advertunt, an ſcilicet benè vel malè ſonum perceperint. An autem etiam actus externus percipi poſſit in abſtracto, valdè dubium eſt apud pleroſque, qui propterea probabiliter negativum ſequuntur. Dicunt enim nos non ſcire pro certo, an illi actus ſint ſpirituales vel materiales, & in quo ſubjecto determinato recipiantur. Cæterùm per quam ſpeciem percipiat ſenſus internus actus & operationes ſenſus externi, variè litigant Authores cit. Conn. Tol. Rub. Valeſ. l. 2. Phyſ. c. 22. Vegam de arte medica fol. 172. &c.

DIFFICULTAS VII.

Unde producantur ſpecies ſenſus interni.

COnſtat, ſenſus externos accipere ſpecies ab objectis; conſtabit etiam infrà, intellectum accipere ſpecies ab intellectu Agente; Eſt ergò hic quæſtio, utro modo ſenſus internus accipiat ſpecies. Omiſſis iis quæ fusè in hac materia ab Authoribus apud Rub. citatis diſputari ſolent.

DICO primo, ſenſus internus indiget ſpeciebus ad ſuas operationes. Ratio, quia non poſſumus imaginari ea quæ nullo ſenſu unquam percipimus, & idcircò cæcus nulla alia de cauſa non judicat de coloribus, quam quod phantaſia non habeat earum rerum ſpecies. Deinde experimur, nos plurimarum rerum oblivisci non alia de cauſa, quam quod ſpecies paulatim pereant.

DICO 2. ſpecies internorum ſenſuum non producuntur ab objecto ſicut ſpecies externorum ſenſuum. Ratio, ſpecies productæ ab objectis non movent ſenſum niſi præſente objecto; ſed ſpecies ſenſuum internorum diutiſſimè manent. 2. ſenſus interni percipiunt ſenſionem ſenſuum internorum; ſed illæ non poſſunt repræſentari ab objectis, ergo.

DICO 3. ſpecies internorum ſenſuum non producuntur à ſenſu agente. Ratio, quia producitur operatio ſenſus interni in cerebro, ergo ſenſus agens deberet eſſe in cerebro; ſed in cerebro non eſt operatio ſenſus externi, qua poſita deberet agere ſenſus agens, v. g. cum tactio ſit in pede, quomodo eius ſpeciem poteſt ſenſus agens producere in cerebro, niſi à pede aliquid tranſmittatur ad cerebrum, quod ſi concedatur, cum fruſtra fiat per plura quod fieri poteſt per pauciora, dicendum eſt, ipſam ſpeciem primum à pede tranſmitti & non fieri in cerebro.

DICO 4. Species internorum ſenſuum producuntur à ſenſione externorum, ita ut viſio vel auditio v. g. emittat à ſe ſpeciem in ſenſum internum, qua & ipſa viſio repræſentatur & objectum. Ratio, quia non producuntur à ſenſu agente neque ab objecto, & tamen certum eſt, ſenſus internos cognoſcere operationes ſenſuum externorum; impoſſibile autem eſt, cognoſci operationes alicujus externi quin cognoſcatur etiam objectum, ergo veriſimile eſt, ſpeciem produci ab ipſa operatione; differt tamen à ſpecie productâ in ſenſu externo, quia hæc non durat diutius quam ipſum obiectum; hæc autem durant etiam poſtquam periit operatio ſenſus externi. *Species intern. ſenſuum producuntur à ſenſione externorũ.*

DICES, ſæpè recordatur quis ſe vidiſſe aliquid, & tamen non meminit quidnam fuerit, ergo tunc habet ſpeciem viſionis & non obiecti. Reſp. eâdem ſpecie repræſentari ſenſibile commune & proprium, & tamen fieri errorem circà commune, quando non fit circà proprium ob diverſam modificationem; Ita etiam quamvis eâdem ſpecie repræſentet diſtinctè operatio, obiectum autem non niſi in confuſo.

DIFFICULTAS VIII.

An ſenſus internus bruti vel hominis componat & diſcurrat.

NOta, iudicium primo ſumi pro quacunque notitia rei etiam ſimplicis, ſed valdè impropriè. 2. propriiſſimè pro notitia comparativa, qua unius cum alio cognoſcitur connexio & proportio. 3. medio quodam modo pro notitia rei non ſimplicis ſed duarum, cognoſcendo utriuſque naturam non cognita earum proportione, ſic viſus cognoſcit album & nigrum, eaque diſcernit iudicando unum non eſſe aliud; non quæritur autem

autem hic, an detur primo & tertio modo in brutis & homine judicium; dari enim certum eſt, quia datur tum ſenſus internus quam externus, ergo ſolum quæſtio eſt de ſenſu ſecundo.

Homo non diſcurrit qua ſenſitivus.

DICO, ſenſu interno nec bruta nec homines quà ſenſitivi diſcurrunt. Ita communiter omnes docent contra quoſdam veteres pythagoricos, qui brutis olim diſcurſum concedebant. Prob. primo, bruta nihil tam ſolerter faciunt, quod non poſſit ſalvari per naturalem inſtinctum ex tali vel tali per ſpeciem determinatione ſine ullo diſcurſu, v. g. quod vulpes tranſitura glaciem aurem glaciei admoveat, & ſi ſtrepitum æquæ labentis percipit, quod non progrediatur præcavens periculum &c. Hæc & alia ſimilia poſitâ determinatione ſpecierum ſalvantur per inſtinctum naturæ; præſente enim objecto determinatur ſenſus internus per ſenſationem externam ſpecie in ſe productâ, cum qua elicit actum æſtimativum qui eſt inſtinctus naturæ quo cognoſcit rem vel convenientem vel diſconvenientem: per hunc actum determinatur appetitus ſenſitivus, in eoque oritur actus fugę vel proſecutionis abſque eo quod finem cum mediis conferat. Prob. 2. ſoli homini qua rationali convenit operari propter finẽ cognoſcendo proportionem mediorum cum fine, ergo bruta licet cognoſcant rem, quæ eſt finis vel medium, ſenſu externo vel interno, non cognoſcunt tamen proportionem quam habet medium cum fine. Confirm. quia ſi bruta ratiocinarentur, tot eſſent in iis ſtudia & judicia quot in hominibus contrà experientiam; Nam videmus omnes vulpeculas eſſe aſtutas, lepores timidos, lupos rapaces &c. non autem homines, ut benè advertunt Conn. 2. phyſ. c. 9. q. 3. a. 3.

Inſtinctus naturæ.

An animalia propriè agant propter finẽ.

DICES primo, quæ propriè agunt propter finem, cognoſcunt proportionem & habitudinem mediorum cum fine; ſed animalia agunt propriè propter finem, ergò. Hoc autem fieri non poteſt ſine diſcurſu; major eſt plurimorum, minor Ariſt. 2. phyſ. t. 77. Reſp. vel conceſſa majori cum iis, qui negant animalia agere propter finem, negatur minor, vel univerſim major & ſubſumptum, quia non omne quod propriè agit propter finem, ex multorum doctrina cognoſcere debet media & proportionem ad finem, ſed illud tantum quod modo perfectiſſimo agit propter finem ut homo; animalia ergo etiamſi agant propriè propter finem agunt tamen modo minus perfecto, unde etiam non opus eſt, ut media ad finem tali modo apprehendant, ut etiam proportionem inter utrumque cognoſcant. Quod autem nonnulla animalia tam ſolerter quædam faciant, plus non probat quam in animalibus dari ſenſum internum, quo mediante hic & nunc apprehendunt talem actum ut ſibi convenientem, non cognoſcendo formaliter eum eſſe medium ad talem finem adeoque agunt ex ſolo inſtinctu naturæ, quem à Deo acceperunt. Sed quis iſte inſtinctus? Reſp. eſſe firmum actum phantaſiæ neceſſariò poſito tali vel tali objecto ab animali elicitum, hoc vel illo modo animali diſpoſito, quo appetitus animalis determinatur ad fugam vel perſecutionem alicujus rei. Cur autem hoc animal tales inſtinctus habeat, aliud alios, primario provenit ab ipſa forma ſubſtantiali, ſecundario à temperamento & diſpoſitionibus.

Animalia agunt ex inſtinctu naturæ.

Inſtinctus natura quid.

DICES 2. actus judicii conſiſtit in collatione extremorum, ita ut unum attribuatur alteri per affirmationem vel negationem; atqui hoc facit ſenſus internus per actus diverſos. Nam per actum imaginativum componit ex monte & auro montem aureum, per æſtimativum confert unum alteri, & judicat, eſſe conveniens vel inconveniens, ergo. Reſp. neg. minorem; eſto enim conjungat aurum & montem, non tamen fit cognita proportione vel facta inter ea collatione, quia conjunctio illa tantum eſt materialis: Sed nec propriè judicat per actum æſtimativum, quia ſolum apprehendit ſibi noxium vel conveniens non formaliter cum proportione ſed materialiter.

DICES 3. Intellectus noſter in hoc ſtatu nihil cognoſcit niſi dependenter à phantaſmate, ergo ille non judicat nec diſcurrit niſi cum phantaſia concitet judicando & diſcurrendo circà ſingularia, à quibus intellectus abſtrahit rationem univerſalem, ergo ſaltem ex conſortio intellectus derivatur ad ſenſum internum diſcurſus & judicium. Hic aliqui concedunt antecedens, negant autem ſenſum formaliter diſcurrere, ita ut cognoſcat res plures & earum connexiones tanquam cauſæ & effectus; comitatur ergò illum tranſeundo ab unius diſcurſu imperfecto & materiali ad cognitionem alterius. Alii negant ſimpliciter antecedens, quia ſatis eſt à phantaſia apprehendi terminos ſimplices ſine connexione; ſatis enim eſt quod aliquid proportionatum objecto concipiat, ut Angelum per modum juvenis alati. Itaque colligitur primo, brutis animantibus non eſſe ullam potentiam rationis participem, quia ſequererur animas brutorum eſſe capaces virtutis ac vitii; Deinde quia diſcurſus omnino fundatur in dicto de omni & dicto de nullo, quæ bruta non percipiunt cum non cognoſcant univerſale, quæ etiam cauſa eſt, cur ſemper eodem modo operentur, quia ſcilicet non inveſtigant unum ex alio, ſed totum, quod ad rem eſt, illis ſimul repræſentatur. 2. Nec imaginationem hominis eſſe diſcurſivam, quia nulla potentia poteſt evehi ad eliciendam operationem potentiæ ſuperioris, diſcurrere autem & ratiocinari ſunt operationes intellectus. Ad hæc oculus non poteſt evehi ad audiendum vel guſtandum, nec ad videndum Deum ut aiunt Theologi, quia ſcil. non poteſt ulla potentia verſari circa id, quod eſt extra fines eius, prout etiam res intelligibiles quæ ratiocinatione cognoſcuntur, ſunt extrà fines objecti phantaſiæ.

Diſcurſus fundatur in dicto de omni & dicto de nullo.

Diſcurrere eſt operatio ſolius intellectus.

DIFFICVLTAS IX.

Quid ſit memoria ſenſitiva.

HÆc eſt illa quæ oobis communis eſt cum beſtiis; de intellectiva agetur alibi. quæritur autem quod ſit munus hujus memoriæ ſenſitivæ & quomodo diſtioguatur à phantaſia.

Memoria quid dicatur.

DICO primo, memoria potiſſimum vocatur illa potentia, quæ cognoſcir objectum præteritum. patet ex Ariſt. c. 1o. de memotia, ubi inveſtigat objectum memoriæ, & reſpondet eam verſari circa res præteritas.

Memoria non eſt diſtincta à phantaſia.

DICO 2. memoria oon eſt poteotia diſtincta à phantaſia: Nam quatenus ſenſus internus per ſpeciem hauſtam à ſenſibus externis cognoſcit objectum, dicitur phantaſia proptiè dicta; quatenus verò idem objectum per eandem ſpeciem redeuntem à poſteriori parte cerebri cognoſcit ut præteritum, eatenus dicitur memoria.

DICES, ubi ſunt objecta formalia diſtincta, ibi etiam ſunt diſtinctæ potentiæ; atqui memoriæ objectum eſt diſtinctum ab objecto phantaſiæ, ergo. Reſp. diſtiog. min. quando objecta ita ſunt diſtincta ut unum non contineatur ſub alio, concedo potentias eſſe diſtinctas; quando verò unum continetut ſub alio, oego. jam verò phantaſia pro objecto habet præſens præteritum & futurum; quatenus igitur cognoſcit præteritum, dicitur memoria, ſed hoc eſt obiectum partiale, quod contioetur ſub illo totali & adæquato phantaſiæ.

DICO 3. memoria eſt potentia animæ ſenſitivæ. Prob. Primo, quia non diſtinguitur à phantaſia ut patet; phantaſia autem eſt aoimæ ſenſitivæ, ergo. 2. quia etiam reperitur in brutis. Adverte, triplicia eſſe bruta, quia quædam ſunt, quæ non habenr phantaſiam diſtinctam à guſtu & tactu, ut formicæ & muſcæ, & hæc non habenr memoriam; alia ſuot quæ habent aliquam phantaſiam & aliquam confuſam memoriam, ooo ſunt autem capacia ullius diſciplinæ, quia noo ſatis diſtinguunt inter ſonos v. g. oeque aeeuratè recordantur ut apes &c. denique ſunt alia quæ accuratè audiunt & notant voees & motus hominum, eorumque recordantur, quò fit ut deinde poſſint homiucs imitari aut aſſueſieri, ut ſunt canes &c.

DICES ſenſus non poteſt cogooſcere tempus; ſed præteritum eſt tempus, ergo cognoſcere præteritum eſt tantum intellectus, ergo & meminiſſe. Reſp. dupliciter accipi poſſe tempus, primò materialiter ut eſt quædam duratio; 2. formaliter or eſt meoſura; ſenſus cognoſcir tempus tantum poſteriori modo, quemadmodum cogooſcit etiam motum.

DICO 4. memoria in actu ſecundo (nam hacteous potentia fuir) dici ſolet rei ante cognitæ ut cognits eſt, iterata cognitio; Er coovenit non homini tantum, ſed etiam beſtiis licet non omnibus teſte Ariſt. plutibus in locis & experieotia; Nam quædam nidos ſuos & latibula repetunt, & ſobolem ſive pullos poſt longum tempus recognoſeunt; aliæ autem quæ uni ſemper loco adhærēt, quæque ae eundem locum ſemel mutatum redire non ſolent, meritò cenſentur memotiā carere; ſed de hac memoria variiſque eius problem. vide Conn. l. de memor. & reminiſc. &c.

DIFFICVLTAS X.

An memoria & reminiſcentia ſint idem.

Memoria quid.

DUo ſunt actus in facultate memorativa, unus qui memoria alter qui reminiſcentia dicitur. Memoria definitur communiter à Philoſophis, quod ſit repetita cognitio rei prius cognitæ ut cognita eſt, unde etiam Ariſt. l. de mem. & remio. ſtatim ad ioitium docet, memotiam ad præterita referri; & infra, rei præſentis ſenſum eſſe futuræ ſpem & exactæ memotiam. Remioiſceotiæ verò eſt inveſtigatio rei præteritæ, vel recordatio unius rei ex alio, velut alii, redux & quaſi rediviva memotia ſeu renovatio memoriæ collapſæ; uode perfectius definiri poteſt, quod ſit progreſſio qua potentia memorativa ex aliquo, cuius aliquaodo memotiam habuit, veoit in cognitionem eius, quod nec memoriæ occurrebat, nec etiam à memoria penitus exciderat, v. g. ſi quis librum alteri coroceſſerit & neſciat cui, ſi tandem omnium circumſtantiorum recordetur, veniatque iu cognitiooem eius cui librum conceſſit, dicitur illius reminiſei, cuius aotea ſimplieiter recordati non poterat. Jam ſi quæras, ao & quomodo hi actus ſiot diſtincti. Reſp. &

Reminiſcentia.

DICO, pleroromque opinio eſt, reminiſcentiam eſſe à memoria diſtinctam adeoque actum intellectus, eo, quod coniuncta ſit cum diſcurſu, & quod conrineat inquiſitiouem unius rei per aliam. Nam inquiunt, memoriæ actus eſt cognitio præteriti ut præteritum eſt, reminiſceotia verò inveſtigatio rei præteritæ, & reminiſci ex re oota venire in cognitionem rei, quæ prius fuit oota, ut cum ex alicuius ſermone recordamur rei cuius ante oon meminimus; Et cauſa huius eſt, quia ſit interdum ut ſpecies tantum unius rei redeat in phantaſiam, noo autem redeant ſpecies aliarum rerum quæ fuerunr coniunctæ, ut ſi quis meminerit ſe locutum fuiſſe cuipiam, non meminerit autem ubi, nec qua de re, habeat etiam tantum ſpeciem eius perſooæ cum qua locutus fuerat, & ſermonis in coofuſo, poſtea vero diuturna inveſtigatione incipiat recordari ſermonis loci & aliarum circumſtantiarum, quia ſieut certo ordine iſtæ ſpecies hauſtæ ſunt, ita una redeunte paulatim eodem ordine aliæ etiam redeunt.

Species rerum ordine redeunt.

deunt. Ad reminiſcentiam itaque tria requiruntur, primo ut ſit rei præteritæ. 2. rei jam ante cognitæ; 3. cum aliqua inveſtigatione, adeoque plura ad hanc quam ad memoriam deſiderantur; Nam licet ambæ in hoc conveniant, quod nec meminiſſe nec reminiſci poſſimus ejus rei, cujus ſpecies in nobis planè evanuerunt; ad memoriam tamen ſatis eſt rem antea cognitam ut cognitam apprehendere, ad reminiſcentiam verò requiritur antecedens oblivio, tum inveſtigatio & per omnes circumſtantias demum inventio & recognitio, unde etiam hæc ſolis hominibus debetur, quia in ea reperitur diſcurſus & ratiocinatio ut habet Ariſt. citatus. Sed qui reminiſcentiam faciunt diſcurſum imperfectum, hi neque actum eſſe intellectus dicunt neque realiter diſtinctum à memoria &c. vel certè dicunt, quamvis alius ſit actus memoriæ & alius reminiſcentiæ, & in homine tamen quando imaginatio recordatur, ſimul etiam moveri intellectum, qui & ipſe una cum imaginatione recordetur præteriti; ita ut in homine ſint duo ſemper actus memoriæ quorum alter ſit intellectus, alter phantaſiæ, & reminiſcentia ſit quidam intellectus, & alter actus memoriæ ſit phantaſiæ.

An reminiſcentia ſit diſcurſus perfectus.

DICES, etiam bruta quædam colligunt unum ex alio, adeoque diſcurſum quendam licet imperfectum formant, ergo etiam in iis concedenda eſt reminiſcentia. Antec. patet in vulpe dum glaciem tranſitura eſt, ut conſtat ex dictis & habetur apud Plut. in l. in illuſtr. animalibus; ſimiliter in canibus venaticis &c. Reſp. neg. antec. ad probationem dicitur id quod phyſici dicere ſolent, videlicet nihil fieri in belluis tam ſolerter, quod verum propriumque diſcurſum indicet, ſed tantum ejus imitationem, ad quem in iis ſufficiat naturalis quidam inſtinctus, qui in quibuſdam animalibus magis in aliis minus excellit.

Ad reminiſcentiam requiritur diſcurſus.

Colligitur primo, reminiſcentiam, ad quam requiritur diſcurſus, non poſſet perfici niſi beneficio ejus potētiæ cui diſcurſus attribuitur; hæc autē potentia an ſit tantū imaginativa, an etiam memoria ſenſitiva, ex dictis conſtat. 2. ad reminiſcentiam requiri memoriam alicujus rei, tum inveſtigationem ſeu diſcurſum ex certis circumſtantiis, & demum inventionem ejus, quod quidem exciderat, non tamen omninò evanuerat. 3. non eoſdem eſſe memores & rememorativos; qui enim ingenio ſunt veloces, facilè reminiſcuntur, quia prompti ſunt ad omnia inveſtiganda; qui verò ſunt tardi, plerumque firmius retinent ſpecies ideoque facilè ſunt memores ex Ariſt. loc. cit.

DIFFICULTAS XI.

An memoria ſenſitiva conveniat omnibus brutis.

Reminiſcentia convenit ſolis hominibus.

CErtum eſt, reminiſcentiam convenire ſolis hominibus eò quod ſemper fiat cum diſcurſu qui ſolis hominibus proprius eſt; Certum eſt etiam, memoriam ſenſitivam non tantum convenire hominibus, ſed etiam brutis: quæritur tantum an omnibus.

DICO primo, bruta animantia habent memoriam. Prob. primo authoritate Ariſt. l. de mem. & remin. & 1. met. c. 1. tum communi doctorum conſenſu. Prob. 2. ab experientia; Nam hirundines, ciconiæ aliaque animantia repetunt quotannis ſua latibula & nidos, cognoſcunt ſuos heros alioſque notos; ſimiliter canes, equi &c. habent ſua ſomnia ut patet ex Ariſt. 4. de hiſt. anim. c. 10. & ex Plin. 10. natural. hiſt. c. 7. ſed hæc omnia ſunt manifeſta inditia alicuius memoriæ, ergo.

Solum guſtum & tactum habent conchilia &c.

DICO 2. non omnia bruta animantia habent memoriam. Prob. primo ex eodem Ariſt. locis citatis. 2. quæ ſolo guſtu & tactu prædita ſunt, & res præſentes tantum cognoſcunt, talia non habent memoriam; ſed conchilia aliaque ſcopulis marinis adhærentia ſolo guſtu & tactu contenta ſunt, ergo. 3. ideo potiſſimum dedit natura brutis memoriam, ut noxia fugiendi & bona amplectendi localiter ſe moveant. Neque Dicas hinc ſequi omnia habere memoriam quæcunque locum mutant; quia hæc ſequent. falſa eſt ut cochleæ, vermes, lumbrici teſtantur, quæ omnia carent memoria; quin potius hoc ſequitur, ſi in his quæ moventur localiter, deficit memoria, multò magis deficit in plantanimalibus quæque ſcopulis marinis affixa ſunt, vel in fundo littoribuſque maris & fluminum viſuntur. An piſces memoriam habeant multi dubitant, tum quia deterioris ſunt conditionis quam animalia terreſtria, tum quia non habent ejuſmodi organa coagmentata in quibus ſpecies imprimantur & conſerventur, tum denique quia omne genus piſcium eſt frigidum, cujuſmodi affectio nequicquam ad memoriam conducit: ſed Reſpondetur, etiam ſuam piſcibus eſſe memoriam & præſertim delphinis ut patet ex Plin. l. 10. hiſt. nat. c. 70. & l. 9. c. 8. tum etiam quia conſtat, piſces in eaſdem ſpeluncas certis diei temporibus ſeſe addere indeque regredi, & rurſum eo commeare, & denique ſingulis diebus convenire trutas in certo loco ubi ad campanulæ pulſum ejus cibi adminiſtrantur, quod certum & infallibile memoriæ ſignum eſt. Quod autem imprimis piſces ſint deterioris conditionis quam animalia terreſtria, id verum eſt generatim loquendo primo quod hæc pluribus & perfectioribus organis ad exercendas operationes inſtructa ſint. 2. quod ſenſus habeant

beant

beant acutiores. 3. quod ad eapeſſendas diſciplinas ſint aptiora. 4. quod potiſſima ex parte vivipara ſint &c. Hinc tamen non ſequitur, omnia terreſtria & volatilia eſſe naturæ excellentioris quam aquatilia, quia convincit hoc contrarium in crocodilis, delphinis, balænis & aliis quæ omnia ſunt muſcis, vermibus &c. longè perfectiora & excellentiora; Et hinc patet, multa ex aquatilium genere habere organa perfectiora quam terreſtria aut volatilia ut patet in prædictis animantibus. Quod denique frigus organorum ſtructuram & memoriam impediat, id etiam verum eſt; nihilominus tamen non eſt tantus exceſſus frigoris in piſcibus & omni aquatilium genere, ut propterea tota temperies quæ ad memoriam requiritur, ſit labefactata.

DIFFICULTAS XII.

Quæ requirantur ad bonam memoriam.

HIc non quæruntur ea tantum quæ ad bonam memoriam conducunt, ſed etiam quæ eandem labefactent & labefactatam reſtituant.

Suppono autem, licet ſenſus communis re unus ſit & in eâdem parte cerebri reſideat, memoriam tamen habere ſuam ſedem potiſſimum in parte poſteriori, quæ occipitium vocatur, id quod multi graviſſimi Authores & & cum iis Conn. l. de mem. & rem, c. 7. docent.

DICO primo, ad bonam memoriam requiritur bona primarum qualitatum, temperatura, ita ut organum nec ſit nimis molle aut humidum nec nimis ſiccum & durum. Prob. juſta & temperata mollities facit, ut ſpecies rerum facilè imbibantur, ſiccitas autem & durities, ut imbibitæ retineantur & conſerventur, ergo ſi hæc inter ſe cum frigore & calore moderata fuerint, conducunt ad memoriam: Antec. prob. à contrario, quia imprimis ideo pueri non habent aliquam memoriam, quia habent cerebrum nimis humidum; Deinde nec ſenes eâ multum valent, quia eorum humidum radicale indies conſumitur & membra planè marceſcunt, quam ob cauſam etiam ea obliviſcuntur quæ olim didicerant. Adverte tamen, aliquando facultatem memorativam ſpecierum multitudine nimium fatigari actumque memoriæ perturbari, præſertim in pueris, apud quos res aliæ pro aliis ſeſe menti ingerunt animique intentionem diſtrahunt, quod etiam in aliis quotidiè obſervamus.

DICO 2. præter nimiam ſiccitatem & humiditatem lædunt & impediunt memoriam omnes affectus præternaturales; adhæc vigiliæ, nimia ſtudia, labores, exercitia, exceſſus in 6. rebus non naturalibus &c. à quibus omnibus intemperies inducitur & memoria offenditur; Unde Gal. 6. de loc. affect. c. 5. ubi agit de læſa memoria, refert, ſe quendam noviſſe, qui ex continuis vigiliis & ſtudiis cerebrum ita exſiccaverit, ut omnem penè memoriam amiſerit; Neque tamen ſola humiditas aut ſiccitas memoriam offendunt, ſed aliæ inſuper qualitates, & imprimis frigus, quod omnes functiones naturales facit torpidas, unde etiam ſingulariter ab ebrietate vel nimio vini potu, à cruditate ventriculi, pleniori ciborum ingeſtione, fructibus horariis, lacte, caſeo, carnibus ſalſis & ejuſmodi rebus quæ copioſos humores crudos & frigidos generant, cavendum eſt. Sed an læſa memoria reſtitui poſſit? Reſp. &

DICO 3. multa ſunt vera & licita, multa fucata, incerta, imò falſa ad reſtaurandam memoriam collapſam. Ad confirmandum primum eſt communis doctrina & opinio, nihil magis pro excolenda memoria conducere, quam quotidiana exercitatio: Nam experientia docet, juventutem in hoc genere fieri ſolertiſſimam, ſi quotidiè aliquid memoriæ tradat & tam in ligatis quam ſolutis orationibus memoriter addiſcendis ſeſe exerceat, id quod in omnibus aliis rebus eſt notiſſimum, ubi patet, nos ſemper à crebris ſæpiuſque repetitis actibus habitum tandem contrahere, & in quo prius eramus difficiles & quaſi inhabiles, paulatim fieri faciles & exercitatos, ſimiliter ad reducendam vel conſervandam memoriam conducunt omnia ea quæ corpori & imprimis cerebro nativam & connaturalem qualitatum temperiem vel conſervant vel inducunt, ab omnibus injuriis tuentur, & à quibuſvis ingruentibus morbis, quibus memoria labefactari poſſit, defendunt. An autem, quod ſecunda pars concluſionis eſt, omnia ea memoriæ conferant, quæ à viliſſimis impoſtoribus vel medicis indoctiſſimis ſub medicinæ pallio paſſim inſperguntur, valdè incertum eſt; Nam licet conſtet eſſe modos quoſdam & leges à viris exercitatiſſimis, quibus egregiè memoria excolatur; nihilominus tamen impia ſunt, damnata præſtigia fraudeſque impudentiſſimæ, quæ à multis circulatoribus & Empyricis, inter quos non ultimus eſt Alex. pedem, ad faciendam hominibus memoriam non minus lepidè quam imperitè divulgantur.

DIFFICULTAS XIII.

Quid ſit vigilia, quid ſomnus & quomodo fiat.

SOmnus dicitur paſſio ſenſus communis ideò, quia omnes ſenſus externos ligat, quaſi & conſopit, proindeque eſt affectio alicujus potentiæ, à qua dependent omnes ſenſus externi, ſenſus ſcilicet communis. Dicitur autem potius ſenſus communis quam phantaſia pati ſomnum, quia ſenſus communis eſt

in

in anteriore parte cerebri, ut multis placet ubi refrigerantur vapores obſtruuntque meatus.

Somnus eſt privatio quædam. Suppono autem, ſomnum eſſe privationem quandam vigiliæ, omnemque privationem definiri per formam, unde etiam prius definienda eſſet vigilia, niſi ex definitione ſomni jam proximè ſequente facilè colligeretur, Itaque

Somnus quid. DICO, Tametſi ſomnus variè à variis definiatur, nihilominus tamen hæc videtur præferenda, videlicet ſomnus eſt impedimentum operationis ſenſus externi propter obſtructionem meatuum cerebri, per quos ſpiritus animales deferuntur ad ſenſus externos. Conn. l. de ſomno & vigilia loco cauſæ efficientis quam omittunt, apponunt cauſam finalem, ideòque dicunt ad animantium quietem & ſalutem eſſe inſtitutum. Dicitur primò impedimentum ſenſus externi, quæ particula opponitur vigiliæ, quia tunc dicimur vigilare, quando poſſumus ſenſibus externis operati cum volumus, ſiquidem vigilia nihil eſt aliud, niſi ſenſuum externorum, intellige omnium vel aliquorum tantum ſolutio & libertas, unde etiam dicitur tunc animal vigilare, quando tranſmiſſis ſpiritibus animalibus ad ſenſus externos ſentit, videt, audit, movet ſe &c. dicitur ideò ſenſuum omnium vel aliquorum, quia putant aliqui, ſatis eſſe ut animal vigilare dicatur, ſi unus ſenſus operetur. Additur in definitione propter obſtructionem meatuum &c. ut excludatur ectaſis & alii morbi quibus impeditur vigilia; Non enim quodvis impedimentum vigiliæ ſomnus eſt, ſed illud ſolum quod oritur ex memorata cauſa, quando ſcilicet meatus per quos ſpiritus transfunduntur à cerebro, à vaporoſa ſubſtantia intercluduntur. Cum enim opus ſit ſpiritibus ad operationem ſenſus externi, viâ illis interclusâ non poteſt fieri ſenſio; Ita Ariſt. de ſomno & vigilia & 2. de part. c. 2. Et prob. primo, ſomnus maximè ſolet excitari poſt cibum, quia dum ille concoquitur, evaporat, vapores autem natura calidi petunt caput, atque ibi refrigerantur, à cerebro refrigerati & graviores facti occupant meatus ſpirituum eoſque intercipiunt, 2. qui excitantur à gravi ſomno, ſentiunt oculos & palpebras admodum graves, quia ſpiritus non poſſunt ad exteriora membra tam citò concurrere occluſis meatibus, membra autem deſtituta ſpiritibus ſunt graviora. 3. quæcunque ſumpta conciliant ſomnum, ut vinum, cereveſia &c. hæc natura ſua abundant vaporibus, ergo ſignum eſt concurſu vaporum fieri ſomnum, 4. vehementi labore & motu fit ſomnus, quia utrumque calefacit, calor autem rarefacit & reſolvit vapores, qui elati ad caput & frigefacti obſtruunt meatus cerebri. 5. omnes morbi, qui habent adjunctum ſomnum, oriuntur ex abundantia humidi, contrà verò qui vigiliis ſunt conjuncti ex ſiccitate. 6. pueri ſunt magis obnoxii ſomno, quia magis abundant humoribus, ut docet Ariſt. 4. de parte cap. 10. Et hæc eadem cauſa eſt, cur prima ætate non poſſint ſtare pedibus, quia propter copiam humidi nervi qui in cerebro oriuntur, ſunt nimis molles & laxi, ideoque pars corporis inferior non poteſt ſuſtinere pondus ſuperioris; unde etiam bonum eſt negare pueris aut eorum nutricibus vinum vel ſaltem copioſum & fortè, quia cum ſit nimis vaporoſum, additum nativo puerorum humori facilè conciliat Epilepſiam & alios morbos. Huc etiam pertinet quod habet Ariſt. ſ. 10. probl. 53. ubi quærit, cur præ omnibus animalibus homo maximè ſit obnoxius deſtillationibus & ſternutationib9. Reſp. quia ſolus eſt ſtaturâ rectâ, ac proinde in eo vapores rectà aſcendunt, in reliquis autem animalibus intercipiuntur & diſſipantur per atmos; Qui cum Conn. definitioni addunt, quod ſomnus animali ad quietem & ſalutem ſit à natura inſtitutus, ij cauſam finalem explicant docentque multum poſſe prodeſſe ſomnum ſi conveniens & moderatus ſit, plurimum autem obeſſe, ſi excedat. Nam ſicut per vacationem ſenſuum externorum diſpendia ſpirituum animalium reſarciuntur, ſpiritus vitales in ſiniſtro cordis ſinu exactius elaborantur, cæteraque facultatum & partium munia expeditius abſolvuntur, adeoque ſomnus ſi legitimus ſit & naturalis, eſt recreator corporum, redintegrator vitium, probator valetudinis, pacator operum medicuſque laborum ut ait Tertull. l. de anima cap. 43. *Somnus moderatus cur conducat.* Ita etiam ſi immoderatus ſit & intempeſtivè adhibeatur, laxat membra, calorem nativum hebetat, gravat caput redditque homines ſtupidos, ſocordes, obliviosos, ad vitia proclives & ad labores ſubeundos pigros & inutiles. Idem de vigilia intellige, quia & hâc vitæ ſalutique animalium natura conſulere voluit, ut inter hanc & ſomnum eſſet mutua quædam reciprocatio & jucunda viciſſitudo, quorum alternis mutuiſque vicibus apta corporis conſtitutio conſervetur vireſque inſtaurentur & reficiantur; Nam ſi moderata ſit, calor vitalis quaquaverſum in membra diffunditur, facitque ut omnes facultates ſuas convenienter eliciant operationes; ſi verò modum excedat, ſpiritus exhauriuntur, nativus humor conſumitur, cruditates gignuntur, ſenſuum functiones debilitantur, acciditque non rarò ex nimia ſiccitate delirium, inſania & interitus: Vide Gal. comm. 2. ad 1. prorhet. t. 29. l. 7. aphor. com. 18. &c. *Vigilia quando conducat.*

DICES primo, laſſitudo, ſilentium, tenebræ, ſuavis muſica, leve murmur aquæ & ſimilia faciunt ſomnum, ergo non exhalatio alimenti aut obſtructio meatuum cerebri. Reſp. neg. conſeq. quod autem hæc omnia mirè ſomnum concilient, ideo fit quia animum colligunt & à ſenſuum diſtractione abducunt, proindeque faciunt, ut ſpiritus intus revocentur, & viæ quibus ſpiritus meant & remeant, occludantur.

DICES 2. non ſemper à ſumptis cibis ſomnum capimus, ſed ſæpè inanito planè ſtomacho, pleno autem vigilamus, ergo. Reſp. ſi ex inanito ventriculo aliiſque partibus nihil omninò exhalet, nullique vapores ad caput ferantur, fieri potius vigiliam & ſomnum nullum, quod ſi autem pleno ſtomacho nullus ſequatur ſomnus, id aliunde evenit, vel quia evaporatio in ventriculo inhibetur, vel quia in cerebro nulla concretio fit vaporum. Et hinc facilè colligitur modus, quo ſomnus fiat, videlicet ut exactè id explicant Conn. citati, cum quis ſe dat quieti, refrigerato mox nonnihil cerebro (quia hujuſmodi quietem ſequitur frigus) condenſantur & in eo concreſcunt vapores ad eum modum quo halitus in aquam vertitur; ſic igitur exhalatio condenſata iterumque inferiorem locum ſuo pondere capeſſens obturat meatus, per quos ſpiritus animales ad externorum ſenſuum domicilia effundendi erant: Cujuſmodi enim obſtructio non ſolum impedit deſcenſum ſpirituum animalium è cerebro, ſed etiam aſcenſum vitalium è corde ad idem cerebrum; & hoc durante durat etiam & perſeverat ſomnus. Non tamen oportet obſtructionem illam eſſe nimis pertinacem, qualis fit ex rebus nimium craſſis, frigidis &c. ne ſenſus ſemel hoc modo ligati nunquam amplius ſolvantur, ut ſæpè ex intempeſtiva opii exhibitione contingit ægris; Hæc Conn. conſormiter doctrinæ Ariſt. l. de ſom. & vigil. tum 2. de part. c. 7. ubi habet ſomnum induci evaporatione & obſtructione meatuum per quos ſpiritus animales excurrunt.

DIFFICULTAS XIV.

Quæ potentiæ in ſomno ligentur.

SUppono, ſomnum convenire omnibus animantibus, id quod perſuadet communis ejus neceſſitas, & confirmat authoritas Ariſt. l. de ſom. & vigil. & 4. de hiſt. animal. cap. 10. Plin. l. 10. hiſtor. natural. c. 75. &c.

DICO primo, Certum eſt, in ſomno nec impediri potentiam nutritivam nec intellectum omninò. Ratio prioris eſt, quia ſomnus eſt paſſio animæ ſenſitivæ, non vegetativæ, & idcircò plantæ non dormiunt: poſterioris verò eſt, quia multi in ſomnis contexunt ſyllogiſmos, etiam de rebus ad ſcientiam ſpectantibus, tum alia plura quæ non niſi per intellectum fieri poſſunt.

DICO 2. Senſus externi in ſomnis non omnes æqualiter ſemper ſopiuntur. Prob. quia multi in ſomnis audiunt voces loquentium atque etiam reſpondent; imò narrat Card. l. 8. de varietate cap. 43. quendam cum nocte ſurrexiſſet, totum officium mortuorum legiſſe, acceſſiſſe deinde ad principem cui erat à cubiculis, ab eo mandata accepiſſe, reſpondiſſe nec unquam evigilaſſe; patet idem de odoratu, quia ſi dormienti vehemens odor objiciatur, corrugat nares: De tactu eſt res manifeſta.

DICO 3. potentia motiva animalium non omninò ſopitur in ſomno. Eſt experientiæ, quia dormientes ſæpè agitant brachia ſeque verſant, imò ſunt qui domorum faſtigia aſcendant; ratio eſt, quia etiam inter dormiendum ſpiritus animales liberè divagantur per nervos, influitque vis motiva; quæ accedente phantaſia fortique imaginativa operatur.

DICO 4. ſenſus communis non omninò ſopitur in ſomno. Nam licet ejus organum obſideatur, tamen interdum in ſomno ita res apprehendimus quaſi reverà eſſent præſentes atque iis movemur. Deinde multi expergefacti meminerunt quid in ſomno egerint, quo iverint &c. hoc autem eſt officium ſenſus communis cognoſcere operationes externas.

DICO 5. Imaginatio in ſomno partim impeditur partim etiam fit acrior. quod impediatur, prob. primo, quia in ſomno non cognoſcuntur omnes circumſtantiæ; Nam ideò dormientes ambulando conjiciunt ſe ſæpè in maxima pericula, quia illa non advertunt, & propterea etiam quæ fiunt in ſomno, non cenſentur eſſe peccata; Etiamſi enim non omninò ſopitus ſit intellectus non eſt tamen planè libertas quæ requirit accuratam cognitionem circumſtantiarum, propterea etiam periculoſum eſt iis acclamare, qui dormientes aſcendunt tecta, quia expergefacti cognoſcunt in quo ſunt periculo quod antea non cognoverant, atque ita perterriti decidunt. Quod etiam imaginatio reddatur acrior, prob. primo, ex eo, quod ſpiritus qui ſerviiſſent ſenſibus externis, reſideant in phantaſia & anima minus diſtrahitur. 2. Vaporea quibus obſidetur cerebrum, faciunt ut res videantur majores quam ſint, & ita ſomnia tantò vehementius repræſentantur, quod Fracaſt. explicat exemplo eorum qui hyoſciamum biberunt cujus folia admodum ſunt vaporoſa; Illi enim ſi in eos decidat feſtuca, non aliter exclamant quam ſi ingens trabs decideret, quia nimirum habent caput vapore repletum, per quem ſpecies feſtucæ augentur, ut trabem etiam repræſentare videatur.

Nota ſtabil. quare vocati ſint in periculo.

DIFFICULTAS XV.

An noctambuli verè vigilent, an verò dormiant.

MAxima eſt vis phantaſiæ in ſomno, quia tum temporis omnes reliqui ſenſus ceſſant, & non diſtrahunt ſpiritus, ſicque ſola hæc vis dominatur; Eſt enim ſpiritus tunc magis collectus & unitus cum deſerit externa ſenſoria præſtòque eſt phantaſiæ, & ſic animæ virtus tota incumbit in formanda mera phantaſmata eaque miris modis componenda. Eſt autem phantaſma nihil aliud niſi actio phantaſiæ aut objecti

Phantaſma quid.

Phantaſia quid. objecti externi ſimulachrum actione phantaſiæ formatum; phantaſiam vocamus eam vim, qua nos ipſi rei cujuspiam vel abſentis vel etiam falſæ & in rerum natura non ſubſiſtentis phantaſma, idolum, ſimulacrum & imaginem pro libitu & voluntate noſtra interius effingimus & formamus. Vide Dand. l. 3. de anima com. 49. Jam circà eos qui inter dormiendum è lecto ſurgunt, & huc illucque oberrant, quæritur, an reverà dici poſſint experrecti & vigilantes an verò adhuc dormientes. Nam imprimis videntur dormire & adhuc ſopore affecti eſſe, quia nec ſui nec reliquorum ſenſuum ſunt compotes; Deinde vigilantes inde videntur eſſe, quia habent ſufficientes ſpiritus animales ad motum, ergo etiam ad reliqua facultatum munia exercenda. Jam

Noctambuli nec vigilant nec dormiunt. DICO, Noctambuli qui ſopore affecti è lecto ſurgunt, non vigilant, nec perfectè ſomnum capiunt. Prob. primum, quia hujuſmodi homines non ſunt ſibi præſentes aut ſui compotes, nec ſenſus ſuos habent liberos, ergo non dicendi ſunt vigilantes. Prob. ſecundum, quia nec habent omnes ſenſus ligatos ut patet ex eorum actionibus, ergo nec perfectè dormiunt nec perfectè vigilant ſed medio quodam modo ſe habent. Antec. patet primo, quia non vident, non loquuntur, non æſtimant periculum in quo aliquando ſunt, neſciunt quid agant &c. 2. præter motum arbitrarium & voluntarium, qui ſpiritibus animalibus regitur, habent tactum aliquem licet obſcurum, dum videlicet ſeſe induunt, januas aperiunt, manibus quædam arripiunt & omnia ea faciunt quæ fieri non poſſunt abſque tactilium perceptione; Et parum eſt, quod ſui interea non ſint compotes quia ad hoc requiritur ſolutio internorum ſenſuum, qualis hic non eſt. Cauſa verò noctambulorum eſt,

Cauſa noctambulorum. quia ut Vega in 3. Gal. de loc. affect. advertit, via per quam cerebri facultas ad motum pectoris & articulorum influit, laxior eſt, quam ea per quam in ſenſuum externorum organa illabitur, quò fit ut non æqualiter potentia motiva & ſenſitiva exterior à ſuis functionibus inter dormiendum impediatur, præſertim cum imaginatio quæ appetitum ad motum excitat, ſæpe in dormientibus fortior & vehementior ſit, utpote cui tunc ratio non obſiſtat. Vide Gal. l. 2. de motu muſcul. c. 4. ubi ait, ſe aliquando inter dormiendum integrum ſtadium ambulaſſe.

Adverte tamen, potentiam loco motivam non tantum operari in noctambulis, ſed etiam in iis qui verè dormiunt ut patet ex iis qui in ſomno loquuntur, ſe vertunt, manus & pedes movent &c. Vide Ariſt. 5. de gen. animal. c. 1. ubi ait, noctambulos etiam videre eo modo, quo illi qui vigilant.

DIFFICULTAS XVI.

Quomodo homo à ſomno expergiſcatur.

Communis doctrina eſt, animal à ſomno ceſſare, cum meatus ſenſorii qui prius clauſi ſomnum faciebant, denuò operiuntur & ſpiritus ad ſenſuum organa redeunt. Sed quæritur quomodo id fiat; Nec ſufficit dicere, quod aut à ſeipſo, aut ab alio expergiſcatur; Nam quicquid de primo ſit, ſi quis v. g. dormientem ſomnoque oppreſſum clamando excitet, dubium eſt quonam modo id fiat. Nam ſi ſenſorium auditus influxu cerebri & ſpirituum animalium ſit diſtitutum, quorum tamen beneficio & miniſterio ſenſiones perficiuntur, non apparet quomodo dormiens clamorem percipiat, tametſi certum ſit, eo hominem expergiſci. Itaque

DICO primo, ſi animal à ſeipſo vel ſponte ſua excitatur, cauſa eſt peracta & abſoluta concoctio. Prob. quia tunc animal à ſomno excitatur, quando ſpiritus ad organa ſenſuum diffunduntur; ſed hoc fit poſt exactam concoctionem, ergo. Nam poſt decoctionem calor naturalis, qui prius ad inferiora ſe abdiderat, & in diſcretione ſanguinis feculenti & turbidi à puriori & tenuiori occupatus erat, ideòque ſomnum fecerat, jam paulatim ad extimas partes delabitur, ut proinde animalia quaſi onere quod à cibis vaporoſis incumbit, depulſo à ſomno excitentur. *Dormiens è ſomno excitatur.* Intellige tamen id totum de legitima & naturæ convenienti expergefactione, quia poteſt fieri, ut ex ſe & ſponte animal expergiſcatur etiam ante peractam coctionem, idque ob multas rationes & cauſas extrinſecas; hic enim ſermo eſt de communi & naturali ſive ordinaria expergefactionis cauſa quæ eſt quod apetiantur meatus, per quos ſpiritus animales tranſmeant; Aperiuntur autem meatus ordinariè, ſi animal benè rectèque ſe habeat, poſtquam vapores qui eos occluſerant, calore cerebri ſunt conſumpti.

DICO 2. ſi animal excitetur à ſomno violenter, tunc organa externorum ſenſuum in eo qui dormit, non omninò privantur influxu cerebri, nec ita deſeruntur à ſpiritibus animalibus, ut non aliqui eis ſuppetant, quorum opera ſaltem vehementia ſenſilia percipere valeat. Cum itaque quis dormientem inclamat, anima ſono & auditoria ſpecie excitata ad audiendi actum concurrit ſonumque dignoſcit; primo quædam obſcurè & quaſi per umbram, paulatim verò clarius & diſtinctius, ſubindeque virtuti expulſivæ conatum faciens majorem immittit ſpirituum copiam, quorum irruptione ſenſus communis acceſſus viæque ad ſenſoria pariter reſerantur, atque ita qui antea ſopitus erat, evigilat. Sunt tamen nonnulli qui ægrè à ſomno poſſunt excitari, ita ut

Digitized by Google

etiam vehementius pulſati vix ſibi reddantur, cujus rei cauſa eſt, quia pauciores vel hebetiores ſpiritus in organis ſenſuum retinent, vel obſtructiores habent meatus. Vide Conn. l. de ſomno & vig. c. 6.

DIFFICULTAS XVII.

Quid ſit ſomnium.

ADvertè eos qui humido abundant, minus ſomniare, quia videlicet ligantur ſenſus & impeditur phantaſia; Hinc pueri minus ſomniant, magis autem placido & profundo uruntur ſomno; Cibi ſoporiferi propter craſſos vapores aut impediunt ſomnia aut faciunt turbulentiora; Initio ſomni non multum ſomniamus, quia ſomnus ob vaporum primæ concoctionis multitudinem nimis profundus eſt, poſtea eveniunt quidem multa ſed turbulentiora quod vigeant adhuc vapores; poſtremò autem tranquilliſſima ſunt & placidiſſima vaporibus jam penè conſumptis, aut certè ſedatis & tenuioribus factis. Melancholici multum ſomniant propter magnam vim phantaſiæ, ſenes parum propter imbecillitatem, alii etiam aut rarò, aut numquam per totam vitam propter copioſum vaporem adeoque ſomnum profundum, quod licet ratum ſit, contigiſſe tamen narratur. Jam

Somnium quid. DICO primo, ſomnium quod eſt paſſio phantaſiæ & affectio ſomni, eſt viſum ſeu phantaſma quod in ſomno apparet; Ita Ariſt. de ſomniis in fine & initio, & eſt ſenſus quod ſomnium ſit apparitio exhibita per ſenſum internum in iis qui ſomno ſopiti ſunt. Ad hujus definitionis claritatem tria in ſequentibus explicanda ſunt, primo quid intelligatur per viſum ſeu phantaſma. 2. unde phantaſma habeat ſpecies in ſomniis, id eſt, quomodo fiant ſomnia, 3. à quo ſpecies illæ producantur. Dicitur in definitione quod ſomnium ſit apparitio, ſcilicet phantaſma ſeu viſum, quia eſt operatio phantaſiæ ut infrà dicetur: per ſenſum internum reiiciuntur cognitiones intellectus, quas dormientes aliquando fingunt & ſomnia impropriè dicuntur. Dicitur ultimò qui ſomno conſopiti ſunt, ut excludantur ſenſiones internæ, quæ amentibus & phreneticis accidunt; tales enim non ſunt ſomnia dicenda, quia fiunt ſolutis per vigiliam ſenſibus.

Operatio phantaſiæ quid. DICO 2. operatio phantaſiæ benè definitur, quod ſit motus à ſenſu ſecundum actum factus. Dicitur primo motus, id eſt, alteratio quædam, ſcilicet perfectiva non corruptiva; poteſt autem dupliciter conſiderari alteratio phantaſiæ; ut eſt receptio ſpeciei à ſenſu communi, & receptio ipſius operationis phantaſiæ: hoc loco intelligitur per motum receptio ſpeciei, quia operatio phantaſiæ non poteſt dici receptio ſpeciei. Dicitur. 2. à ſenſu, ubi per ſenſum non ſolum intelligitur extrinſecus, ſed etiam communis; à ſenſibus enim externis tranſmittitur ſpecis ad communem, à communi ad imaginativam, à quibus phantaſia exercitatur ad operandum, & ideò operatio phantaſiæ dicitur motus à ſenſu factus, non quod phantaſia non eliciat ſuam operationem, ſed quod eã eliciat ope & auxilio ſenſus communis: præterea cum dicitur eſſe motus à ſenſu factus, intellige, immediatè factum eſſe, alioquin etiam intellectus movetur à ſenſu, ſed mediatè. 3. additur ſecundum actum, ideſt, per operationem factus, non quod una cum operatione phantaſiæ debeat eſſe operatio ſenſus, ſed quod non poſſit operari phantaſia niſi præceſſerit operatio ſenſus; unde

DICO 3. In definitione ſomnii per phantaſma non intelligitur ſpecies ſerviens phantaſiæ ſed operatio phantaſiæ, ita ut ſit ſenſus, ſomnium eſt operatio phantaſiæ quæ fit in ſomno. Dicitur autem operatio phantaſiæ, non intellectus aut ſenſus communis, quia tametſi in ſomno hæ potentiæ operentur, non poſſunt tamen operari abſque phantaſia; non intellectus, quia in hac vita ſemper dependet operatio intellectus à phantaſiæ operatione; nec ſenſus communis, quia cùm in ſomno petendæ ſint ſpecies ex poſtrema parte cerebri juxtà plurimorum opinionem, phantaſia autem ſit in medio ventriculo cerebri, & ſenſus communis in partibus anterioribus, ſpecies neceſſariò redeunt prius ad phantaſiam quam ad ſenſum communem; quod autem ſomnium non ſit operatio intellectus, probatur, quia etiam bruta animantia ſomniant ut docet Ariſt. 4. de hiſt. anim. c. 10.

DICO 4. phantaſia ad operationem quæ eſt ſomnium, utitur ſpeciebus relictis in memoria. Hic duo oſtendenda ſunt; primum quod ſpecies conſerventur in cerebro; ſecundum quod in ſomniis redeant ad phantaſiam, prius prob. experientia, qui enim vigilans aliquando aliquid vidit, poteſt deinde cum vult, de eo cogitare; ſed non poteſt ſine ſpecie, neque ullam ſpeciem tunc accipit ab objecto externo, ergo debet aliquid retinuiſſe; non poteſt autem aſſignari alia pars ubi retineatur quam cerebrum, ergo. Quod verò redeant in ſomniis. prob. quia vigilantes haurimus omnes ſpecies ab objectis externis, quæ impediunt ſpecies reconditas in memoria; In ſomniis verò ſopiti ſunt ſenſus externi, ergo facilius poſſunt redire ſpecies.

DICO 5. Species in ſomniis redeunt à memoria ad phantaſiam primò per calorem, 2. per vehementem alterationem. 3. per ſenſionem præteritam. De calore prob. quia ſpecies conſervantur in ſpiritus, ſpiritus in ſanguine, calor autem rarefacit & reſolvit ſanguinem, ergo quando reſolvitur calore ſanguis, è ſinu memoriæ ſuperfluit & una cum eo ſpiritus & ſpecies, quemadmodum fieri ſolet in aqua, cum qua dum ſuperfluit, omnia deferuntur quæ in ea ſunt. De vehementi alteratione prob. experientia; Nam qui ventoſitatem aliquam *Species conſervantur in ſpiritibus.*

aliquam patiuntur, ſomniant ſibi excidere dentes; Et Galenus refert, quendam ægrum cum ſomniaſſet ſe emittere ſanguinem è vena quæ erat inter pollicem & indicem, indeque eſſe curatum, experrectum hæc feciſſe & curatum fuiſſe. Ratio erat, quia ſanguis abundans in ſomno pulſabat illam venam, quo pulſu excitatæ ſunt ſimiles ſpecies in memoria, atque ita factum eſt, ut natura quodammodo demonſtrarit illi, quo remedio eſſet utendum; Et hinc eſt, quod Medici de complexione & valetudine judicent. Tertiò quod vehementi aliqua ſenſione præterita excitentur ſpecies, docet experientia, quia de iis ferè rebus ſomniant homines, quæ vigilantes ſollicitos habuerunt; Unde etiam fures & latrones furcas & rotas ſomniant, quia vigilantes eas vehementer extimeſcunt.

DIFFICVLTAS XVIII.

An ſomnia ſint vera vel falſa.

VAriè ſolent dividi ſomnia; Nam aliqui faciunt eorum quinque genera, videl. oraculum, viſionem, ſomnium, inſomnium & phantaſma; ſingulorum naturam vide apud Conn. l. de ſomn. c. 3. Alii juxta numerum cauſarum diſtribuunt ſomnia, aut enim dicunt fieri ſomnia ex plenitudine vel inanitione corporis, vel ex antecedentibus curis, vel ex illuſione dæmonis, vel ex revelatione Dei &c. Hipp. l. de ſomn. ait ſomnium duplex eſſe, naturale & divinum. Conn. & potiores hoc ſeculo phyſici & Medici videntur optimè dividere ſomnia in divina, dæmoniaca, naturalia & animalia. Jam dum quæritur, an ſomnia ſint vera vel falſa, poteſt hæc quæſtio dupliciter intelligi, primo reſpectu rerum præſentium, 2. reſpectu rerum futurarum aut occultarum; Hic agetur de priori, de poſteriori in ſequenti difficultate; Eſt autem quæſtio, an omne ſomnium nos decipiat, vel an aliquod verum ſit.

Aliqua ſomnia ſunt fallacia.

DICO primo, aliqua ſomnia ſunt fallacia. Prob. primo ab experientia, quia videmur nobis aliquando audire vel non videre, quæ non audimus vel videmus. Ratio verò eſt, quia in ſomno ſpecies liberius redeunt ad ſenſum communem qui repræſentat res ut præſentes; neque tunc corrigitur, ut in vigilia ſenſus noſter ab intellectu, quia hic in ſomno omninò ſopitus eſt. Eſt autem difficile cauſam reddere, cur v. g. eadem ſpecies lectionis heſternæ, ſi vigilanti redeat in phantaſiam, repræſentet rem ut præteritam, ſin autem dormienti, ut præſentem; probabilis cauſa videtur, quia ſpecies primariò refert objectum, ſecundariò circumſtantias; quando ergo phantaſia vel ſenſus communis ſolutus eſt ab omni impedimento, utitur ſpecie cum circà objectum cum circà omnes circumſtantias; In ſomno verò cum impediatur, objectum quidem vehementer intuitur, circumſtantias verò vel non attendit vel minus accuratè. Prob. 2. Interdum in ſomno videmur nobis multa loca peragraſſe, & in iis multum temporis conſumpſiſſe, cum vix unam aut alteram horam dormiverimus, quia nimirum tunc ſomnus eſt turbulentus & inquietus; & hæc eſt deceptio, ergo.

DICO 2. non omne ſomnium eſt fallax. Probatio deſumitur ab experientia, qua conſtat, mira ſæpius in ſomno hominibus occurrere quæ poſtea verificentur. Sed obſcura eſt ratio, cur interdum ſomniemus aliquid fieri de quo nihil ſciebamus, & tamen poſtea ita evenire comperimus: Cælius Rhodiginus l. 14. antiq. hiſtor. ſive lection. cap. 42. de ſeipſo hæc narrat; meminerat ſe in quodam ſcriptore aliquid legiſſe, nec tamen Authoris recordabatur, poſt diuturnam inquiſitionem ſomno ſe dat, in quo videtur ſibi offerri liber, aperiri pagina, atque adeò verſus ipſe oſtendi, quod ſcriptum erat id quod quærebat; expergefactus ſumit in manus librum qui monſtratus erat, paginam & verſum quærit, remque ita ſe habere reperit. Similia referunt tum alii tum Fracaſt. l. 3. de intell. & Alex. ab Alex. l. 1. genial. dier. cap. 11. Et veriſimile eſt in talibus ſomniis intellectum non planè ſopitum eſſe ob ſollicitudinem & curam, & cum vigilans multa cogitaverit, in ſomno in eâdem inveſtigatione perſeverare, ac tandem fortuito rem ipſam attingere, quanquam nonnulla ex his ſomniis peculiariter in divinam providentiam referenda ſint.

DIFFICULTAS XIX.

Quantum ſomniis ſit credendum.

QUæritur hoc loco quænam ſomnia portendent aliquid futurum vel occultum.

DICO primo, non omnia ſomnia ſunt præſagia rerum futurarum. Ratio, quia plerumque oriuntur fortuitò concurſu ſpirituum; Deinde quia teſte Cicerone l. 2. de divinatione, totas ſæpè noctes ſomniamus, & tamen rariſſimè aliquid ejus evenit. Quod autem aliqui dicant, omnia quidem ſomnia aliquid ſignificare, ſed à nobis non intelligi, id lepidum eſt, quia unde ſcimus ſomnium aliquid portendere, ſi nemo poſſit explicare?

DICO 2. ſomnia immiſſa à Deo vel ab Angelis ſæpè ſunt præſagia futurarum & occultarum rerum. Prob. ex ſacris litteris, quæ hujuſmodi ſomniis plenæ ſunt; Et non tam Deus quam Angeli cognoſcunt res occultas & poſſunt movere ſpecies eaſque à memoria reducere ad phantaſiam ergò etiam poſſunt res occultas ſignificare in ſomno; Et parum eſt Ariſt. de divin. contra-

Digitized by Google

rium ſcripſiſſe, quia non potuit ille ubique ea docere, quæ religio Chriſtiana adprobatet, cum ea ſolum docuetit quæ juxta humanum intellectum videntur probabilia; concluſioni autem conſentit Hipp. qui l. de inſomn. oſtendit à Deo hæc immitti poſſe.

Somnia etiam immittunt ſpiritus.

DICO 3. Etiam dæmones poſſunt immittere ſomnia quæ ſint præſagia rerum futurarum. Prob. quia multa novit dæmon quæ hominibus ſunt occulta, & poteſt movere ſpecies; ſed hoc differunt ejus ſomnia ab iis quæ immittuntur à Deo & ſpiritibus bonis primò quod ferè ad malum aut certè ad aliquid temerarium alicujus mali causâ. 2. quod poſt ejus ſomnia homines ſentiant ſe minus eſſe paratos ad bonum. 3. quod frequentiſſimè fallant, ut variis multiſque exemplis videre eſt apud Delr. 4. diſquiſ. magic. cap. 3. q. 6. Quod ſi interdum eveniant quæ ille in ſomnis prædicit, facit ideo ut homines ſibi devotos retineat, tandemque in pernitiem impellat.

Somnia naturalia.

DICO 4. ſomnia naturalia poſſunt eſſe probabilia præſagia morbi vel mortis futuræ. Ratio eſt, quia ſomnia naturalia ſæpè proficiſcuntur ex abundantia humoris noxii: ſic abundantia ſanguinis facit, ut in ſomno videantur rubentia, incendia &c. Copia pituitæ obiicit in ſomniis aquas, navigationes &c. cholera rixas, jurgia, bella, inimicitias. Melancholia funera, cæmeteria, triſtia, obſcura, terribilia &c. Sunt præterea quædam ſomnia, quibus cauſa tantum reſpondet eventus; Exempla ſunt multorum, tum quod refert Fracaſt. 2. de intellectu, de Petro Bembo, qui poſtea Cardinalis & celebris venetorum Hiſtoricus fuit; Is admodum juvenis litem habebat cum aliquo; & cum inſtaret dies ſententiæ à Judice ferendæ, mater enixè eum rogavit, ne in forum eo die exiret, ſomniaſſe ſe illum vulneratum fuiſſe à Reo in digito minimo ſiniſtræ manus; nihilominus ipſe in Judicium venit, ubi poſt longam altercationem Reus educto gladio ipſum eâdem in manus & digiti parte vulneravit, quam mater ſomniaverat; Exempla plurima videri poſſunt apud varios, & imprimis apud Alex. ab Alex. l. 3. cap. 26. dierum genial. quibus addo & meum, quod mihi Anno 1633. Menſe Auguſto (nox excidit) dum Generalis Fridlandiæ Medicus in Caſtris ejus & Cæſaris ante Schvveidnitzium Sileſiæ verſarer, accidit; Erat autem ſomnium, quod Amicis manè narrabam, eſſe me Coronoburgæ in hoſpitio, in quo aliquot menſibus prius fueram, & excitari in hac ipſa domo incendium, quo latè ſerpente pars illa tota Civitatis, quæ Danubium reſpicit, me extrà portam fugiente & ſpectante conflagrarat, quod verum fuiſſe poſt aliquot dies per litteras intelleximus. Sed quis quæſo genio-rum meam phantaſiam alicujus rei, cujus prius nullas habui ſpecies, concitavit, & in quem finem? fateor eſſe ſupra meum captum, niſi dicam, ſomnia eſſe varia & ex variis partibus combinari, & præſertim hic ex incendio, cujuſmodi ſæpius in caſtris ſpectavi, & hoſpitio ſpecies rurſum occurriſſe eâ nocte, qua mero caſu locus ille conflagravit. Quamvis itaque hujuſmodi ſomnia naturalia ſubinde verè accidant, aut probabiliter præſagiant certos quoſdam affectus, prout Medici ex iis de futura & præſenti corporis diſpoſitione judicare ſolent; Nihilominus tamen nimis temerariè prout ſuperſtitioſi faciunt, iis fidem adhibere non licet, præſertim cum apertè id à ſacris litteris prohibeatur, ut patet ex Levit. 19. & Deut. 18. ubi Deus auguria & obſervationes ſomniorum interdicit.

DISPVTATIO VIGESIMA QUARTA.

De facultate motiva & appetitiva hominis.

POſt ſenſus externos & internos deſcendimus ad facultatem motivam, quæ quia eſt hominis ad ſummam perfectionem paulatim properantis & ſine præcedente cognoſcitiva & appetitiva, niſi tamen ſit purè naturalis, exerceri non poteſt, utramque ſimul jungere placuit, ut quiſque videat, qualis connexio animæ cum ſuis potentiis, & quanta horum inter ſe coordinatio mutuaque dependentia; Itur autem hic & curritur, quia virtus prima eſt quâ locum deſerit repetitque animal, quâ ſe ſuumque corpus movet anima, quâ cælum terramque & quicquid in his medium, ſuperum & infimum eſt, ocyſſimè penetrant Angeli & Spiritus; Ita nimirum fit, ut quicquid vel aſcendit vel deſcendit, vel denique ad omnem loci differentiam ſe transfert, id hujus facultatis miniſterio præſtet; Vixit hactenus homo informatus anima rationali, & ita quidem vixit, ut nutritus undique accreverit & ad facultates ſenſitivas quibus non inferior ſuis Genitoribus, acceſſerit; Has eaſdem evicit, & jam à principiis ſuis paulo remotior

ad

ad majorem perfectionem accelerat ut eò citius ad metam quæ morte clauditur, decurrat, motivam intellige facultatem quæ paulatim in homine oriente per actum ſecundum manifeſtè ſe prodit & ad quam poſt alios hac præſenti diſputatione deſenditur, vocaturq; vel animalis & voluntaria dum animam ſentientem ſive cognitionem & voluntatem ſequitur & per nervos mediosque muſculos tota corpore diſperſos adminiſtratur, vel naturalis dum naturam vitæque neceſſitatem ſine cognitione comitatur, & deprehenditur partim ſine ſenſu in ſingulis viſceribus dum noxia cavent aut repellunt & amica attrahunt, partim manifeſtè in pulmonibus, arteriis & corde, ut videl. hoc eorum motu ſpiritus & calor vitalis ad vitam ſuſtenrandam in univerſum corpus diſpergatur. Nam hi motus ſunt qui ut primùm in lucem editur puſio, ad tutandam vitam accedunt; Equidem motu cordis impoſterum vivit animal eoque pereunte ceſſat abitque anima, ſed & orienti motus adeſt, ut vitam vix in utero inceptam perennet, occidenti autem cedit, ut in maternos cineres reſolvatur ſuumque corpus quantumvis illibenter deperdat; huic cordis motui conſentit alter quæ eſt arteriarum, ab eodem nempè datus principio, ut in eundem conſpiret finem quæ eſt animalis conſervatio; ab hoc tamen utroque longiſſimè diſcrepat quæ pulmonibus debetur & pectori, licet in unum eundemque finem conſpitent, quia materialis eſt ille & hic animalis aut voluntarius; Eſt itaque hæc diſputatio partim facultatis vitalis quam omnes amamus & ſalvam expetimus; Eſt cordis in quo omnes noſtri ſunt affectus & paſſiones; Eſt pectoris in quo robur & maſcula virtus; Eſt pulmonum quæ tanto favore benigniſſimum cordi aërem afflaut, ut vivat & reſpiret animal; Eſt denique totius ſuppoſiti, quod dum motus omnis integer & naturalis eſt, vitam ſerenam habet, cum deficit, corruptam & calamitoſam, quia incipiunt ſimul in oriente & deſinunt in occidente. De ſingulis itaque ſit

DIFFICVLTAS I.

Quid & quotuplex ſit facultas loco motiva.

QVamvis per potentiam loco motivam communiter & propriè ſoleat illa tantum facultas intelligi, quæ eſt principium motus progreſſivi ſive arbitrarii & quam pleriq; animalem vocant; ſub ea tamen & altera hic comprehenditur quæ naturalis dicitur, & à qua ſunt motus cordis, arteriarum, ventriculi &c. cuiusmodi ſunt ab appetitu & cognitione independentes.

Facultas loco motiva quid. DICO 1. facultas loco motiva eſt principium, quo vel totum animal vel pars ejus tam voluntariè quam naturaliter movetur. Dicitur imprimis quod ſit principium, non quidem principale ut eſt anima, ſed minus principale & mediatum, ut ſunt omnes potentiæ & facultates. Dicitur 2. quo movetur, quia ab anima ejusque potentiis ſunt omnes actiones vitales, & quia per hoc diſtinguitur ab omnibus aliis potentiis, quæ omnes ab actibus & obiectis ſuam deſumunt differentiam. Dicitur 3. totum animal, quia in motu progreſſivo non una pars tantum, ſed totus homo localiter movetur. Dicitur 4. vel pars eius, quia licet dormiat aut quieſcat, reſpitat tamen habetque continuum motum cordis; Dicitur 5. tam voluntariè quàm naturaliter, quia hi ſunt univerſim motus locales, qui in animali reperiuntur.

DICO 2. facultas loco motiva eſt duplex, *Quotuplex* vitalis nimirùm & non vitalis. Illa emanat ab anima eâque concurrente elicit actum vitalē. Hæc competit rebus inanimatis, ut eſt gravitas in lapide, levitas in igne. Ad vitalem re- *Vis dirigēs* quiritur vis triplex, dirigens una, altera impellens & tertia exequens. Prima dirigens in ho- *Impellens* mine eſt intellectus practicus, & in brutis phantaſia. Altera impellens eſt appetitus ſive rationalis, ſive ſenſitivus. Vltima denique *Exequens.* exequēs eſt virtus quædam corpori inhærens, quâ mediante anima motum exequitur. Potentia motum exequens in homine vel eſt organica, quæ eſt communis omnibus animalibus perfectis, quæque muſculis & nervis veluti inſtrumentis utitur, vel inorganica & ſpiritualis, qualis eſt in anima ſeparata quæ ſeipſam de loco in locum transfert. Organica duplex eſt ſecundum Medicos, una animalis ſeu progreſſiva & voluntaria, altera naturalis ſive involuntaria; Illa nihil aliud eſt, niſi potentia animæ eliciriva diverſi motus localis. Hæc fit ſine prævia cognitione & appetitu mediantibus ſolùm nervis, ſpiritibus & membranarum fibris, quibus viſcera interna utilia attrahunt, & noxia repellunt, ut carnes ſanguinem quo nutriantur, pulmones phlegmata quæ aſperam arteriam titillant pectorisque meatus coarctant.

DIFFICVLTAS II.

Vbi reſideat potentia loco motiva quæ animalis dicitur.

RAtio dubitandi eſt, quia videtur eſſe eadem origo facultatis quæ inſtrumenti, ſed hoc eſt in cerebro contrà Ariſtotelem, ergo & facultas.

Suppono 1. ad motum progreſſivum concurrere primò vim dirigentem, tum impellentem & exequentem de quibus in ſequentibus. 2. ideò dari hanc potentiam motivam, ut animal noxia devitet, & convenientia con- *Quare detur potentia loco motiva.* quirat, quod ſemper fit cum appetitu & prævia obiecti cognitione, unde nunquam eſt motus progreſſivus ſine prævia cognitione

ſenſus interni & appetitus; Nam animal non eſt determinatum ad unicum motum ſicut ignis, ſed eſt indifferens & vadit quò vult, & quando vult, ergo neceſſariò debet ab alio determinari; ſed quia phantaſia non appetit ignotum, ideò requiritur prævia cognitio objecti quęrendi & vitādi. Neq; dices, multos noctu dormientes ſopitâ phantaſiâ ambulare, ubi non poteſt eſſe prævia cognitio; quia Reſp. etiam in noctambulis prærequiri aliquam licet imperfectam cognitionem, ſicut etiam in pueris, ebriis, delirantibus &c.

Opinio 1. eſt Ariſt. l.2. de part. animal. c.10. de ſom. & vigil. de juv. & ſeneſt. aliisque in locis, cor eſſe ſenſus motusque principium; Eum ſequuntur Averrh. l.2. Collig. c.11. & 19. Avic. in 2. p. ſexti naturalium c.3. & l.3. de animal. c.1 &c. Argumenta Ariſt. & qui eum tuentur ſunt hæc; primum, cor formatur ante omnia alia membra ut conſentit Gal. l. de form. partus c.3. ergo prima erit ſedes facultatum. 2. in corde viget lætitia, triſtitia, omnesque paſſiones tanquam in proprio domicilio, ergo etiam ibi erit ſedes appetitus; ſed omnis appetitus ſequitur cognitionem ſenſus, & mox appetitum motus, & neque appetitus poteſt eſſe ſine ſenſus, nequę motus ſine appetitu, ergo cor erit ſenſus & motus principium. 3. in omnibus rebus præſtat omnia ab uno principio quam à pluribus adminiſtrari &c. 4. detracto ſanguine & calore privantur animalia ſenſu & motu; ſed illius principium cor eſt, ergo & huius. 5. cor quamprimum formatum eſt (formatur autem ante cerebrum) movetur, palpitat, ſentit, ergo. 6. in corde plurimi conſpiciuntur nervi. 7. in corde potiſſimum eſt vis nutritiva, vivit primùm & ultimùm, ergo conſequenter ubi eſt vita, ibi quoque & facultas ejus conſervatrix & principiū ſenſuum, nutritionis & vitæ; ſed nec vita poteſt eſſe ſine ſenſu, ergo ubi vita eſt, ibi etiam ſunt quæ vitam ſequuntur, ut motus, ſenſus &c. quia non vivit animal niſi ſit ſenſitivum.

Opinio 2. Galeni eſt, qui ſæpius totis duob9 libris de uſu partiū & de decretis Plat. & Hipp. l. de nervorū diſſect. l.1. de muſculorum motu aliisque in libris docet, cerebrum eſſe principium ſenſus & motus, cerebri autem nomine medulla ſpinæ quoque intelligitur. Et hoc idem docent Authores Medici, etiam ipſe Avic. in 1. Fen. 1. Can. doctr. 5. licet alibi & in 3. l. de animal. aliud rurſum docuerit, ut Tho. de Garb. in quæſt. 39. medic. ſum. pluribus explicavit. Argumenta ſunt hæc, primum. Organa ſenſuum ſunt propè cerebrum non propè cor à quo non ſunt nervi ſicut à cerebro. 2. cerebrum nullam aliam ob cauſam factum eſt, & locatum in tali parte corporis, & per ſpinam derivatum, quam ut ſenſum & motum toti corpori largiretur. 3. vulnerato vel etiam compreſſo cerebri ſinu omnis ſtatim collabitur ſenſus & motus, quod de corde læſo fieri non ſolet. 4. omnes nervi derivantur à cerebro, ergo & facultas.

Dandinus qui Philoſophus eſt & Medicus, licet media quadam incedat via, Ariſtoteli tamen potius l.3. de part. homog. c.28. aſſentiri videtur, & ait primum eſſe ut ſicut cor eſt principium nutritionis, cui tamen Epar famuletur, ita etiam ſit principium ſenſus & motus cui cerebrum inſerviat; Omnia enim membra habere peculiares actiones, ſolum cor univerſaliter ſuo calore & ſpiritibus, quod principii munus eſt, influere & operari, & cū omnibus vim addat, verè dici per vicaria inſtrumenta omnia adminiſtrare; Et ſic epar famulari dum per calorem à corde derivatum materiam præparat; ſic teſtes ſemen generare per calorem & ſpiritus à corde hauſtos; ſic cerebrum & ſenſum & motum in virtute & poteſtate membri principalis exequi, eſto hoc inter miniſtros nobiliſſimum ſit & operetur actiones nobiliſſimas.

Motus quoad vim dirig. eſt in cerebro.

DICO 1. Motus quoad vim dirigentem ſubiectatur potiſſimū in cerebro. prob. quia vis dirigens habet ſuam quaſi ſedem in cerebro, ergo & motus quem ipſa dirigit & modificat. Antec. patet, quia vis dirigens eſt in homine ratio, in brutis autem imaginatio. Dixi habere ſedem quaſi in cerebro, quia licet ratio ſit potentia inorganica, æſtimatur tamen in cerebro potiſſimùm reſidere, quia inibi format ſpecies ſuas intelligibiles utiturque phantaſmate.

Etiam quoad vim impellentem.

DICO 2. Etiam motus quoad vim impellentem reſidet in cerebro. prob. appetitus eſt in cerebro ut conſtat ex alibi dictis; ſed appetitus eſt vis impellens, ergo. hæc minor conſtabit infrà, quia quando homo vel animal cognoſcit rem ſibi convenientem, tunc accedit appetitus tam in homine quam in animali, & facit ut vis motiva in illam conſequendam feratur.

Quoad executionem eſt in toto corpore.

DICO 3. motus quoad executionē eſt primariò in cerebro, in reliquis autem membris totius corporis ſecundariò. Eſt contrà Ariſt. qui ſenſum & motum derivat à corde, niſi tamen id remotè velit eſſe intelligendum, quatenus videl. ſpiritus vitales omnium actionū vitalium rectrices effundit, quia principium proximum motus ſunt organa motoria. prob. primum, vis motiva reſidet primariò in cerebro, indeque per ſpiritus animales influit in univerſum corpus ergo. probat. ſecundum, quia ibi exiſtit vis motiva quoad actum motumque localem exercendum, ubi ſunt organa & diſpoſitiones ad eliciendum motum voluntarium; ſed hæc in toto corpore ſuut diſperſa, ergo etiam motus quoad executionē. Eſt itaque principium ſenſus & motus adeoq; ſenſuum omnium internorum remotum & mediatum cor, quo nomine omnia penè argumenta Ariſt. ſolvuntur, proximum verò cerebrum; ratio prioris patet ex iis quæ alibi de principatu cordis dicta ſunt; quamvis incertum ſit, an Ariſt. principatum remotum vel proximum cordi detulerit, quia conſtat, eum ubique cordi velut unico principio &

Quomodo cor poſsit dici principium motus.

regi

Google

regi totius corporis adminiſtrationem & quaſi monarchiam adſcripſiſſe, ut ex omnibus locis, in quibus huius rei mentionem fecit, manifeſtum eſt; lege Gal. l. de ſympt. cauſis c. 8. & l. de uſu pulſuum. Fernel. 5. Phyſiol. c. 11. & Averrh. 2. de part. animal. c. 7. & 2. Collig. c. 11. ubi opinionem contrà Gal. defendit. Ratio poſterioris habetur ex opinione ſecunda quam etiam docent Conn. 3. de anima, c. 2. q. 2. a. 2.

DIFFICULTAS III.

Quomodo ad motum volunt: concurrat vis dirigens.

CONſtat tam ex Philoſophis quam Medicis & imprimis ex D. Thoma opuſculo de motu cordis, duplicem in animantibus eſſe vim motivam; unam ſcil. naturalem quæ ſolo naturæ impetu agit nec requirit apprehenſionem aliquam præcedentem, ut eſt motus cordis & arteriarum; alteram animalem, quæ ſequitur apprehenſionem & cognitionem tam ſenſitivam quam rationalem, & hic motus dicitur animalis, voluntarius ſive arbitrarius.

Adverte 1. non eſſe hic quæſtionem de motu naturali ſed de voluntario; Sed nec de hoc univerſim, tantum verò de progreſſivo, de quo quæritur quomodo fiat, & nunquid aliqua virtus media quæ ad eum dirigat, ſit neceſſaria.

In quibus rebus reperiatur motus animalis. Adverte 2. tria numerari genera eorum, quę habent motũ animalẽ; primò n. ſunt quędam quæ ſolũ guſtum habent & tactũ, nec aliter moventur quam intrà ſe membra diducendo & contrahendo, ſecundum ſe autem tota ſtabili fixâque ſede vitam degunt ut conchylia, quæ quia parum excedunt motũ plantarum, ut quæ prorſus immobiles ſunt, & tamen non ita progrediuntur ſicut animalia perfecta, ideoque medium inter utrumque obtinent locum, plantanimalia vocantur. 2. ſunt alia quæ habent facultatem ſentientem perfectã, & inſuper omnes ſenſus quinque, operanturque ſolo naturæ inſtinctu, & ſine certo fine ſuæ actionis aut motus, licet dignoſcant tam abſentia quam præſentia; & huiusmodi ſunt omnia animalia perfecta ſive belluæ. 3. denique ſunt quæ ex delectu agunt & fine quem ſibi proponunt & cognoſcunt tam præſentia quam longè remota & futura; Et inter hęc numeratur ſolus homo, qui quod cætera animantia dignitate præcellat, ideò etiam nobiliorem habet motum. Hinc

Vis dirigens quæ. DICO, in omnibus animalibus ad motum animalem ſive progreſſivum concurrit imprimis vis dirigens. Adverte, hanc vim in hominibus eſſe rationem, in aliis autem animantibus imaginationẽ. Hæc concluſio eſt Ariſt. l. 3. de anima. c. 10. ſtatim ad initium, & prob. hac ratione, omnis motus progreſſivus inſtituitur ſemper à natura, ut ea quæ ſunt convenientia, inveſtigentur, quæ autem ſunt adverſa & contraria, evitentur; ſed hoc non poteſt fieri ſine virtute aliqua dirigente, id eſt, obiecta appetitui repræſentante, & illum qui aliàs ex ſe ad hunc vel illum locum, ad hoc vel illud proſequendum eſt indifferens, determinet, ergo hæc vis omnium primo in motu locali ſive progreſſivo animantium danda eſt. Quod autem hæc vis ſit ratio in homine vel imaginatio in cæteris animalibus, patet, quia ſola ratio movet hominem ad motum progreſſivum, in reliquis autem brutis animantibus imaginatio vel phantaſia. Et ſi dicas primo, hominem noctu dormientem ſæpius moveri ad locum ſine ratione, & non tantum de nocte, ſed etiam cum aliàs de die rebus ſeriis intentus eſt, ergo non ſemper præcedit ratio in homine. 2. in animalibus imperfectis, v. g. in vermibus nullam eſſe imaginationem, ergo moventur ipsâ non præcedente. Reſp. ad primum, neg. conſeq. quia per ſomnum non tollitur omninò actio intellectus licet multum infringatur ut apparet in ebriis & aliis qui etiam ſæpè optimos conceptus formant. Deinde non requiritur præcisè ad motum efficiendum libertas rationis aut judicii, ſed bona organorum diſpoſitio, ut apparet in multis qui diu progrediuntur aliis rebus ſeriò intenti, licet ad nullum certum & determinatum locum. An autem ſola potentia ſenſitiva in homine abſque intellectu & voluntate motum ciere poſſit, dubium eſt, quia ſi negetur, erit facultas deterioris conditionis quam in brutis, & intellectus cum voluntate erit ſupervacuus. Reſ. tamen, poſſe omninò id fieri & corpus totum moveri ſed motu indeliberato ut ſæpius accidit; quod autem facultas ſenſitiva propterea quod per ſe & ex natura ſua tantum membra non moveat, non ſit deterioris conditionis, patet ex hoc, quia jactura hæc compenſatur conjunctione rationis & appetitus intellectiui: Quod etiam, ſi ſola facultas ſenſitiva poſſit movere membra motu voluntario, ratio ſuperior non ſit ſupervacua, patet, quia ad motum deliberatum neceſſaria eſt. Ad ſecundum Reſp. in vermibus & ſim: ſemper adeſſe aliquem appetitum quamvis imperfectum, qui facit ut apprehendant id quod bonum eſt & evitent illud quod eſt malum, proindeque ad hoc obtinendum ſeſe localiter moveant. Et hinc *Sola potentia ſenſ. an poſſit ciere motum.*

Colligitur illud, quod notant Conn. in fine l. 3. de anima, nihil repugnare, quò minus dormientes aliquando abſque ratione & intellectu per ſolam imaginationem & appetitum motricem vim excitantem ſeſe localiter moveant, cum id etiam ſæpè vigilantibus, dum videl. circà res altiores intenti ſunt, accidat.

DIFFI-

Google

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo poſt vim dirigentem accedat alia quæ imperet motum voluntarium.

EX ſe manifeſtum eſt, quod ad motum animalem in bomine ciendum non ſufficiat vis dirigens, videl. id cuius nutu animal ſe de loco in locum transferat, niſi ſimul etiam accedat aliquid, cuius imperio id fiat: quæritur quidnam illud & quo modo fiat: hoc melius intelligas.

Adverte, cum animal aliquò motu progreſſivo tendit ire, primo occurrere notitiam aliquam, quare motus inſtitui debeat; Et hæc eſt ab ipſa ratione in homine, à ſimplici autem apprehenſione vel phantaſia in brutis animanribus, Et ſic v. g. quando animal cognoſcit obiectum aliquod abſens eſſe ſibi conveniens, eidem adeſſe & motu progreſſivo conjungi cupit. 2. occurrere appetitum & inclinationem in illud objectum abſens; quando enim animal cognoſcit aliquam rem ſibi conducibilem, eam vehementer ut bonum aliquod appetit. & quia hic appetitus etiam ad motum neceſſarius eſt: Itaque

Ad motū concurrit appetitus.

DICO, ad motum progreſſivum concurrit appetitus tam in homine quam in reliquis animalibus, velut cauſa agens & imperans. prob. ad quærenda bona & euitanda mala neceſſarius eſt appetitus; ſed ad illa requiritur motus progreſſivus, ergo & appetitus; hæc minor certa eſt, prob. major, quia ideò quæruntur bona, quia cognoſcuntur & appetuntur ut bona, & ideò devitantur mala, quia talia percipiuntur, ergo ad huiusmodi motus neceſſarius eſt appetitus, à quo imperetur & coefficiatur ipſe motus, quia ad appetitū pertinent affectus amoris & fugæ. Hic tamen adverte, hoc eſſe diſcrimen inter appetitum hominis & beſtiæ, quod huius appetitus ſe ſolo moveat, illius autem per aliquam potentiam ſuperiorem, ſcil. voluntatem, unde etiam nobilius operatur; & hine comparant Conn. cit. hunc appetitum cælo inferiori, quod à ſuperiori rotatur & circumvolvitur.

DICES 1. in diſſectis vermibus eſt motus voluntarius, & tamen non eſt ubique appetitus, ergo hic non ſemper eſt neceſſarius. prob. antec. quia ſive appetitus in corde ſive in cerebro ponatur, ſi pars à reliquo corpore avellatur, non poteſt appetitus eſſe ibi, quò non influit, ſcil. in partem jam avulſam. Reſp. neg. antec. quia ibi eſt appetitus ubi eſt anima, nimirùm in utriſque partibus, nec opus eſt eo influxu, quia hic proprius eſt perfectis animantibus, de quorum motu præcipuè videtur etiam Ariſtoteles egiſſe.

DICES 2. ſola imaginatione ſæpè moventur homines, ergo non opus eſt tum appetitu. Reſp. neg. antec. quia imaginatio non ſe ſola, ſed medio appetitu, cui obiicit triſtia, jucunda &c. humores ſanguinem ac ſpiritus concitat, ſicque variè corpus & membra afficit. Et hinc colligitur, appetitum in omnibus aliis actibus rationi politicè obedire, quoad membrorum autem motionem deſpoticè, id eſt, more ſervorum, qui non poſſunt reſiſtere Dominis ſuis imperantibus; quamvis alii concedant rationem & voluntatem immediatè & ſine interventu appetitus membra movere. Cæterùm ſicut omne animal ex appetitu & imaginatione movetur, hæc autem ſemper illum, ut cui obiicit rem vel triſtem vel jucundam, præcedit; Ita in inſectis ſenſus communis non eſt aliquâ parte certâ definitus, quia poſt ſectionem moventur, proindeque relinquitur appetitus & phantaſia in partibus diviſis.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo denique fiat executio motus voluntarii.

NAm ſatis eſt rationem & phantaſiam proponere appetitui quod obiectum ſit amplectendum aut fugiendum, ideoque motum membrorum inſtituendum; ſed requiritur inſuper ut fiat executio, de qua dum quæritur quomodo fiat & per quam facultatem,

DICO 1. datur potentia motiva inhærens membris; hæc concluſio communiſſima eſt, & prob. eâdem ratione qua alibi probatum fuit dari 5. genera potentiarum, inter quæ tertium genus conſtituit facultas loco motiva; Nam hæc ab omnibus aliis differt per objecta & modum tendendi in illa, prob. 2. motus progreſſivus eſt actio quæ non poteſt eſſe ab appetitu, ergo neceſſariò præter hunc alia virtus membris inhærens conſtituenda erit; Antec. patet, quia motus progreſſivus eſt actio tranſiens, quæ autem ab appetitu eliciuntur, immanentes ſunt functiones, ut proinde & appetitus & alia inſuper virtus conſtituenda ſit, quæ motum adminiſtret. *Facultas motiva inhæret*

DICO 2. derivatur iſta virtus motrix remotè quidem à corde tanquam à fonte omnium virium & functionum, quæ animantibus conveniunt, proximè autem à cerebro. hoc patet ex Conn. 1. gen. c. 5. q. 1. a. 3. ubi Hippocratem & Medicorum ſcholam adducunt; Et ita ſanè intelligendi ſunt illi, qui docent ſenſum omnem & motum à corde derivari, quatenus nimirùm à corde procedit calor, ſpiritus & virtus omnis regitiva corporis & conſervativa vitæ. Quod autem proximè à cerebro proveniat, argumentum illud luculenter probat, quia nervi quorum beneficio perficitur motus, inde oriuntur; deinde quia obſtructis nervis confeſtim perit omnis motus. Eſt tamen, quod benè advertendum, hæc facultas motiva non influens, quaſi per modum irradiationis à cerebro in quo ſolo reſideat, *Vis motrix unde derivetur.*

ſecun-

ſecundum plurimorum Medicorum opinionem nunc ſubtrahatur nunc redeat, ſed firma & ſtabiliter membris inhærens non ſecus atq; omnes aliæ potentiæ, quæ mediante anima firmantur in ea parte ubi reſidet anima, ut potentia videndi in oculo &c.

DICO 3. quando appetitui res ſub ratione boni obiicitur, tunc concitat facultatem motricem, ad quam concitationem deinde motio vel actus ſequitur, non quidem quod hæc concitatio fiat prævia aliqua actione in facultate motrice recepta, ad quam deinde motio virtutis conſequatur, quia appetitus ut agens univerſalius concurrit una cum virtute motiva tanquam cum cauſa particulari, atque ita editur motus ab utraque cauſa per unum eundemque impulſum à duabus cauſis profectũ; ab una univerſali & imperante, ab altera ut particulari ac privatim eliciente, non aliter quam intellectus voluntatem & hic appetitum inferiorem movere ſolet. Eſt tamen interea certum, quod hæc virtus motrix activè

Omnis facultas eſt motiva.

concurrat ad motum, quia omnis animalis potentia, quam ex Ariſt. philoſophi dividunt in vegetativam, ſenſitivam, motivam, appetitivam & rationalem, eſt activa, & quia ſufficienter membra omnia ex compoſitione & temperie ad motum recipiendum ſunt diſpoſita, ita ut non opus ſit hanc præparationem & diſpoſitionem ad excipiendum motum ipſi facultati motrici tranſcribere; Nam alioquin etiam in ipſis organis ſenſuum præter potentias ſenſitivas dari debebunt peculiares facultates à figura & temperie diverſæ, quibus organa ad ſenſiones recipiendas apta reddantur, quod tamen eſt contrà communem opinionem; proinde dependet actio virtutis quæ motum exequitur, eo modo ab appetitu, ut non ab eo tanquam à propria & adæquata ejꝰ cauſa eliciatur, ſed impetretur ad eum ferè modum, quo voluntas appetitum ſenſitivum in nobis concitat, quæ ſic in eum exercet dominium & motionem, ut nihilominus appetitus actum ſuũ à ſe immediatè promat, quamvis hoc diſcrimine quod membra ad motum perficiendum rationi & voluntati diſpoſitè obſerviant, appetitus autem ad objecti ſui fugam vel proſecutionem non niſi politicè & civiliter, ut notant & explicant Conn. citati.

DIFFICVLTAS VI.

Quotuplex ſit appetitus.

ADverte, non tantum in brutis animantibus & homine ſed etiam in rebus prorſus inanimatis eſſe appetitum ut videmus in lapide qui naturalem habet inclinationem & propenſionem ut feratur deorſum &c. Hinc difficultas eſt, an tot ſint diſtincti & diverſi appetitus quot ſunt diſtincta genera vel animatorum vel formarum.

Appetitus duplex.

DICO, appetitus quicunque eſt in rebus creatis, ſecundum omnium opinionem eſt duplex, naturalis unus & innatus, alter elicitus. Naturalis eſt inclinatio & propenſio rei

naturalis.

naturalis nulla prævia cognitione in id quod eſt conveniens naturæ; Et hic ſolùm ſequitur naturam & non cognitionem; ſic gravia deſcendunt, levia feruntur ſurſum. Elicitus eſt inclinatio rei in bonum cognitione ſibi

Elicitus.

conveniens, qui rurſum duplex eſt, unus ſenſitivus, alter rationalis; ſenſitivus ſive animalis dicitur, qui fertur in bonum ſenſu cognitum; rationalis qui in bonum ratione cognitum; in homine uterque reperitur, quia & ſenſitivus eſt & rationalis. Appetitus ſenſitivus duplex eſt, iraſcibilis & concupiſcibilis; Vterque una eſt potentia, cui ſolum ob diverſos actus diverſa attribuuntur nomina.

Appet. ſenſit. duplex

Concupiſcibilis, qui cupiditas & concupiſcentia dicitur, appetit ſenſu convenientia & refugit moleſta; iraſcibilis reſiſtit inferentibus damna; hic bilioſis, ille ſanguineis utplurimum debetur. Appetitus ſenſitivi actus ſunt paſſiones, ideò ſic dictæ, quia fiunt aliqua alteratione ſenſibili corporis & imprimis cordis, unde timidi pallent, iracundi rubeſcunt, triſtitia & dolor conſtringunt cor lætitia & delectatio dilatant. Numerantur huiusmodi paſſiones undecim, appetitus quidem concupiſcibilis ſex, ut amor quo ferimur in bonum ſecundum ſe; hic per reſpectum ad bonum dicitur amor concupiſcentiæ, per reſpectum ad perſonam amor benevolentiæ vel amicitiæ. Deſiderium, quo bonum abſens deſideramus. Delectatio ſive gaudium & voluptas ex bono præſente adepto, unde riſus &c. Et hi actus verſantur circà bonum. Circà malum 3. ſequentes; primus odium mali ſecundum ſe apprehenſi oppoſitum amoris; ſecundus fuga ſive delectatio mali imminentis; tertius triſtitia de præſenti. Appetitus autem iraſcibilis quinq; numerantur, primus eſt ſpes circà bonum poſſibile, ſecundus deſperatio circà bonum apprehenſum ut impoſſibile, tertius audacia, quæ ad media obtinendi boni etiam propoſitâ difficultate & periculo mortis progreditur, Quartus circà malum imminens difficile evitatu; ſi verò exiſtit præſens, tunc actus quintus, videl. ira exurgit, quo malum pellere nitimur.

DIFFICVLTAS VII.

Quomodo hi appetitus inter ſe differant.

CErtum eſt dari imprimis quandam naturalem inclinationem in lapidibus qua ferantur deorſum. deinde reperiri appetitum quandam in plantis, quo per attractionem ſucci terrei ſeſe conſervant; Adhæc eundem appetitum etiam eſſe in animalibus, quo per ſenſum cognita cupiunt. Denique talem etiam eſſe in hominibus, quo per rationem cognita appetunt. Iam quæritur, quo modo hi

appe-

Digitized by Google

appetitus inter ſe diſcrepent, quia appetitus ille qui eſt in plantis, non eſt omninò naturalis ſicut ille qui eſt in rebus gravibus aut levibus, nec etiam fit per præviam ſenſus cognitionem; Deinde duo ſunt in homine appetitus, qui ideò non videntur diſtincti eſſe, quod in idem objectum ferantur ut infrà patebit.

Appetitus naturalis differt à ſenſit.

DICO 1. Appetitus naturalis omninò eſt diverſus ab appetitu ſenſitivo. Ratio prima eſt, quia eſt ab alio planeq; diverſo principio, forma ſcil. mixti vel prædominantis elementi. 2. quia habet alium modum tendendi in objectum, videl. ſine omni cognitione, ſed ex naturali tantum inclinatione.

DICO 2. Appetitus qui eſt in vegetabilibus, nec omninò naturalis eſt nec ſenſitivus. Primum prob formæ rerũ vegetabiliũ longè ſuperant formas rerum inanimatarum, ergo etiam habebunt potentias ſuperioris conditionis. prob. ſecundum, appetitus ſenſitivus eſt ab anima ſenſitiva ſequiturque cognitionem aliquam vel perfectiorem, in animalibus nimirùm perfectioribus, vel imperfectiorem in viventibus imperfectioribus ut in inſectis, ex putri natis, Zoophitis &c. ſed hoc non poteſt dici de vegetabilibus, ergo, Vnde conſtat, his omnibus ineſſe appetitum ab appetitu rerum diſtinctum.

Appetitus ſenſit. & intell. differunt realiter & eſſential.

DICO 3. Etiam appetitus ſenſitivus & intellectivus, quorum ille eſt in brutis animantibus, uterq; autem in homine, tam à cæteris quam inter ſe realiter & eſſentialiter diſtincti ſunt. prob. primo, appetitus rationalis poteſt ſeparari à ſenſitivo, ergo ab eo eſt diſtinctus. prob. antec. quia in angelis reperitur rationalis ſine ſenſitivo, in brutis ſenſit. ſine rationali; Nam ideò probatur unus ſenſus diſtingui ab alio in diverſis animalibus ab invicem ſeparantur. prob. 2. propriè de homine, appetitus datus eſt animali ad aſſequendum quod ei bonum & ſalutare eſt, ergo ubi duplex eſt bonum, ibi etiam debet eſſe duplex appetitus; homo autem cum duplici parte conſtet, materiali & ſpirituali, etiam habebit duplex bonum, ſpirituale & corporale; Et hinc videmus eos homines in quibus dominatur appetitus rationalis, nõ eſſe multum ſollicitos de bono corporis ut patet in iis qui ſtudio virtutis aut litterarum magnis laboribus valetudinem ſuã affligunt, contrà verò in quibus dominatur appetitus ſenſitivus, non eſſe valdè ſollicitos de bonis rationi convenientibus; Eſt etiam res certa ex ſacris literis, ubi crebrò fit mentio pugnæ inter ſpiritum, id eſt, appetitum rationalem ſive ſpiritualem & carnem, quo nomine intelligitur appetitus ſenſitivus ut Matth. 6 ad Rom. 7. ad Gal. 5. prob. 3. anima ſenſitiva hoc modo eſt diſtincta ab intellectiva, ergo & eius potentiæ, quæ longè ignobiliores ſunt & inferioris gradus. Confirmatur, quia conſtat appeti ab homine res ſpirituales & univerſales, in quas nec ille nec bruta per potentias corporeas poſſunt tendere, quia his mediantibus ea tantum proſequuntur, quæ phantaſia obiicit, obiecta nimirùm ſingularia tantum & materialia, non verò univerſalia aut ſpiritualia; Vnde neceſſariò vis hæc quâ ſuperiora appetuntur, longè nobilioris eſt conditionis, illa verò quâ bruta quærunt convenientia, & anxia declinant, inferioris, cum procedat ab anima materiali organisque corporeis. Quod autem pro ſecundo detur hic uterque appetitus, patet primò in brutis quæ habent appetitum ſenſitivum à ſua forma ſenſitiva appetuntque tantum ea quæ ſenſus ſunt. 2. in hominibus quibus ineſt intellectivus à forma ſive anima rationali, quæ facit ut in objecta ſpiritualia & immaterialia, Deum ſcil. Angelos animasque ſeparatas ferantur. prob. tertium, quod in homine detur uterque appetitus, primo, quia habemus naturam ſenſitivam communem cum beſtiis unde etiam facultates earum nobis competunt. 2. experimur in nobis ſæpè unius eiusdemque rei appetitionem ſimul & fugam, quando nimirùm appetitus aliquod bonum delectabile appetit, voluntas autem id refugit, prioremque appetitionem cohibet. Et hi actus cum non poſſint fieri vel elici ab eadem potentia, neceſſariò ſequitur in nobis eſſe duplicem appetitum & duplex principium à quo emanant.

DICES, potentiæ hæ duæ vel duobi appetitus feruntur in idem obiectum, ergo non ſunt diſtincti; Antec. patet, quia uterq; fertur in bonum ſuum eoque adepto delectatur, Reſpond. neg. antec. ad probationem dico id quod ex dictis patet, nimirùm bonum illud in quod appetitus ſenſitivus fertur, non eſſe illud, in quod tendit intellectivus, quia illud bonum eſt materiale & ſenſu cognitum, hoc ſpirituale & ratione perceptum; illud ſingulare, hoc univerſale.

Diſtinguuntur hi duo appetitus.

DICO 4. Appetitus hi duo diſtinguuntur primo, quod rationalis ſequatur rationem, ſenſitivus ſenſationes & phantaſiam. 2. ille non tantum verſatur circà bonum utile & jucundum, ſed etiam circà honeſtum; hic verò circà ſenſuale utile & jucundum. 3. ille non ſolùm circà materialia, ſed etiam circà ſpiritualia, hic tantum circà materialia, 4. ille eſt inorganicus hic organicus. 5. ille eſt liber poteſtque objectum ab Intellectu propoſitum amplecti & non amplecti; hic neceſſarius poteſt objectum à ſenſu propoſitum non amplecti. Et ex his omnibus colligitur, quod hi duo appetitus ſpecie diſtinguantur & maximè quod objecta diverſa ſibi vendicent.

DIFFICVLTAS VIII.

Quomodo differat appetitus à facultate cognoſcente.

Dividitur appetitus in intellectivum & ſenſitivum, quia nullus poteſt eſſe verus appetitus, qui non ſequatur aliquam potentiam cognoſcentem; Nam appetitus qui etiam rebus inanimatis & vegetabilibus tribuitur, qualis eſt, quo lapis fertur ad locum infimum, & arbor alimentum attrahit & appetit, non eſt propriè dictus appetitus de quo hic agitur. Eſt itaque dubium, an appetitus diſtinguatur ab ea potentia quam ſequitur, v. g. an voluntas diſtinguatur ab intellectu & appetitus ſenſitivus à ſenſu.

Facultas appetens differt à cognoſcente. DICO, potentiæ appetentes diſtinguuntur à cognoſcentibus. prob. 1. ex Ariſt. 2. de anima c. 3. ubi eas diſtinguit, quemadmodum diſtinguuntur vegetativæ à ſenſitivis; ſed hæ differunt eſſentialiter, ergo & illæ. Et 3. de anima c. 10. diſtinguit appetitum & imaginationem ab intellectu & voluntate. Similiter l. de motu animalium aliiſque pluribus in locis diſtinguit appetitum à ſenſu, & intellectum à voluntate, ut 6. Ethic. cap. 2. Imò ſi id negetur, corruit tota doctrina quam habemus ab Ariſt. de moribus, quia magna hujus pars ſita eſt in diſtinctione virtutum, quarum alias ponit in intellectu alias in voluntate. prob. 2. ratione, ubi eſt diſtinctus modus operandi, ibi etiam ſunt diſtinctæ potentiæ; ſed appetitus habet diſtinctum modum operandi à potentia cognoſcente, quia appetitus fertur in ſuum objectum, ac proinde ſuſcipit conditiones objecti, videl. ſi fertur in objectum bonum, bonus eſt, ſi in malum, malus; Intellectus autem contrà ſe habet, quia unit ſibi objectum facitque ſibi ſimile. prob. 3. manente eâdem cognitione poteſt mutari appetitus, quia ſi equus v. g. eſuriens videat pabulum, movetur illa cognitione; At ſi non eſuriat, movebitur quidem eâdem cognitione ſed ſine appetitione, ergo manente eâdem cognitione poteſt mutari appetitus.

DICES 1. voluntatem non ita ſeparari ab intellectu, ſicut hic ſeparatur à ſenſu, ergo voluntas & intellectus non ſunt potentiæ diſtinctæ: Reſp. neg. conſeq. quod enim non ſeparentur, ratio eſt quia ſunt inter ſe connexæ, unde tamen malè ſequitur non eſſe diſtinctas.

DICES 2. ſi voluntas diſtingueretur ab intellectu, non eſſet libera, quia ſine intellectu eſt cæca. Reſp. ut voluntas ſit libera, ſatis eſſe quod ſit conjuncta cum intellectu ejuſque cognitionem ſequatur; Deinde etiamſi quando in objecto propoſito ab intellectu nullam deprehendit rationem mali, non poſſit non illud amplecti, poteſt tamen intellectum avocare à conſideratione boni, quod eſt in tali objecto ad conſiderationem mali, atque ita retrahere intellectum à tali objecto.

DIFFICVLTAS IX.

Quodnam ſit organum appetitus.

Ubi ſubjectetur propriè appetitus, difficultatem apud multos habet, quorum aliqui eum in corde, aliqui verò in cerebro collocant, ut alibi pluribus conſtat.

DICO 1. Appetitus rationalis non habet propriè locum in homine ubi ſubjectetur, ſicut nec intellectus. prob. quia hic appetitus non requirit aliquod organum in homine ergo nec aliquem locum, quia eſt potentia planè inorganica & comitatur animam etiam à corpore ſeparatam. Quod autem ad hunc appetitum eliciendum requirantur bonæ diſpoſitiones cerebri, proindeque convenientia organa, id ideò fieri ſolet, quia pro phantaſmatis hæ diſpoſitiones ſpectant, ab iis autem intellectus & voluntas in hac vita ſuas ſpecies formant & eliciunt. Cum itaque non de appetitu rationali, ſed de ſenſitivo tantum ſermo ſit, *Appetitus rat. non habet propriè ſedem certam in homine.*

DICO 2. probabilior & communior eſt opinio, appetitum ſenſitivum ſubjectari in cerebro. prob. in eâdem parte reſidet appetitus ſenſitivus, in qua ſenſus internus ſeu phantaſia; ſed hæc reſidet in cerebro, ergo & illa. Hæc minor vera eſt & extra controverſiam, prob. major, ubi eſt principium cognitionis, ibi etiam eſt affectus qui cognitione movetur; ſed illud eſt in cerebro, ergo & hoc; ſi enim ſenſatio eſſet in cerebro & appetitus in corde, non poſſet ab illa moveri, quia cognitio ſenſus interni non movet afficiendo ſed repræſentando. Dixi tamen hanc eſſe probabiliorem & communiorẽ opinionẽ, ut intelligatur eam quæ appetitum in corde cum Ariſtot. collocat, non eſſe abſurdam aut omninò contemnendam. Nam qui in corde hanc potentiam collocant, hi quidem probabiliter dicunt, animam in utroque membro, corde ſcilicet & cerebro radicari, proindeque illam indiſtantiam à corde ad cerebrum non tollere aut impedire actus cognitionis & ſenſus; Nihilominus tamen cum majorem dependentiam habeat appetitus à ſenſu communi quam à potentia vitali, & illius organum ſit cerebrum ut alibi patet; idcircò etiam *Appetit. ſenſ. in cerebro.*

etiam convenientius & conformius eſt pro ſubjecto appetitus ponere cerebrum; Quomodo autem intelligendus ſit Ariſt. qui cordi ſubjectivè detulit hanc potentiam, ex antecedentibus vide.

DICES 1. ſi appetitus ſenſitivus ſubjectetur in eadem parte in qua phantaſia ſeu ſenſus communis, ſequitur quod ſenſus aut potentia cognoſcens non diſtinguatur ab appetitu, ſiquidem duæ diſtinctæ potentiæ non poſſunt exiſtere in eadem parte ſubjecti. Reſp. neg. ſeq. quia in eadem parte cerebri, ubi exiſtit motus, appetitus, ſenſus, phantaſia &c. etiam exiſtit potentia nutriens, augmentans &c. ſufficit enim pro diſtinctione potentiarum, quod habeant diverſos & diſtinctos modos operandi ut aliunde eſt videre.

DICES 2. quando appetitus ſenſitivus operatur, ſemper fit quædam cordis alteratio, ergo ſignum eſt in corde reſidere appetitum. Antec patet in paſſionibus, in quibus ſemper accidit corporis & præſertim cordis alteratio. Reſp. neg. conſeq. Quod autem in appetitu ſenſitivo ſemper fiat aliqua alteratio cordis, cauſa eſt, quia ſpiritus imperium appetitus ad nutum obſervant motuque ſuo concitatiori tam in corde quam in reliquo corpore mutationem faciunt & alterationem.

DIFFICULTAS X.

An appetitus concupiſcibilis differat ab iraſcibili.

NOn rationalis ſed ſenſitivus tantum appetitus dividitur in iraſcibilem & concupiſcibilem; Cum enim bonum quod convenit naturæ ſenſitivæ, ſit objectum appetitus ſenſitivi, & hoc bonum duplex ſit, ſit etiam appetitus duplex; Vel enim bonum immediatè convenit cum natura ſenſitiva, atque hoc dicitur bonum delectabile ſive primarium, vel mediatè ſive per aliud, & hoc dicitur ſecundarium, v.g. cibus eſt bonum naturæ ſenſitivæ primarium, quia immediatè per ſe & non per aliud convenit ſenſui; Ignis verò quo coquitur cibus dicitur bonum mediatum & ſecundarium; Contrà verò quod immediatè ſenſui moleſtum eſt, dicitur malum primarium, quod verò impedit conſecutionem cibi, malum ſecundarium. Appetitus ergò concupiſcibilis eſt is, quo animal fertur in bonum immediatum & primarium, fugit verò malum immediatum & primarium; Iraſcibilis verò eſt, qui verſatur circà bonum & malum mediatum ſive ſecundarium; quando enim appetitus ſenſitivus fertur in bonum aliquod delectabile atque ab aliquo impeditur, ne id conſequatur, conatur illud impedimentum ſuperare, ac proinde quodammodo iraſcitur, unde etiam dicitur iraſcibilis & verſari circà bonum arduum; In voluntate autem non diſtinguuntur hi appetitus, quia illa fertur in bonum honeſtum quod ſemper eſt arduum, & ideò ad conſecutionem ejus ſemper opus eſt iraſcibili. His poſitis quæritur an in parte ſenſitiva appetitus concupiſcibilis ſit potentia diſtincta ab iraſcibili.

DICO, appetitus concupiſcibilis non eſt potentia diſtincta ab iraſcibili, prob. primo, nam præterquam quod apud Ariſtot. 3. de anima t. 56. tribuatur eidem appetitui concupiſcere & iraſci, eadem eſt potentia quæ verſatur circà finem & circà media. & eadem potentia, quæ tendit ad aliquem finem, ſuperat etiam difficultates occurrentes, v.g. lapis deſcendens deorſum per ſuam gravitatem, frangit etiam obſtantem aërem aliaque obſtacula per eandem. 2. non datur objectum iraſcibilis ab objecto concupiſcibilis diſtinctum; ſi enim eſſet aliquod, eſſet bonum arduum qua arduum eſt; ſed illud vel eſt præſens vel abſens; ſi præſens, vel habet rationem boni vel delectabilis vel utilis, quia honeſtum non attingitur niſi à voluntate; ſi delectabilis, jam erit objectum appetitus concupiſcibilis; ſi verò habet rationem utilis, cum utile nullam habeat rationem intrinſecam boni, ſed tantum extrinſecam à fine ad quem eſt utile, & finis illius non ſit niſi bonum delectabile, ipſum etiam objectum habebit rationem delectabilis; ſi ſecundum, nempè abſens, idem valet argumentum, quia idem eſt appetitus, qui perſequitur bonum abſens & præſens. *Appet. concupiſc. non differt ab iraſc.*

DICES, ubi ſunt objecta formalia diſtincta, ibi etiam ſunt potentiæ formaliter diſtinctæ; ſed hoc ita ſe habet hic, quia objectum iraſcibilis eſt bonum utile, concupiſcibilis delectabile, ergo. Reſp. negando eſſe objecta formalia diſtincta; Nam ut patet. quod eſt utile, ad conſequendum bonum delectabile habet rationem delectabilis.

DIFFICULTAS XI.

Unde oriatur appetitus.

OMnes potentias & facultates fluere ab anima, jam conſtat ex antecedentibus; hoc an etiam de appetitu ſenſitivo verum ſit & quomodo intelligendum, de præſenti quæritur. Nam certum eſt, non ſtatim reperiri appetitum vel ſenſitivum ubi reperitur anima ſenſitiva, vel rationalem & intellectivum ubi exiſtit anima rationalis. Hinc

DICO 1. Appetitus tam rationalis quam ſenſitivus oritur immediatè ab anima per emanationem. Hæc concluſio conſtat evidenter ex prioribus, quia omnes potentiæ

quæ

quæ ſunt animæ, fluunt ab anima, ueque appetitus vel alterius vel deterioris erit conditionis ut qui eſt eiuſdem animæ potentia & facultas.

DICO 2. Tametſi appetitus imediatè fluat ab animæ ſubſtantia ut & omnes aliæ potentiæ, nullus tamen appetitus unquam fluit ab anima, quin etiam ea eàdem fluat aliqua potentia cognoſcens, non quod ex quolibet à quo oritur potentia cognoſcens, fluat etiam appetitus, quia alioquin tot eſſent in brutis animantibus appetitus quot eſſent ſenſus, ſed quod non poſſit reperiri facultas cognoſcens ſine appetitu. Nam ut manifeſtum eſt ea hactenus dictis, non poteſt eſſe ullus appetitus propriè ſumptus etiam in animalibus imperfectioribus, quem non præeſſetit aliquis ſenſus, quia non fertur potentia in obiectum niſi prius ſenſu cognitum, juxtà illud quod commune habetur apud philoſophos, ignoti nulla cupido, eò nimitùm quod omnis appetitus ſequatur aliquod eſſe, ſcil. formam apprehenſam, ergo eum potentia appetitiva ſemper debet eſſe conjuncta cognoſcitiva, & quidem naturâ prior.

DICO 3. quod non poſſit reperiri facultas cognoſcens absque appetente, id dupliciter fieri ſolet. Primo quando utraque oritur ab eodem gradu ut videmus in voluntate & intellectu, quæ utraque facultas fluit à gradu rationali. 2. quando fluunt ex diverſis gradibus, ſed quorum unus neceſſariò ſupponit alium ut fit in ſenſibus. Nam appetitus ſenſitivus oritur immediatè ex eo gradu è quo oritur imaginatio 3. de anima c. to. in fine; ſed cum imaginatio non poſſit eſſe ſine aliis ſenſibus, ideò nec ſenſus ſine appetitu eſſe poteſt. Cæterùm quomodo concurrat appetitus tam ſenſitivus quam rationalis cum operationibus aliarum potentiarum, id propriè philoſophorum eſt determinare; Quamvis enim certum ſit concurrere ad potentiam loco motivam, ad actus phantaſiæ, & ad omnes potentias quocunque modo liberas ut eas ad exercitium actus liberi determinet; non tamen concurrit ad facultates animæ vegetativæ v.g. ad nutritionem, accretionem, neque ad operationes ſenſuum externorum, id eſt, ad actualem ſenſationem.

DIFFICULTAS XII.

An facultas motiva ſit diverſa ab utroque appetitu tam rat. quam ſenſitivo.

EX ſuprà dictis conſtat, tria concurrere ad motum progreſſivum; primo cognitionem intellectus practici vel phantaſiæ. 2. actû appetitus. 3. vim aliquam immediatè membra moventem. à primo eſt directio, à ſecundo imperium, à tertio execution, unde etiam denominatur prima vis dirigens, ſecunda imperans, tertia exequens. De intellectu & phantaſia facilè apparet non eſſe ipſam potentiam motivam; ſed de appetitu aliqui diſſentiunt. Sed

DICO, potêtia loco motiva realiter differt ab appet. ſenſitivo & voluntate, prob. 1. voluntas merè ſpiritualis eſt, nec ſubjectatur in corpore, in quo utroq; diſcrepat à facultate motiva, quæ materialis eſt & ſubiectatur in partibus corporis. 2. Appetitus ſedem habet vel in corde vel in cerebro, potentia autem motiva in ſingulis membris. 3. Appetitus ſenſitivus habet diverſum obiectum, & actus diverſos, quia obiectum illius eſt bonum & actus immanentes, cum hi in potentia motiva ſint tranſeuntes. 4. in ſubſtantiis ſeparatis potentia motrix realiter differt ab earum appetitu intellectivo ut habent Conn, l. 2. cæl. c. 5. q. 7. ergo multò magis hoc verum erit in rebus materialibus. Nam inconveniens eſt, ut res illæ quæ in rebus corporeis unitæ ſunt, poſtea in alio ſtatu aut in incorporeis & excellentioris naturæ degenerent in multitudinem. Itaq; colligitur primo, motum progreſſivum ab animali virtute proficiſci, quia efficitur ab appetitu imperante & concurrente, virtutem etiam motivam non ſpectare ad facultates vitales ſed animales quarû miniſtra eſt. 2. actionem, qua membris motus imperatur, non præcedere appetitum. 3. potentiam execuivam motus verè & propriè activam eſſe, quia motus hic eſt vera actio & non poteſt effectivè procedere ab appetitu quia eſt tranſiens. 4. ad motum progreſſivum concurrere duo principia dirigentia, phantaſiam ſcil. ſive imaginationem & intellectum, duo impellentia ſive imperantia, nimirùm voluntatem & appetitum ſenſitivum; Et tandem unum exequens, ut potentiam motivam, quæ ſola ut cauſa efficiens proximè exequitur motum.

Facultas loco motiva differt ab appet. ſenſitivo.

DIFFICVLTAS XIII.

Quæ ſint vera inſtrumenta motus progreſſivi.

TAmetſi motu progreſſivo moveantur ſingulæ partes animales ſive ſint animatæ ſive inanimatæ, non tamen quælibet habet vim illam ut ſe localiter ad imperata ſuperioris facultatis moveat; hoc patet in venis & partibus aliis ſimilaribus, quæ non habent vim ullam ſe movendi; hinc quæritur, quænam ergò ſint illæ partes inſtrumentales quibus corpus progrediatur.

Suppono ex jam dictis, virtutem motivam derivari remotè à corde, proximè verò à cerebro. Hinc

DICO primo, motus voluntarii inſtrumentum vel organum non poteſt eſſe pars aliqua ſimilaris ſola & ſimplex; Ratio eſt, quia nullà ejuſmodi pars poteſt habere con-

Pars ſimilaris non eſt organû adæquatum motus voluntar.

Digitized by Google

conditiones quæ ad motum requiruntur, ergo. prob. antec. quia ut ex Galeno 12. de uſ, part. & ex Veſal.l.2. cap.2. patet, ad idoneum motus inſtrumentum requiritur, ut ſenſu polleat producatque impulſum, ad motum verò firmitas & conſiſtentia, ad ſenſum mollitudo, quæ conditiones in nulla ſimplici parte ſimilari reperiuntur, ſive ea ſit nervus, ſive tendo, ſive caro muſculoſa &c. Vnde

Solus muſculus eſt

DICO 2. ſolus muſculus eſt proprium & adæquatum motus inſtrumentum. Ratio, quia hic ſolus non ut eſt pars ſimplex & ſimilaris, ſed inſtrumentaria & ex aliis partibus coagmentata, veras habet conditiones quæ ad motum ſpectant, ſcil. mollitudinem ex carne & ſoliditatē ex ligamentis & nervis; Nam quia prædura vel nullum vel nimis hebetem & obtuſum habent ſenſum ſicut & mollia, natura ſolertiſſima rationem hanc excogitavit, qua & duram & mollem coagmentaret; conjunxit enim ligamentum, quod aliquantulum eſt durius cum nervo qui mollior eſt, & utrumq; in minutas partes ſecuit & diſtribuit, carneque venis & arteriis implicuit quæ coacervatio moſculus dicitur, qui tam à philoſophis quā à Medicis traditur verum & genuinum virtutis motivæ inſtrumentum, quod tam latè in animantium corporibus diffunditur, quam latè patent membra quæ ad motum voluntarium ſubeundum ſunt idonea. Adverte autem, hoc motus voluntarii inſtrumentum nequicquam valere, niſi congruis qualitatibus imbutum ſit, & perenni ſpirituum animalium influxu foveatur, quia his ipſis deficientibus membra exareſcunt & omni motu deſtituuntur. Experientia docet hoc in deliquiis, apoplexia, Epilepſia, Vertigine, tremore manuū &c. quia in his omnibus aut membra imbuta ſunt alienis & malignis qualitatibus, aut ipſi ſpiritus animales, qui ſoli ſunt inſtrumentum ut muſculus corpus moveat, deficiunt aut intercipiuntur aut in gyrum rotantur; Vnde manifeſtum eſt, influxum ſpirituum animalium maximè neceſſarium eſſe, & obtinere etiam nomen inſtrumenti non aliter quam calorem vitalem in omnibus corporis & membrorum functionibus obeundis. Cæterùm quænam pars muſculi ſit primarium motus inſtrumentum, vide diſput. 20. diffic. 18. ubi conſtat aliquos pugnare pro carne, aliquos pro tendine &c.

Muſculus ex quibus compactus

DIFFICVLTAS XIV.

An motus progreſſivus ſit naturalis an violentus

NAturale non ſumitur hic quatenus juxta Medicos, qui motum vel naturalem vel animalem & voluntarium faciunt, huic opponitur, ſed quatenus eſt contrarium præternaturali; Et hinc quæritur, an quando v. g. homo progreditur, lepus currit, aquila volat, vermis repit, piſcis natat &c. hic motus ſit naturalis, id eſt, ex natura competat, an verò ſit violentus & præternaturalis, id eſt, fiat cum repugnantia naturæ.

Opinio quorundam eſt eſſe partim naturalem, partim violentum; Illum quidem quod fiat à principio naturali & intrinſeco; Nam illa dicuntur fieri naturaliter, quæ fiunt juxtà exigentiam & debitum ordinem totius naturæ; hunc verò, quod partes corporis moveantur cum aliqua repugnantia reſiſtentia & fatigatione; Nam animal fatigatum motu progreſſivo ſentit ſibi & ſuo corpori inferri vim, cui vellet reſiſtere; hinc putant Authores hi, motum hunc eſſe medium.

DICO, motus progreſſivus eſt naturalis omninò, Ita communis eſt doctrina, & prob. primo, motus hic progreſſivus ſit à principio intrínſeco, id eſt, à forma & reliquis diſpoſitionibus corporalibus, ergo eſt naturalis. 2. convenit animali ratione propriæ differentiæ; Nam aliter vel ab alio principio movetur homo, aliter piſcis, avis &c. 3. in omnibus animalibus ne imperfectis quidem exceptis, eſt naturalis quædam inclinatio ad motum, quo fugiant mala & quærant convenientia, ergo. 4. ideò data ſunt à natura animalibus tam diverſa organa & inſtrumenta, quibus ſe moveant, quod aliàs nunquam factum fuiſſet, ſi huiusmodi motus deberet eſſe violentus, id eſt, contrà naturalem ipſius animalis inclinationem.

Argumentum de fatigatione corporis & membrorum nihil concludit, quia merè eſt per accidens, quod corpus nimio motu fatigetur, eſtq; ſemper ille motus naturalis, id eſt, à principio intrinſeco. Quod ſi tamen fiat, ut animal contrà ſuam voluntatem & cum reſiſtentia trahatur, nihilq; omninò ad hunc motum faciat, violentus erit, de quo autem hic nullus eſt ſermo; quia quamdiu animal à ſeipſo movetur, & non ab extrinſeco, tamdiu cenſendus eſt hic motus naturalis, quantumvis etiam animal ſit feſſum, & membra ſpiritibus ſive viribus exhauſta. Hæc tamen ita vera ſunt, ut nec ille falſa, ſi quis dixerit motum voluntarium eſſe naturalem quoad executionem, quia fit à potentia motrice partibus intrinſeca, violentum verò quia fit à principio extrinſeco, nimirum à ratione & appetitu impetantibus: Nam naturaliter quieſceren membra, niſi hæc ad motum progreſſivum impellerent ut liquet ex dictis.

Quomodo motus poteſt eſſe naturalis & violentus.

DIFFICVLTAS XV.

An riſus & fletus ad potentiam motivam ſpectent, & unde oriantur.

SOlutio huius conſtabit, ubi explicatum fuerit, quid ſit riſus & fletus, & quomodo generentur. Hine

DICO, riſus deſcribi poteſt, quod ſit con-

concitatior quidam motus animi ex re jücunda, ad conceptum intus gaudium explicandum, quo thoraeis & oris muſculi quodam impetu moveatnr: Alii vocant riſum oris & pectoris motum, à diaphtagmate & muſculis cæteris factum nsque ad buecas. Antequam hæc explicentur, adverte, riſum & fletum non eſſe affectum animi, ſed quippiam conſequens. Dicitur itaque primò motus animi, quia canſa principalis eſt anima. Dicitut 2. concitatiot, qnia aliàs non eſſet concuſſio pattium corporis, quæ aliquando ſolet eſſe tanta ut vitam adimat. Dicitur 3. ex re jucunda, ut indicetur objectum & materia ex qua: Nam ordinariè oriri ſoler ex rebus novis, repentinis, levibus, ludieris, argutis & inopinatis, ut ſi quis ſuperbè & nitidè incedens in publica platea repentinè incidat in lutum; Vnde patet non qnodvis voluptatis & lætitiæ obiectum facere riſum, inſuetum & repentinum; hinc enim fit dilatatio quæ riſum movet; Et hinc in 3. de part. animal. c. 10. quosdam trajecto diaphragmate in prælüs ridentes occubuiſſe refert Ariſt. & eos qui titillan-

Titillati tur ridedt. tur, ridere eò quod non procul huiusmodi ſubjectum diſtet à diaphtagmate, ad quod celeriter motus ille pervenit. Dicitur 4. ad conceptum intus gaudium explicandum, quia hęc particula continet cauſam finalem. Dicitur 5. qno moventur thotacis & oris muſculi quodam impetu, ubi explicatur canſa formalis & modus quo riſns generetur: Nam forma riſus eſt oris & faciei didnctio, quæ conſequitur ad commotionem muſculotum, quam commotionem cauſat appetitus & apprehenſio. Ex his omnibus conſtat quæ eircà fletum dici poſſint; Nam & hic eſt quidam motus animi licet non æquè comſtatus, ſed ex re triſti, & quo moventur oris & aliquando etiam thoracis muſculi; quare autem exprimantur lacrymæ, id conſtat ex ipſa actione triſtitiæ, qua membra interiora concidunt, & coarctantur, quam deinde coarctationem ſequitur puſillanimitas, triſtitia, timor, expreſſio humotis ab oculorum tunicis, ſicut è contra in lætitia dilatantur, in qua tamen nonnunquam etiam lacrymæ ob compreſſionem partinm effunduntur. Cur autem ſolus homo titilletur, eſt

Solus homo titillatur & ridet. cutis tenuitas, & quod ſolus rideat; hinc quare ſub axillis potiſſimum & plantis pedum fiat titillatio, ait Ariſt. ſect. 2. probl. 35. eſſe ipſam tenuitatem eutis, tactum inſuetum earum partium quodque fiat ab aliis & quidem repentè; Nam noſtram titillationem ferimus & quam præſentimus &c.

Colligitur, 1. riſum pertinere ad potentiam motivam tanquam ad cauſam inſtrumentalem & ptoximam quæ riſnm efficiat. 2. ad riſum ptomptiſſimos eſſe cholericos & ſanguineos ptopter calorem tenuemque & fluidum ſpiritum, qui etiam in titillationibus requiri-

Quare rident pueri & fatui. tur. 3. pnetos mulieres & fatuos libenter ridere, quia omnia ſunt ipſis nova; At ſapientes non facilè rident ut nec iis, qui planè nihil apprehendunt, quia ſapientes riſum ratione frenant, & nihil ipſis facilè eſt novum. 4. titillationem non eſſe propriè motum localem aut internum corporis, ſed aut ſuaviorem impulſum, quo ſpiritus & ſanguis in partem aliquam valdè ſenſilem feruntur, aut blandiorem aliquem contactnm, aut etiam ſubinde vehementiorem, quo partes nervoſæ aut aliç in quibus delicatus eſt ſenſus, & ad quos facilè ſpirituum fluidorum copia deferri ſolet, continguntur & contactæ quaſi concutiuntur.

DIFFICULTAS XVI.

Ad quam potentiam ſpectet motus cordis, arteriarum, pulmonum & thoracis.

PRæter motum purè naturalem quem habent partes viventes dum convenientia attrahunt & diſconvenientia ſive excrementa propellunt, reperiuntur inſignes alii in pectore motus ad vitam animalis maximè neceſſarii: Cum enim fiant in loco nbi eſt fons caloris & ubi vita incipit, neceſſum quoque eſt ut ad unius quoque vitæ conſervationem eamq; omnibus corporis membris continuo influxu impertiendam intenti ſint; Et cum plures in pectore ſint motus pluraq; membra quæ moveantur ut cor, atteriæ, diaphragma, muſculi pectorales & pulmones, quæritur ad quam facultatem ſpectent, an omnes ad vitalem.

Suppono, hos motus non eſſe in fætu uterino, ut ex alibi dictis abunde conſtat, ſed nec eſſe ſimultaneos; Nam cor ſuum habet & obſervat, à quo non deflectit ex arbitrio hominis quod idem de arteriis intellige; pectus verò & diaphragma vel citius vel ſerius ad arbitrium noſtrum moventur trahuntque ſecum pulmones.

DICO 1. motus cordis, arteriarũ & pulmonũ eſt facultatis motivæ ſecundũ qnoldã; ratio, *Motus cordis & arter. an ſpectet ad facultatem naturalem* quia eſt actio, quæ nec eſt facultatis naturalis ſeu vitalis, quam philoſophi vegetantẽ dicnnt, nec ſenſitivæ, nec appetitivæ; nec intellectivæ ut diſcuttenti patet, ergo motivæ, quia nihil aliud ſupereſt; Deinde motus harum partium eſt actio, qua localiter moventnt, ergo. Denique habent hæ partes potentiam non minus ſe movendi, quam nervi ſentiendi, & oſſa ſe nutriendi &c. ergo actio qua ſe localiter movent, pertinet ad potentiam & facultatem motivam.

Dixi ſecundum quosdam, quia probabilius eſt ſpectare ad facultatem naturalem ſeu vitalem, primo quia non ſuperat vim huius facultatis, 2. quia in corde & arteriis non viget facnltas motiva. 3. quia fit citrà potentiæ ſenſitivæ imperium nobisque etiam dormientibus 4. quia non fit beneficio nervorum & ſpirituum animalium, onde omninò ad facultatem vitalem & non motivã ſpectat,

niſi hanc quis latius ſumat pro ea, qua fiat motus in aliquo membro localis & manifeſtus, ſive beneficio ſpirituum animalium ſive vitalium ut hic.

DICO 2. motus diaphragmatis, pectoris & muſculorum ſpectat ad potentiam loco motivam, neque eſt hic ulla contradictio; Ratio, quia fit beneficio nervorum, eſtque in ſe noſtræ poteſtatis aut tardius aut citius eum promovendi, imò penitus inhibendi, ut Galenus de ſervo illo verè dixit, qui ſpiritu inhibito ſeipſum ſuffocavit: Dico in ſe, quia quod inſcii aut etiam dormientes adeoque citrà voluntatis impetum reſpiremus, id motui per accidens eſt, quia videl. id exigit neceſſitas calorem vitalem ſed & vitam conſervandi

DICES, pulmones non moventur à ſeipſis, ergo nec motu naturali nec arbitrario, ſed violento. *Reſp.* eſſe naturalem, quia non eſt contra illorum inclinationem, ſed ad conſervationem vitæ ideoque ſummè neceſſarius; aliquomodo tamen violentus dici poteſt, quia eſt à principio extrinſeco, nimirum à pectore ejusq; muſculis ob vaſorum communitatem.

Colligitur, motum cordis & arteriarum ſpectare ad facultatem naturalem ſeu vitalem, ut Medicorum eſt doctrina, quia eſt actio animæ vegetantis, ad quam ſolam pertinet facultas vitalis & naturalis.

DIFFICULTAS XVII.

Quando incipiant hi motus in homine oriente, an unus citius altero.

SEntentia Medicorum eſt contrà Ariſt. l. de ſpiritu, fætum dum eſt in utero, non reſpirare nec habere motum cordis & arteriarum. Iam quæritur quando incipiant moveri, an ſimul omnes, an immediatè poſt egreſſum ex utero, an paulò poſt. Porrò ait Ariſt. loco cit. de his motibus, pulſu videl. inſpiratione & exſpiratione ambigi poteſt, an ſint coævi, & ſi non, quis horum primus, & an rationale ſit pulſum reſpiratione priorem ſtatui.

DICO 1. motus pectoris & cordis incipiunt in fætu immediatè poſt egreſſum ex utero & reſectionem umbilici; patet ex diſp. de actionibus fætus in utero, & ratio eſt, quia cum jam careat omni influxu ſpirituum vitalium quos à matre intrà uterum hauſit, & quos ad vitæ conſervationem neceſſarios haber, aliunde ipſi providendum eſt; ſed hoc per ſolum cordis & pectoris motum fieri poteſt, ergo hicuterq; poſt egreſſum ex utero incipit; Major certa eſt, minor prob. quia ſpiritus vitales non poſſunt aliunde influere niſi à corde, ut conſtans eſt doctrina tam Medicorum quam Philoſophorum.

DICO 2. cor, arteriæ, diaphragma, pectus ejusq; muſculi incipiunt ſimul poſt egreſſum fætus ex utero. Adverte per immediatam & ſimultatem non intelligi tempus inſtantaneum, quia hoc naturæ opus eſt, quæ ſicut omnia in omnibus operatur, ita novit etiam in tempore neceſſitati prolis hominisq; orientis occurrere. Eſt a. ratio concluſionis, quia talem habent inter ſe connexionem & neceſſitudinem hæc membra, quæ in eundem finem videl. naturalis conſervationem cuius vita ex hoc unico potiſſimum pendet motu dirigitur, ut nullum absq; altero moveri poſſit aut debeat, ergo probabiliſſimum eſt omnia ſimul incipere moveri; Antec. patet, quia imprimis niſi pulmones ſuo motu aërem advehant eumq; inter meatus & ſubſtantiam cordis recondant partim propter generandos ſpiritus vitales, partim propter æſtum cordis contemperandum, ceſſabit omnis motus cordis & arteriarum deſinitq; vita quia deſinit influxus vitalis. Similiter non poſſunt dilatari & explicari pulmones, quia ex ſe ad motum ciendum inhabiles ſunt, niſi beneficio diaphragmatis & muſculorum pectoris attollantur, qui & ipſi ut vitam tueantur eiusque fonti & principio deſervirent, ad imperium animæ moventis ſeſe diducunt rurſumque concidunt: ſed an hi motus in dilatatione & compreſſione ſint ſimultanei? *Reſp.* &

DICO 3. non incipiunt ſimul cor, arteriæ, pulmones & thorax comprimi & dilatari, Ratio eſt, quia aliàs non poſſent mutuis officiis ſibi deſervire, ſed nec habent tantam connexionem & neceſſitudinem inter ſe, ut dilatato uno etiam dilatetur alterum, & concidente uno concidat etiam alterum; Non n. neceſſum eſt ut quoties cor attollitur, totum quoque pectus attollatur novumque per pulmones aërem attrahat, quia poteſt hic ſufficere per aliquot compreſſionis & dilatationis motus, quem thorax unico tractu inſpirat, quod experientia manifeſtè docet & in ſequentibus fuſius dicetur.

DIFFICULTAS XVIII.

Quid ſit motus cordis & arteriarum, & in quem finem datus.

SVppono, motum hunc, qui conſtat compreſſione & dilatatione, eſſe actionem ſpectantem ad facultatem vitalem ut ſentiunt Medici, judicatq; probabiliter Dandin. 2. de anima t. 61. & non ad motivam; neq; datum eſſe cordi ut per modum irradiationis ſed per ſpiritus vitales influat, quibus poſitis

DICO 1. motus cordis & arteriarum eſt pulſatio compreſſione & dilatatione conſtãs, ad ſpiritus vitalis generationem & calorem nativum conſervandum tum ad fuligines excludendas. Dicitur primò pulſatio cordis & arteriarum, ad differentiam aliorum motuum qui deprehenduntur in corpore, & ut deſignetur ſubiectum in quo fiat pulſatio; Quando verò Medici dicunt eſſe motum primò cordis tum arteriarum, non intelligendum eſt quaſi vis motiva primariò ſit in corde & ſecundariò in arteriis, quia eſt vis una eademque diffuſa per totum, ſed quod cor ſit fons & principium in quo gignantur ſpiritus

ſpiritus vitales & per quos influat in arterias iisque mediantibus in univerſum corpus. Dicitur 2. compreſſione & dilatatione conſtans, quia eſt motus quo cor & arteriæ juxtà naturalem conſtitutionem dilatantur rurſumque concidunt. Dicitur 3. ad ſpiritus vitalis generationem &c. quibus ſignificatur cauſa finalis quare hic motus à natura datus ſit cordi & arteriis. Et hinc

Unde & cur movetur cor & arteria. DICO 2. moventur cor & arteriæ primò ut generentur ſpiritus vitales. 2. ut halitus & fuligines aduſtæ expellantur. 3. ut contemperetur calor cordis. 4. ut calor nativus conſervetur, ſpiritusque vitales in omnes partes corporis influantur. Explicantur ſingula; Nam primò conſtat ſpiritus vitales gigni ex ſanguine æſtuante per rarefactionem, quod cum non poſſit fieri abſque inſigni motu & contritu, neceſſarium eſt ut hic motus ſit propter ſpiritus vitales, cum præſertim eorum beneficio anima & vita conſervetur in corpore. finis ſecundus eſt fuliginum excluſio; Quando enim arteriæ cum corde comprimuntur, recrementitii & aduſti vapores in pulmones indeque per aſperam arteriam revomuntur. 3. finis eſt, ut nimius calor cordis contemperetur ex Ariſt. l. de ſpirat. videlicet per ſubingreſſum aëris quod confirmat experientia. Nam poſt cohibitam diu reſpirationem advertimus inſigne levamen & ſenſus recreationem cum aërem hautimus; Et ſi multo exercitio aut morbis calidis fatigati ſumus, nihil ſuavius ſentimus quam crebram aëtis inſpirationem, quo vires nonnihil reſtautamus & calorem cordis temperamus. Quartus denique finis eſt, ut calor nativus conſervetur, ſpiritus vitales in omnes partes corporis influant omneſque functiones rectè adminiſtrentur. Nam cum calor nativus continuò deficiat, eget continua reſtauratione, quod tum fit cum ſanguis è dextro cordis ſinu in ſiniſtrum effunditur, ibique motu cordis & calore rareſcit & in ſubſtantiam vaporoſam omnium functionum totius corporis adminiſtratorem transmutatur, proinde ſpiritus hic influens mediis arteriis in univerſum corpus decurrit non tantum ut adſit animæ & potentiis in operando, ſed etiam ut recipiat calidum nativum in reſtaurando & conſervando.

DICES primo cum Dand. 2. animæ t. 61. ſpiritus vitalis ad ſuas operationes requirit ſummum calorem, ergo non eſt opus refrigerio ab aëre. Reſp. neg. conſeq. quia etiamſi ſpiritus non egeat aliqua temperatione, eget tamen æſtus cordis in ſpirituum generatione.

DICES 2. cum eodem Dand. generatio ſpiritus perficitur ſola caloris reſolutione partiumque ſanguinis tenuiorum à dextro cordis ſinu ad ſiniſtrum traductione, nullaque inde exiſtit excrementoſa aut ſuperflua exhalatio quæ debet expurgari, ergo non fit dilatatio propter fuligines expellendas. Reſp. neg. antec. quia etiam à ſpirituoſo ſanguine continuò exhalant excrementa, ut communis eſt doctrina medicorum rationi etiam conſentanea.

DIFFICULTAS XIX.

An ſpiritus vitales ex aere gignantur & reſtaurentur.

OPinio prima eſt Dand. l. 2. de anima t. 61. negativa, quia ait nullum aërem cor unquam ingredi ſed ad illius officia ſolum deduci & tum ſtatim repelli; Et hujus etiam ſententiæ ait fuiſſe Ariſt. l. de reſpiratione. Similiter negat ullum ſpiritum nutriri poſſe, tum quod hic ſit corpus ſimplex, quo nutriri nihil poſſit, ille etiam res lunara, & ſpiritus alimento non egeat, tantum verò confectione ex ſanguine &c.

Opinio 2. eſt affirm. Medicorum, qui docent deferri aërem è pulmonibus per arteriam venoſam ad lævum cordis ſinum ibique in ſubſtantiam ſpirituum affirmati: Et hoc docet Gal. 7. de uſ. part. c. 7. & 9. Hipp. l. de alim omneſque communiter Medici, quibus etiam conſentire videntur Conn. inſignes & accuratiſſimi Philoſophi l. de reſpir. c. 3. quia docent ſpiritum eſſe ſubſtantiam tenuem, aëream & facilè diſſipabilem, quæ proinde ab aëre tanquam ſibi familiari & non diſſimili poſſit refici & nutriri. Et ut inter omnes Medicos unius Fernelii teſtimonio utar, ambiens hic l. 6. phyſ. c. 18. inquit, aër per os & nares in aſperam arteriam inſiliens non modo ejus ramos per pulmones diffuſos ſed & ferè omnem ejus molem impletadeò, ut univerſam thoracis capacitatem tum inflatur & ſpiritu turgens pulmo refarciat ac impleat; Et hic hauſtus aër primam in pulmone elaborationem ſumit, illicque concoquitur & præparatur vi carnis quæ tenuis eſt mollis & aërea, ut proinde hujus operis cauſa conſtructa eſſe videatur; Non enim extrinſecus aër rudis frigidus & impurus ſubitò irruens fieri poteſt interioris ſpiritus conveniens pabulum, ſed hunc ſicut & alimenta neceſsè eſt paulatim mutari & familiarem innato ſpiritui qualitatem longiuſcula mora interpoſita recipere; poſt hæc autem elaboratus diligenter hic ſpiritus in ſiniſtrum cordis ventriculum arripitur, ex quo accedente ſanguinis vapore, qui ex dextro ventriculo promanavit, vi cordis inſita & ingenti caloris incendio procreatur vitalis &c. hæc Fernelius.

DICO, probabile eſt ex aëre quem inſpiramus, poſſe gigni ſpiritus vitales. Ratio eſt, quia ſubſtantia, ex qua gignitur ſpiritus in ſiniſtro cordis ventriculo, eſt aeri in materia & qualitatibus ſimillima; in materia quidem quia hæc eſt tenuiſſima & vaporoſiſſima; In qualitatibus verò, quia tales ſunt humor & calor, quæ duæ qualitates naturæ humanæ maximè ſunt cognatæ; Et hæc eadem eſt ratio, ob quam Conn. cit. hanc doctrinam probabiliorem judicent; Deinde confirmat hanc opinionem illud, quod plerumque aer aut *Ex aëre gignitur etiā ſpiritus.*

benè aut malè homines juxta conſtitutionem corporum & temperamentorum afficiat, non tantum quod cordis ſubſtantiam ingrediens peregrinam vitalibus qualitatem imprimat, ſed quod verè borum calore ſufficienter digeſtus in ſubſtantiam ſpirituum degeneret, & in corpus per arterias diffundatur; Nec eſt quod quis Dand. aut ejus rationes nimium extimeſcat; Nam

Ad rationem primam, qua dicit nullum aerem cordis regionem ingredi, Reſp. neg. ex Anatomicorum doctrina; Et malè trahit in ſuam ſententiam Ariſtotelem, quia hic expreſſe contrarium docet dum ait, facilè aerem ipſum ad originem caloris in corde ſibi reduci &c.

Ad ſecundam Reſp. non fieri hic mentionem nutritionis propriè dictæ; ſed ejus, quâ ſpiritus vitales qui inanimati ſunt & nutriri non poſſunt reſtaurantur, quod per calorem vitalium verè poteſt fieri, præſertim cum aer non ſit purus, ſed multis vaporibus & exhalationibus immixtus. Et ſic

Ad tertiam Reſp. quando ſpiritus dicuntur nutriri aere, non eſſe ſenſum, quaſi ſpiritus verè & propriè per ſubſtantialem nutritionem, quæ actio vitalis eſt, reſtaurentur, ſed quod aer, ſi in corde ſubtiliſſimo & vaporoſiſſimo ſanguini admiſceatur, in eorum naturam tranſmutetur, ſicut v. g. probabile eſt vapores aut exhalationes mutari in aerem, quod licet multi negare videantur.

DIFFICVLTAS XX.

Unde moveantur cor & arteriæ juxtà diverſos Authores.

CErtum eſt, quod anima dum elicit viſionem v. g. præter potentiam videndi requirit alias adhuc diſpoſitiones, quæ in genere cauſæ effic. quamvis inſtrumentalis concurrant, ut eſt calor vitalis partium oculi, ſpiritus viſorius &c. Eodem modo quæritur, an anima ad motum cordis & arteriarum præter potentiam illam motivam ſeu vitalem ſecundum Medicos egeat adhuc alio quod efficienter ad hanc actionem concurrat.

Fernelius l. 3. de pulſ. c. 3. ait, cauſam hujus motus efficientem eſſe facultatem à corde manantem, quod etiam alii plerique Medicorum docent: Nam Andr. Laur. q. 11. de motú cordis aſſerit, hunc motum manare à quadam vi cauſæ, quæ reſponſio nimis generalis eſt, cum quicquid in humano corpore agitur, illud fiat à facultate animæ. Turiſanus apud Dand. docet, hunc motum fieri ab ebullitione ſanguinis in corde; is enim cum ſit humidus, ubi ad cor pervenerit, ebullire nimio calore, tumeſcere & dilatari, & hinc ſimul cor & arterias attolli; Et quia cùm hac dilatatione ſubintrat ſimul ſubſtantiam cordis aer frigidus, qui calorem mitigat ſuoque frigore conſtringit, ſequi depreſſionem cordis & arteriarum, fierique continuatis vicibus dilatationem & depreſſionem. Dand. cit. probabiliter putat, hunc motum fieri à facultate vitali, id eſt, ab anima per calorem, aut certè per facultatem nutrientem, quæ majorem calorem & omnia organa ad id quam optimè comparata habeat; calorem autem non dilatare magis cor & extendere, & elevare ſolùm efficiendo latum id quod erat longum, depreſſionem fieri aut ex natura membri quod dilatatione diſtenſum ad naturalem figuram oblongam redeat, aut ex refrigeratione illius calidi ab aere frigidore factâ, non cordis ſinus ingrediente ſed ad orificia & exteriores partes adducta adeoque à motu pulmonum refrigerante; Et idem de arteriis dicendum eſſe, quæ à corde tanquam ab hujus motus principio ſpiritum & calorem accipiant; & hinc eſſe, quod depreſſo corde ipſæ eleventur eoque elevato deprimantur.

Ariſt. l. de reſpir. circà finem, ſaltum ait pulſum & reſpirationem in motu cordis accidere, quæ tria à variis variè ad ſuas cauſas referuntur, ferè tamen juxta opiniones jam recenſitas; Nonnulli enim explicant Ariſtotelem, quod ſaltum imprimis voluerit eam habere cauſam, ac ſi calor ad cor à circumjecto frigido externo compellatur, qui cum frigidum ambiens expellere nitatur, palpitationem & ſaltum efficiat, qualem in timore aliiſque nonnullis affectibus ſentimus: Pulſum deinde eſſe ebullitioni ſimilem & fieri cum humidum inflammatur à calido frigidumque denuò occurrit; ab hoc enim fieri depreſſionem, ab illo dilatationem; Et hanc eſſe cauſam, cur juvenes habeant vehementiorem pulſum quam ſenes, ægri quam ſani, laborantes quam quieſcentes; ſimiliter cur aqua concepto calore tumeſcat, & accedente aere frigidiore relabatur: hæc autem explicatio cum videatur ſoli calori aſſcribere motum hunc cordis & arteriarum, parit hanc difficultatem, quod hic motus conſequenter ſit violentus, non durabilis, animali pernitioſus, fatigabilis &c.

DICO primo, Cor & arteriæ moventur ab anima principaliter ejuſque potentia ſeu motiva ſeu vitali. Ratio eſt, quia omnium actionum vitalium & præſertim immanentium cauſa principalis eſt anima, ergo & motus illius qui eſt in corde & arteriis: Dico à potentia ſeu motiva ſeu vitali, quia etiam in corde viget potentia motiva ſicut in cerebro, nervis & muſculis nutritiva; Deinde quia cor eſt principium vitæ, ergo omnes actiones quæ in eo deprehenduntur ſunt vitales ſicut & omnes facultates quæ ad hujuſmodi actiones conferunt; Nam juxtà hunc ſenſum poteſt hic motus dici procedere à potentia vitali, quatenus eadem eſt cum naturali ſeu vegetante, quia hujus eſt movere partes & viſcera localiter ſive motu naturali, non animali & arbitrario.

DICO 2. Cor & arteriæ moventur à calore & fer-

& fervore ſanguinis inſtrumentaliter: Ratio eſt, quia juxtà hujus varietatem vel citius vel tardius vel magis minuſque vehementer pulſant cor & arteriæ, quod nullo modo fieret, ſi potentia ſola id abſque miniſterio caloris efficeret; Et confirmatur, Nam hic in omnibus animæ operationibus eſt ejus inſtrumentum, ergo etiam hic, ubi magno & intenſo calore opus eſt; Nequetamen hic motus violentus erit aut animali pernicioſus & defatigabilis, quia eſt imprimis ad conſervationem vitæ neceſſarius & producitur ab anima, unde etiam non deficit niſi deficiente calore & ſpiritibus; violentum enim iis tantum debetur, quæ extrinſecus rem afficiunt, quod in hoc motu fieri non ſolet, quia fit à calore non externo ſed interno & nativo, vel ſi ab externo, ſaltem inſtrumentaliter. Poteſt tamen hic motus aliquo modo dici violentus, quatenus videlicet extenduntur vaſa contrà inclinationem ex ſe, quo modo & pes & brachium moveri ſolent, acciditque multa & defatigabilis deambulatio: Dico ex ſe, quia moventur ex neceſſitate vitæ ſuſtentandæ.

DICES, ſi calor eſt cauſa motus in corde & arteriis, ſequitur hunc propè cor eſſe vehementiorem & celeriorem quam in extremis digitorum, quia calor hic minor eſt ibi major; Deinde ſequeretur contra experientiam in vigore morborum pulſum eſſe maximum & frequentiſſimum, quia calor tùnc eſt vehementiſſimus. Reſp ad primum, nihil eſſe abſurdi pulſum circa cor eſſe majorem & vehementiorem, non tamen celeriorem; Deinde calor eſt cauſa minus principalis & inſtrumentalis, licet potentiam ad hanc actionem aut magis aut minus modificet. Ad ſecundum reſpondebitur l. 2. de morbis calidis, ubi dicetur pulſum in vigore non eſſe celeriorem & frequentiorem propter vehementiam caloris ſed propter debilitatem virium.

DIFFICULTAS XXI.

An & quomodo cor & arteriæ ſimul moveantur.

RAtione dubitandi eſt, quia cum vis motiva influat à corde in univerſum corpus, videtur improbabile, arterias extremas corporis & artuum æquè celeriter pulſare atque eas quæ ſunt proximiores cordi, cum vis motiva prius influat in partes proximas quam in remotas. Sed

DICO primo, Omnes arteriæ pulſant ſimul in corpore ſive benè ſive malè conſtituto: hæc concluſio eſt experientiæ & rationis; Illius quidem, quia ſentimus arterias omnes quaſcunque tangimus, ſimul cum aliis moveri; Hujus autem quia facultas motiva eſt æqualiter diffuſa per totum, vigetque in una parte non minus quam in altera ſicut potentia nutritiens non in ſolo eſt corde aut epate, ſed in quibuſvis partibus animatis; unde malè reſpondent Medici, ſicut moto principio alicujus fili v. g. vel chordæ etiam ſimul movetur extremum illius, ita etiam fieri in arteriis, quarū extremæ partes cum principio moto ſimul moveantur; Quia hoc falſum eſſe ex eo conſtat, quod cum motus ſucceſſivus ſit, ſemper prius moveat principium corporis moti ſi præſertim oblongum ſit quam finem ejus quo poſt tranſitionem medii pervenit; Itaque nec motus hic ſimultaneus eſt tempore nec natura ſicut eſt in arteriis, quia in iis vis motiva non reſidet in ſolo corde aut principio arteriarum, ſed eſt diffuſa per omnes earum partes: Quod autem cor dicatur influere, id materaliter potius verum eſt, quia videlicet ſuppeditat univerſo corpori ſpiritus vitales, vel quia eſt fons & principium in quo primariò facultas hæc implantata eſt; vel reſp. influere per ſpiritus, non per irradiationem ſeu facultatem.

Dilatato corde comprimuntur arteriæ.

DICO 2. moventur quidem arteriæ ſimul cum corde, ita tamen ut dilatato corde comprimantur arteriæ eoque compreſſo hæ dilatentur; Eſt hoc Gal. in l. compendii pulſuum c. 1. Concil. diff. 80. Th. de Garb. q. 41. Fernelii, Cardani, Scaligeri & aliorum contra Andr. Laut. de motu Card. & art. quæſt. 11. & alios, qui volunt cor & arterias ſimul comprimi & dilatari; Nam cum cor deprimitur, aperiuntur illius orificia, & altero quidem motu ſuſcipitur ſanguis ex vena cava neceſſarius ad gignendum ſpiritum, altero autem plurimus calor & ſpiritus in arterias effunditur, fitque admirabilis ille cordis in arterias influxus ſive irradiatio, id eſt, conſenſus totius ſpiritus, qui continetur in arteriis, cum corde tanquam eum illius principio & fonte, unde etiam corde aperto magis fervet, ebullit & tumeſcit, non quidem ſubitò & momento quaſi ſed breviſſimo tempore; Eſt enim tenuiſſimus, & ad omnem impreſſionem expeditiſſimus, præſertim quod orificio aperto novus ſpiritus & calor effundatur, qui ſtatim omnes arterias pervadit. Dum autem elevatur cor, clauduntur orificia, ideoque ex una parte, cum ſanguis venæ cavæ non ingrediatur cor, totus tunc à partibus ſuperioribus, quæ inde ſuſtentari debent, copioſior trahitur; ex altera autem irradiatio ceſſat & effuſio caloris ac ſpiritus in arterias, unde neceſſum eſt ut concidant & deprimantur; Et hoc ordine pulſant in omni vita animalium cor & arteriæ; Cor primum videlicet elevatur, deinde arteriæ concidunt; his autem concidentibus illud deprimitur, illæque rurſum ilico elevantur, atque ita deinceps arteriarum motus dependet ſemper ex motu cordis tanquam principii & fontis illius caloris & ſpiritus qui movere debet: opus ſane admirabile ſoliuſque ſupremi ac ſapientiſſimi opificis proprium, ex cujus explicatione alia complura facilè intelliguntur. Quod ſi

DICES, ſi cor & arteriæ motibus contrariis moventur, ergo à diverſis facultatibus.

Reſp.

Reſp. fieri ab una eâdemque facultate, quæ dum cor comprimit, neceſſariò ad excipiendos ſpiritus & ſanguinem arterias dilatat, cum aliàs non poſſet id præſtari, flueretque & ſpiritus & ſanguis in diverſa. Quod ſi

QUÆRAS primo, Cur arteriæ ſolæ pulſent & non etiam venæ. Reſp. quia in venis deficit vis motiva; deinde quia deferunt ſanguinem ad cor, non autem hauriunt ſpiritum ab ipſo; Denique ſunt nimis molles proindeque non ſuſtinerent motum illum perpetuum; ſed nec opus habent, quia continent ſolum ſanguinem alimentalem. 2. Cur arteria ligata non pulſet ea parte qua ſeparatur à corde, etiamſi calidum adhuc contineat ſpiritum. Reſp. quia non influit ſpiritus vitalis quo abſente ceſſat pulſus. 3. Cur aliquæ arteriæ à corde remotiores magis quam aliæ propinquiores pulſare videantur; Reſp. hoc quidem rationi contrariari: Quod ſi tamen id experientia doceat aut cauſam eſſe, quod magis arteriæ pateant quam quæ ſunt cordi proximæ, aut quod à circumjectis partibus opprimantur, aut certè quod tenuiores ſint quam remotiores, aut denique quod ſpiritus, qui ſunt tenuiſſimi maximèque mobiles, maxima copia & multitudine ad extrema decurrant & compenſent, quod ex diſtantia in calore deeſt; Ratio autem ſuadet contrarium, quia arteriæ ſunt majores propè cor fontique caloris propinquiores.

4. Cur cerebrum etiamſi ſit membrum frigidum, pulſet tamen ſicut cor calidiſſimum. Reſp. ideò cerebrum pulſare, quia habet arterias multas hoc ſpiritu vitali pleniſſimas. Quod autem Dandinus dicat hunc motum cerebri non eſſe à facultate vitali, eò quod fiat in cerebro ubi nulla exiſtat hujuſmodi facultas; id erroneum eſt, quia facultas illa ſive motiva dicatur ſive vitalis, eſt à corde deſcenditque in omnes arterias ubicunque exiſtant, & hoc mediis ſpiritibus per quos irradiat omnia membra fovetque calorem: Et hoc modo etiam facultas animalis eſt in extremis pedum v. g. motus voluntarius per nervos undique diſperſos. 5. An hic motus ſit naturalis an violentus & præternaturalis. Reſp. compreſſionem eſſe naturalem quia vaſa per hanc redeunt ad ſuam naturalem conditionem; Dilatationem verò partim præternaturalem aut violentam partim naturalem ut patet ex dictis: Quod ſi etiam habeatur ratio agentis aut moventis, utraque poteſt eſſe merè naturalis, quia ſunt ab anima aut ſpiritu ejus inſtrumento ad conſervationem animalis intimè neceſſario, ex quo principio etiam motus ſurſum naturalis eſt, quia fit ab anima.

DICES quicquid naturaliter movetur, propter finem movetur, eoque acquiſito quieſcit; ſed ſi cor naturaliter movetur ergò movetur vel ut dilatetur vel ut conſtringatur, ergo dilatatum non conſtringetur & contrà. Reſp. majorem veram eſſe in rebus inanimatis & nō in viventibus. Quod enim cor conſtrictum cupiat dilatari, ideò eſt, quia vult refrigerari aëre frigido; dilatatum cupit conſtringi, ut fumeas exhalationes expellat, & ita urgente diverſo fine etiam diverſis motibus movetur; Et hinc eſt quod motus oppoſiti in rebus inanimatis repugnent non autem in animatis, quia eadem vis attrahit ſurſum alimentum & deorſum; & tametſi iſti motus ſint naturales, non tamen deſinunt eſſe vitales, quod eorum beneficio operationes animales vigeant & à potentia cordi inſita eliciantur: Eſt autem hoc diſcrimen inter motus naturales, & animales, quod hi moveant aut poſſint movere animal ex toto, illi autem ſecundum quid. 6. quis finis hujus pulſus. Reſp. duplicem eſſe finem; primo ut dilatatione inſpiretur aër; 2. ut hic idem aër, poſtquam refrigeravit, excludatur, ſpiritusque calidus per arterias diffundatur; & his duabus alterationibus univerſa animalium vita ſuſtentatur; Quamvis autem aër per dilatationem ad ſinus cordis uſque non pertingat, ita nemo progreditur, ut & cor & omnes partes interiores refrigerando mirificè recreet.

DIFFICULTAS XXII.

An inter dilatationem & compreſſionem ſit aliqua quies.

NOta primo, dilatationem eſſe minorem compreſſione, vel quia labra arteriarum & cordis ſponte & natura ſua concidunt, vel quia ut Medici dicunt, natura eſt magis ſollicita excludere fuligines quam recipere aërem. 2. reflexionem motus 4. modis poſſe contingere, primo quando uterque motus, directus ſcilicet & reflexus eſt naturalis, ut patet in accretione & decretione viventium, quarum illa eſt motus directus hæc reflexus. 2. quando è contrario uterque motus eſt violentus, v. g. quando pila in murum projicitur indeque reſilit. 3. quando motus directus eſt naturalis, reflexus violentus, ut cum pila deorſum decidit indeque reſilit, præſertim ſi corpus durum offendat. 4. quando motus directus eſt violentus, reflexus naturalis, ut cum pila in altum projicitur & naturaliter reſilit, & ſimiliter cum cor & arteriæ per motum directum dilatantur, per reflexum verò comprimuntur; Et de hoc ultimo quæſtio eſt an ſit cum interjecta quiete.

DICO, ſemper inter dilatationem & compreſſionem tam cordis quam arteriarum intercedit quies; Ita communiter omnes qui hanc eandem quietem in pila ſurſum projecta concedunt. Prob. primo, dilatatio & compreſſio adjunctas habent calefactionem & refrigerationem, quæ abſque tempore non fiunt. 2. hi motus ſunt contrarii neque continui, ergo in puncto reflexionis vel ubi non continuantur, neceſſario quieſcunt. Antec. patet, quia dilatatio ex natura ſua depreſſioni eſt contraria habetque aliam planè formam. *In dilatatione & compreſſione eſt quies*

Quod

Quod ſi dicas impoſſibile eſſe ut vitalis facultas ſimul elevet arterias & deprimat, ergo vel aliam inſuper dandam eſſe potentiam & virturem, vel certè dicendum, eas ſponte concidere, quod tamen eſſet abſurdum, Reſpondetur negando impoſſibilitatem, quia depreſſio vel eſt à refrigerio aliquo vel ab ipſa natura vaſorum, quæ antiquam ſuam conditionem & ſtatum tequirunt, vel ab ipſa neceſſitate qnam urget cauſa principalis anima, nt ſcilicer per hunc motum depreſſivum ſpiritus cũ calore iu totum corpus excurrat, per dilatativum verò novus in corde genitus recipiatur, Gentil. in 1. Fen. 1. Canon. doctr. 6. cap. 4. dubio 17. dicit hanc facultatem non eſſe unam ſpecie, ſed unam genere; hoc autem ridiculum eſt ut quiſque videt. Er hic idem loco cit. eum Coucil. diff. 51. aliiſque recentioribus Medicis docet, naturam in hoc motu uri fibris rectis dum attrahit, tranſverſis autem dum expellit, Id quod negat Thom. à Garb. & alii, qui ptobabilius putant naturam uti fibris in trahendo alimento, non in dilatandis & deptimendis vaſis, & motum illum à pura facultate vitali proficiſci. Sed ſi medium inter hos Authores teneas.

DICES cum Dand. cit. cerebrum uullis fibris conſtare & tamen boc eodem motu moveri, ergo morus hie non eſt à facultate vitali, ſed à rumeſcente calido moxque tefrigerato. Reſp. neg. conſeq. quia movetut per ſpiritum arteriosum ab eadem cauſa quæ cot movet & arterias ipſi ptoximas.

Colligitut huuc motum cordis & arteriatum non eſſe unum motum ſimplicem, quia conſtat dilatatione & deptesſione tanquam duobus contrariis & non coutiuuis.

DIFFICULTAS XXIII.

Quo motu & qua virtute moveantur pulmones.

VAriæ fuerunt olim & ſunt adhuc inter quoſdam opiniones de motu pulmonum, an quando aërem attrahunt eundemque rurſum expellunt, id ſua virtute faciant, an aliena, id eſt, cordis aut diaphragmaris; Et an attractio & expulſio aëris ipſis vel diaphtagmati pectoriſque muſculis debeatut.

Opinio 1. Eſt Ariſt. l. de reſpir. in fine, & 3. de part. animal. c. 6. docet pulmones habere ſui motus principium à corde, quod & c. 10. ejuſdem libri confirmare videtut, ubi planè nullum agnoſcit uſum diapbtagmatis, imò nullam ejus meutionem facit, uiſi quod ventrem inferiorem à ſuperiori dirimat.

Opinio 2. Eſt Averrh. 2. Collig. c. 59. ubi in coutrarium docer pulmoues moveti partim vi propria partim diaphragmaris, & addit cauſam, quare non ſit mitum, Ariſtotelem, cujus ille ubique maguus defenſor, hic erraſſe, quia ſcilicet ſuis temporibus anatomia non fuerit in tanto uſu & exetcitio.

Opinio 3. Eſt Gal. 4. de loc. affect. c. 5. & 5. de uſ. part. c. 15. ubi ſcribir, pulmones non habere vim propriam ſe movendi, ſed quicquid habeant, id obtinere à diaphragmate; ſequitur Avic. Fen. 3. Can. tract. 1. c. 7. concil. diff. 99. Thom. de Garb. in ſua ſum. l. 7. tr. 49. Thom. a Veg. c. 5. l. 4. & loc. affect. & alii.

DICO primo, falſum eſt quod pulmones vel à corde vel cum ipſo moveantur. Prob. primo, ſi hæ partes ſimul moverentur, ſequitur, toties fieri reſpitarionem, qnoties moverentur cot & arteriæ; ſed hoc falſum eſſe patet experientia qua conſtat intrà ſpatium unius reſpirationis ſæpius moveri cor & pulſare arterias, ergo, cujus ratio eſt, quod aër una reſpiratione attractus & intra pulmones reconditus pro multa cordis ejuſque fervotis temperatione ſufficiat. Deinde manifeſtum eſt, quod motum reſpiratórium poſſimus liberè & pro noſtro arbitrio cohibere, & vel celeriorem facere vel tardiorem, non verò motum cordis, qui ſtat ex ſolius naturæ curſu & ordine.

DICO 2. pulmones non moventur tantum motu diaphragmatis & muſculorum pectoris, ſed etiam ptoptia virtute: prima pars eſt Gal. & omnium Medicorum, altera Averrhois, & ptob. quia toties moventur pulmones quoties fit aëris inſpiratio & expiratio; ſed ad hanc utramque moveurur muſculi pectorales, ut qui ſunt præcipuum inſtrumentum bujus motus, ergo ſimul moveutur diaphragma, pulmones & muſculi thoracis; Deinde inconveniens eſſet huic membro in re tam neceſſaria omnem penitus vim motivam denegare, ne opus ſit continuum aliunde fieri impulſum & violentum incitamentum, maximè autem cum ipſis à natura commiſſum ſit officium ut reſpiratione aurem hauriant & denuò expellant ut docuit Ariſt. 3. de part. animal. c. 6. intellige tamen munus non adæquatum ſed partiale.

DICES primo, caro pulmonum eſt mollis flaccida & ſpongioſa ergo non conducit ad motum ullum præſtandum. Reſp. neg. conſeq. quia tametſi ad motum thotacis non valeant, valent tamen ad motum ſuæ propriæ ſubſtantiæ, ad quam autem præcipuè concurrat diaphragma, quod ſubſtantiâ firmâ nerviſque multis compactum eſt.

DICES 2. læſo diaphragmate ejuſque motu ceſſante ceſſant moveri pulmones, ergo totus eorum motus pendet à diaphragmate. Reſp. neg. couſeq. quia ceſſat idcò motus pulmonum, quod ex ſe valde debiles ſint idcoque à diaphragmate ob mutuam cohærentiam maximè adjuventur.

DICES 3. Ariſt. non fecit mentionem diaphragmatis quando ſcripſit de reſpiratione, ergo non debetur illi motus. Reſp. neg. conſeq. quia cum ſtudio noluerit omnia motus hujus voluntarii inſtrumenta tangere, ſatis illi fuit pulmonum qui magis conſpicui & cogniti ſunt etſi minus in hac operatione efficaces;

eaces, mentionem facere, ut patet ex lib. de ſpir. & 3. de part. cap. 6.

DIFFICULTAS XXIV.

Quid ſit reſpiratio & à qua cauſa efficiente.

ADverte, ſub reſpiratione comprehendi inſpirationem, qua aër ad polmones & interiora cordis attrahitur, & expiratiooem, qua idem aër cum fumeis exbalationibos eücitur; Tranſpirationem addunt aliqui; hae enim aët in mulieribus hyſtericis, ſuffocatis & fœtu utetino per inſenſiles ductus cœcoſque meatus ad vitalia deſetri dicunt, ſicut etiam in animalibus pauco calote oulloqoe pulmone prædicis, in ſquamoſis piſcibus, quique in furcam acti poſt exertam collo reſtem revixerunt. Jam

Reſpiratio quid. DICO 1. reſpiratio eſt motus thoracis & pulmonum qoo aër frigidus attrahitur, fuligines verò excluduntur, ad contemperaodum, fovendum & expurgandum calorem cordis, ſanguinis & ſpirituum vitalium. Dicitur imprimis motus, ſcilicet localis, quia membra diſtenduntur denuoque collabuntur: Dicitur deiode thoracis & pulmonum, ut ſignificentur membra quæ ad hunc motum conferunt; Reliqua habent rationem cauſæ finalis ut patet ex antecedentibus. Si quæras, an ad reſpirationem pertineat tuſſis, quia per eam omnia expelluntur, quæ io partibus reſpiratoriis moleſta ſunt. Reſp. reſpirationem aliquando eſſe naturalem, aliquando violentam & præternaturalem; ad primam ſpectat expiratio aeris è pulmooibus & fumoſæ exhalationis, quæ eſt quaſi recrementum ſanguinis arterioſi & ſpirituuio vitalium; ad alteram verò rejectio ſanguiuis, pituitæ aliarumque ſubſtantiarum, quæ in pectore præternaturaliter contineotur, ideòque violenter ſive per tuſſim excreantur.

DICO 2. Cauſa efficiens hujus reſpirationix vel eſt principalis vel inſtrumentalis. Principalis eſt anima vel totum ſuppoſitum, cui omnes debentur functiones primariò. Inſtrumentalis eſt virtus motiva inhærens corpori, tum calor qui eſt in ſpiritibus totiſque membris circumjacentibus. Sedem hujus virtutis quære diffic. 2. hujus diſputationis; Nam Medici & quicunque reſpirationem faciuot motum voluntarium ſive arbitrarium, ſedem io ſolo cerebro quærunt.

DIFFICULTAS XXV.

Quæ ſint reſpirationis organa.

NOn eſt quæſtio bic de omnibus ſimpliciter otganis & partibus quæ ad reſpirationem requituntur, Ita enim patet etiam faucibus ore & naribus opus eſſe, quibus autem tanquam remotioribus omiſſis ſolum quæritur, quæ ſint proxima & primaria reſpirationis otgana.

DICO, ioter organa reſpirationis primum occurrir aſpera arteria quæ à faucibos incipiens in duos ſtatim ſub jugulo ramos dividitur; hi rurſum in duos, atqoe ita deinceps, donec omnes ita pulmones ambiant, ut quaquaverſum aer diſtribuatur. Alterum organum eſt arteria venoſa, quæ à ſiniſtra cavitate cordis orta per pulmones quoque diſſeminatur; vocatur qoidem arteria, quia ex ſententia Medicorum aerem à pulmonibus ad cor deſert, venoſa autem quia ſimplicem habet tunicam ut vena. Tertium eſt vena arterioſa, quæ è dextro cordis ſinu emergit, & ſanguioem inde ad pulmones defert, unde etiam vena dicitur, quæ ſe venæ cavæ applicat à qua ſanguinem etiam ſiaurit ad polmones deduceodum; aſpera autem dicitur ob duplicem tunicam. Hic Medici doceot, ideò ſanguinem per venam arterioſam ad pulmones deferri, tum ut hi eo alantur, tom ut motu pulmonum attenuetur ipſe ſanguis & cū aere inſpirato miſceatur; attenuatum autem & cum aere permiſtum ſanguinem rurſum ex pulmonibus per venoſam arteriam ad ſioiſtram cordis cavitatem ferri, ubi calore & ſpiritu vitali perfuſus in arteriam aortam propellatur; aerem igitur inſpiratum per arterias quidem aſperas in pulmones diffundi, iode autem ad cor traduci, & ſanguinem per venas arterioſas à corde io pulmones dimitti. Quartum ſuot pulmones, qui ſunt rari & ſpoogioſi, ut hauriant & imbibant aerem attractum. Coon. l. de reſpir. c. 1. inter inſtrumenta etiam cor ipſum ponunt; ſed quia hujus tantom gratia fit reſpiratio, ipſum autem nullum habet uſum in hac actione oiſi rejectionē fuliginom, propter quam cauſam etiam arteriæ ponendæ forent, ideo è ſerie & numero organorum excludendom eſt. Sextum eſt totus thorax uoa cum nervis, articulis & muſculis, quorum omnium exacta deſcriptio ab Anatomicis petenda eſt; Ad motum enim thoracis requiruntur nervi, articoli & muſculi; Articulus eſt compoſitio oſſium apta ad motum; muſculus eſt portio quædam carnis, quæ utplurimum ab oſſe profecta io os deſinit, ut oervi & ligamenti ope, quorum utrumque per muſculi carnem diſpergitur, moveat partem in quam ioſeritur; Et hujus muſculi finis eſt tendo ex nervo & ligamento compoſitus, quibus partibus maximè opus habuit motus ille reſpiratorius; conſtat præterea ex ſpina dorſi & oſſe

oſſe pectoris, quibus utrimque articulantur coſtæ 12. quæ omnes cum oſſe pectoris viciſſim attolluntur & ſubſidunt urgente calore qui intus eſt & refrigerationem exigente: Muſculi autem thoracis plerique inter coſtas jacent, & ab una coſta in alteram tendunt, ut eas modo ab invicem diducant modo proprius adducant: ſunt & muſculi quidam exteriores qui ab aliis oſſibus prognati in coſtas inferunt: Propter hos unus eſt muſculus omnium nobiliſſimus qui diaphragma dicitur & ſeptum tranſverſum; hic in ambitu ubi coſtis annectitur, carnoſus eſt, in medio autem membranoſus & nervoſus; Dicitur autem ſeptum tranſverſum, quia eſt veluti paries aut fornix interpoſitus inter ventrem & thoracem, qui totum corpus tranſverſim ſecat, & pulmones à ventriculo & epate dirimit. Vnum adhuc ſupereſt organum, quod cetis peculiariter datum eſt, & fiſtula vocatur; hæc eſt ductus ſive meatus, quo cete ſive balæna ſpiritum hauriunt & aquam in ore collectam rejiciunt; ab intima palati parte ad extimam perforatus duplex ſeptoque diſtinctus, nariumque noſtrarum foraminibus ad palatum deſinentibus quodammodo proportione reſpondens: In extima parte unicum foramen apparet, figura C. litteræ, cui operculum ex carne pingui impoſitum eſt, quod fiſtulam aperit & claudit: balænæ à fronte delphini à dorſo fiſtulam hanc habent, ut narrant Authores; ſicut igitur nos per nares, ita cete per fiſtulam ſpirant, per eandemque aquam ore hauſtam reiiciunt; De his vide Rodel. in hiſtor. ſua de piſcibus.

Colligitur primo, organa reſpirationis eſſe triplicia: quædam enim aerem deducunt, ut larynx & aſpera arteria, quædam excipiunt, & velut flabello eum afflant ut pulmones Quædam denique movent ut diaphragma & muſculi thoracis, quorum apud Anatomicos dicuntur eſſe 65. 2. ſola animalia pedeſtria reſpirare, & nonnulla aquatilia, ut cete, balæna & Delphinus, tam ea quæ ancipiti natura conſtant, id eſt, quæ partim terreſtria ſunt partim aquatilia ut caſtor & alia de quibus Ariſt. 3. de part. c. 6.

DIFFICULTAS XXVI.

Quodnam ex his organis ſit primarium.

DE diaphragmate quod thoracem elevat & deprimit, tum pulmonibus, qui aerem ſuſcipiunt eumque reducunt, potiſſima eſt quæſtio.

Opinio prima eſt Gal. de motu thor. & pulmon. & de cauſis reſpirationis, quem etiam ferè ſequuntur omnes Medici, diaphragma eſſe præcipuum & primarium inſtrumentum. Probant primo; quia per illud elevantur & thorax & pulmones. 2. quia pulmones non poſſunt ſe movere quia non habent fibras neque nervos nec muſculos, proindeque ſequuntur diaphragmatis motum. 3. læſo diaphragmate ſtatim concidunt pulmones quod etiam apparet in nimia repletione cibi, ubi ideò fit difficilis reſpiratio, quia venter plenus impedit liberum diaphragmatis motum.

Opinio 2. eſt Ariſt. l. de reſpir. circà finem, præcipuum inſtrumentum eſſe pulmones; & hunc ſequitur Dand. eiraius & alii, Probant, quia hi ad extendendum ſeſe & aerem tam inſpirandum quam expirandum ſunt aptiſſimi: quare autem inflentur & attollantur, cauſam eſſe adventitium calorem qui una cum ſanguine à corde in pulmones irrumpat; Quare concedunt cauſam eſſe aerem frigidum per arterias & meatus ad cor pervadentem, ſanguinemque & ſpiritus calidos quibus pulmones erant inflati, contemperantem & refrigerantem, Nam ita concidere aeremque extendere ad illum planè modum ut in follibus accidit: poſt hanc refrigerationem alio advenieute calore attolli ut prius, denuoque novo aere frigido deprimi, & ſic dum vivit animal. Quare autem pulmones rarius, & arteriæ citius moveantur, cauſam eſſe, quia arteriæ parvæ ſint parumque dilatentur, pulmones autem maximè poſſe dilitari, proindeque non tam cito concidere; Adhæc lobos habere, cavitates & fiſtulas plurimas, ad quas primum ſanguis, tum aer penetrare debeat. Jam

DICO, probabile eſt, diaphragma eſſe primarium liberæ reſpirationis organum: Ita docent Medici contra Ariſtotelem, qui licet expreſſe contrarium non dicat, pulmonum tamen l. de reſpiratione circa finem meminit, quod videlicet ſpirationis ſint inſtrumentum, habeantque rationem follium quibus fabri in ærariis officinis utuntur, parumque abeſſe, quin ejuſmodi figurâ quâ cor præditi conſtent; diaphragmati autem nullum tranſcribit motum, etiamſi toto capite 10. de part. l. 3. illud pertractet. Ratio pro concluſione firmiſſima eſt & initio poſita, quia principalius eſt illud quod movet quam quod movetur; ſed ita ſe res habet cum diaphragmate & pulmonibus, quorum illud movet, hi autem moventur, ergo. Et accedit utriuſque partis deſcriptio anatomica quam videre licet apud Andr. Laur. operum anatom. c. 4. & 12. ubi manifeſtè apparet ad motum ciendum præſtare diaphragma non pulmonis.

Diaphragma eſt primarium motus inſtrum.

Diaphragma movet, pulmones moventur.

Ad rationes à Dand. & aliis in contrarium allatos Reſp. has nihil aliud probare, quam pulmones eſſe maximè diſpoſitos & figuratos ad aerem cordi deferēdum, & fuligines expellendas, tum etiam ut ad motum proprium aliquem à corde calorem & ſanguinem hauriant, quod ultrò conceditur, nihil autem pro principatu pulmonum facit.

DIFFICULTAS XXVII.

Quomodo fiat reſpiratio.

SVppono hic, dilatationem & compreſſionem eſſe motum animalem vel voluntarium, id eſt, à cerebro per nervos & muſculos oriundum, ut infrà dicetur. Jam

Reſpiratio quomodo fiat. DICO, ut calor cordis contemperetur, quod ſummoperè urget neceſſitas vitæ, facultas motiva à cerebro oriunda per nervos & muſculos attollit thoracem ſimulque pulmones qui ne totum illud pectoris ſpatium relinquatur vacuum, ſeſe dilatant illudque implent: Non dilatantur autem ſolum pulmones, ſed etiam aſperæ arteriæ per pulmonum ſubſtantiam diſſeminatæ, imò & reliqui omnes canales, tubuli & fiſtulæ, quæ ſicut diſtento pulmone pariter dilatantur, ita etiam viciſſim illo ſubſidente coarctantur. Cum verò per hunc modum & pulmones & omnes ipſorum partes diducantur, neceſſum eſt confeſtim aerem ingredi ob metum vacui: Et hæc eſt ratio inſpirationis. Neque Dicas, pulmonem non annecti thoraci, proinde ipſius motum non eſſe voluntarium aut animalem, ſed potius violentum, id eſt, ratione vacui; quia Reſp, verum eſſe, quod non annectatur thoraci, annectitur autem diaphragmati ad cujus motum & ipſe movetur: Et poteſt motus ipſius vocari vel concomitanter animalis, id eſt, quia trahitur à muſculo, vel naturalis, quia fit à principio interno, ſcilicet à potentia ipſius motrice, vel etiam violentus, quia fit ad impediendum vacuum. Quod autem ideò etiam fiat, ut totus thorax impleatur partim ſubſtantiâ pulmonum, partim aëre, patet experientia, quia aperto utrinque thorace pulmones non attolluntur ad motum thoracis, ſed collapſi jacent, ut videre licet in cane vivo, cujus utrinque dum thorax perfoditur, nullum aut edit aut edere poteſt clamorem. Quod ſi quæras, an dilatatio pulmonum & inſpiratio aeris ſit una eademque actio. Reſp. neg. quia licet ſimul fiant, ſunt tamen duæ, quia habent diverſos terminos, diverſum objectum & diverſum finem, ita etiam calefactio eſt ſimul tempore cum attenuatione, diſtincta tamen, ut eſt utraque alterius cauſa & alterâ prior natura. Cæterum poſtquam aer in thorace conceptus contactu ſanguinis incaluit, nec amplius eſt uſui, natura eum tanquam inutilem & cum eo fuligines in thorace collectas reücere cupit; hinc thorax per facultatem motivam ſeſe contrahit & conſequenter pulmones quoque ſubſidere facit, ut neceſſarium ſit aërem intus conceptum expirare; Nam quia pulmones contracto thorace ſuum illud ſpatium quod prius occupabant, deſerunt, fit ut aer conceptus quoque protrudatur, quod totum fieri ſolet per expirationem, quæ eſt altera pars reſpirationis; Recurrit autem denuò prior actio propter refrigerationis neceſſitatem, & hæc propter expletum ipſius uſum, & ſic per continuatam vitæ conditionem. Si itaque fiat fortis & violenta experientia, opus eſt majori vi & impetu muſculorum tam intercoſtalium quam exteriorum & qui ſcapularum ſunt, propter incitamentum eorum, quæ p.n. in aliqua parte pectoris pulmonum aut aſperæ arteriæ hærent.

DIFFICULTAS XXVIII.

An reſpiratio ſit naturalis, vel violenta, vel voluntaria vel media.

QUamvis hæc difficultas eadem ſit cum 8. hujus diſputationis; nihilominus tamen ad meliorem rei cognitionem

Adverte, motum naturalem eſſe, qui in vivente fieri ſolet abſque ullo voluntatis imperio, & quem prorſus impedire non poſſumus, ut eſt pulſus arteriarum; vel etiam qui violento vel præternaturali opponitur fitque à naturali inclinatione ſubjecti ut eſt motus lapidis deorſum; ſed quia hic motus nimis generalis eſt & ſeſe extendit ad res etiam inanimatas, ideò hic de eo ſermo non eſt. Voluntarius eſt, qui priori opponitur fitque ab apperitu ſenſitivo vel rationali, ut eſt motus progreſſivus, qui ex toto movet animal, quando nimirum tendit ad aliquem locum. Violentus eſt, qui naturali ſecundo modo accepto, id eſt, intrinſecæ inclinationi opponitur & accidit ab extrinſeco, ſubjecto nihil conferente, ut cum ex morbo vel aliqua cauſa gravi tremit corpus aut omninò convellitur. Medius denique eſt, quando partim eſt naturalis, id eſt, fit citrà voluntatem, partim animalis vel voluntarius, id eſt, fit liberè eſtque in poteſtate noſtra. Jam quæritur, qualis ex his motibus ſit reſpiratio.

Opiniones ſunt variæ de hoc motu. Nam aliqui ex Daud. cit. docent eſſe naturalem ſive quoad formam ſive quoad materiam ſpectetur; forma eſt anima, quæ eſt intrinſeca & rei viventi naturalis, materia etiam eſt naturalis, quia inſtrumenta ſunt merè naturalia & connaturaliter cōnexa; ſed hi ſumunt naturale, nō prout volūtario ſed violento aut præternaturali opponitur. Alii ut Gal. l. a. de motu muſculorū, Fern, l, 6. phyſiol. c. 28. Valeſ. 2, contr. Med. & plurimi ex medicis volunt eſſe voluntariū, ideo quod fiat per membra motus voluntarii propria. Conn. l. de reſpit. c. 2. putant potius eſſe vocandum naturalem eò quod etiam inter dormiendum reſpiremus, quamvis etiam aliquo modo vocandus ſit ſpontaneus ſeu volūtarius. Coneil. diff 39. judicat dicendum eſſe medium, hoc eſt, partim voluntarium partim naturalem: Et hujus opinionis etiā fuit Daud. cit. quia air in noſtra eſſe poteſtate citius aut tardius reſpirare; Et quamvis motus pulmonū naturalis ſit, quod nullum habeat inſtrumentū voluntarium, eſſe tamen talē ratione thoracis & diaphragmatis, in quibus ſint nervi & muſculi, quorum operâ fiat motus, & qui etiam conferant ad motum naturalem ut patet in reſpiratione & tuſſi, quæ fit dormientibus; proinde eſſe unum ex iis motibus, quia partim ſint naturales partim voluntarii.

Quod

Quod autem ſit putè naturalis hic motus. Hęc videntur demonſtrare, quia primo fit nobis dormientibus. 2. quia eſt abſque cognitione & appetitu. 3. quia eſt ſimpliciter neceſſarius. 4. quia totus refertur ad conſervandam vitam. 5. quia ex illo Medici de complexione & conſtitutione corporis judicant. 6. quia efficitur à cauſa planè naturali, calore ſcilicet ſpiritus & ſanguinis. 7. quia fit à pulmonibus qui ſunt abſque nervis & muſculis; 8. denique quia ita fit ut illum penitus impedire non poſſimus. his poſitis

Reſpiratio & motus voluntarius.

DICO, reſpiratio eſt motus voluntarius ex ſe & ab intrinſeco. Prob. primo, quia organa hujus motus ſunt voluntaria, ergo & ipſe erit voluntarius; Antec. eſt Medicorum; Nam totus thorax ejuſque ſingulæ partes libertimè diſtenduntur rurſumque comprimuntur. Et hinc prob. 2. reſpiratio fit ex electione, quia vel citius vel tardius, idque per ſe & ad placitum noſtrum reſpiramus. Dico tamen per ſe, quia quod non poſſimus eam omninò ſine voluntatis imperio niſi cum vitæ diſpendio cohibere, per accidens eſt involuitque neceſſitatis legem, quæ etiam cauſa eſt quod inter dormiendum reſpiremus.

Argumenta in contraria allegata nihil roboris habent. & Reſp. ad primum, nos inter dormiendum reſpirare propter neceſſitatem qua vitæ conſervandæ gratiâ nobis etiam inſciis diſtenditur thorax ab anima ejuſque potentia motiva. Ad ſecundum Reſp. non opus eſſe appetitu ubi lex neceſſitatem ſtatuit. tertium & quartum nihil concludunt ſicut nec quintum. Ad ſextum Reſp. fieri à calore ſpirituum & ſanguinis inadæquatè & minus principaliter verum eſt; quia fit etiam à principia interno, anima ſcilicet unde naturalia eſt, & à potentia movente liberè, unde voluntarius. Ad ſeptimum Reſp. pulmones eſſe organa minus principalia & potius ad aerem recipiendum & excludendum; Deinde pulmones moveri ad motum diaphragmatis adeoque ejus motu & virtute cieri, eſto habeant in ſe quoque aliquam vim motricem. Ad octavum reſpondetur id quod ad primum.

DIFFICULTAS XXIX.

Quæ animalia verè & propriè reſpirent.

CUm ideò in animalibus reſpiratio detur, ut frigidum aerem aut minimum calore cordis frigidiorem inſpiremus, calidas autem exhalationes exſpiremus, ut calor cordis & in ipſo ſanguis ebulliens contemperetur; quæritur hic quænam animalia egeant hæc temperatione.

DICO, omnia animalia reſpirant, quæ ſanguinea ſunt & pulmones habent. Ita Ariſt. l. de reſpir. & 3. de part. animal. cap. 6. eſtque communius hæc doctrina. Habent autem pulmones non tantum animalia terreſtria ſed etiam ex aquatilibus amphibia, cujuſmodi ſunt præter ea quæ hydri & cete appellantur quæque pro naribus fiſtulam quandam habent per quam ſpirant, & aquam ore hauſtam refundunt. Prob. Concluſio quod ea animalia tantum reſpirant quæ pulmones habent, quia non poteſt fieri reſpiratio, niſi etiam inter reliquas partes adſint pulmones, ergo omnia ea animalia reſpirant quæ pulmones habent. Antec. patet, quia pulmones in eum finem à natura dati ſunt, ut attractum aërem in cor refundant ejuſque calorem quem habent copioſiſſimum omnia animalia pedeſtria & ex aquatilibus quædam contemperent. Quare autem alia animalia aliis citius aut tardius reſpirent, & ſpiritum vel longius vel difficilius comprimant, hoc in conſtitutionem caloris & pulmonum referendum eſt. Quæ enim animalia parum habent ſanguinis & caloris, rarius reſpirant, quia non egent tanta refrigeratione. Contraria autem contrario modo ſe habent; ſimiliter pulmones laxi, ſpongioſi & frigidi minus reſpirant, quia multum aëris capiunt, qui cordi refrigerando diu ſufficit: è contrario denſi, ſolidi, ſanguinei & calidi ſæpè multumque reſpirant propter cauſas primis contrarias: Et his omnibus accedit thoracis diſpoſitio ampla, anguſta, vitioſa &c. Quod autem ex aquatilibus quædam reſpirent, docet experientia in Delphinis qui extrà aquas ſtertunt, quique ſunt è genere cetaceorum, vel ſi in aquis dormiant, os tantum aut fiſtulam aquis exerunt; Inſuper cete in maris ſuperficie ſemper & continuò viſuntur, cum tamen piſces ex natura in profundo deliteſcant. Quod autem piſces non reſpirent, prob. primu à conſtitutione organorum quæ habent, quia deſtituuntur aſperâ arteriâ & pulmonibus & thorace ſeu pectore, quas partes in aliis animalibus aëri attrahendo & concipiendo adornavit natura. 2. quia omnia animalia quæ reſpirant, ſi diutius ſub aquis detineantur, ſuffocantur propter aquas in capacitatem pectoris illabentes. 3. homines non poſſunt ſub aquis reſpirare, ergo nec piſces. 4. piſces in aere moriuntur, ergo non reſpirant, quia aëre inſpirato conſervarentur &c.

DICES primo, In piſcibus ſæpè obſervatur æſtivo tempore quædam quaſi anhelatio ut conſtat ex Plin. natural. hiſtor. cap. 7. ergo etiam piſces reſpirant. Reſp. piſces æſtivo tempore & aqua calidiori exiſtente frequentius haurire aquam ut magis refrigerentur quod fit citra reſpirationem.

DICES 2. piſces dormire, ergo reſpirant. Reſp. quoſdam piſces dormire & reſpirare, non tamen omnes; Deinde ſomnus ex ſe non requirit reſpirationem, ſed tantum cordis & pectoris.

Google

DICES 3. piſces audire & odorare quod ſemper fit mediante aere. Reſp. nec auditum nec olfactum aquatilium requirere aërem ad ſuas functiones obeundas, quia poteſt hoc fieri per aquam intermediam, quâ ſoni & odores vel horum ſpecies ad piſcium ſenſoria tranſmittantur.

DICES 4. cum Rondel. 4. de piſc. c. 9. ſpiritibus egere piſces ad nutritionem, ergo etiam reſpiratione. Reſp. aquatilia cum ſint deterioris conditionis & imperfectioris naturæ, non requirere magnam copiam ſpirituum, proinde ſufficit illis ſpiritus, quem ex ſanguine conficiunt.

DICES 5. Experientia conſtat, ſi in vaſe anguſti oris aquâ pleno piſces reponantur, vivere & natare, quamdiu orificium manet apertum; ſi verò claudatur, perire, quod ſignum eſt id accidere ex defectu aeris, qualem reſpiratione capere non poſſunt. Reſp. ideò perire piſces in vaſe clauſo, quia aqua hoc modo incaleſcit nec ab exhalationibus ſuis repurgatur, ut proinde ad refrigerationem nequicquam valeat. Hujus rei affert experientia ſua documenta in ſtagnis glacies multis aliquando ſeptimanis obturatis. Deinde non ſemper vera ſunt illa quæ narrantur, quia refert Card. de ſubtil. ſe incluſiſſe barbos diverſis vitris, utrobique autem tam apertis quam clauſis foraminibus fuiſſe æquè extinctos. Et confirmant hoc hirundines, qui in vaſis clauſis annos integros ſine aëre vixerunt ut refert idem Cardanus. Et ex dictis facilè ſolvuntur problemata, quarum nonnulla habentur apud Conn. l. de reſpir. c. 7.

DIFFICULTAS XXX.

Quomodo refrigerentur omnia viventia.

CONſtat, quod inſit omnibus viventibus calor & quod propterea opus habeant refrigeratione, quæritur quo modo refrigerentur, & an omnia eodem modo.

DICO, plantæ non reſpirant, & quia non multum caloris habent, facilè à circumfuſo aere refrigerantur, ab immodico autem frigore vel calore præſertim ſicceo facile ſiccantur, quia exiguus calor illis facile extinguitur; refrigerantur etiam ex alimento, ſcilicet ex aqua qua irrigantur. Deinde in animalibus exanguibus quæ parva ſunt & caloris modici, ſufficiens fit refrigeratio ab aere ambiente, unde etiam brevius vivunt: Quæ tamen longius durant ut apes quæ ad ſeptem annos vivunt, & canora quæ bombum inter volandum edunt ut veſpæ, ſcarabæi, cicadæ &c. majorem requirunt refrigerationem, unde etiam eorum diaphragmati natura addidit tenuem membranam, quâ aer commotus refrigeraret, & cujus alliſione fit bombus, propterea cicadæ in meridiè & tempore calido maximè ſtrepunt, quia maximè egent refrigerio, plurimumque & aërem & membranam commovent: Idem collige de muſcis, veſpis, ſcarabæis &c. 3. animalia ſanguinea, ſi pulmones habeant, nec tamen multum caloris, reſpirant quidem, ſed cum exiguo refrigerio quia non indigent, & diu poſſunt eſſe abſque refrigeratione ut ranæ & alia quædam quæ inſuper pulmones habent laxos; Quæ verò in contrarium cum pulmonibus ſunt præcalida, multo etiam crebrius reſpirant, ut ſunt vivipara terreſtria, vivipara pennata, corticata ut teſtudines, lacertæ, ſerpentes &c. & aquatilia pedeſtria ut crocodili & omnia cetacea ut Delphini, qui propterea apud Ariſt. l. 6. de hiſtor. animal. c. 12. dormire dicuntur exerto ſuper aquas capite ut reſpirent; Hi autem delphini quia cum alimento multo multum aquæ etiam attrahere debent, dedit illis natura fiſtulam in capite qua ſuſceptam aquam excludunt. 4. demum aquatilia omnia quæ carent pulmonibus, non refrigerantur aere ſed aquâ per bronchias ſuſceptâ atque ad inferiores partes per fiſtulas derivatâ & mox poſt refrigerationem denuò rejectâ. Hinc Colligitur primo, finem primum reſpirationis eſſe refrigerationem & quæ inde ſequitur, tutelam nativi caloris ut habet Ariſt. de reſpiratione. 2. animal perfectum non poſſe eſſe prorſus abſque reſpiratione. Quod ſi tamen videantur aliquando quædam ſine hac ipſa vivere ut mulieres hyſtericæ, ſuſpenſi &c. dicendum eſt, naturam ipſis tantum aeris per cæcos quoſdam & inſenſiles ductus ſuggerere, quantum opus eſt ad animal ſuſtentandum ejuſque vitam aliquamdiu conſervandam, ſive illud fiat per tranſpirationem quæ fit per poros cutis & corporis, ſive probabilius per aliquam reſpirationem inſenſilem, præſertim quando fauces viæque reſpiratoriæ non omnino præcluduntur; fætus in utero matris ſuum quoque haurit aerem & materiam ſufficientem per arterias maternas, nec opus habet aliqua alia refrigeratione.

Suſpenſi & hyſtericæ fœminæ quomodo vivant.

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA QUINTA.

De intellectu & voluntate hominis.

HIc eſt Epilogus qui Scenam elaudit & hominem; In hoc enim ſi quicquam adhuc deſiderabatur, erat potentia intelligens & volens, quâ utrâque à cæteris creaturis materialibus differt & proximè ad naturam Angelicam accedit, quia eſt potentia nobiliſſima quâ mirum ſuprà res ſublunares elevatur, quâ cælos, terram & univerſum lucidiſſimè contemplatur, quâ ſe ſuamque naturam, Dei bonitatem & munificentiam, bonumque & malum diſtinctè conſiderat, quâ denique omnes ſubſtantias abſtractas ipſumque Deum quantum in hac vita poteſt, cognoſcit: Et hæc potentia tanquam nobiliſſimus finis & ornamentum hominis, qui hactenus cum toto eſſe & natura productus, deſuit, ejus præſentia eum qui alias ſenſitivus tantum erat & brutalis, rationalem facit, quia hæc conſtituit eum intellectivum & in tam ſublimi gradu procul à vegetativo & ſenſitivo collocat. Itaque poſt 24. diſputationes, quibus ex mente, ore & calamo magnorum virorum, de principiis imprimis hominis orientis, quæ ipſi cum omnibus rebus naturalibus & materialibus communia ſunt, tum verò de ejus formatione & materia ſementiva, de temperamento & calore, de generatione & animæ productione, de potentiis & ſingulis operationibus, quibus intrà matrem concluſus occupabatur, de ſenſibus denique tam internis quam externis breviter actum fuit, prodibit hic vigeſima quinta, quæ quia ultima eſt, ita prodibit, ut appareat eam ſolam ad complementum & perfectionem hominis deſideratam fuiſſe.

DIFFICVLTAS I.

An unus omnium hominum ſit intellectus.

ETiam puſio nuper natus intellectum habet, quia eâdem informatur animâ quâ grandior jam & maturior, anima ſcilicet rationali, quæ primis annis & menſibus ob teneritudinem organorum & dominum ſupetabundantis humidi in cerebro delicatius operatur.

Cæterum ad quæſtionem nuper propoſitam, an videlicet juxtà multiplicationem individuorum multiplicarentur etiam animę, reſponſum fuit, tot in humano genere eſſe animas, quot homines, totque formas informantes quot individua. Jam quæritur, an idem de intellectu dicendum ſit, ita ut in quovis homine unus ſit intellectus, & non unus in omnibus; Nam

Opinio Averrhois 3. de anima comment. 5. fuit, unum tantum dari intellectum, ſeparatum quidem re à ſingulis hominibus, iiſdem tamen aſſidentem & conjunctum per imagines quæ in cujuſque phantaſia inſideant; Et ab his imaginibus ejus luce colluſtratis ait tranſmitti in ipſum intellectum formas intelligibiles, quibus ille conſignatas rerum notitias capiat; Et ſic fieri ut nos per ejuſmodi intellectum ſeparatum dicamur intelligere. Quæ autem abſurda his abſurdis circà animam intellectricem & cogitatricem accumulet, videri poſſunt ex diſp. 11. diffic. 11. hujus libri, ubi ait Averrhoes animam intellectricem non eſſe propriam formam hominis, nec hunc per eam eſſentialiter à brutis diſtingui, ſed per aliam formam quam cogitatricem nominat, & ad hanc pertinere cognitionem ſingularium; quam cum quovis homine gigni, interire; & ad ejus multiplicationem multiplicari. Quæ ſiot rationes & argumenta Averrhois, infrà patebit.

DICO, falſa & monſtroſa eſt doctrina Averrhoiſtica de unitate intellectus, adeoque hic unà cum hominibus multiplicatur. Eſt hæc omnium Doctorum & Philoſophorum unanimis ſententia, adeoque verum, propter hanc ſtultitiam dignum eſſe Averrhoem, qui ex hominum communione excludatur. Prob. autem primo, tot ſunt animæ, quot homines, ergo etiam tot intellectus. hæc conſeq. eſt veriſſima, quia cuivis animæ humanæ ſuus eſt & debetur intellectus; Antec. conſtat ex diſp. citata de multitudine animarum. Prob. 2. ſi unus omnium eſſet intellectus, etiam apud omnes foret una intellectio & volitio, quia unus intellectus una vice non niſi circà unum occupatur objectum; ſed conſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens. 3. ſi eſſet in omnibus hominibus idem intellectus, ſequeretur eodem tempore eundem intellectum aſſentiri contradicentibus propoſitionibus; ſed hoc fieri non poteſt, imò eſt primum principium in quo nemo errat, cum nullus poſſit ſimul judicare aliquid eſſe & non eſſe. Prob. hæc ſequela, idem intellectus eſt in omnibus hominibus juxta Averrhoem, ergo idem intellectus eſt in me & in te; ſed ille affirmabit unum eſſe intellectum in omnibus hominibus, ego autem id nego, ergo hic intellectus ſimul aſſentitur huic propoſitioni, *Cuivis homini ſuus eſt peculiaris intellectus.*

unus eſt intellectus in omnibus hominibus, & huic, non eſt unus intellectus in omnibus hominibus, quæ manifeſtè ſunt contradictoria, huc ſpectant omnia argumenta quæ in ſingulis hominibus ſingulas animas infirmantes probant.

DICES primo, unus ſol ſufficit pro omnibus colluſtrandis, ergo etiam unus intellectus ad omnium hominum ſpecies intelligibiles eliciendas. Reſp. neg. conſeq. & paritatem, quia colluſtratio illa phantaſmatum ad eliciendas ſpecies intelligibiles, prout fingit Averrhoes, impoſſibilis eſt.

DICES 2. prima principia etiam nullo docente ab omnibus cognoſcuntur; ſed non poſſent omnium hominum intellectus in his principiis ita convenire, niſi eſſet in omnibus unus, ergo. Reſp. ideò principia cognoſci ab omnibus, quod ſint tam manifeſta, ut intellectus non poſſit iis non aſſentiri; ſic qui audit omne totum eſſe majus ſua parte, cum in conſpectu totius includatur pars, ſtatim atque cognoſcit totum, cognoſcit etiam partem, id eſt, minorem toto.

DICES 3. Ex ſententia Ariſt. mundus fuit ab æterno, ergo ſecundum ipſum datur unus omnium intellectus, quia aliàs daretur de facto infinitum, videlicet infiniti intellectus. Ad hoc argumentum jam alibi reſponſum eſt, quia Ariſtoteles non videtur negaſſe infinitum in rebus immaterialibus, ſed tantum in corporeis & mole præditis. Alii aliter reſpondent ut videre eſt apud Conn. 2. de anima cap. 1. q. 7. a. 3. in fine, ubi lectorem ad Divum Thomam libro 2. contra Gentes, & 3. phyſ. cap. 8. q. 1. remittunt.

DICES 4. cum Magiſter transfundit ſcientiam in diſcipulum, vel illa ſcientia eſt eadem numero vel ſpecie; non eadem ſpecie & ſolu numero diverſa, quia aliàs Magiſter efficeret ſcientiam in diſcipulo ſicut ignis formam in ligno, quod eſt proprium agentis naturalis & materialis; magiſter autem non agit materialiter; ſed nec eadem numero, quia ſequeretur, in utroque eſſe eundem numero intellectum, quia non poſſet unus alterum audire & intelligere, niſi unus eſſet utriuſque intellectus. Antequam huic argumento reſpondeatur, neceſſarium eſt cognoſcere, quomodo Præceptor docendo ſit cauſa ſcientiæ in diſcipulo, quia turpe eſt nos tot annis Præceptoribus uti & necdum ſcire, quid illi in nobis operentur: Explicat hoc pulcherrimè D. Thom. 1. p. q. 117. a. 1. 2. contra Gentes cap. 75. & in quæſtionibus diſputans de Magiſtro q. 11. Ait ergo, eorum quæ fiunt, quædam ſemper habent principium externum, quædam internum; Et quamvis videantur fieri extrinſecus, ſemper tamen principium internum eſt cauſa principalis, externum vero adjuvans, ut patet in ſanitate, quam nobis ſemper natura per ſe, aliquando autem opé medicinæ reſtituit; quamvis enim hæc multum operetur, eſt tamen cauſa tantum adjuvans, & natura principalis intrinſeca. In hoc ſecundo effectuum genere ſunt etiam artes & ſcientiæ, quas interdum propria inventione, interdum inſtitutione aliorum paramus; Illud eſt ex principio nobis inſito, videlicet lumen naturale Agentis intellectus, qui eſt verus Præceptor & Doctor, qui nos docet intus ex phantaſmatis eliciens ſpecies intelligibiles eaſque in intellectu poſſibili quaſi in tabella deſcribens; hoc domeſtico doctore ac lumine aſſequimur per nos ipſos à primis annis initia & quaſi ſemina quædam generalia omnium ſcientiarum & artium, quibus poſtea conjunctis cum aliis ſpeciebus minus generalibus, quas aſſiduò ex phantaſmatis novas haurimus, paulatim ſcientias & artes abſque ope externi doctoris naneiſcimur. Verum cum hoc ſit nimis longæ operæ, & ut vita noſtra nunc eſt, pauca admodum apprehendamus, ad ſalvandam hanc imbecillitatem adſciſcimus operam Doctorum, non quod illi in nobis principaliter efficiant ſcientiam, ſed quod adjuvent intellectum; Duobus autem modis externæ cauſæ adjuvant internas; primo adminicula quædam ſubminiſtrando quibus utatur principale Agens, ut cum Medicus certis quibuſdam medicamentis utitur, quibus natura quaſi inſtrumentis morbum depellit; 2. vim agentis principalis corroborando, ſicut Medicus aliquando totus eſt intentus in reducenda natura ægri ad robur priſtinum, ſine quo omnia medicamenta fruſtra applicantur: Ita etiam Magiſter cum ex his quæ diſcipulus jam novit, ducat eum in cognitionem eorum quæ non novit, id facit dupliciter; aliquando enim auxilia quædam & inſtrumenta præbet quibus utatur intellectus diſcipuli, ut cum adfert ſimilia, oppoſita & propoſitiones minus generales quas ex iis quæ novit, facilè poſſit judicare atque deduci ad id quod quæritur: Nonnunquam verò mentem diſcipuli corroborat, quando illius admonitione diſcipulus ſpecies quas habet confuſas & indigeſtas, aptè diſtribuit & collocat eo ordine, quo facile videre poſſit quid ſequatur, ut cum ordinem principiorum & concluſionem explicat ei, qui per ſe non haberet tantam vim ea inter ſe conferendi & unum ex altero eliciendi: Ex quo colligitur fruſtra eſſe Præceptoris operam, ſi diſcipulus ſit deſes & piger, cum intellectus ejus ſit principale Agens; ſicut fruſtrà exſpectas à calamo pulchram ſcripturam, ſi ſcriptor qui eo uti debet, remiſsè aut nihil agat. Et his ita explicatis retorqueo argumentum primò in Averrhoem; Nam pſittaci & id genus avium multa diſcunt ab hominibus, ergo ſi quid valeat conſequentia Averrhois, oportet eandem numero phantaſiam eſſe in homine, in cane, in pſittaco, quod abſur-

Quomodo Magiſter transfundat ſcientiam in diſcipulum.

Natura eſt cauſa principalis ſanitatis reſtituta.

Medicinæ ſunt inſtrumenta ſanitatis.

Digitized by Google

abſurdum eſſe quiſque videt: Deinde reſpondetur Magiſtrum producere in diſcipulo eandem ſpecie ſcientiam, non tamen diverſam; Neque hoc eſt proprium agentis naturalis, quia impoſſibile eſt rei creatæ aliter agere quam producendo ſemper aliquid ſaltem non diverſum.

DIFFICVLTAS II.

Quid ſit intellectus & quotuplex.

SVppono, intellectum vel reſtringi ad hominem ſolum vel etiam ad Angelos quia utriſque eſt communis. Dari autem in homine intellectum nemo eſt qui negare auſit niſi & ipſe intellectu careat; Nam cognitionem habemus rerum, quam planè haurire non poſſumus ab ea potentia quæ nobis cum brutis animantibus eſt communis, ergo neceſſum eſt ut eam aliunde, à principio ſcil. ſuperiori, euiusmodi eſt vis intelligens, habeamus. Iam dum quæritur quid in genere ſit hæc potentia & quotuplex. Reſp. &

Intellectus in genere quid DICO 1. intellectus universè loquendo eſt potentia quædam ſpiritualis ordinata ad res omnes cognoſcendas; ſi addis per diſcurſum, contrahitur ad hominem. Dicitur imprimis universè loquendo, quia aliter definiendus eſt intellectus in communi ut hic videre eſt, & aliter in ſpecie ut paulò poſt patebit. Dicitur 2. quod ſit potentia ſpiritualis, quia debetur immediatè Angelis & animæ rationali à quibus nunquam eſt ſeparabilis, ideoque eſt ſpiritualis nec ullis indiget organis, Dicitur 3. ad res omnes cognoſcendas ordinata, quia intellectus non tantum res materiales ſed etiam immateriales & ſpirituales, ut mentes à materia abſtractas, Angelos & Deũ intelligit. Dicitur 4 per diſcurſum, quia ſolius hominis eſt unum ex alio colligere, rem demonſtrare per cauſas &c. idque per ſpecies intelligibiles à phantaſmatis hauſtas. Quomodo autem Angeli intelligant, non eſt huius loci explicare, de anima ſeparata conſtabit inferius.

DICO 2. hæc potentia eſt inorganica & à corpore in operando independens. prob. ſi eſſet organica & à corpore dependens, tunc anima à corpore ſeparata nunquam intelligeret; ſed hoc falſum eſt, ergo & illud. Neque dicas, animam poſt egreſſum à corpore longè alium eumque ſublimiorem habere intellectum, quia hoc aſſerere planè ſuperfluum eſt, nec quiſquam id hactenus eſt auſus confingere; Quod autem anima poſt ſeparationem melius intelligat, ratio eſt ipſa ſeparatio à corpore omninò materiali & novarum ſpecierum aliunde quam à materia affuſio.

Diviſio intellectus in agentē & patientem ſive poſſibilem. DICO 3. dividitur intellectus in poſſibilem & habitualem, vel à modo operandi & fine in practicum, ſpeculativum, opinativum, erroneum &c. vel communius & crebrius in agentem & patientem ſive poſſibilem. Per hunc intelligitur potentia quæ elicit intellectionem, per illum quæ facit ſpecies intelligibiles; Prior enim eruit ſpecies tales ex phantaſmatis easque fabricat, poſterior autem eas in ſe recipit elicitque intellectionem, ut pluribus conſtabit in ſequentibus.

DIFFICVLTAS III.

An neceſſarius ſit intellectus Agens.

QVid antiquiores de hoc intellectu ſenſerint, vide apud Conn. 3. de anima c. 5. q. 1. a. 1. ubi ajunt auſum fuiſſe Durandum cum nonnullis aliis hunc penitus è medio tollere; ſed

DICO, neceſſarius eſt animæ rationali & homini intellectus Agens. prob. hoc modo, quod eſt in pura potentia, debet ab aliquo agente reduci ad actum; ſed intellectus poſſibilis eſt pura potentia ad intelligibilia, & debet neceſſariò determinari ad hoc vel illud obiectum percipiendum, cum aliàs ſit indifferens, ergo. *Neceſſarius eſt intellectus agens.* Neque dicas, reduci ad actum à phantaſmatis aut ab aliqua potentia materiali; quia reducitur ad actum per receptionem ſpecierum intelligibilium, quas non poteſt accipere ab ullo materiali ſed tantum à ſpirituali, ſcil. ab intellectu agente: Maior huius ſyllogiſmi probatur, quia pueri propterea multa non cognoſcunt quia non habent ſpecies, ob quam cauſam non judicat etiam cæcus de coloribus. Minor etiam prob. quia nullum corporeum poteſt agere in ſpirituale; ſed operatio phantaſiæ eſt materialis & corporea, ergo non poteſt agere in intellectum immaterialem, ergo ſupereſt ut detur aliquod agens ſpirituale, quod producat ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili. Confirm. à ſimili, quia ſicut ad viſum non ſufficit potentia viſiva receptiva ſpecierum niſi accedat lumen quod ſpecies eliciat; ita etiam non ſufficit intellectus aliquis potentialis aut poſſibilis, niſi adſit actualis, qui faciat & fabricet ſpecies intelligibiles.

DICES 1. hinc ſequitur, etiam dari in Angelis intellectum agentem, quod tamen foret abſurdum. Reſp. neg. aſſumptum, quia magnum eſt diſcrimen inter intellectum angelicum & humanum; Angeli enim cum non ſint in corpore, non habent phantaſmata, nec eliciunt ſuas ſpecies à phantaſmatis, ſed habent eas congenitas ut docent Theologi.

DICES 2. non datur ſenſus Agens, ergo nec intellectus Agens, quia utrobique eſt par ratio. Reſp. neg. conſeq. quia magnum eſt inter utrumque diſcrimen; Nam obiectum potentiæ ſenſitivæ cum ſit ſenſibile, per ſe & ex vi propria poteſt movere potentiam ſenſitivam ſuiq; ſpeciem & imaginem ad illam tranſmittere quod inde probatur, quia & ſpecies & objectum ſunt materialia & afficiunt potentiam materialem, proindeq; non eſt opus aliam eamque altiorem potentiam quærere

ſicut fit quando ſpecies intelligibiles è phantaſmatis eliciuntur.

DICES 3. non datur voluntas Agens, ergo. Reſpond. neg. conſeq. ratio diſparitatis eſt in promptu, quia voluntas non eget ſpeciebus appetitq; tantum illud quod ab inrellectu ur bonnm & honeſtum proponitur.

DICES 4. intellectus Agens non maner in anima ſeparata, quia non poteſt operari, cum non habeat ibi phantaſmata. Reſp. nihilominus manere, per accidens autem non operati; intereà ſuppletur defectus à Deo qui ſpecies neceſſarias infundit animæ.

DIFFICULTAS IV.

Quidnam ergò agat in homine intellectus Agens.

DE huius munere & officio multa ſcribunt philoſophi: ſed hic breviter

DICO primò, falſum eſt; quod intellectus Agens illuſtret phantaſmsta, ſeu quod producat in phantaſmatis aliquam qualitatem, per quam poſtea producantur in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles. prob. quia cum talis qualiras reciperetur in phantaſmatis, eſſet materialis & extenſa; atqui propterea ipſum phantaſma non producit ſpeciem intelligibilem, quia eſt materiale & extenſum, ergo nec illa qualitas poterit producere ſpeciem intelligibilem.

DICO 2. nec etiam intellectus Agens elicir ſpecies intelligibiles è phantaſmatis, quæ poſtea recipiãtur in intellectu poſſibili. prob. quia hoc modo unum accidens migratet de ſubiecto in ſubiectum; Nam ſpecies illæ quæ fuiſſent in phantaſmate, educerentur ex eo & producerentur in intellectu poſſibili, quod conſtat naturaliter fieri non poſſe.

Quidnam agat intel lectus Agēs DICO 3. actus proprius intellectus sgentis eſt præſentibus phanraſmatis producere ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili. ita ut non poſſit producere ſpeciem intelligibilem cuiuscunque obiecti niſi eius cuius præſens ſit phantaſma: ſicut euim requiritur applicatio ignis ad materiam ut eam poſſit calefacere, ita & intellectus agens ut producat ſpecies, deſiderst phantaſma præſens: Hoc ramen nec producit ſpeciem neque recipit, ſed eſt conditio ſine qua intellectus non produceret ſpeciem. *Phantaſma quid* Cæterùm per phantaſma intelligunr nonnulli illam ſpeciem quæ inſeruit phantaſiæ; alii cognitionem & actum ipſius phantaſiæ quod eſt probabilius; Nam ſpecies impreſſæ quæ inſerviunt phantaſiæ, remanent etiam poſt actum, & tamen non fit intellectio; Atqni præſentibus phantaſmatis ſemper fit. intellectio, ergo ſpecies phantaſiæ non ſunt pbantaſmata quæ requiruntur ad intellectionem, ſed ſpecies expreſſæ phantaſiæ, ſive cognitio & actus ipſius phantaſiæ.

DICO 4. intellectus Agens dicitur facere intelligibile actu, quia producit ſpecies objecti in intellectu poſſibili. prob. obiectum non poteſt intelligi abſque ſpecie, ergo quando non eſt eius ſpecies in intellectu, eſt tantum intelligibile potentia, ergo quando producitur ſpecies, fit intelligibile actu; ſed intellectus agens producit ſpecies, ergo facir intelligibile actu. Et confirm. ex Atiſtot. 3. de anima. t. 18. ubi ait lumen facere colores actu ſicut intellectus facit intelligibile actu; ſed colores non fiunt actu à luce quaſi producantur de novo, ſed quia producuntur eorum ſpecies, ergo idem de intellectu ſentiendum eſt.

DICO 5. phantaſmata non aſſumuntur ab intellectu ad producendam ſpeciem tanquam inſtrumenta. prob. quia nullum naturale poteſt eſſe inſtrumentum ad efficiendum aliqđod immateriale natnraliter; ſed phantaſma eſt materiale & intellectus Agens eſt ſpiritualis & immaterialis, & ſpecies etiam eſt immaterialis, ergo phantaſma non poteſt eſſe inſtrumentum ad efficiendam ſpeciem; ſed nunquam ita poteſt temperari ant modificari nr producat sliquid ſpirituale, ſicut fit in calore qui ita temperstur à potentia nutritiva, ut cum aliis qualitatibus ſit in ea complexione à qua poſſit produci caro, nervus, os &c.

Colligitur intellectum agentem primo illuſtrare obiectum phantaſmate repræſentato per ſpeciem intelligibilem ln actu. 2. efficere obiectum intelligibile in actu, 3. abſtrahere ſpecies à phantaſmate ſeu potius à conditionibus materialibus.

DIFFICVLTAS V.

An & quomodo intellectus Agens differat à poſſibili, & uter nobilior.

DIfferre realirer mulri ſunr qui id affirmãt, ut Cajet. Ferrar. Scotus, Toletus, Rubius, Conn. l. 2. de anima. cap. 6. q. 1. a. 1. Sed quia communior eſt & probabilior negantium opinio, quam etiam Soarius nulli fortè ſecundus tomo 1. in 3. p. diſput. 30. ſ. 2. defendit; Idcircò

DICO 1. intellectus Agens differt à poſſibili nemine etiam cogitante. prob. intellectus Agens nihil cognoſcit ſed ſolum producit ſpecies intelligibiles, poſſibilis verò cognoſcit obiectum; ſed potentia cognoſcens differt à nou cognoſcente ante omnem operationem intellectus, ergo intellectus Agens diſtinguitur à poſſibili nemine etiam cogitante. Sed qualis eſt hæc diſtinctio?

DICO 2. intellectus Agens diſtinguitur à poſſibili ſola ratione. prob. 1, quæcunque diſtinctis conceptibus inadæquatis concipiuntur ſuntque ejusdem ordinis & ſibi mutuò eſſentialiter ſubordinata, ea tantùm hoc modo, videl. ratione diſtinguuntur; ſed ita ſeſe res habet

habet cum iotellectu agente & patiente, ergo. Nam intellectio ſubordinatur actui agentis ſeu fabricationi ſpecierum. 2. fruſtrà & ſine ulla neceſſitate mulriplicantur entia, ergo. Nā eadem potentia reſpectu diverſorum munerũ dicitur Agens & patiens; illud quidem quatenus Agendo imprimit ſpecies intelligibiles patienti easque prius abſtrahit à phantaſmatit; hoc verò quatenus easdem in ſeſe recipere poteſt & per eas intelligere obiectum.

Intellectus dicitur agens & patiens reſpectu diverſorum munerum.

DICES 1. potentia activa & paſſiva diſtinguuntur, ergo etiam intellectus Agens & patiens. Reſp. antec. non ſemper & abſolutè eſſe verum, quia ut cætera taceam, in actionibus perfectivis, quales ſunt actiooes intellectus, non eſt opos hac diſtinctione.

DICES 2. intellectus poſſibilis durat poſt hanc vitam, non verò Agens, cum non amplius abſtrahat ſpecies à phantaſmatis, ergo differunt realiter. Reſp. neg. ſeq. quia manet uterque quoad entitatem noo quoad officium, cum nō ſuppetant amplius phantaſmata, à qnibos intellectus abſttahat ſpecies: Itaque per accidens eſt quod intellectus agens non vigeat io anima ſeparata.

DICO 4. intellectus patiens videtur eſſe nobilior ageote. prob. 1. intellectus Agens eſt quaſi miniſter patientis, totusque occupatur io ſpeciebus fabricandis, quibus ille utatnr, ergo hic nobilior eſt. 2. ea potentia nobilior cenſetur, cuius operatio eſt præſtantior; ſed intellectio eſt nobiliſſima hominis operatio ut patet apud omnes, & propter quam homo elevatus eſt ſuprà omnes creaturas materiales.

Intellectus Agens fabricat ſpecies, & iis utitur patiens.

DICES, id quod agens eſt, nobilius eſt eo quod eſt patiens, ergo & intellectus ageos eſt oobilior patiēte. Reſp. ad antec. cũ diſtinctione; Nam ſi intellectus Agens quatenus ſpecies intelligibiles in patiente producit, & patiens quatenus eas in ſe recipiendo patitur, abſolutè ſpectentur, tunc Agens intellectus nobilior eſt; ſi autem hic agens conſideretur, quatenus operationes ſibi proprias & convenientes edit, tunc patiens vel poſſibilis præſtantior eſt & oobilior.

DIFFICVLTAS VI.

An etiam dentur ſpecies intelligibiles.

DE iis ideò hic quæritur, quia negarunt eas non tantum Ethnici olim philoſophi, ſed etiam nonnulli ex Chriſtianis ut Durandus, Henr. Andeg. & alii, quorum rationes vide infrà. Itaq;

DICO dantur in intellectu ſpecies intelligibiles quæ ſunt principium intelligendi, ſicut dantur in ſenſibus ſenſibiles quæ ſunt principium ſentiendi, prob. 1. ſicut ſe habet ſenſus ad ſuas operationes, ita quoque ſe habet intellectus ad ſuas; ſed ille nullam poteſt elicere ſenſationem absq; ſpeciebus ſenſibilibus, ergo nec iotellectus absque intelligibilibus. 2. experimur nos cognoſcere noſtras operationes intellectus & phantaſmata; ſed hæc non poſſunt ſeipſa repræſentare iotellectui, multò minus poſſunt repræſentare operationem intellectus, ergo requiruntur propriæ ſpecies. Quod autem non ſufficiant phantaſmata, inde conſtat, quia imprimis hæc ſunt materialia & nō repræſentant niſi ſingularia; deinde quia noo ſunt intellectui intimè conjuncta, cum tantum hæreant in corpore. 3. iotellectus ſicut & alia quævis potentia cognoſcens non eſt ex ſe ſufficiens ut eliciat cognitionem, ergo debet ſicut aliæ potentiæ cognoſcentes adjuvari à ſpeciebus; Antec. patet experientia, quia pueri noo minus habent intellectum quam viri, & tamen plurima non cognoſcunt ideò quia non habent ſpecies; neque ſufficiunt phantaſmata quæ ſunt materialia, quia intellectus eſt ſpiritualis, ergo ad eliciendam intellectionem non poſſunt concurrere phantaſmata, ſed debent eſſe ſpecies actu ſpirituales & immateriales. 4. prob. ex Ariſt. qui multis in locis, tum c. 4. & 5. l. 3. de anima ſpecierum intelligibilium meminit, dum ait intellectum intelligere omnia, intelligendo fieri omnia, videl. per ſpecies.

Species intellig. dantur.

DICES 1. tota ratio intelligendi poteſt commodè explicari ſine ſpeciebus, ergo hæ fruſtraneæ ſunt. Nam ſenſus externus movet internum ſive communem, hic phantaſiam, & poſita cognitione phantaſiæ reſultat iotellectio. Reſp. neg. antec. quia intellectus eſt per ſe poteotia incompleta, quæ per ſe non poteſt elicere ullam cognitionem niſi adjuvetur; nō poteſt autem adjuvari à phantaſia quę eſt materialis, ergo à ſpeciebus immaterialibus.

Intellectus debet juvari à ſpeciebus immaterialibus.

DICES 2. ſi darentur ſpecies intelligibiles, remanerent poſt cognitionem; ſed non remanent, quia aliàs ſemper determinarent intellectum ad operandum contrà experientiā. Reſp. ſpecies poſt cognitiooem manere; res enim ſpiritualis longè eſt aptior ad conſervationem quam materialis, cum ſit incorruptibilis & impatibilis; At ſpecies phantaſiæ conſervantur in ſubjecto materiali, ergo multò magis ſpecies intelligibiles poſſunt conſervari in intellectu immateriali: Quod autem non ſemper determinent intellectum ad operandum, ratio eſt, quod ea ſit conditio noſtri intellectus in hac vita ut operari non poſſit absque operatione phantaſiæ. Cæterùm dum dicitur animam non recordari poſt mortem amplius eorum quæ geſta fuerunt in corpore, intelligendum eſt de memoria ſenſitiva, non de iotellectiva.

DICES 3. multa cognoſcimus quorum ſpecies non habemus, ergo. Antec. patet, quia formamus conceptus Dei, Angelorum aliarumque rerum immaterialium, quorum tamen ſpecies intelligibiles ideò noo habemus, quia eorum phantaſmata non habemus. Reſpond. ad anteced. & eius probationem, nos

cogno-

Digitized by Google

cognoſcere Deum & Angelos non per ſpecies proprias ſed per alienas, ideoq; cũ per res ſenſibiles Dei & ſubſtantiarum immaterialium cognitionem aſſequimur, huiuſmodi ſpecies fabricamus. Et hinc negatur antec. vel diſtinguitur ſpeciebus propriis & alienis.

DICES 4. Angelus unus in cognitione alterius non indiget ſpeciebus, ergo nec intellectus humanus indigebit. Reſp. quomodo Angeli ſe cognoſcunt aut mutuò colloquantur, patebit infrà.

DICES 5. ſi ſpecies eſſent in noſtro intellectu, cognoſceremus eas ſicut & actus tam voluntatis quam intellectus; ſed falſum eſt hoc, ergo & illud. Reſp. nos intelligere hujusmodi ſpecies reflexè non directè; Nam quando aliquid intelligimus, reflectimus nos ſuprà noſtrum actum, & advertimus nos habere aliquod principium huius intellectionis, videl. ſpecies intelligibiles è phantaſmatis elicitas.

DIFFICVLTAS VII.

An ſpecies intelligibiles à ſolo intellectu Agente producantur.

SVppono, productionem ſpeciei intelligibilis pendere à phantaſmate, quia intellectus Agens non producit niſi ſpecies rerum quas phantaſia percipit. Deinde intellectus Agens ex ſe eſt indifferens, ergo determinandus eſt, quod fit immediatè per phantaſma. Iam

DICO 1. omnium rerum, quarum propria phantaſmata habemus, ſpecies intelligibiles producuntur ab intellectu agente. Hæc concluſio eſt communis & patet ex dictis; prob. etiam hoc modo, intellectus agens non elicit ſpecies niſi unà cum phantaſmatis, à quibus etiam determinatur ad hanc vel illam intellectionem, ergo earum rerum producuntur ſpecies intelligibiles ab intellectu agente, quæ prius fuerunt in ſenſu & quarum habuimus phantaſmata. Vnde autem & quomodo ſpecies ſubſtantiarum corporearum, qualitatum naturalium, quantitatum materialium, relationum, actionum & potentiarum corporalium, earum rerum quæ ad ſitum, ubi, habitum & quando pertinent, ſpecies item generum ſpecierumque infimarum producantur, vide apud philoſophos & imprimis apud Conn, 3, de anima. c. 5. q. 5. a. 1. & 2.

Phantaſma concurrit efficienter ad product. ſpecierum intellig. DICO 2. valdè probabile eſt, etiam phantaſma concurrere efficienter cum intellectu ad productionem ſpeciei intelligibilis. prob. 1. cauſa efficiens univerſalis & principalis quæque eſt indifferens ad producendum hunc vel illum effectum, indiget aliquo à quo effectivè determinetur ad hunc potius quam ad illum effectum; ſed non eſt aſſignare aliud à quo intellectus agens indifferens determinetur præter phantaſma, ergo. Deinde non eſt abſurdũ tribuere alteri ut inſtrumento nobiliorem effectum & altioris ordinis, quia ſic concurrunt accidentia ad productionem ſubſtantiæ, ergo etiam phantaſma elevatum ab intellectu agente poteſt ad productionem ſpeciei intelligibilis effectivè concurrere. Denique confirmatur, quia cum non ſit alius modus quo poſſit anima in corpore naturaliter accipere ſpecies, quodammodo debetur phantaſiæ hæc elevatio, ratione cuius ſatis proportionata eſt effectui immateriali. Et hinc ſi

DICAS, inter materiale & immateriale nõ eſſe proportionem. Reſp. non requiri proportionem in eſſendo, quia etiam inter accidens & ſubſtantiam non eſt talis proportio; ſufficit enim quod phantaſia hominis ordinetur ex natura rei ad operationem animæ rationalis, & quia anima rationalis nõ habet alium modum hauriendi ſpecies ex natura rei quam elevando phantaſmata, ſicut quia forma ſubſtantialis non habet aliam rationem producendi ſibi ſimilem niſi mediis accidentibus, poteſt elevare accidens ad productionem formæ ſubſtantialis. *Phantaſma quomodo concurrat ad product. ſpecierum immaterialium.*

Colligitur, falſum eſſe contrà nonnullos veteres, ſpecies rerum & imagines in prima mundi creatione non ſecus animalibus quam Angelis datas & conceſſas eſſe, aliàs cæcus natus optimè de coloribus judicare poſſet.

DIFFICVLTAS VIII.

Quid ſit intellectus poſſibilis, an pura potentia.

INtellectus patiens, paſſibilis vel poſſibilis eſt ipſa animæ potentia & principium eliciens omnes intellectiones eaſq; in ſe recipiens. Dicitur etiam præterea mens & ratio pro diverſis muneribus quibus fungitur: ſic dicitur patiens, quatenus patitur recipiendo ſpecies, poſſibilis quatenus eſt in potentia ad intelligendum, mens quatenus res ſimplici apprehenſione intelligit, ratio quatenus per ratiocinationem ad rerum notitiam aſſurgit; Iam ad quæſt. Reſp. &

DICO 1. intellectus poſſibilis non eſt pura potentia in genere entium, ſed tantum in genere intelligibilium. prob. 1. pars, quod videl. non ſit pura potentia nullum in ſua natura includens actum, quo pacto materia prima dicitur pura potentia; Nam intellectus ex natura ſua eſt forma & actus accidentalis ipſi animæ ſuperadditus, ſpectatque ad ſecundam ſpeciem qualitatis & eſt principium operandi, ergo eſt verus actus & non potentia in genere entium. prob. ſecunda pars, quod videl. intellectus ſit pura potentia in genere intelligibilium, quia ex ſua primæva origine nullam habet ſpeciem ſibi congenitam, contrà Platonem, alioquin eſſet independens à materia & phantaſmate. Itaque intellectus priusquam intelli-

intelligit, nihil eſt eorum quæ Intelligit, & eſt in pura potentia ad omnia intelligibilia.

DICO 2. intellectus poſſibilis ſive patiens eſt etiam potentia verè activa. Ratio eſt quia intellectio quæ eſt actio immanens, attribuitur intellectui non agenti ſed patienti, ergo. prob. antec. ex natuta actionis immanentis, cuius natura eſt tecipi in eo à quo emanat, ac proinde non poteſt elici ab agente & recipi in patiente. Deinde ſupervacanea eſſet diviſio in agentem & patientem, quorum priori nunquam Ariſtoteles actum intelligendi attribuit, ſed ipſum à patiente officiis diſcrevit, quod hic eſſet in potentia ad recipiendas formas, & ille easdem imprimeret; hic item in contemplationem incumberet, & ille quaſi lumen fulgeret. Eſt ergò intellectus poſſibilis verè activus, quia elicit intellectionem. Adverte tamen, intellectum agentem quatenus re idem eſt cum patiente, poſſe dici intelligere licet non in ſenſu formali quà agens eſt; concurrit etiam mediatè ad intellectionem, quatenus patienti imprimit ſpeciem, conſtituitq; eam ſufficienter in actu primo ad operandum.

Intellectus poſſib. eſt activus.

DICES, ſi intellectus patiens ſimul elicit & recipit actionem, ſimul erit cauſa materialis & efficiens. Reſp. hoc nihil eſſe abſurdi, quia ſimul agens eſt & patiens ſecundum diverſa munia, quod etiam obſervamus in aliis. Ex dictis itaq; colligitur, ſpeciem intelligibilem eſſe qualitatem ſpiritualem in intellectu, vim habentem obiectum intelligibile repræſentandi, quia verè concurrit ad intellectionem ſicut ſpecies ſenſitiva ad ſenſationem videl, effectivè.

DIFFICVLTAS IX.

An intellectus poſsibilis cognoſcat tam univerſale quam ſingulare.

ALiis verbis proponi ſolet hæc difficultas, videl. an ſpecies intelligibiles repræſentent non tantum ſingularia, ſed etiam univerſalia; per ſingularia autem non intelligitur hic niſi quod eſt corporeum & ſenſibile, quia ſpiritualia non niſi per ſpecies alienas cognoſcuntur.

Suppono, duplices eſſe ſpecies intelligibiles, impreſſas & expreſſas ſeu verba mentis; Impreſſæ ſunt quæ ſe habent ex parte objecti quæq; effectivè concurrunt ad intellectioné; has imprimit phantaſma cum intellectu agente; Expreſſæ ſeu verba mentis ſunt quæ producuntur ab intellectu poſſibili & ſpecie impreſſa ſuntque termini intellectionum, unde dicuntur conceptus formales ſeu verba mentis. His poſitis quæritur, an intellectus poſſibilis cuius eſt proprium intelligere, cognoſcat tam univerſale quam ſingulare.

Conceptus formalis ſeu verbū mentis quid

DICO 1. intellectus cognoſcit univerſale. Eſt Ariſtotelis 2. de anima c. 5. 6. Ethic. c. 11. & alibi ſæpius, ubi hoc diſcrimen dat inter ſenſum & intellectum, quod ille ſingularia, hic univerſalia cognoſcat. Eſt hæc etiam doctrina communis & prob. Intellectus poſſibilis producit ſpecies rerum univerſalium, ergo cognoſcit univerſale; Antec. patet, quia intellectus poſſibilis poteſt formare conceptū repræſentativum naturæ genericæ, ergo poteſt formare ſpecies rerum univerſalium: Et quia hac in re nullum eſt dubium; ideò

Intellectus cognoſcit univerſale

DICO 2. cognoſcitur etiam ab intellectu ſingulare rerum materialium. prob. 1. nullius potentiæ eſt diſcurrere niſi ſolius intellectus; ſed diſcurrimus circà ſingularia, ergo. prob. minor, quia inductiones & ſyllogiſmi ex ſingularibus ſunt veri diſcurſus, ergo. prob. 2. potentia quæ conſtituit diſcrimen inter duo, debet utrumque cognoſcere; ſed intellectus hoc facit, v. g. inter ſingulare & univerſale, ergo utrumque cognoſcit; Neq; valet reſponſio, quod phantaſia & intellectus ſint in eâdem anima; Nam etiam viſus & guſtus ſunt in eadem anima, & tamen negatur ab iis poni poſſe diſcrimen inter colorem & ſaporem, quemadmodum id benè negavit Ariſtoteles. Deinde diſtinguere univerſale à ſingulari eſt quoddam judicium, & hoc vel eſt in intellectu vel in phantaſia; ſi primum, ergo intellectus cognoſcit ſingulare, quia judicat de diſcrimine inter ſingulare & univerſale; ſi poſterius, ergo phantaſia cognoſcit univerſale quod eſt abſurdum. 3. intellectus corrigit ſenſum quando malè judicat, ut cum judicat ſolem eſſe minorem totâ plauſtri; atque hoc eſt judicium de re ſingulari. Cognoſcit itaque intellectus & ſingulare & univerſale, ſenſus autem ſingulare tantum, quo modo explicandus eſt Ariſtoteles citatus, quando videl. ait ſenſum eſſe ſingularium, intellectum autem univerſalium.

Etiam ſingulare.

DIFFICVLTAS X.

Quodnam prius cognoſcat intellectus, an ſingulare, an univerſale & quomodo.

DICO 1. veriſimilius eſt, Intellectum per ſe & directè ideoque per propriam ſpeciē cognoſcere ſingularia materialia. prob. 1. quicquid cognoſcit potentia inferior per ſe & directè, poteſt etiam cognoſcere ſuperior; ſed ſenſus per ſe & directè cognoſcit ſingularia, ergo etiam intellectus. minor vera eſt, prob. major, quia cognoſcere ſingularia eſt perfectio quædam, quæ ſi tribuatur ſenſui materiali, multò magis conveniet intellectui qui materia caret. 2. ſi cognoſceretur ſingulare indirectè, prius cognoſceretur univerſale ac deinde eo cognito veniremus in cognitionem ſingularis per cognitionem univerſalis; ſed hoc falſum eſt primo quia ut ait Ariſt. 2. poſter. c. ult. propoſitiones univerſales cognoſcuntur

Digitized by Google

ſcuntur per ſingulares; 2. eſt contrà experientiam, quia nemo expetitur ſe prius cognoſcere univerſale ac poſtea ſingulare. 3. intellectus agens produeit ſpeciem intelligibilem, quaten⁹ determinatur & modifiaatur à phantaſmate materiali quod ſimul vel obiectivè vel effectivè concurrit; ſed utrolibet mo[...] determinat ad ſpeciem repræſentativam rei ſingularis, quia ipſum phantaſma non habet vim repræſentandi niſi quid ſingulare, & objectum apprehendit nt tantum ut ſingulare, & quidem per ſpeciem propriam, ergo ab intellectu cognoſcitur ſingulare per ſe directè & per propriam ſpeciem. dici tamen hoc eſſe veriſimilius, quia ſunt multi, in quibus etiam cenſetur D. Thomas 1. p.9.86. a.1. qui putent ſpeciem impreſſam tantum repræſentare rem univerſalem, & hanc directè cognoſci; ſingularia autem indirectè & per quandam quaſi reflexionem.

Phantaſma ſemper repræſentat ſingulare.

DICO 2. per primam cognitionem cuiuscunque rei nunquam cognoſcitur univerſale, ſed ſemper ſingulare, & ideò primò cognitum ab intellectu noſtro non eſt univerſale, ſed ſingulare; Ita cum multis aliis Conn. 1. Phyſ. c.1. q 4.a.2. & Hutt. d.5.ſ.6. qui tamen §.47. dicit aliqoando prius cognoſci ſingularia aliquando univerſalia. Concluſio ſequitur ex dictis, quia ſi ſpecies intelligibilis non poteſt repræſentare niſi rem ſingularem propterea quod à phantaſmate determinatur intellectus agens ad ſpeciem repræſentativam ſingularis rei tantum, manifeſte ſequitur, id quod per ſe primò cognoſcit potentia intellectiva, non eſſe univerſale. plures rationes vide apud Perelium l.3. Phyſ. c.16.

Primò cognitum ab intellectu eſt ſingulare.

DICO 3. univerſalia cognoſcuntur per ſimilitudinem vel convenientiam ſingularium hoc modo. Cognitis primò per proprias ſpecies ſingularibus conſiderat in eis intellectus naturam in qua conveniunt ſine differentiis per abſtractionem præciſivam, quâ poſitâ ſi nihil impedimenti ſit, de qua videantur logici, habetur conceptus univerſalis, quo adhibito ut deinceps cum voluerit, eandem naturam cognoſcat, iterum ſibi ipſi imprimit intellectus ſpeciem intelligibilem repræſentando naturam univerſalem quæ in memoria intellectiva velut theſauro conditur & aſſervatur. Ex dictis colligitur quænam notiora ſint nobis an ſingularia an verò univerſalia, quam quæſtionem plerique philoſophi fusè ad l. 1. phyſ. diſcutiunt; Nam ſimpliciter dicendum eſt ſingularia nobis eſſe notiora univerſalibus, ſi quidem primo directè & per ſe à nobis cognoſcuntur.

Univerſale quomodo cognoſcatur.

DIFFICULTAS XI.

Quomodo intellectus cognoſcat ſubſtantias, an per accidentia.

PAtuit hactenus, ab intellectu cognoſci ſingularia ſeu individua accidentium materialium per propriam ſpeciem, quæ etiam à ſenſibus cognoſcuntur; quæſtio nunc eſt de ipſa ſubſtantia, & quidem duplex; prior an poſſit dari proprius conceptus ſubſtantiæ. Poſterior an propria ſpecies ſubſtantiæ.

Opinio 1. cenſet dari propriam ſpeciem non tam ſubſtantiæ quam accidentium per ſe non ſenſibilium qualia ſunt relatio, tempus &c. ideoque primò ſubſtantiam deinde accidentia cognoſci. Eſt hæc doctrina Fonſecæ 2. met. c.1. q.2. ſ.3. & 5. met. c.28. q.4. ſ.4. & ſequuntur eam Conn. 3. de anima. c.5. q 5 a.1.

Opinio 2. docet, primò à nobis neque ſubſtantiam neque accidentia diſtinctè cognoſci, ſed totum conjunctum ſive aggregatum ex ſubſtantia & accidente; deinde per quandam ſeparationem venitur ad cuiuslibet partis cognitionem diſtinctam, unde neceſſariò ſpecies prius repræſentet totum illud compoſitum per modum ſubſtantiæ per ſe exiſtentis; Ita Toletus 3. de anima. c. 6. & alii quos ipſe ſequitur.

DICO 1. negari non poteſt, quin detur proprius conceptus ſubſtantiæ. prob. quia definimus & diſtinguimus ſubſtantiam ab accidente; ſed definitio eſt conceptus adæquatus rei cætera omnia excludens, ergo.

DICO 2. intellectus prius cognoſcit tantum ſingularia accidentium ſenſibilium, & ex illis per diſcurſum ſubſtantias & accidentia non ſenſibilia. prob. prima pars primo, intellectus agens producit ſpecies intelligibiles præſente phantaſmate; ſed phantaſia non cognoſcit niſi accidentia, ergo etiam intellectus agens non poteſt producere ſpeciem niſi accidentis, quia aliàs quocunque phantaſmate præſente eliceret quamlibet ſpeciem. 2. ſi in intellectu eſſet propria ſpecies ſubſtantiæ, quotiescunque variaretur ſubſtantia, variaretur & ſpecies; ſed hoc repugnat experientiæ, quia poſt mortem hominis percipimus eodem modo accidentia in cadavere quo in vivente; imò ita interdum fallimur, ut mortuū pro vivente intueamur; ſed ſi eſſet propria aliqua ſpecies ſubſtantiæ, non poſſemus dubitare de præſentia animæ. prob. 2. pars eo modo, quo ſuprà dictum eſt univerſalia cognoſci ex cognitione ſingularium adhibito diſcurſu; Nam habitâ notitiâ accidentis alicuius ſingularis per aliam ſpeciem mediante priore à ſe factam intellectus cognoſcit accidentia per ſe non exiſtere ſed alteri inhærere, & hoc cui inhæret, debere per ſe exiſtere & conſequenter ſubſtantia eſſe; Et ſimili modo progreditur ad inveſtiganda accidentia inſenſibilia relationem, tempus &c.

Intellectus prius cognoſcit accidentia.

Non datur propria ſpecies ſubſtantiæ.

Subſtantia quomodo cognoſcatur.

DICES 1. intellectum debere fieri omnia ex 3. de anima c. 5. non fit autem omnia niſi per ſpecies, ergo etiam per ſpecies debet fieri ſubſtantia, ergo debet habere propriam ſpeciem ſubſtantiæ. Reſpond. ut intellectus fiat omnia, non eſſe neceſſe eum fieri per propriam cuiusque ſpeciem, quia etiam aliena ſpecies poteſt determinare intellectum ad cognitionem ſubſtantiæ; ſunt enim ſpecies intelli-

intelligibiles eius naturæ, ut non tantum repræſentare poſſint proprium ſuum obiectum per phantaſma repræſentatum, ſed etiam determinare ad aliquid aliud intelligendum, quod cum eo obiecto connexum eſt.

DICES 2. prior eſt conceptus abſolutus quam reſpectivus, ergo prius debet cognoſci ſubſtantia in ordine ad ſe quam in ordine ad aliud; At ſi cognoſceretur per ſpeciem accidentis, ſemper cognoſceretur in ordine ad accidens. Reſp. neg. hanc poſtremam ſequelam, quia etiamſi ſubſtantia cognoſcatur per ſpeciem accidentis, tamen non cognoſcitur per reſpectum ad accidens ſed ut in ſe eſt, quia intellectus habet proprium eius conceptum.

DIFFICVLTAS XII.

Quomodo intellectus noſter in hac vita cognoſcat ſubſtantias abſtractas, id eſt, Deum & Angelos.

Cognitio quidditativa. QVæritur hoc loco, an poſſit in hac vita noſter intellectus cognoſcere quidditativè Deum & Angelos. Sed gravis in principio diſſenſio eſt, quid intelligendum ſit nomine cognitionis quidditativæ; putant enim aliqui, eam eſſe cognitionem quidditativam qua cognoſcatur aliquod ſaltem prædicatum eſſentiale; alii volunt eã eſſe qua cognoſcantur omnia prædicata eſſentialia, ſive in confuſo ſive diſtinctè, ut variè ſentiunt Authores, quorum potiores hanc mediam & ut ajunt meliorem viam inveniunt, dum ajunt neque omnia prædicata eſſentialia neq; nullum diſtinctè cognoſcendum eſſe, ſed ſufficere ſi genus & differentia ultima diſtinctè cognoſcantur, etiamſi reliqui gradus in confuſo tantum noti ſint, cum quidditas rei & eſſentia in eius definitione quã genus & differentia comprehenduntur & cognoſcuntur, ſit poſita. His explicatis controverſia eſt, an Deus & Angeli poſſint tali cognitione qualis hactenus deſcripta eſt, in hac vita à nobis cognoſci, tametſi hoc inter Deum & Angelos ſit diſcrimen, quod quicquid in Deo eſt, id eſſentiale ſit & quidditativum, cæteræ autem intelligentiæ multa habeant extrà ſuam eſſentiam poſita. Cum itaque certum ſit intellectum noſtrum in hac vita cognoſcere Deum & Angelos, vel intelligendum eſt primo ut non habeat proprium conceptum Dei vel Angeli, ſed format idolum rei materialis, v.g. pulchri adoleſcentis comati, ornati, alati &c. idque loco angeli ſubſtituat & ad ejus ſimilitudinem cogitet eſſe angelum; vel 2. ut habeat proprias ſpecies & conceptus rerum ſpiritualium quæ ab intellectu agente producantur, poſtquam poſſibilis per diſcurſum aliquem ex rebus naturalibus deſumptum colligit dari ſpecies altioris ordinis; vel 3. ut per alienas ſpecies rerum corporearum, à quibus per ſe & immediatè repræſentantur res materiales, formet nihilominus conceptum proprium Dei vel Angeli.

DICO 1. non poſſunt à nobis in hac vita ſubſtantiæ abſtractæ quidditativè cognoſci, licet aliquos gradus eſſentiales earum aliquo modo cognoſcamus, cũ ſciamus eſſe ſpirituales, eſſe ſubſtantias &c. prob. 1. illa ſolùm clarè & evidẽter, id eſt, quidditativè cognoſcuntur, quæ per propriam ſpeciem cognoſcuntur; ſed ſubſtantiæ abſtractæ non cognoſcuntur per propriam ſpeciem, cũ nullum earum phantaſma habere poſſimus, quia ſunt ſubſtantiæ immateriales, ergo. 2. ut aliquid cognoſcatur, opus eſt ut ejus genus & differentia ultima cognoſcatur; ſed impoſſibile eſt, ut in hac vita earum genus & differentia ultima cognoſcantur, quia non poſſumus ſcire quomodo una ab altera diſtinguatur, cum non habeamus earum ſpecies proprias, ergo. *Non cognoſcuntur in hac vita Deus & Angeli quidditativè.*

DICES, nos etiam non habere ſpecies ſubſtantiarum materialium, quas proinde etiam non cognoſcimus quidditativè. Reſp. non cognoſci à nobis quidditativè ſubſtantias materiales, ſed tantum earum accidentia, quia ſubſtantiæ concretæ ſunt nobis propinquiores quam abſtractæ, quia habent accidentia quarum phantaſmata in cognitionem noſtram veniunt, quod de abſtractis non eſt. *Etiã ſubſtant. materiales nõ cognoſcuntur à nobis quidditativè.*

DICO 2. non poteſt à nobis Deus in hac vita quidditativè cognoſci naturaliter; de cognitione ſupernaturali, ut ſi quiſquam in hac vita ad claram Dei viſionem evehatur, viderint Theologi. Probatur ut prius, & adde, quia experimur non poſſe nos Deum in hac vita cognoſcere niſi per quandam analogiam ad res creatas; ſic dicimus v.g. Deum eſſe ſapientem, quia videmus ſapientiam in hominibus; Item bonum per analogiam ad bonitatem rerum creatarum &c. *Ad videndum Deũ opus eſt elevatione intellectus.*

DIFFICVLTAS XIII.

Quomodo anima rationalis conjuncta ſeipſam intelligat.

S. Aug. l.3. de Trinit. c.3. videtur ſentire, animam à ſeipſa ſine ſpecie cognoſci; Ait enim mens ſeipſa ſicut rerum corporearum notitias per ſenſus corporis colligit, ſic incorporearum per ſeipſam, ergo & ſemetipſam per ſeipſam novit, quia eſt incorporea; unde etiam nonnulli hanc ſententiam amplectuntur, quaſi ſufficiat ad cognitionem, quod anima ſibi intimè ſit præſens, qua ratione etiam Angeli cenſentur ſuam ipſius ſubſtantiam intelligere.

DICO, anima conjuncta nec immediatè ſe per ſeipſam cognoſcit, nec per propriam ſpeciem à qua per ſe immediatè repræſentetur. Dico conjuncta, quia alia ratio eſt cum ſeparata, quia ut dicetur in fine libr. 2. Appendicis difficult. 12. habet hæc totius naturæ notitiam in ſua poteſtate, & hanc non haurit ex ſpeciebus à phantaſmatis formatis prob. prima pars, ad hoc ut anima in corpore *Anima ſeipſam non cognoſcit in hac vita.*

exiſtens

exiſtens quicquam intelligat, opus habet concurſu phantaſiæ; ſed hæc nihil agit ſine ſpecie, ergo nec anima; Antec. patet, quia modum eſſendi ſequitur modus operandi; ſicut ergò exiſtit dependenter à corpore, ita etiam ab eo dependenter exercet ſuas operationes. 2. pars ex antecedentibus manifeſta eſt, quia non dantur ſpecies rerum ſpiritualium propriæ; neque enim phantaſma ullum excogitari poteſt à quo determinetur intellectus agens ad propriam ſpeciem animæ rationalis: Itaque anima in ſtatu conjunctionis cognoſcit ſe eo modo quo cognoſcit intelligentias. Quamvis enim hæ per ſpeciem propriam & evidentem ſive diſcurſu intelligant; natura tamen anima conjuncta per tales non intelligit, quia cum ejusmodi ſpecies nullo modo connectantur cum ſpeciebus aut phantaſmatis ſenſibilibus, anima autem coniuncta propter ſuum eſſendi modum non niſi dependenter à ſuo corpore intelligat, ſpeciebus ſtatui ſeparato uti non poteſt; Et quamvis anima conjuncta & ſeparata ſit eadem ſpiritualis ſive entitativè, eſt tamen alia quoad exiſtendi modum. Ad S. Auguſt. reſpondetur, fortè eum reverà ita ſenſiſſe, vel ita intelligendum eſſe ut velit animam cognoſcere ſe per ſeipſã, hoc eſt, non quidem ſine medio vel ſpecie ſed ſine interventu ſenſuum, qui proximè percipiant ſubſtantiam ſpiritualem & ſpeciem ejus præbeant intellectui. Quod ſi

DICAS, Angelos cognoſcere ſeipſos per ſuam ſubſtantiam; ſed anima eſt immortalis & ſpiritualis ſicut angeli, ergo. Reſp. angelos non eſſe coniunctos corpori, neque dependere à phantaſia in operando; anima autem eſt coniuncta corpori, nec quicquam cognoſcit niſi per phantaſma rerum materialium, quare ſeipſam etiam reflexè & per alienas ſpecies cognoſcit: primò enim experitur ſe operari & reflectit ſe ſuprà ſuam operationem; 2. Per ſuam operationem venit in cognitionem habituum & potentiarum ſuarum, ac denique in cognitionem ſuipſius.

Quomodo anima intelligat.

DIFFICULTAS XIV.

Quomodo intellectus cognoſcat ſeipſum & actus ſuos, habitus item & ſpecies, & voluntatem cum actibus & habitibus ei propriis.

DICO, intellectus cognoſcit hæc omnia nullo excepto per ſpecies alienas rerum materialium & ad ſimilitudinem earum. Eſt imprimis contra nonnullos qui excipiunt ſpecies intelligibiles quas putant intellectum cognoſcere per ſe ipſas; Deinde eſt contrà Conn.3. de anima, c.8 q.5. a. 2. qui excipiunt actus voluntatis, quos docent per ſe ſine alienis ſpeciebus cognoſci eò quod ſint alterius potentiæ & ſufficienter præſentes intellectui &c. ſed prob. concluſio primo, obiectum adæquatum intellectus noſtri in hoc ſtatu eſt ens non in tota latitudine acceptum ſed ſenſibile, ergo ſenſibilia poteſt tantum cognoſcere per ſe & materialia, ſpiritualia verò in quantum per eadem hæc materialia innoteſcere poſſunt; ſed prædicta omnia ſunt ſpiritualia, ergo non niſi per alienas ſpecies rerum materialium percipiuntur; Antec. patet, quia anima in corpore nihil operari poteſt ſine miniſterio ſenſuũ & dependentia à phantaſmate. prob. 2. ab experientia, quæ docet nos difficulter cognoſcere naturam, unitatem & diverſitatem actuum intellectus & voluntatis, ita ut ſit magna opinionum varietas de illis, & nonniſi longo diſcurſu percipere, quod non fieret ſi darentur propriæ ſpecies iſtarum rerum, prob. 3. contrà illos qui excipiunt ſpecies intelligibiles, quia ſi ſeipſis cognoſcerentur, ſequeretur, de earum exiſtentia evidenter conſtare, quod tamen falſum eſt, quia multi eas non ſine ratione negant; ſequela patet, quia quod per ſeipſum intuemur; evidenter cognoſcimus. prob. 4. contrà Conn. qui excipiunt actus voluntatis, quia hi ſunt ſpirituales ſicut intellectus, ergo improportionati reſpectu modi intelligendi quem anima habet in corpore, qui eſt ut nihil intelligat abſque dependentia à ſenſibus & phantaſmate. Confirm. ut aliquid cognoſcatur non ſatis eſt quocunq; modo conjungi cum potentia, ſed debet illi adeſſe per modum obiecti; actus verò illi quatenus conſiderantur ſecundum eſſe ſuum, quod accipiunt ab intellectu vel voluntate tanquam effectus, eatenus non ſunt præſentes obiectivè intellectui, ſed in hac vita tantùm materialia ſenſibilia per ſe primo ita obiiciuntur intellectui, ut per ipſum directè cognoſcantur, ergo non ejusmodi actus ſpirituales.

Anima conjuncta nihil intelligit independenter à ſenſibus & Phantaſmate.

Quæres, quomodo igitur cognoſcantur. Reſp. per cognitionem reflexam hoc ferè modo; intellectus cognoſcit hominem v.g. & mox ſuper eum reflectitur tanquam à ſe cognitum, videtq; per diſcurſum non potuiſſe à ſe cognoſci ſine aliqua actione vel cognitione; infert igitur elicuiſſe ſe intellectionem circà illum; & quoniam actio illa propria eſt animæ ut rationalis eſt, concludit eſſe ſpiritualem; actus autem voluntatis cognoſcuntur vel ex aliquo ſignò externo vel ex motu corporis vel ex commotione appetitus ſenſitivi; quod ſi nihil horum ſuppetat, ſolummodo poterit cognoſcere per actum reflexum illud obiectũ fuiſſe à ſe hoc vel illo modo propoſitum voluntati cum delectatione vel mœrore, cum vehementi appetitione ſenſitiva &c. unde per quaſdam conjecturas colligit, an & quomodo liberè conſenſerit, peccaverit vel non peccaverit; certò autem & infallibiliter hunc cognoſcere eſt ſuprà præſentem mortalitatis ſtatum; Et hinc tot ſcrupuli, anxietatesq; conſcientiarum, de quibus plerîq; mortalium non multum ſolliciti, ut meritò regius pſalmiſta pſal. 18. dixerit, delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me &c.

Quomodo cognoſcat intellectus ſe &c.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XV.

Quodnam ſit adæquatum objectum humani intellectus.

ADverte primo, intellectum vel poſſe ſpectari abſolutè, vel prout in hoc vitæ ſtatu conjunctus eſt corpori. 2. objectum intellectus diſtingui in motivum & terminativum tam per ſe quam per accidens. Motivum dicitur quod movet intellectum ad ſui perceptionem, ut pallor in homine ad ægritudinẽ; Terminativum eſt, quod actum illius terminat licet eum non moveat, ſed ad ſimilitudinem ejus quod movet percipiatur. Obiectũ per ſe ſive directum & proportionatum eſt, quod per propriam ſpeciem percipitur. Per accidens ſive indirectum & improportionatum, quod neque per propriam ſpeciem impreſſam vel expreſſam percipitur, ſed per ſimilitudinem aliorum ut ſpiritualium. Iam

Obiectum adæq. intellectus noſtri eſt cognoſcibile.

DICO 1. obiectum adæquatum intellectus noſtri ſive intra ſive extra corpus ſpectetur, eſt ens in tota latitudine ſua acceptum, quatenus complectitur creatum, increatum, ſubſtantiam, accidens, negationes, entia ficta, & uno verbo quicquid eſt aliquo modo cognoſcibile. Eſt hæc concluſio clara & communis, quæ etiam ulteriori probatione non indiget.

Obiectum intellectus in hoc ſtatu eſt accidens materiale.

DICO 2. obiectum adæquatum intellectꝰ noſtri pro hoc ſtatu corporis per ſe motivum & terminativum non eſt niſi ens per ſe ſenſibile ſeu accidens materiale aliquo modo ſenſibile, patet ex dictis; cuius enim ſolius dantur propriæ ſpecies, & quidquid aliarum rerum intelligitur, id beneficio & interventu quaſi illatum cognoſcitur, ut inductione ex præcedentibus conſtare poteſt. Quæ cæterùm plura circà intellectum eiusque operationes dici & fusè diſputari ſolent, ea partim vide apud logicos partim apud animaſticos.

DIFFICVLTAS XVI.

Quomodo ſe habeat intellectus & cognitio Angelorum.

VT breviſſimè conſtet, quid Philoſophi & Theologi de intellectu & cognitione Angelorum, ſentiant & doceant,

DICO 1. probabilius eſt, In Angelo tantum eſſe intellectum poſſibilem & non agentem. Ratio, quia cauſa ob quam in homine ponitur intellectus duplex, non habet locum in angelis: Nam ideò ponimus in homine intellectum agentem & poſſibilem, quia intellectus illius aliquando eſt in actu aliquando in potentia reſpectu intelligibilium, id eſt, habet aliquando ſpecies intelligibiles obiectorum aliquando non habet, & ideò neceſſarium eſt ponere potentiam Imprimis quæ recipiat rerum ſpecies, deinde aliam quæ eas producat, quarum hanc vocamus intellectum agentem, & illam poſſibilem: ſed hoc in Angelo locum non habet, primo quia intellectus eius ſemper eſt in actu reſpectu omnium intelligibilium, cum habeat ſpecies intelligibiles concreatas; 2. quia obiectum ipſius primarium non eſt materiale, à quo mediante phantaſmate oporteat abſtrahere ſpeciem immaterialem ſicut fit in homine, ſed ſicut ipſe angelus eſt immaterialis, ita primarium ejus obiectum eſt immateriale & conſequenter actu intelligibile.

DICO 2. intellectus angeli non eſt omninò idem cum eſſentia & ſubſtantia angeli, licet non conſtet an ab ea diſtinguatur realiter. Prima pars patet, quia ſubſtantia angeli ad minimum diſtinguitur ratione à potentia intellectiva, quia ſubſtantia ut ſic non dicit ordinẽ ad operationem ſicut potentia activa quæ ut talis eſt immediatum principium operationis. Secunda pars inde probatur, quia ſunt Authorum argumenta tam affirmantia quam negantia, quæ utraque ſolvi poſſunt; Itaque non eſt certum an de facto diſtinguantur realiter, quamvis probabilius ſit nullam ſubſtantiam creatam ſeipſa Immediatè activam eſſe.

DICO 3. intellectio angeli non eſt eius ſubſtãtia ſed aliquid ex natura rei ab ea diſtinctum. prob. 1. angelus ab intrinſeco & realiter eſt mutabilis ſecundum actũ intelligendi; Sed non eſt mutabilis ab intrinſeco, quoad ſubſtantiam, ergò actus intelligendi non eſt realiter ſubſtantia illius, ergo eſt accidens ſuperadditum; Major patet, quia angeli multa de novo intelligunt, quæ antea non intellexerunt, ergo ſunt mutabiles ſecundum actum intelligendi. 2. prob. volitio angeli non eſt ſubſtantia & eſſentia eius, neq; intellectio, cum ſit par ratio; Anteced. patet, quia aliàs angeli non potuiſſent de novo peccare, ſed fuiſſent per eſſentiam mali.

DIFFICULTAS XVII.

An angeli ad intelligendum indigeant ſpeciebus, & quales hæ ſint.

DICO 1. Angelus non cognoſcit omnia per ſolum intellectum, ſed requiritur aliquid aliud ex parte obiecti, quod cum intellectu ad actum cognitionis concurrat; prob. intellectus ex ſe & in genere eſt indifferens & indeterminatus ad hoc vel illud cognoſcendum, ſicut ſol eſt indifferens ad producendum hoc vel illud vegetabile, ergo ipſius activitas debet determinari; non poteſt autem commodius determinari niſi ab obiecto ſuo vel ab alio, quod ſit loco obiecti,

DICO 2. Angelo ad cognoſcendũ diſtinctè omnia non ſufficit ipſius ſubſtantia; ſed neceſ-

ſariò indiget intelligibilibus. prob. quia eſſentia angeli finita eſt & non continet in ſe omnia objecta intelligibilia, ergo non poteſt repræſentare omnia intelligibilia, ergo Angelus non poteſt per eum omnia cognoſcere; Deus autem qui habet eſſentiam infinitam, in qua continentur omnia eminenter, poteſt per eam omnia cognoſcere.

DICO 3. Angelus de facto non acquirit ſpecies rerum univerſalium, ſed habet illas concreatas, & idem de ſingularibus judicandum eſt. Prima pars prob. quia ſpecies rerum univerſalium ſunt neceſſariæ ad perfectionẽ intellectus & ad ſcientias obtinendas, ergo ſicut ob hanc cauſam fuerunt concreatæ primo parenti, ita etiam Angelis. 2. pars eſt contrà nonnullos qui putant acquirere ſpecies quorundam ſingularium; ſed non poteſt adſerri ratio ſeu modus quo id fiat, cum neque intellectu agente gaudeant neq; habeãt potentias materiales & ex illis ſpecies ſicut homo, ut deinde efficiat & abſtrahat ſpecies imãteriales.

DICO 4. Angelus habet ſpecies concreatas omnium rerum naturalium quæ futuræ ſunt in aliqua temporis differentia, non autem omnium poſſibilium. Ratio eſt, quia ſi Angelus haberet ſpecies omnium rerum poſſibilium, etiam haberet earundem ſcientiam, quod tamen falſum eſt, quia ſcientia naturalis non extendit ſe ad omnia poſſibilia, Confirm. ſpecies omnium poſſibilium vel eſſent infinitæ quod eſt naturaliter impoſſibile, vel aliquæ deberent repræſentare res infinitas, quod non eſt dicendum; ſequela patet, quia res poſſibiles ſunt infinitæ.

DICO 5. probabilius eſt juxtà S. Thomam, ſpecies Angelorum omnes eſſe univerſales in repreſentando, ita ut una poſſit plura repræſentare & eſſe principium diſtinctę & quidditativæ cognitionis plurium rerum ſive numero ſive ſpecie differentium: Dixi probabilius, quia Scotus docet aliquas ſaltem eſſe ſingulares. Ratio concluſionis eſt, quia intellectus Dei eò quod ſupremus ſit, cognoſcit omnia per unam ſpeciem, nimirùm per eſſentiã ſuam, intellectus verò humanus quia infimus eſt, cognoſcit ſingula per ſpecies ſingulas, ergo intellectus Angelicus, quia medius eſt, habebit gradum medium cognitionis, ex quo infertur, unumquemq; Angelum, quo perfectior eſt, eò habere ſpecies magis univerſales; quo enim quisq; perfectior eſt, eò proximior & ſimilior eſt Deo non ſolum in ſubſtantia ſed etiam in modo intelligendi, ergo intelligit per pauciores ſpecies & conſequenter per ſpecies magis univerſales.

DIFFICULTAS XVIII.

An Angelus ſeipſum cognoſcat, tum naturaliter Deum & quomodo.

CErtum eſt Angelum cognoſcere ſeipſum, quia ſubſtantia illius immaterialis eſt, actu intelligibilis & maximè proportionata ſuo proprio intellectui; ſolùm difficultas eſt de modo, an per ſpeciem an verò per ſuam ſubſtantiam.

Adverte, quamvis omnes intelligentiæ creatæ in hoc conveniant, quod caruut eſſentia oeget omnem corporalem materialitatẽ; ipſa tamen in aliis eſt perfectior in aliis imperfectior, adeòq; & ipſa operatio juxtà illud quod modus operandi ſequatur modum eſſendi. Et hinc etiam non eodem modo cognoſcit unus Angelus alterum, quia quantò unus eſt inferior & alter ſuperior, tantò minus perfectè hic ab illo cognoſcitur, id eſt, nõ per unum actum ſimplicem, ſicut fit in ſuperioribus, ſed per plures, ut alio voluntatem, alio intellectum aut potentiam exequentem, alio eſſentiam &c. quæ omnia per ſuperiorem unico tantùm actu attingi poſſunt &c.

DICO 1. Angelus cognoſcit ſe intuitivè per ſuam ſubſtantiam & non per ſpeciem in- *Angelus quomodo ſe cognoſcat.*
telligibilem. prob. quando obiectum eſt actu intelligibile & per ſe intimè præſens intellectui, tunc intellectus non indiget ſpecie quæ ſuppleat vicem objecti ut patet in viſione beatifica; ſed ſubſtantia Angeli eſt obiectum actu intelligibile & intimè præſens intellectui angelico, ergo intellectus angelicus non indiget ſpecie quæ ſuppleat vicem ſubſtantiæ, ſed ipſamet ſubſtantia poteſt ad ſui intellectionem concurrere cum intellectu. Confirm. ideò datur ſpecies ut vel faciat objectum actu intelligibile, vel ut uniat obiectum eum potentia, ergo ſi obiectum ſit actu intelligibile & unitum intellectui, non opus eſt ſpecie; Tunc autem cenſetur obiectum actu intelligibile, quando eſt immateriale; unde ſi eſt materiale, non eſt per ſe intelligibile ſed per ſpeciem immaterialem; Ratio, quia intellectio eſt actio immaterialis, ergo ipſius cauſæ efficientes debent eſſe immateriales, ut ſunt intellectus & eius ſubiectum.

DICES, ergo etiam anima noſtra poterit *Anima ſeparata intelligit ſe per ſuam ſubſtant.*
ſe per ſuam ſubſtantiam intelligere, quia eſt immaterialis & præſens intellectui ſuo. Reſp. anima ſeparata poteſt ſe intelligere per ſuam ſubſtantiam, coniuncta verò non poteſt ut patet ex ſupradictis; Et confirmatur experientia, quia nemo clarè & intuitivè cognoſcit animam ſuam ſed ſolum abſtractivè & imperfectè per effectus quosdam quos in ſe experitur. Ratio eſt quia potentiæ animæ cognoſci- *Anima in hoc ſtatu non cognoſcitur à nobis clarè & directè.*
tivæ ita ſunt ſubordinatæ pro hoc ſtatu, ut intellectiva nil poſſit ſine ſenſitiva interiore, & hæc nil ſine ſenſitiva exteriore, quæ ſubordinatio & dependentia, ceſſat in anima ſeparata. Cæterum an angelus unquã ceſſat à cognitione ſuiipſius, vide Philoſophos & Theologos, qui etiam probabiliter putant non poſſe ceſſare, tum quia ipſius hæc cognitio eſt, quod aliis viventibus actio aliqua vitalis ut nutritio, accretio &c. tum quia maximè proportione inter omnes actiones naturales: Nam ſicut convenit plantis & animalibus ſemper nutriantur, dum vivunt, ita etiam decet angelos qui ſunt perfectiſſimi inter omnia viventia creata, ſemper eſſe in actu quoad ſui cognitionem, quia ſemper habent obiectum maximè præſens & connaturale tum præſtantiſſimum inter ea quæ comprehenſivè cognoſcunt.

DICO

DICO 2. Angeli naturaliter poſſunt cognoſcere Deum licet imperfectè. prob. prima pars, 1. quia homo poteſt id facere ut patet in Epiſt. ad Rom. c. 1. ergo multò magis Angeli. 2. quia Angelus poteſt aſſequi ſuam felicitatem naturalẽ, quæ conſiſtit in naturali cognitione & amore Dei. Prob. 2. pars, qnia nt ait D. Thomas eſſentiam Dei nulla ſimilitudo perfectè repræſentat.

Angeli cur Deum perfectè nõ cognoſcant.

DICO 3. Angelus non cognoſcit Deum per ſpeciem concreatam quæ propriè Deum repræſenret. Ratio eſt; quia illa ſpecies vel repræſentaret Deum confusè vel diſtinctè; ſi tantum confusè, eſſet ſuperflua, qnia omnes creaturæ, quatenus ſunt effectus Dei, repræſentant Deum confusè; ſi autem diſtinctè, vel intuitivè repræſentant vel abſtractivè; non intuitivè, quia alias intuitiva Dei cognitio ſeu viſio beatifica eſſet naturalis Angelo, quia fieret per ſpeciem Angelo connaturalem; nec abſtractivè, quia impoſſibile eſt, ut aliqua ſpecies repræſentet Deũ diſtinctè & abſtractivè ſimul ut paret in natnra utriuſq; cognitionis; Nã diſtincta vel intnitiva cognitio eſt cũ Angelus cognoſcit ſe ut præſentem, abſtractiva verò cum ut præſentem ſed abſtrahendo à præſentia & non præſentia, ſimpliciter & abſolutè ſe cognoſcit. Itaque nulla creatura viribus ſuis poteſt Deum cognoſcere per conceptum quidditativè & intnitivè proprium, quia omne principium cognoſcitivum, ut in objectum tanquam ſibi proportionatum & connaturale feratur, debet eſſe in eodem gradn immaterialitatis cum ſuo objecto, nomine autem immaterialitate intelligitur non ſolum carentia materiæ, ſed etiam compoſitionis realis in quovis genere; Cum ergò immaterialitas Dei toto genere (eſt enim actus purus) tranſcendat immaterialitatem ſubſtantiæ creatæ cognoſcentis, quæ actus quidem eſt, ſed eſſentiali neceſſitate potentialitati immixtus, manifeſtum eſt, Deum prout in ſe eſt, à natnra creata non poſſe cognoſci; Nam quicquid nobilius eſt, & ab inferiori ſubſtantia cognoſcitur, illud modo, qno ſeipſum ſubſtantia inferior perfectiſſimè cognoſcit, cognoſcitur, hoc eſt, ad modnm ſubſtantiæ propriæ; unde etiam anima ſeparata licet cognoſcat independenter à phantaſmatis, tamen qnicqnid intelligit, cognoſcit ad modnm formæ, eò quod & ipſa ſit forma.

DICO 4. Angelus naturaliter cognoſcit Deum per effectus Dei, Ratio, qnia non cognoſcit Deum per ſpeciem ut patet, nec per cauſam cum nullam habeat, ergo per effectnm: Et ex hoc ſequitur Angelum ſemper cognoſcere Deum quoties intuitivè cognoſcit aliqnam creaturam, & quia ſemper ac neceſſario cognoſcit ſeipſum, ſemper etiam ac neceſſario cognoſcit Deum, unde ſicut non poteſt ceſſare a cognitione ſui, ita nec à cognitione Dei. Hæc de intellectu Angelico, plura videri poſſunt apud Phil. & Theologos.

DIFFICULTAS XIX.

An in intellectu ſit aliqua memoria ab eo diſtincta.

SUppono, dari memoriam aliquam ſenſitivam in animalibus, hoc eſt, potentiam quæ rerum cognitarum imagines conſervet; An autem præter hanc requiratur alia in homine pro conſervandis ſpeciebus intelligibilibus non ita convenit, qnia negavit hoc jam dudum Avic. 6. natur. p. 5. c. 6. Contrà communem omnium ferè Philoſophorum conſenſũ,

DICO 1. Eſt in intellectu quædam memoria diſtincta à ſenſitiva. Prob. recordamur ſæpè ratiocinationum & diſcurſuum qnos aliquando fecimus; ſed ſenſus non poteſt verſari circà operationes intellectus, ergo hujnſmodi recordationes non poſſunt fieri à phantaſia, ergo ab intellectu. Deinde ſpecies intelligibiles ex propria natura ſunt incorruptibiles utpote ſpirituales & contrario carentes; ergo ſemel productæ remanent, ergo datur potentia eam conſervans, & cum iternm intelligere volumus, eaſdem exhibens; hæc autem qnid aliud eſſe poteſt quam memoria intellectiva.

DICES, ſi omnium rerum ſemel intellectarum ſpecies retinemus, nec tamen omnium ſimul recordari poteſt intellectus, non apparet ratio cnr hnjus potius quam illins recordemur. Reſp. certum eſſe ita fieri, rationem autem dare qnæ ſatisfaciat, arduum & difficile. Dicam quid meliores ſentiant; vel enim inquinnt ex certa & deſtinata voluntate volumus recordari alicujus rei vel nobis nolentibus etiam occurrit hujus potius quam illius ſpecies. In priori modo cauſa eſt libera applicatio phantaſiæ à voluntate ad operandũ circa tale objectum, in poſteriori aliquando eſt Angelus bnnus vel malus qui commovet imagines phantaſiæ, aliquando temperamentnm & diſpoſitio corporis ſeu organi ſenſuum internorum, vel humoris prædominantis, unde fit ut ſpecies phantaſiæ hoc vel illo modo concitentur; tandem ea eſt ſubordinatio potentiarum ejuſdem animæ, ut ad unius motum etiam alia operetur; hinc ſecundum amorem, odinm, deſiderinm hominis etiam ſpecies memoriæ ſeſe offerunt & ad recordationem rei amatæ vel deſideratæ movent.

Quare unius potius quam alterius rei recordemur.

DICO 2. memoria intellectiva non eſt potentia diſtincta ab intellectn. Prob, primo, memoria ſenſitiva non diſtinguitur à phantaſmare, ergo neqne memoria intellectiva ab intellectn. 2. non datur peculiaris potentia ad cognoſcendum aliquid fnturum nt futurũ, ergo non eſt ratio cur conſtituatur peculiaris potẽtia ad cognoſcendum preteritum nt preteritũ. Denique intellectus patiens recipit ſpecies ab intellectn agente productas; ſed eę ſunt incorruptibiles & contrario carent, ergo non pereunt, neq; poſſunt tranſire in potentiam cũ ſint accidentia, ergo conſervantur in intellectu, qui eatenus dicitur memoria; Itaque pro varietate munerum eſt & dicitur intellectus poſſibilis & memoria intellectiva,

Memoria intellectiva non eſt diſtincta ab intellectu.

Digitized by Google

DIFFICVLTAS XX.

An in homine voluntas ſit realiter diſtincta ab intellectu.

SUppono, voluntatem eſſe realiter diverſam ab appetitu ſenſitivo, quia habent objectũ ſpecie diverſum videl. ſenſitivum tantum & materiale, tum bonũ ſpirituale & univerſale. Deinde quia prior ſequitur naturam rationalẽ & emanat proximè ab anima; hic verò animam ſenſitivam, unde etiam in corpore ſicut illa in anima ſedem habet. Adhæc habent actus toto genere diverſos, ut ſpirituales & materiales, quia manant ex diverſis principiis & in diverſis ſubjectis recipiuntur, plura vide apud Con. 3. de anima c 13. q. 1. a. 3. Jam

Differentia intellectus & voluntatis.

DICO 1. Intellectus & voluntas differunt formaliter prob. 1. ex diverſis utriuſque objectis, quia illius objectum eſt verum, hujus bonum, ergo toto genere differunt. 2. Prob. ex diverſis operandi modis, quod eſt efficaciſſimũ argumentum tam pro reali quam pro formali diſtinctione; Nam intellectus trahit ad ſe objectum per receptionem ipſius ſecundum eſſe intentionale, voluntas verò egreditur potius extrà ſeipſam in res amatas, ut proinde verum ſit illud, animam ibi magis eſſe ubi amat quam ubi animat. 3. prob. ex mutua depẽdentia, quia intellectus dependet à voluntate tanquam ab imperante, voluntas autem ab intellectu tanquam à ducente & viam quaſi monſtrante.

Intellectus & voluntas differunt formaliter & realiter.

DICO 2. Intellectus & voluntas non tantũ differunt formaliter ſed etiam realiter. prob. 1. quia ſibi mutuò repugnant, dum videl. intellectus rem aliquam veram judicat aut aliquid agendum eſſe putat, voluntas autem repugnat, & hoc ideò ne libertas illi detrahatur. 2. quia ſi intellectus & voluntas inter ſe idem eſſent, ſequeretur, quod intellectus vellet & voluntas intelligeret, quod tamen falſum eſt & abſurdũ.

DICES 1. Intellectus & voluntas verſantur circà eandem rem; Nam bonum circà quod verſatur voluntas non eſt diſtinctum quid ab entitate circà quam verſatur intellectus. Reſp. idem eſſe objectum materialiter ſumptum non formaliter.

Objectum intell. & volunt. quomodo idem.

DICES 2. Actus harum potentiarum non poſſunt ſeparari, quia voluntas non fertur in incognitum. Reſp. 1. ex eo quod nunquam duo ſeparentur, non benè inferri, quod non diſtinguantur realiter, ut videre eſt apud logicos: Deinde negari poteſt hic abſolutè antecedens, quia non repugnat quo minus voluntas tẽdat in objectum Deo ſupplente concurſum naturalium cauſarum deficientium, etiamſi illud non repræſentetur ab intellectu. Vide Conn. cit. q. 4. a. 2.

DICES 3. actus ſibi ſubordinati non videntur ideò differre aut formaliter aut realiter, quia ab eodem principio oriuntur; ſed ita eſt in actibus intellectus & voluntatis, ergo. major patet exemplo ſolis v.g. in quo calefactio, rareſactio &c. ſunt actus ſubordinati, & ab eodẽ principio, ſole ſcil. oriuntur. Reſp. neg. paritatem adeoque majorem; Nam quando actus ita ſibi ſubordinantur, ut non ſolum unus ſine altero fieri non poſſit, ſed etiam neceſſariò & naturaliter ex alio ſequatur, tunc verum eſt, ejuſmodi actus ab eadem facultate poſſe oriri, ut fit in ſole, calore nativo & aliis, quando vero ita actiones ſubordinantur, ut hæc neceſſitas abſit quod videmus fieri in intellectu & voluntate, tunc falſum eſt; Nam etiamſi intellectus objectum benè cognoſcat, nihilominus tamen penes voluntatem eſt ſuos actus proprios aut elicere aut cohibere.

DIFFICVLTAS XXI.

Qualis cognitio neceſſaria ſit ad movendam voluntatem.

ANtequam appetitus intellectivus rem aliquam velit & appetat, 4. actus ſolent præcedere ut notãt Animaſtici. Primus eſt notitia, qua ſimpliciter apprehendimus rem aliquam v.g. cibum aut potum. Secundus eſt judicium quo rem ſimpliciter apprehenſam judicamus eſſe bonam vel malam, v.g. an cibus & potus ſit bonus vel malus. Tertius eſt judicium practicum ſive dictamen, quo intellectus noſter judicat rem illam quam bonam aut malam putat, amplectendam eſſe aut reiiciendam. Quartus denique eſt diſcurſus ſeu ſyllogiſmus practicus, quo ratio hujuſmodi dictamen concludit. Jam quæritur, an ad rem appetendam ſemper neceſſariò præcedere debeãt hi actus omnes, an vero ſufficiat notitia apprehenſiva.

DICO 1. ad actũ volũtatis abſolutâ neceſſitate prærequiritur aliqua prævia notitia rei. Ratio eſt, quia volũtas nihil poteſt velle niſi prius moveatur ab intellectu, qui rem cognoſcit; Nam voluntas in actu eſſentialiter pendet à cauſalitate finali quæ ratio prærequirit neceſſario eſſe cognitum ut cauſet.

DICO 2. aliquando præcedunt omnes illi actus antequam voluntas velit, aliquando non, adeoque non ſemper neceſſarii ſunt omnes. prob. 1. viri prudẽtes res quæ ſunt magni momenti, maturo conſilio deliberant, antequam de iis finaliter concludant, ergo ſignũ eſt in hujuſmodi volitionibus præcedere omnes actus. prob. ſecundum ab experientia, quia experimur nos multa velle aut nolle abſque judicio practico ſive dictamine; Et deinde manifeſtum eſt in motibus ſubitis vel primo primis non obſervari hos omnes actus.

DICO 3. non ſufficit ſola apprehenſiva cognitio, ſed præcedere debet judicium vel actuale vel virtuale de convenientia vel diſconveniẽtia rei non aliter quam ſicut ad voluntatem requiritur notitia intellectus, & ad actum appetitus ſenſitivi notitia ſenſus interni. prob. quia nemo appetit bonum niſi appareat ei cõveniens;

veniens; ſed ut ita appareat, non ſufficit rem apprehendi, cum omnia poſſint indifferenter apprehendi, ſed requiritur præterea judicium de convenientia ratione cujus fit, ut eadem res modo appetatur modo reſpuatur. Et confirm. quia ſola apprehenſio non determinat ſufficienter appetitum, ut patet in eo qui format has propoſitiones, bonum eſt ambulare, non eſt bonum ambulare, & tamen manet dubius; Niſi enim tollatur dubium per judicium, nihil appetit; Adhæc quia videmus bruta moveri ad objecta, quorum habent ſimplicem notitiam, nunc non moveri; ſi autem ſola objecti apprehenſio ſufficeret ad appetitum movendū, non eſſet ratio cur jam moverentur jam non moverentur, quia appetitus in brutis non eſt liber. Et hinc Colligitur, ſi quod judicium eſt in brutis de convenientia, id non eſſe per ratiocinationem vel per compoſitionem vel per diviſionem, ſed per ſimplicem & naturalem æſtimationem de convenientia aut repugnantia talis rei; Similiter Colligitur, motus primo primos non deberi brutis ſed hominibus, & exerceri quidem præeunte aliquo judicio, ſine ulla deliberatione tam actuali ſeu formali quam virtuali, ideoque propter defectum rationis eximi à peccatis.

DIFFICVLTAS XXII.

An intellectus vel voluntas ſit nobilior.

SUppono, objectum adæquatum materiale voluntatis eſſe omne id quod poteſt apprehendi ut bonum vel malum, quia omnis actus voluntatis verſatur aut circa bonū amplectendum aut circa malum fugiēdum, formale verò bonitatem, quia hæc ſola poteſt movere voluntatem ſive à parte rei talis ſit ſive apprehendatur ut talis. Cæterum quòd voluntas videatur eſſe nobilior, faciunt habitus ejus ut Caritas, actus ut movere, & objectum ut bonum abſolutè ſumptum & perfectum, quæ nobiliora ſunt quam intellectus cujus eſt moveri & habere pro objecto bonum quoddam particulare, nempe verum.

Intellectus eſt [illegible]bilior quoad [illegible] luntat. DICO, etiamſi veriſimilis ſit opinio affirmantium, quod voluntas præſtet intellectui, ve[rò] tamē videtur intellectum eſſe nobilio[rem vel] quoad actus & habitus quam quoad [...]num. Nam imprimis non ſolum habitus na[tur]ales intellectus, videl. ſapientia & prudētia ſunt nobiliores quam juſtitia cęterique habitus voluntatis, ſed etiam ſupernaturales, v.g. lumen glorię quod infunditur intellectui, quā caritas quæ eſt voluntatis. Deinde licet voluntas intellectum moveat quoad exercitiū actus, pluribus tamen nominibus intellectus movet voluntatem, ſcilicet ordinando, regendo, imperando, ita ut ſine illo voluntas ſit cæca, nec poſſit in ullam rem ferri niſi prius cognitam, imò intellectus quoad primum actum nullam plane præexigit voluntatis motionem ut docent Ethici. Denique voluntas actu perfecto nihil appetit, niſi cum ordine ad exiſtentiam, cum bonum ideò optetur ut poſſideatur; Intellectus verò propriè fertur in rem ſecundū quidditatem, imò in ipſum bonū quod eſt objectum voluntatis; Nam & propriè bonum eſt quoddā verum ut conſtat apud Metaphyſicos.

DIFFICVLTAS XXIII.

An voluntas ſit libera.

LIbertas uſurpatur vel ut opponitur ſervituti vel coactioni vel neceſſitati: Quomodocunque autem ſumatur, de fide eſt dari libertatem 3. modo acceptam. Quæritur hic an ea libertas ſit in voluntate noſtra. Reſp. &

DICO, voluntas noſtra eſt libera ſicut fuit olim in ſtatu innocentiæ. Eſt contrà Simonem Magum primum quaſi tempore Apoſtolorum Hæreticum & modernos rerum damnabilium ſectatores; Et prob. 1. ratione, quia ideo conſtituuntur humanis actionibꝰ præmia & ſupplicia quia poſſunt benè & malè operari; conſiſtit ergo potentia libertatis in hoc quod poſitis omnibus neceſſariis ad agendum, adhuc ex vi interna homo poſſit agere & non agere; Et accedit quod everſa libertate multa ſimul everterentur, quia perirent v.g. virtutes quæ ordinantur ad determinandam voluntatem, ut honeſtos actus eliciat; conciderent omnia conſilia, exhortationes, leges, præmia &c. quæ in tantum admittuntur, in quantum uſui ſunt ad movendam voluntatem, ut ſe ad hoc vel illud determinet ad quod ante erat indifferens & perfectè libera, quæ tamen valde abſurda ſunt. prob. 2. authoritate Conciliorum Arauſiani Can. 13 & Trid. Seſſ. 6. Can. 4. 5. 6. tum SS. Patrum ut D. Aug l. de gratia & libero arbitrio c. 2. & 14. ſuper verbis pſalmi 94. ſi vocem ejus audieritis. D. Bernardi de gratia & libero arbitrio. D. Chryſoſtomi omniumque reliquorum tam Græcorum quam Latinorum. Prob. 3. ex S. Script ut 1. Deut. 3. mādatum quod ego præcipio tibi, non eſt ſupra te. 2. Eccl. 15. Deus ab initio conſtituit hominem in manu conſilii ſui, & paulò poſt, appoſui tibi ignem & aquam, ad quodcunque volueris, porrige manum. 3. Prov. 1. vocavi & renuiſtis &c.

DICES cum M. Luthero, ſi poteſtis, benè vel malè facite, Iſaiæ 41. 23. unde colligit ipſe, non eſſe in noſtra poteſtate benè vel malè operari. Reſp. hanc conſequentiam eſſe valdè craſſam; Nam Iſaias non loquitur de hominibus ſed de Idolis gentium, quibus exprobrat imbecillitatem & quod non poſſint cultoribꝰ ſuis prodeſſe nec contemptoribus nocere: Et mirum certè, quod Lutherus fuerit auſus tam craſſum & riſu dignum argumentum opponere; Nam vis ejus non eſt alia niſi hæc; Idola quæ ex auro ſunt & argento, non poſſunt loqui nec audire, ergo nos homines non habemus liberum arbitrium. Colligitur ex dictis, nihil melius eſſe pro iis qui libertatem voluntatis reiiciunt, quam ut tamdiu vibicibus cædantur, quouſque fateantur, in cædentis arbitrio conſiſtere plus cædere vel deſiſtere.

Corollarium totius Libri.

HIc itaque eſt primus Liber, qui hominem è viliſſimis principiis, materia nimirum ſementiva & formis partialibus intrà Matris viſcera conceptum, pulchrâque primarum quali-

Digitized by Google

qualitatum harmoniâ & decenti Elementorũ commixtione decoratum, tom accedente formarum nobiliſſimâ anjmâ rationali & vitâ intrà eandem matrem ſeſe moventem, ejus ſanguine ſuccreſcentem, ſuo poſt exactam 9. mẽſium decoctionem carcere & domicilio prodeuntem, jamque liberiori aurâ reſpirantem, vagientem, ſeotientem, intelligeotem, & in juſtum deniqoe hominis magnitudinem, formã & perfectionem exaltarum complectitur. Et certè nobiliſſimus hie & pulcherrimus ordo eſt, quem divioa Majeſtas naturæ in produeendo eum homine rum cæteris rebus oaturalibus ſuggeſſit, ut videl. ab eſſe imperfecto ad eſſe perſectum aſcenderent, & in hoc tam vim & poteſtatem agentium naturalium quam ſuæ conditionis fragilitatem & corruptibilitatem agnoſcerent. quid enim ad hominem Orientẽ eſt vilius materiâ ſementivâ, quæ eſt excremẽtum tertiæ concoctionis, & ex qoa ille in ſimilitudinem Dei altiſſimi formatur & gignitur? hæc tamen ptimum eſt principium quod intrinſecè illum conſtituit & imprimis, dum vis formattix formas partiales delineat, corpus organicum; Et hoc ptæter ſubordinatas perſectiones moltas alias habet dotes & diſpoſitiones, qoibus amiciſſimũ fiat domicilium inhoſpitantis animæ, ut & hæ per generationem abſolutiſſimum conſtituat compoſitum & tũ vitaliter in eo operetur. Nam coagmentarũ eſt hoc corpus ex ipſis Elementorum ſubſtantiis, quæ unà cum eorundem virtutibus coaleſcentes & in unam perfectiſſimam mixti ſotmam eoeuntes tantũ opus efficiunt, ut dum generationis punctum inſtar, munificentiſſimus etiã Deus nobiliſſimam ſormatum animam è cælo depromere, & quia ad tantum effectũ agens aliod deficit, in illud ad eliciendas impoſterum omnis generis actiones vitales infundere non deſiſtat. Et cum hac anima datur quoque vira, quę rebus animatis tam cara eſt; dantur porentiæ & facultates, quibus illa in ſingulis organis decenter actiones homini connaturales adminiſtret eumque ſucceſſivis motibus in joſtiſſimum ſtatum & ſummam perfectionem tranſfert. Nam vix corpus ingreſſa eſt, jam calorem eum hnmido primigeneo diſpooere, partes rarefacere, vaſa & organa ampliare, ſanguinem è matris viſceribus evocare, hunc magis decoquere & in ſubſtantiam hujus novi corpuſculi transſotmare adeoque illud io majorem molẽ quæ omnia adhuc ſunt opera vegetabilia, diducere incipit: Et fiunt hæc primis diebus & menſibus, quooſque dum grandior fit puſio & validior in utero, ipſe ſe ſuis virib⁹ per ſpiritus animales moveat, tom famem ſentiat & dolorem, dormiat, vigilet, aliaſque ſentiẽtis animæ operationes quamvis non omnes eliciat Nam iotrà matrem non omnium ſenſuum objecta nec omnium objectorum ſpecies recipit, ſed nec omnibus opus habet, oec ad omnes proportionata organa, quia tenella ſunt, laxa nimioque immerſa humido. Verum obi nonimeſtri carcere ſolvitur, & in bunc mundum perſectus homo enaſcitur, accedit quicquid actionum & operationũ deſideratur, infirmius quidem primis tempotibus, validius autẽ ſucceſſivis, quia organa deſiccantur, magiſque ad eliciendos actus vitales habilitantur; ſic puſio natus reſpirat auramque pro reſrigetio cordis haurit, qoo intrà matrem ubi nullos gignebat ſpiritus vitales, non egebat; ſic ab objecto colorato & luminoſo ſpecies iotra oculum, qui in matre clauſus erat, recipit elicitque viſum, jam quidem propter abuodantiam humidi debiliter, tũ hoc abſterſo & per calorem abſumpto ſortiter, quod idem in guſtu, auditu exteriſque univerſis potẽtiis accidit. Sequitur ſenſus internus, qui externo è quo haurit ſpecies, indiget, eſtque in iofante imperſectior quam in adulto ob bumidam cerebri tempetiem & eomplexionem, tum propter ſpecierum defectum qoæ in tenellis organis ooo tam facilè figuntur: Et ab hoe utroque eſt facultas appetitiva & loco motiva quia ſenſum & cognitionẽ ſequuntur, hæc quidẽ in Juvene validior quia vires conſtantiores, illa autẽ in ætate defecata limitatior, quia à perfecta cognitione judicioque conſtanti frenum accipit, oiſi tamẽ ubi pura naturalia dominium habent, quia ſervẽtius puer eibum appetit & digerit quam vir ſenex. Agmen claudit & librum cum intellectu tum voluntas, quæ poteotiæ quidẽ ſunt iooorganicæ, in hac tamẽ vita à eorpore ejuſque diſpoſitiooibus materialibus dependentes; cum enim homo objectum externũ percipit, ejuſq; ſpecies ſenſu exteroo haurit, ad interoum hæ mox deſerontur, ex quibus hic ſibi novas format & imprimit, quarum minſterio percipiat actus ſenſus externi eoſq; variè io ſe juxtà muneris ſui diverſitatem inflectat & modificet; Et ab hac ſenſus interni oeeupatione ſeu mira phantaſiæ operatione intellectus, qui cum anima intimè præſens eſt, ſormat gignitq; ſibi noviſſimas & nobiliſſimas ſpecies quæ immateriales ſuot & intellectuales cauſæq; tantorũ actuum, ut meritò hominem à brutorum cæterorumque viventiom materialium cõſortio eximant, quia modus eorum operãdi ſequitur modum eſſendi, modum videl. immaterialem ſpititualem, à btutorum natura longiſſimè diſtantem: Jungitur autem huic tam præſtanti potentiæ altera nõ inferior voluntas, quæ ideò hominem exornat & complet ut cum ipſa bonum honeſtumque eognovit, hæc illud amplectatur, & eum Deum infinitè potentem miſericordemque, ſed & rerum omoium Creatorem & conſervatorem illa intelligit, hæc ejus bonitati totum ſeſe devoveat & committat, oec aliud in his terris quam ejus amori & voluntati conjuncta eſſe cupiat, ut & oos, quem hie per ſpecies alienas rerum corporearum, in illa feliciſſima æternitatis patria, per evidentiores magiſque proprias & quantum animæ noſtræ tam adbue ſeparatæ quam eum corpore conjunctæ & glorificatæ datum fuerit una eum beatis mentibus totiſque civium cæleſtium choris contemplemur.

F I N I S.

INDEX LIBRI PRIMI DE HOMINE ORIENTE.

DISPVTATIO I.

De principiis hominis Orientis in genere.

DIFFICVLTAS.

1. *AN & quomodo conſtet, dari principia quæ hominem orientem conſtituant.* pag. 9
2. *An & qualis in homine oriente detur transmutatio.* 10
3. *An ad hominem conſtituendum unum duo vel infinita requirantur principia.* 11
4. *An firmiter probetur ad conſtituendum hominem ſufficere tria principia.* 12
5. *Quid ſit privatio.* 13
6. *An privatio ſit ens reale an rationis.* 13
7. *An his tribus principiis omnia corpora phyſica conſtituantur.* 14
8. *Quid de tribus chymicorum principiis ſale, ſulphure & Mercurio dicendum ſit.* 15
9. *Quot ſint principia externa, quæ hominem conſtituant.* 17
10. *Quodnam ſit diſcrimen inter cauſam & principium.* 18
11. *Quid ſint principia, quibus homo oriens intrinſecè componatur.* 19
12. *Quid reſpondendū ſit argumētis contrariis.* 20
13. *An ſub hac definitione etiam comprehendantur principia accidentalis transmutationis.* 20
14. *An inter hæc principia ſit aliqua contrariet.* 21
15. *Qualis ſit horum principiorum contrarietas.* 21
16. *An hæc contrarietas reperiatur etiam in creatione & converſione miraculoſa.* 23
17. *Quomodo hæc principia olim inceperint.* 24
18. *Quid Deus præciſè in prima mundi productione creaverit.* 25
19. *Quomodo præter cælū & terram reliqua compoſita naturalia, ut elementa, ſydera, orbes cæleſtes, vegetabilia & animalia producta fuerint.* 26
20. *Quomodo primus homo productus fuerit.* 27
21. *Quomodo principia in homine aliisque rebus naturalibus perpetuentur.* 28

DISPVTATIO II.

De materia, quæ eſt primum hominis orientis principium intrinſecum.

DIFFICVLTAS

1. *AN detur materia prima, quæ ſit ſubiectum hominis orientis intrinſecum.* pag. 30
2. *Quotuplices dentur in rebus ſublunaribus materia.* 31
3. *An ergò materia totius univerſi ſit ejuſdem rationis.* 33
4. *An Deus poſsit adhuc aliā diſtinctam creare.* 33
5. *Quibus dotibus & ornamentis materia prima fuerit producta.* 34
6. *Quomodo definiatur materia prima.* 35
7. *An & quomodo materia prima ſit ſenſibilis & extenſa.* 35
8. *An materia prima poſsit cum forma exiſtere abſque ulla quantitate.* 36
9. *Quomodo cognoſcatur materia prima an ſe ſola vel cum forma.* 37
10. *Quomodo exiſtat in rerum natura materia prima.* 37
11. *An materia prima poſsit divinitus abſq; omni forma ſubſtantiali exiſtere.* 38
12. *An materia prima habeat formam ſubſtantialem quæ corporeitatis dicatur.* 39
13. *Quid ſit materiam primam eſſe puram potentiam.* 40
14. *An hæc potentia ſit materia eſſentialis.* 41
15. *An materia ſit pars eſſentialis hom. orientis.* 41
16 *An materia individualis in Petro v. g. ſit ei eſſentialis.* 42
17. *An materia ſemper cupiat eſſe cum forma.* 43
18. *Quomodo materia ſit cauſa generationis & corruptionis.* 43
19. *Quæ ſit materia proxima ex qua formatur Embryo.* 44
20 *An omnium viventium materia proxima ſit ſemen.* 46
21. *An omnia viventia gignāt ſemen & quando.* 47
22. *An æquè fœmina ac mares emittant ſemen.* 47
23. *Quid reſpondendum ſit argum. contrariis.* 48
24. *Quid ſit ſemen in animali, an excrementū.* 50
25. *An ſemen à toto ſit deciduum, vel in aliqua parte peculiari fiat.* 52
26. *Quod ſit principium generativum ſeminis.* 54
27. *An & qualis vis reſideat in ſemine.* 54
28. *An vis formativa & generativa ſeminis ſint vitales.* 55
29. *A quo tanta vis data ſit ſemini.* 56
30 *An hæc vis inſit utriuſq; ſexus ſemini.* 57
31. *Cuius natura & temperamenti ſit ſemen.* 58
32. *An ſemen à ſanguine & lacte differat.* 59
33. *An & quomodo tam maris quam fœminæ ſemen ſit neceſſarium ad generationem prolis.* 60
34. *Ex quali ſemine fiat conceptus.* 60
35. *Quid ſit conceptus & quid ad eū requiratur.* 61
36. *Quotuplex ſit conceptus.* 62
37. *Quare aliquando tam mas quam fœmina ſit impotens naturaliter.* 63
38. *Quomodo fiat impotentia operâ Dæmonis.* 64
39. *An etiam primi parentes in ſtatu innocentiæ ad producendam ſuam ſpeciem & nunc genuiſſent.* 65
40. *An mas vel fœmina ſit calidioris temperamenti.* 66

ſicut fit quando ſpecies intelligibiles è phantaſmatis eliciuntur.

DICES 3. non datur voluntas Agens, ergo. Reſpond. neg. conſeq. ratio diſparitatis eſt in promptu, quia voluntas non eget ſpeciebus appetitq; tantum illud quod ab intellectu ut bonum & honeſtum proponitur.

DICES 4. intellectus Agens non manet in anima ſeparata, quia non poteſt operari, cum non habeat ibi phantaſmata. Reſp. nihilominus manere, per accidens autem non operari; intereà ſuppletur defectus à Deo qui ſpecies neceſſarias infundit animæ.

DIFFICULTAS IV.

Quidnam ergò agat in homine intellectus Agens.

DE huius munete & officio multa ſcribunt philoſophi: ſed hic breviter

DICO primò, falſum eſt; quod intellectus Agens illuſtret phantaſmata, ſeu quod producat in phantaſmatis aliquam qualitatem, per quam poſtea producantut in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles. prob. quia cum talis qualitas reciperetur in phantaſmatis, eſſet materialis & extenſa; atqui propterea ipſum phantaſma non producit ſpeciem intelligibilem, quia eſt materiale & extenſum, ergo nec illa qualitas poterit producere ſpeciem intelligibilem.

DICO 2. nec etiam intellectus Agens elicit ſpecies intelligibiles è phantaſmatis, quæ poſtea recipiátur in intellectu poſſibili. prob. quia hoc modo unum accidens migraret de ſubiecto in ſubiectum; Nam ſpecies illæ quæ fuiſſent in phantaſmate, educerentur ex eo & producerentur in intellectu poſſibili, quod conſtat naturalitet fieri non poſſe.

DICO 3. actus proprius intellectus agentis

Quidnam agat intellectus Agēs eſt præſentibus phantaſmatis producere ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili, ita ut non poſſit producere ſpeciem intelligibilem cuiuscunque obiecti niſi eius cuius præſens ſit phantaſma; ſicut enim requiritur applicatio ignis ad materiam ut eam poſſit calefacere, ita & intellectus agens ut producat ſpecies, deſiderat phantaſma præſens: Hoc tamen nec producit ſpeciem neque recipit, ſed eſt conditio ſine qua intellectus non produceret ſpe-

Phantaſma quid ciem. Cæterùm per phantaſma intelligunt nonnulli illam ſpeciem quæ inſeruit phantaſiæ; alii cognitionem & actum ipſius phantaſiæ quod eſt probabilius; Nam ſpecies impreſſæ quæ inſerviunt phantaſiæ, remanent etiam poſt actum, & tamen non fit intellectio; Atqui præſentibus phantaſmatis ſemper fit intellectio, ergo ſpecies phantaſiæ non ſunt phantaſmata quæ requiruntur ad intellectionem, ſed ſpecies expreſſæ phantaſiæ, ſive cognitio & actus ipſius phantaſiæ.

DICO 4. intellectus Agens dicitur facere intelligibile actu, quia producit ſpecies obiecti in intellectu poſſibili. prob. obiectum non poteſt intelligi abſque ſpecie, ergo quando non eſt eius ſpecies in intellectu, eſt tantum intelligibile potentia, ergo quando producitur ſpecies, fit intelligibile actu; ſed intellectus agens producit ſpecies, ergo facit intelligibile actu. Et confirm. ex Ariſtot. 3. de anima. t. 18. ubi ait lumen facere colores actu ſicut intellectus facit intelligibile actu; ſed colores non fiunt actu à luce quaſi producantur de novo, ſed quia producuntur eorum ſpecies, ergo idem de intellectu ſentiendum eſt.

DICO 5. phantaſmata non aſſumuntur ab intellectu ad producendam ſpeciem tanquam inſtrumenta. prob. quia nullum naturale poteſt eſſe inſtrumentum ad efficiendum aliquod immateriale naturaliter; ſed phantaſma eſt materiale & intellectus Agens eſt ſpiritualis & immaterialis, & ſpecies etiam eſt immaterialis, ergo phantaſma non poteſt eſſe inſtrumentum ad efficiendam ſpeciem; ſed nunquam ita poteſt temperari aut modificari ut producat aliquid ſpirituale, ſicut fit in calore qui ita temperatur à potentia nutritiva, ut cum aliis qualitatibus ſit in ea complexione à qua poſſit produci caro, nervus, os &c.

Colligitur intellectum agentem primo illuſtrare obiectum phantaſmate repræſentato per ſpeciem intelligibilem in actu. 2. efficere obiectum intelligibile in actu, 3. abſtrahere ſpecies à phantaſmate ſeu potius à conditionibus materialibus.

DIFFICVLTAS V.

An & quomodo intellectus Agens differat à poſſibili, & uter nobilior.

DIfferre realiter multi ſunt qui id affirmát, ut Cajet. Ferrar. Scotus, Toletus, Rubius, Conn. l. 2. de anima. cap. 6. q. 1. a. 1. Sed quia communior eſt & probabilior negantium opinio, quam etiam Soarius nulli fortè ſecundus tomo 1. in 3. p. diſput. 30. ſ. a. defendit; Idcircò

DICO 1. intellectus Agens differt à poſſibili nemine etiam cogitante. prob. intellectus Agens nihil cognoſcit ſed ſolum producit ſpecies intelligibiles, poſſibilis verò cognoſcit obiectum; ſed potentia cognoſcens differt à non cognoſcente ante omnem operationem intellectus, ergo intellectus Agens diſtinguitur à poſſibili nemine etiam cogitante. Sed qualis eſt hæc diſtinctio?

DICO 2. intellectus Agens diſtinguitur à poſſibili ſola ratione. prob. 1. quæcunque diſtinctis conceptibus inadæquatis concipiuntur ſuntque ejusdem ordinis & ſibi mutuò eſſentialiter ſubordinata, ea tantùm hoc modo, videl. ratione diſtinguuntur; ſed ita ſeſe res

habet

Digitized by Google

habet cum intellectu agente & patiente, ergo. Nam intellectio ſubordinatur actui agentis ſeu fabricationi ſpecierum. 2. fruſtra & ſine ulla neceſſitate multiplicantur entia, ergo. Nã eadem potentia reſpectu diverſorum munerũ dicitur Agens & patiens; illud quidem quatenus Agendo imprimit ſpecies intelligibiles patienti easque prius abſtrahit à phantaſmatit; hoc verò quatenus eaſdem in ſeſe recipere poteſt & per eas intelligere obiectum.

Intellectus dicitur agens & patiens reſpectu diverſorum munerum.

DICES 1. potentia activa & paſſiva diſtinguuntur, ergo etiam intellectus Agens & patiens. Reſp. antec. non ſemper & abſolutè eſſe verum, quia ut cætera taceam, in actionibus perfectivis, quales ſunt actiones intellectus, non eſt opus hac diſtinctione.

DICES 2. intellectus poſſibilis durat poſt hanc vitam, non verò Agens, cum non amplius abſtrahat ſpecies à phantaſmatis, ergo differunt realiter. Reſp. neg. ſeq. quia manet uterque quoad entitatem non quoad officium, cum nõ ſuppetant amplius phantaſmata, à quibus intellectus abſtrahat ſpecies: Itaque per accidens eſt quod intellectus agens non vigeat in anima ſeparata.

DICO 4. intellectus patiens videtur eſſe nobilior agente. prob. 1. intellectus Agens eſt quaſi miniſter patientis, totusque occupatur in ſpeciebus fabricandis, quibus ille utatur, ergo hic nobilior eſt. 2. ea potentia nobilior cenſetur, cuius operatio eſt præſtantior; ſed intellectio eſt nobiliſſima hominis operatio ut patet apud omnes, & propter quam homo elevatus eſt ſuprà omnes creaturas materiales.

Intellectus Agens fabricat ſpecies. & ideo minor patiens.

DICES, id quod agens eſt, nobilius eſt eo quod eſt patiens, ergo & intellectus agens eſt nobilior patiẽte. Reſp. ad antec. cũ diſtinctione; Nam ſi intellectus Agens quatenus ſpecies intelligibiles in patiente producit, & patiens quatenus eas in ſe recipiendo patitur, abſolutè ſpectentur, tunc Agens intellectus nobilior eſt; ſi autem hic agens conſideretur, quatenus operationes ſibi proprias & convenientes edit, tunc patiens vel poſſibilis præſtantior eſt & nobilior.

DIFFICVLTAS VI.

An etiam dentur ſpecies intelligibiles.

DE his ideò hic quæritur, quia negarunt eas non tantum Ethnici olim philoſophi, ſed etiam nonnulli ex Chriſtianis ut Durandus, Herv. Andeg, & alii, quorum rationes vide infrà. Itaq;

DICO dantur in intellectu ſpecies intelligibiles quæ ſunt principium intelligendi, ſicut dantur in ſenſibus ſenſibiles quæ ſunt principium ſentiendi, prob. 1. ſicut ſe habet ſenſus ad ſuas operationes, ita quoque ſe habet intellectus ad ſuas: ſed ille nullam poteſt elicere ſenſationem absq; ſpeciebus ſenſibilibus, ergo nec intellectus absque intelligibilibus. 2. expetimus nos cognoſcere noſtras operationes intellectus & phantaſmata; ſed hæc non poſſunt ſeipſa repræſentare intellectui, multò minus poſſunt repræſentare operationem intellectus, ergo requiruntur propriæ ſpecies. Quod autem non ſufficiant phantaſmata, inde conſtat, quia imprimis hæc ſunt materialia & nõ repræſentant niſi ſingularia; deinde quia non ſunt intellectui intimè conjuncta, cum tantum hæreant in corpore. 3. intellectus ſicut & alia quævis potentia cognoſcens non eſt ex ſe ſufficiens ut eliciat cognitionem, ergo debet ſicut aliæ potentiæ cognoſcentes adjuvari à ſpeciebus; Antec. patet experientia, quia pueri non minus habent intellectum quam viri, & tamen plurima non cognoſcunt ideò quia non habent ſpecies; neque ſufficiunt phantaſmata quæ ſunt materialia, quia intellectus eſt ſpiritualis, ergo ad eliciendam intellectionem non poſſunt concurrere phantaſmata, ſed debent eſſe ſpecies actu ſpirituales & immateriales. 4. prob. ex Ariſt. qui multis in locis, tum c. 4. & 5. l. 3. de anima ſpecierum intelligibilium meminit, dum ait intellectum intelligere omnia, intelligendo fieri omnia, videl. per ſpecies.

Species intellig. dantur.

DICES 1. tota ratio intelligendi poteſt commodè explicari ſine ſpeciebus, ergo hæ fruſtraneæ ſunt. Nam ſenſus externus movet internum ſive communem, hic phantaſiam, & poſita cognitione phantaſiæ reſultat intellectio. Reſp. neg. antec. quia intellectus eſt per ſe potentia incompleta, quæ per ſe non poteſt elicere ullam cognitionem niſi adjuvetur; nõ poteſt autem adjuvari à phantaſia quę eſt materialis, ergo à ſpeciebus immaterialibus.

Intellectus debet juvari à ſpeciebus immaterialibus.

DICES 2. ſi darentur ſpecies intelligibiles, remanerent poſt cognitionem; ſed non remanent, quia aliàs ſemper determinarent intellectum ad operandum contrà experientiã, Reſp. ſpecies poſt cognitionem manere; res enim ſpiritualis longè eſt aptior ad conſervationem quam materialis, cum ſit incorruptibilis & impatibilis; At ſpecies phantaſiæ conſervantur in ſubjecto materiali, ergo multò magis ſpecies intelligibiles poſſunt conſervari in intellectu immateriali: Quod autem non ſemper determinent intellectum ad operandum, ratio eſt, quod ea ſit conditio noſtri intellectus in hac vita ut operari non poſſit abſque operatione phantaſiæ, Cæterùm dum dicitur animam non recordari poſt mortem amplius eorum quæ geſta fuerunt in corpore, intelligendum eſt de memoria ſenſitiva, non de intellectiva.

DICES 3. multa cognoſcimus quorum ſpecies non habemus, ergo. Antec. patet, quia formamus conceptus Dei, Angelorum aliarumque rerum immaterialium, quorum tamen ſpecies intelligibiles ideò non habemus, quia eorum phantaſmata non habemus. Reſpond. ad anteced. & eius probationem, nos

cogno-

cognoſcere Deum & Angelos non per ſpecies proprias ſed per alienas, ideoq; cũ per res ſenſibiles Dei & ſubſtantiarum immaterialium cognitionem aſſequimur, huiusmodi ſpecies fabricamus. Et hinc negatur antec. vel diſtinguitur ſpeciebus propriis & alienis.

DICES 4. Angelus unus in cognitione alterius non indiget ſpeciebus, ergo nec intellectus humanus indigebit. Reſp. quomodo Angeli ſe cognoſcunt aut mutuò colloquantur, patebit infrà.

DICES 5. ſi ſpecies eſſent in noſtro intellectu, cognoſceremus eas ſicut & actus tam voluntatis quam intellectus; ſed falſum eſt hoc, ergo & illud. Reſp. nos intelligere hujusmodi ſpecies reflexè non directè; Nam quando aliquid intelligimus, reflectimus nos ſuprà noſtrum actum & advertimus nos habere aliquod principium huius intellectionis, videl. ſpecies intelligibiles è phantaſmatis elicitas.

DIFFICVLTAS VII.

An ſpecies intelligibiles à ſolo intellectu Agente producantur.

SVppono, productionem ſpeciei intelligibilis pendere à phantaſmate, quia intellectus Agens non producit niſi ſpecies rerum quas phantaſia percipit. Deinde intellectus Agens ex ſe eſt indifferens, ergo determinandus eſt, quod fit immediatè per phantaſma. Iam

DICO 1. omnium rerum, quarum propria phantaſmata habemus, ſpecies intelligibiles producuntur ab intellectu agente. Hæc concluſio eſt communis & patet ex dictis; prob. etiam hoc modo, intellectus agens non elicit ſpecies niſi unà cum phantaſmatis, à quibus etiam determinatur ad hanc vel illam intellectionem, ergo earum rerum producuntur ſpecies intelligibiles ab intellectu agente, quæ prius fuerunt in ſenſu & quarum habuimus phantaſmata. Vnde autem & quomodo ſpecies ſubſtantiarum corporearum, qualitatum naturalium, quantitatum materialium, relationum, actionum & potentiarum corporalium, earum rerum quæ ad ſitum, ubi, habitum & quando pertinent, ſpecies item generum ſpecierumque infimarum producantur, vide apud philoſophos & imprimis apud Conn. 3. de anima. c. 5. q. 5. a. t. & 2.

Phantaſma concurrit efficienter ad product. ſpecierum intellig.

DICO 2. valdè probabile eſt, etiam phantaſma concurrere efficienter cum intellectu ad productionem ſpeciei intelligibilis. prob. 1. cauſa efficiens univerſalis & principalis quæque eſt indifferens ad producendum hunc vel illum effectum, indiget aliquo à quo effectivè determinetur ad hunc potius quam ad illum effectum; ſed non eſt aſſignare aliud à quo intellectus agens indifferens determinetur præter phantaſma, ergo. Deinde non eſt abſurdũ tribuere alteri ut inſtrumento nobiliorem effectum & altioris ordinis, quia ſic concurrunt accidentia ad productionem ſubſtantiæ, ergo etiam phantaſma elevatum ab intellectu agente poteſt ad productionem ſpeciei intelligibilis effectivè concurrere. Denique confirmatur, quia cum non ſit alius modus quo poſſit anima in corpore naturaliter accipere ſpecies, quodammodo debetur phantaſiæ hæc elevatio, ratione cuius ſatis proportionata eſt effectui immateriali. Et hinc ſi

Phantaſma quomodo concurrat ad product. ſpecierum immaterialium.

DICAS, inter materiale & immateriale nõ eſſe proportionem. Reſp. non requiri proportionem in eſſendo, quia etiam inter accidens & ſubſtantiam non eſt talis proportio; ſufficit enim quod phantaſia hominis ordinetur ex natura rei ad operationem animæ rationalis, & quia anima rationalis nõ habet alium modum hauriendi ſpecies ex natura rei quam elevando phantaſmata, ſicut quia forma ſubſtantialis non habet aliam rationem producendi ſibi ſimilem niſi mediis accidentibus, poteſt elevare accidens ad productionem formæ ſubſtantialis.

Colligitur, falſum eſſe contrà nonnullos veteres, ſpecies rerum & imagines in prima mundi creatione non ſecus animalibus quam Angelis datas & conceſſas eſſe, aliàs cæcus natus optimè de coloribus judicare poſſet.

DIFFICULTAS VIII.

Quid ſit intellectus poſſibilis, an pura potentia.

INtellectus patiens, paſſibilis vel poſſibilis eſt ipſa animæ potentia & principium eliciens omnes intellectiones eaſq; in ſe recipiens. Dicitur etiam præterea mens & ratio pro diverſis muneribus quibus fungitur: ſic dicitur patiens, quatenus patitur recipiendo ſpecies, poſſibilis quatenus eſt in potentia ad intelligendum, mens quatenus res ſimplici apprehenſione intelligit, ratio quatenus per ratiocinationem ad rerum notitiam aſſurgit; Iam ad quæſt. Reſp. &

DICO 1. intellectus poſſibilis non eſt pura potentia in genere entium, ſed tantum in genere intelligibilium. prob. 1. pars, quod videl. non ſit pura potentia nullum in ſua natura includens actum, quo pacto materia prima dicitur pura potentia; Nam intellectus ex natura ſua eſt forma & actus accidentalis ipſi animæ ſuperadditus, ſpectatque ad ſecundam ſpeciem qualitatis & eſt principium operandi, ergo eſt verus actus & non potentia in genere entium. prob. ſecunda pars, quod videl. intellectus ſit pura potentia in genere intelligibilium, quia ex ſua primæva origine nullam habet ſpeciem ſibi congenitam, contrà Platonem, alioquin eſſet independens à materia & phantaſmate. Itaque intellectus priusquam

intelli-

intelligit, nihil eſt eorum quæ intelligit, & eſt in puta potentia ad omnia intelligibilia.

DICO 2. intellectus poſſibilis ſive patiens eſt eriam potentia verè activa. Ratio eſt quia intellectio quæ eſt actio immanens, attribuitut intellectui non agenti ſed parienti, ergo. prob. antec. ex natura actionis immanentis, cuius natura eſt recipi in eo à quo emanat, ac proinde non poteſt elici ab agente & recipi in patiente. Deinde ſupervacanea eſſet diviſio in ageorem & patientem, quorum priori nunquam Ariſtoteles actum intelligendi attribuir, ſed ipſum à parienre officiis diſcrevit, quod hic eſſet in potentia ad recipiendas formas, & ille eaſdem imprimetet; hic item in contemplationem incumberet, & ille quaſi lumen fulgeret. Eſt ergò intellectus poſſibilis vetè activus, quia elicit intellectionem.

Intellectus poſſib. eſt activus.

Adverte tamen, intellectum agentem quatenus te idem eſt eum patiente, poſſe diei intelligere licet non in ſenſu fotmali quà agens eſt; concutrit etiam mediatè ad intellectionem, quatenus patienti imptimit ſpeciem, conſtituitq; eam ſufficienter in actu ptimo ad operandum.

DICES, ſi intellectus patiens ſimul elicit & recipir actionem, ſimul erit cauſa materialis & efficiens. Reſp. hoc nihil eſſe abſurdi, quia ſimul agens eſt & patiens ſecundum diverſa munia, quod etiam obſervamus in aliis. Ex dictis itaq; colligitur, ſpeciem intelligibilem eſſe qualitatem ſpiritualem in intellectu, vim habentem obiectum intelligibile repræſentandi, quia vetè concurrit ad intellectionem ſicut ſpecies ſenſitiva ad ſenſationem videl. effectivè.

DIFFICVLTAS IX.

An intellectus poſsibilis cognoſcat tam univerſale quam ſingulare.

ALiis vetbis ptoponi ſolet hæc diffieultas, videl. an ſpecies intelligibiles repræſenteur non tantum ſingularia, ſed etiam univerſalia; per ſingulatia autem non intelligitur hic niſi quod eſt corporeum & ſenſibile, quia ſpititualia non niſi pet ſpecies alienas cognoſcuntur.

Suppono, duplices eſſe ſpecies intelligibiles, impteſſas & expreſſas ſeu verba mentis: Impreſſæ ſunt quæ ſe habent ex parte objecti quæq; effectivè concurrunt ad intellectionẽ; has imprimit phantaſma cum intellectu agente; Expreſſæ ſeu vetba mentis ſunt quæ producuntur ab intellectu poſſibili & ſpecie impteſſa ſuntque termini intellectionum, unde dicuntut conceptus formales ſeu verba mentis. His poſitis quæritur, an intellectus poſſibilis cuius eſt proprium intelligete, cognoſcat tam univerſale quam ſingulare.

Conceptus formalis ſeu verbũ mentis quid

DICO 1. intellectus cognoſcit univerſale. Eſt Ariſtotelis 2. de anima c. 5. 6. Ethic. c. 11. & alibi ſæpius, ubi hoc diſcrimen dat intet ſenſum & intellectum, quod ille ſingulatia, hic univerſalia cognoſcat. Eſt hæc etiam doctrina communis & prob. Intellectus poſſibilis produeit ſpecies rerum univerſalium, etgo cognoſcit univetſale; Antec. patet, quia intellectus poſſibilis poteſt formare conceptũ reptæſentarivum naturæ genericæ, ergo poteſt formare ſpecies rerum univerſalium: Et quia hac in re nullum eſt dubium; ideò

Intellectus cognoſcit univerſale

DICO 2. coguoſcitur etiam ab intellectu ſingulare rerum materialium. prob. 1. nullius potentiæ eſt diſcurrete niſi ſolius intellectus; ſed diſcurrimus circà ſingularia, ergo. ptob. minor, quia inductiones & ſyllogiſmi ex ſingularibus ſunt veri diſcurſus, ergo. ptob. 2. potentia quæ conſtituit diſcrimen inter duo, debet utrumque cognoſcere; ſed intellectus hoc facit, v. g. inter ſingulare & univerſale, ergo utrumque cognoſcir; Neq; valet teſponſio, quod phantaſia & intellectus ſint in eâdem anima; Nam etiam viſus & guſtus ſunt in eadem anima, & tamen negatur ab iis poni poſſe diſcrimen inter colorem & ſaporem, quemadmodum id benè negavit Ariſtoteles. Deiode diſtinguere univerſale à ſingulari eſt quoddam judicium, & hoc vel eſt in intellectu vel in phantaſia; ſi primum, ergo intellectus cognoſcit ſingulare, quia judicat de diſctimine inter ſingulate & nniverſale; ſi poſterius, ergo phantaſia cognoſcit univerſale quod eſt abſurdum. 3. intellectus corrigit ſenſum quando malè judicat, ut cum judicat ſolem eſſe minorem rotâ plauſtri; atque hoc eſt judicium de te ſingulari. Cognoſcit itaque intellectus & ſingulare & univerſale, ſenſus autem ſingulare tantum, quo modo explicandus eſt Ariſtoteles citatus, quando videl. ait ſenſum eſſe ſingularium, intellectum autem univerſalium.

Etiam ſingulare.

DIFFICVLTAS X.

Quodnam prius cognoſcat intellectus, an ſingulare, an univerſale & quomodo.

DICO 1. veriſimilius eſt, Intellectum per ſe & ditectè ideoque per ptopriam ſpeciẽ cognoſcete ſingularia materialia. prob. 1. quicquid cognoſcit potentia inferiot per ſe & ditectè, poteſt etiam cognoſcere ſuperiot; ſed ſenſus pet ſe & directè cognoſcit ſingularia, ergo etiam intellectus. minot veta eſt, ptob. major, quia cognoſcere ſingularia eſt perfectio quædam, quæ ſi tribuatur ſenſui materiali, multò magis convenier intellectui qui materia caret. 2. ſi cognoſceretur ſingulare indirectè, prius cognoſceretur univerſale ac deinde eo cognito veniremus in cognitionem ſingularis per cognitionem univerſalis; ſed hoc falſum eſt primo quia ut ait Ariſt. 2. poſter. c. ult. propoſitiones univetſales cognoſcuntur

Digitized by Google

ſcuntur pet ſingulares; 2. eſt coutrà experientiam, quia nemo expetitur ſe priuscognoſcere univerſale ac poſtea ſingulare. 3. intellectus agens producit ſpeciem intelligibilem, quaten⁹ determinatur & modificatur à phantaſmate materiali quod ſimul vel obiectivè vel effectivè concurrit; ſed utrolibet modo determinat ad ſpeciem reptæſentarivam rei ſingularis, quia ipſum phantaſma non habet vim repræſentandi niſi quid ſingulare, & obiectum apptehenditur tantum ut ſingulare, & quidem per ſpeciem propriam, ergo ab intellectu cognoſcitur ſingulare pet ſe directè & per propriam ſpeciem. dixi tamen hoc eſſe veriſimilius, quia ſunt multi, in quibus etiam cenſetur D. Thomas 1. p. q. 86. a. 1. qui putent ſpeciem impteſſam tantum repræſentare rem univerſalem, & hanc directè cognoſci; ſingularia autem indirectè & per quandam quaſi reflexionem.

Phantaſma ſemper repræſentat ſingulare.

DICO 2. per primam cognitionem cuiuſcunque rei nunquam cognoſcitur univerſale, ſed ſemper ſingulare, & ideò primò cognitum ab intellectu noſtro non eſt univerſale, ſed ſingulare; Ita cum multis aliis Conn. 1. Phyſ. c. 1. q 4. a. 2. & Hurr. d. 5. ſ. 6. qui tamen §. 47. dicit aliquando ptius cognoſci ſingularia aliquando univerſalia. Concluſio ſequitur ex dictis, quia ſi ſpecies intelligibilis non poteſt repræſentare niſi rem ſingularem propterea quod à phantaſmate determinatur intellectus agens ad ſpeciem repræſentarivam ſingularis rei tantum, manifeſte ſequitur, id quod per ſe primò cognoſcit potentia intellectiva, non eſſe univerſale. plures rationes vide apud Pererium l. 3. Phyſ. c. 16.

Primò cognitum ab intellectu eſt ſingulare.

DICO 3. univerſalia cognoſcuntur per ſimilitudinem vel convenientiam ſingularium hoc modo. Cognitis ptimò pet proprias ſpecies ſingularibus conſiderat in eis intellectus naturam in qua conveniunt ſine differentiis per abſtractionem præciſivam, quâ poſitâ ſi nihil impedimenti ſit, de qua videantur logici, habetur conceptus univerſalis, quo adhibito ut deinceps cum voluerit, eandem naturam cognoſcat, iterum ſibi ipſi imprimit intellectus ſpeciem intelligibilem repræſentando naturam univerſalem quæ in memoria intellectiva velut theſauro conditur & aſſervatur. Ex dictis colligitur quænam notiora ſint nobis an ſingularia an verò univerſalia, quam quæſtionem plerique philoſophi fusè ad l. 1. phyſ. diſcutiunt; Nam ſimpliciter dicendum eſt ſingularia nobis eſſe notiora univerſalibus, ſiquidem primo directè & per ſe à nobis cognoſcuntur.

Univerſale quomodo cognoſcatur.

DIFFICVLTAS XI.

Quomodo intellectus cognoſcat ſubſtantias, an per accidentia.

PAtuit hactenus, ab intellectu cognoſci ſingularia ſeu individua accidentium materialium per propriam ſpeciem, quæ etiam à ſenſibus cognoſcuntur; quæſtio nunc eſt de ipſa ſubſtantia, & quidem duplex; prior an poſſit dari proprius conceptus ſubſtantiæ. Poſterior an propria ſpecies ſubſtantiæ.

Opinio 1. cenſet dari propriam ſpeciem non tam ſubſtantiæ quam accidentium per ſe non ſenſibilium qualia ſunt relatio, tempus &c. ideoque primò ſubſtantiam deinde accidentia cognoſci. Eſt hæc doctrina Fonſecæ 2. met. c. 1. q. 1. ſ. 3. & 5. met. c. 28. q. 4. ſ. 4. & ſequuntur eam Conn. 3. de anima c. 5. q 5 a. 1.

Opinio 2. docet, primò à nobis neque ſubſtantiam neque accidentia diſtinctè cognoſci, ſed totum conjunctum ſive aggregatum ex ſubſtantia & accidente; deinde per quandam ſeparationem veniri ad cuiuslibet partis cognitionem diſtinctam, unde neceſſariò ſpecies prius reptæſentet totum illud compoſitum pet modum ſubſtantiæ pet ſe exiſtentis; Ita Toletus 3. de anima. c. 6. & alii quos ipſe ſequitur.

DICO 1. negari non poteſt, quin detur proprius conceptus ſubſtantiæ. prob. quia definimus & diſtinguimus ſubſtantiam ab accidente; ſed definitio eſt conceptus adæquatus rei cætera omnia excludens, ergo.

DICO 2. intellectus prius cognoſcit tantum ſingularia accidentium ſenſibilium, & ex illis per diſcurſum ſubſtantias & accidentia non ſenſibilia. prob. prima pars primo, intellectus agens producit ſpecies intelligibiles præſente phantaſmate; ſed phantaſia non cognoſcit niſi accidentia, ergo etiam intellectus agens non poteſt producere ſpeciem niſi accidentis, quia aliàs quocunque phantaſmate præſente eliceret quamlibet ſpeciem. 2. ſi in intellectu eſſet propria ſpecies ſubſtantiæ, quoriescunque variaretur ſubſtantia, variaretur & ſpecies; ſed hoc repugnat experientiæ, quia poſt mortem hominis percipimus eodem modo accidentia in cadavere quo in vivente; imò ita interdum fallimur, ut mortuũ pro vivente intueamur; ſed ſi eſſet propria aliqua ſpecies ſubſtantiæ, non poſſemus dubitare de præſentia animæ. prob. 2. pars eo modo, quo ſuprà dictum eſt univerſalia cognoſci ex cognitione ſingularium adhibito diſcurſu; Nam habitâ notitiâ accidentis alicuius ſingularis per aliam ſpeciem mediante ptiore à ſe factam intellectus cognoſcit accidentia per ſe non exiſtere ſed alteri inhærere, & hoc cui inhæret, debere per ſe exiſtere & conſequenter ſubſtantia eſſe; Et ſimili modo progreditur ad inveſtiganda accidentia inſenſibilia relationem, tempus &c.

Intellectus prius cognoſcit accidentia.

Non datur propria ſpecies ſubſtantiæ.

Subſtantia quomodo cognoſcatur.

DICES 1. intellectum debere fieri omnia ex 3. de anima c. 5. non fit autem omnia niſi per ſpecies, ergo etiam per ſpecies debet fieri ſubſtantia, ergo debet habere propriam ſpeciem ſubſtantiæ. Reſpond. ut intellectus fiat omnia, non eſſe neceſſe eum fieri per propriam cuiusque ſpeciem, quia etiam aliena ſpecies poteſt determinare intellectum ad cognitionem ſubſtantiæ; ſunt enim ſpecies intelli-

Digitized by Google

intelligibiles eius naturæ, ut non tantum repræſentare poſſint proprium ſuum obiectum per phantaſma repræſentatum, ſed etiam determinare ad aliquid aliud intelligendum, quod cum eo obiecto coonexum eſt.

DICES 2. prior eſt couceprus abſolutus quam reſpectivus, ergo prius debet cognoſci ſubſtantia in ordine ad ſe quam in ordine ad aliud; At ſi cognoſceretur per ſpeciem accidentis, ſemper cognoſceretur in ordine ad accidens. Reſp. neg. hanc poſtremam ſequelam, quia etiamſi ſubſtantia cognoſcatur per ſpeciem accidentis, tamen non cognoſcitur pet reſpectum ad accidens ſed ut in ſe eſt, quia intellectus habet proprium eius conceptum.

DIFFICVLTAS XII.

Quomodo intellectus noſter in hac vita cognoſcat ſubſtantias abſtractas, id eſt, Deum & Angelos.

Cognitio quidditativa.

QVæritur hoc loco, an poſſit in hac vita noſter intellectus cognoſcere quidditativè Deum & Angelos. Sed gravis in principio diſſenſio eſt, quid intelligendum ſit nomine eognitionis quidditarivæ; putant enim aliqui, eam eſſe cognitionem quidditativam qua cognoſeatur aliquod ſaltem prædicatum eſſentiale: alii volunt eã eſſe qua cognoſcantur omnia prædicata eſſentialia, ſive in confuſo ſivè diſtinctè, ut variè ſentiunt Authores, quorum potiores hanc mediam & nt ajunt meliorem viam ioveniunt, dum ajunt neque omnia prædicata eſſentialia neq; nullum diſtinctè cognoſeendum eſſe, ſed ſufficere ſi genus & differentia ultima diſtinctè cognoſcantor, etiamſi reliqui gradus in confuſo tantum noti ſint, cum quidditas rei & eſſentia in eius definitione quà genus & differentia comprehenduntut & cognoſcuntur, ſit poſita. His explicatis controverſia eſt, ao Deus & Angeli poſſint tali eognitione qualis hactenus deſeripta eſt, in hac vita à nobis cognoſci, tametſi hoc inter Deum & Angelos ſit diſcrimen, qnod quicqnid in Deo eſt, id eſſentiale ſit & quidditativum, cæteræ autem intelligentiæ multa habeant extrà ſuam eſſentiam poſita. Cum itaque eertum ſit intellectum noſtrum in hae vita cognoſcere Deum & Angelos, vel intelligendum eſt primo ot non habeat proprium conceptum Dei vel Angeli, ſed format idolum rei materialis, v.g. pulchti adoleſcentis comati, ornati, alati &c. idque loco angeli ſubſtituat & ad ejus ſimilitudinem cogitet eſſe angelum; vel 2. ut habeat proprias ſpecies & conceptus rerum ſpiritualium quæ ab intellectu agente producantor, poſtquam poſſibilis par diſcurſum aliquem ex rebus naturalibos deſumptum colligit dari ſpecies altioris ordiois; vel 3. ut per alienas ſpecies rerum corporearum, à quibns per ſe & immediatè repræſentantur res materiales, format nihilominus eonceptum proprium Dei vel Angeli.

Non cognoſcuntur in hac vita Deus & Angeli quidditativè.

DICO 1. non poſſunt à nobis in hac vita ſubſtantiæ abſtractæ quidditativè cognoſci, licet aliquos gtadus eſſentiales earum aliquo modo cognoſcamus, cũ ſciamus eſſe ſpirituales, eſſe ſubſtantias &c. prob. 1. illa ſolùm clarè & evidẽter, id eſt, qnidditativè cognoſcuntur, quæ per propriam ſpeciem cognoſcuntnr; ſed ſubſtantiæ abſtractæ non coguoſcuntur per propriam ſpeciem, cũ nullum earum phantaſma habere poſſimus, quia ſunt ſubſtantiæ immateriales, ergo. 2. ut aliquid cognoſcatur, opus eſt ut ejus genus & differentia ultima cognoſcatur; ſed impoſſibile eſt, ut in hac vita earum genus & differentia ultima cognoſcantur, quia non poſſumus ſcire quomodo una ab altera diſtinguatur, cum non habeamus earum ſpecies proprias, ergo.

Etiã ſubſtant. materiales nõ cognoſcuntur à nobis quidditativè.

DICES, nos etiam non habere ſpecies ſubſtantiarum materialinm, quas proinde etiam non cognoſcimus quidditativè. Reſp. non cognoſci à nobis quidditativè ſubſtantias materiales, ſed tantum earum accidentia, quia ſubſtantiæ concretæ ſunt nobis propinquiores quam abſtractæ, quia habent accidentia quatum phantaſmata in cognitionem noſtram veniunt, quod de abſtractis non eſt.

Ad videndum Deũ opus eſt elevatione intellectus.

DICO 2. non poteſt à nobis Deus in hac vita quidditativè cognoſci naturaliter; de cognitione ſupernaturali, ut ſi quiſquam in hac vita ad claram Dei viſiouem evehatur, viderint Theologi. Probatur ut prius, & adde, quia experimur non poſſe nos Deum in hac vita cognoſcete niſi per quandam analogiam ad res creatas; ſic dicimus v.g. Deum eſſe ſapientem, quia videmus ſapientiam in hominibus; Item bonum per analogiam ad bonitatem rerum creatatum &c.

DIFFICVLTAS XIII.

Quomodo anima rationalis conjuncta ſeipſam intelligat.

S. Aug. l. 3. de Trinit. c. 3. videtur ſentire, animam à ſeipſa ſine ſpecie cognoſci; Ait enim mens ſeipsâ ſicut rerum corporearum notitias per ſenſus corporis colligit, ſic incorporearum per ſeipſam, ergo & ſemetipſam per ſeipſam novit, quia eſt incorporea; unde etiam nonnulli hanc ſententiam amplectuntur, quaſi ſufficiat ad cognitionem, quod anima ſibi intimè ſit præſens, qua ratione etism Angeli cenſentut ſuam ipſius ſubſtantiam intelligete.

Anima ſeipſam non cognoſcit in hac vita

DICO, anima conjuncta nec immediatè ſe per ſeipſam cognoſcit, nec per propriam ſpeciem à qua per ſe Immediatè repræſentetur. Dico conjuncta, quia alia ratio eſt cum ſeparata, qnia ut dieetur in fine libr. 2. Appendicis difficult. 12. habet hæc totius naturæ notitiam in ſua poteſtate, & hanc non haurit ex ſpecſebus à phantaſmatis formatis prob. prima pars, ad hoc nt anima in corpore

Digitized by G

exiſtens quicquam intelligat, opus habet concurſu phantaſiæ; ſed hæc nibil agit ſine ſpecie, ergo nec anima; Antec. patet, quia modum eſſendi ſequitur modus operandi; ſicut ergò exiſtit dependenter à corpore, ita etiam ab eo dependenter exercet ſuas operationes, 2. pars ex antecedentibus manifeſta eſt, quia non dantur ſpecies rerum ſpiritualium propriæ; neque enim phantaſma ullum excogitari poteſt à quo determinetur intellectus agens ad propriam ſpeciem animæ rationalis: Itaque anima in ſtatu conjunctionis cognoſcit ſe eo modo quo cognoſcit intelligentias. Quamvis enim hæ per ſpeciem propriam & evidentem ſive diſcurſu intelligant; natura tamen anima conjuncta per tales non intelligit, quia cum ejusmodi ſpecies nullo modo connectantur cum ſpeciebus aut phantaſmatis ſenſibilibus, anima autem coniuncta propter ſuum eſſendi modum non niſi dependenter à ſuo corpore intelligat, ſpeciebus ſtatui ſeparato uti non poteſt; Et quamvis anima conjuncta & ſeparata ſit eadem ſpiritualis ſive entitativè, eſt tamen alia quoad exiſtendi modum. Ad S. Auguſt. reſpondetur, fortè eum reverà ita ſenſiſſe, vel ita intelligendum eſſe ut velit animam cognoſcere ſe per ſeipſã, hoc eſt, non quidem ſine medio vel ſpecie ſed ſine interventu ſenſuum, qui proximè percipiant ſubſtantiam ſpiritualem & ſpeciem ejus præbeant intellectuj. Quod ſi

DICAS, Angelos cognoſcere ſeipſos per ſuam ſubſtantiam; ſed anima eſt immortalis & ſpiritualis ſicut angeli, ergo, Reſp. angelos non eſſe coniunctos corpori, neque dependere à phantaſia in operando; anima autem eſt coniuncta corpori, nec quicquam cognoſcit niſi per phantaſma rerum materialium, quare ſeipſam etiam reflexè & per alienas ſpecies cognoſcit: primò enim experitur ſe operari & reflectit ſe ſuprà ſuam operationem; 2. Per ſuam operationem venit in cognitionem habituum & potentiarum ſuarum, ac denique in cognitionem ſuiipſius.

Quomodo anima intelligat.

DIFFICULTAS XIV.

Quomodo intellectus cognoſcat ſeipſum & actus ſuos, habitus item & ſpecies, & voluntatem cum actibus & habitibus ei propriis.

DICO, intellectus cognoſcit hæc omnia nullo excepto per ſpecies alienas rerum materialium & ad ſimilitudinem earum. Eſt imprimis contra nonnullos qui excipiunt ſpecies intelligibiles quas putant intellectum cognoſcere per ſe ipſas; Deinde eſt contrà Conn.3. de anima, c.8 q.5. a. 2. qui excipiunt actus voluntatis, quos docent per ſe ſine alienis ſpeciebus cognoſci eò quod ſint alterius potentiæ & ſufficienter præſentes intellectui &c. ſed prob. concluſio primo, obiectum adæquatum intellectus noſtri in hoc ſtatu eſt ens non in tota latitudine acceptum ſed ſenſibile, ergo ſenſibilia poteſt tantum cognoſcere per ſe & materialia, ſpiritualia verò in quantum per eadem hæc materialia innoteſcere poſſunt; ſed prædicta omnia ſunt ſpiritualia, ergo non niſi per alienas ſpecies rerum materialium percipiuntur; Antec. patet, quia anima in corpore nihil operari poteſt ſine miniſterio ſenſuũ & dependentia à phantaſmate. prob. 2. ab experientia, quæ docet nos difficulter cognoſcere naturam, unitatem & diverſitatem actuum intellectus & voluntatis, ita ut ſit magna opinionum varietas de illis, & nonniſi longo diſcurſu percipere, quod non fieret ſi darentur propriæ ſpecies iſtarum rerum, prob. 3. contrà illos qui excipiunt ſpecies intelligibiles, quia ſi ſeipſis cognoſcerentur, ſequeretur, de earum exiſtentia evidenter conſtare, quod tamen falſum eſt, quia multi eas non ſine ratione negant; ſequela patet, quia quod per ſeipſum intuemur; evidenter cognoſcimus. prob. 4. contrà Conn. qui excipiunt actus voluntatis, quia hi ſunt ſpirituales ſicut intellectus, ergo improportionati reſpectu modi intelligendi quem anima habet in corpore, qui eſt ut nihil intelligat absque dependentia à ſenſibus & phantaſmate. Confirm. ut aliquid cognoſcatur non ſatis eſt quocunq; modo conjungi cum potentia, ſed debet illi adeſſe per modum obiecti; actus verò illi quatenus conſiderantur ſecundum eſſe ſuum, quod accipiunt ab intellectu vel voluntate tanquam effectus, eatenus non ſunt præſentes obiectivè intellectui, ſed in hac vita tantùm materialia ſenſibilia per ſe primo ita obiiciuntur intellectui, ut per ipſum directè cognoſcantur, ergo non ejusmodi actus ſpirituales.

Anima conjuncta nihil intelligit independenter à ſenſibus & Phantaſmate.

Quæres, quomodo igitur cognoſcantur. Reſp. per cognitionem reflexam hoc ferè modo; intellectus cognoſcit hominem v.g. & mox ſuper eum reflectitur tanquam à ſe cognitum, videtq; per diſcurſum non potuiſſe à ſe cognoſci ſine aliqua actione vel cognitione; infert igitur elicuiſſe ſe intellectionem circà illum; & quoniam actio illa propria eſt animæ ut rationalis eſt, concludit eſſe ſpiritualem; actus autem voluntatis cognoſcuntur vel ex aliquo ſignö externo vel ex motu corporis vel ex commotione appetitus ſenſitivi; quod ſi nihil horum ſuppetat, ſolummodo poterit cognoſcere per actum reflexum illud obiectũ fuiſſe à ſe hoc vel illo modo propoſitum voluntati cum delectatione vel mœrore, cum vehementi appetitione ſenſitiva &c. unde per quaſdam conjecturas colligit, an & quomodo liberè conſenſerit, peccaverit vel non peccaverit; certò autem & infallibiliter hunc cognoſcere eſt ſuprà præſentem mortalitatis ſtatum; Et hinc tot ſcrupuli, anxietatesq; conſcientiarum, de quibus pleriq; mortalium non multum ſolliciti, ut meritò regius pſalmiſta pſal. 18. dixerit, delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me &c.

Quomodo cognoſcat intellectus ſe &c.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XV.

Quodnam ſit adæquatum objectum humani intellectus.

ADverte primo, intellectum vel poſſe ſpectari abſolutè, vel prout in hoc vitæ ſtatu conjunctus eſt corpori. 2. objectum intellectus diſtingui in motivum & terminativum tam per ſe quam per accidens. Motivum dicitur quod movet intellectum ad ſui perceptionem, ut pallor in homine ad ægritudinē; Terminativum eſt, quod actum illius terminat licet eum non moveat, ſed ad ſimilitudinem ejus quod movet percipiatur. Obiectū per ſe ſive directum & proportionatum eſt, quod per propriam ſpeciem percipitur. Per accidens ſive indirectum & improportionatum, quod neque per propriam ſpeciem impreſſam vel expreſſam percipitur, ſed per ſimilitudinem aliorum ut ſpiritualium. Iam

Obiectum adæq. intellectus noſtri eſt cognoſcibile.

DICO 1. obiectum adæquatum intellectus noſtri ſive intra ſive extra corpus ſpectetur, eſt ens in tota latitudine ſua acceptum, quatenus complectitur creatum, increatum, ſubſtantiam, accidens, negationes, entia ficta, & uno verbo quicquid eſt aliquo modo cognoſcibile. Eſt hæc concluſio clara & communis, quæ etiam ulteriori probatione non indiget.

Obiectum intellectus in hoc ſtatu eſt accidens materiale.

DICO 2. obiectum adæquatum intellectꝰ noſtri pro hoc ſtatu corporis per ſe motivum & terminativum non eſt niſi ens per ſe ſenſibile ſeu accidens materiale aliquo modo ſenſibile, patet ex dictis; cuius enim ſolius dantur propriæ ſpecies, & quidquid aliarum rerum intelligitur, id beneficio & interventu quaſi illarum cognoſcitur, ut inductione ex præcedentibus conſtare poteſt. Quæ ceterùm plura circà intellectum eiusque operationes dici & fusè diſputari ſolent, ea partim vide apud logicos partim apud animaſticos,

DIFFICVLTAS XVI.

Quomodo ſe habeat intellectus & cognitio Angelorum.

VT breviſſimè conſtet, quid Philoſophi & Theologi de intellectu & cognitione Angelorum, ſentiant & doceant,

DICO 1. probabilius eſt, in Angelo tantum eſſe intellectum poſſibilem & non agentem. Ratio, quia cauſa ob quam in homine ponitur intellectus duplex, non habet locum in angelis: Nam ideò ponimus in homine intellectum agentem & poſſibilem, quia intellectus illius aliquando eſt in actu aliquando in potentia reſpectu intelligibilium, id eſt, habet aliquando ſpecies intelligibiles obiectorum aliquando non habet, & ideò neceſſarium eſt ponere potentiam Imprimis quæ recipiat rerum ſpecies, deinde aliam quæ eas producat, quarum hanc vocamus intellectum agentem, & illam poſſibilem: ſed hoc in Angelo locum non habet, primo quia intellectus eius ſemper eſt in actu reſpectu omnium intelligibilium, cum habeat ſpecies intelligibiles concreatas; 2. quia obiectum ipſius primarium non eſt materiale, à quo mediante phantaſmate oporteat abſtrahere ſpeciem immaterialem ſicut fit in homine, ſed ſicut ipſe angelus eſt immaterialis, ita primarium ejus obiectum eſt immateriale & conſequenter actu intelligibile,

DICO 2. intellectus angeli non eſt omninò idem cum eſſentia & ſubſtantia angeli, licet non conſtet an ab ea diſtinguatur realiter. Prima pars patet, quia ſubſtantia angeli ad minimum diſtinguitur ratione à potentia intellectiva, quia ſubſtantia ut ſic non dicit ordinē ad operationem ſicut potentia activa quæ ut talis eſt immediatum principium operationis. Secunda pars inde probatur, quia ſunt Authorum argumenta tam affirmantia quam negantia, quæ utraque ſolvi poſſunt; Itaque non eſt certum an de facto diſtinguantur realiter, quamvis probabilius ſit nullam ſubſtantiam creatam ſeipſa immediatè activam eſſe.

DICO 3. intellectio angeli non eſt eius ſubſtātia ſed aliquid ex natura rei ab ea diſtinctum. prob. 1. angelus ab intrinſeco & realiter eſt mutabilis ſecundum actū intelligendi; Sed non eſt mutabilis ab intrinſeco, quoad ſubſtantiam, ergò actus intelligendi non eſt realiter ſubſtantia illius, ergo eſt accidens ſuperadditum; Major patet, quia angeli multa de novo intelligunt, quæ antea non intellexerunt, ergo ſunt mutabiles ſecundum actum intelligendi. 2. prob. volitio angeli non eſt ſubſtantia & eſſentia eius, neq; intellectio, cum ſit par ratio; Anteced. patet, quia aliàs angeli non potuiſſent de novo peccare, ſed fuiſſent per eſſentiam mali.

DIFFICULTAS XVII.

An angeli ad intelligendum indigeant ſpeciebus, & quales hæ ſint.

DICO 1. Angelus non cognoſcit omnia per ſolum intellectum, ſed requiritur aliquid aliud ex parte obiecti, quod cum intellectu ad actum cognitionis concurrat; prob, intellectus ex ſe & in genere eſt indifferens & indeterminatus ad hoc vel illud cognoſcendum, ſicut ſol eſt indifferens ad producendum hoc vel illud vegetabile, ergo ipſius activitas debet determinari; non poteſt autem commodius determinari niſi ab obiecto ſuo vel ab alio, quod ſit loco obiecti,

DICO 2. Angelo ad cognoſcendū diſtinctè omnia non ſufficit ipſius ſubſtantia; ſed neceſ-

ſatiò indiget intelligibilibus. prob. quia eſſentia angeli finita eſt & non continet io ſe omnia objecta intelligibilia, ergo non poteſt repræſentare omnia intelligibilia, ergo Angelus non poteſt per eum omnia cognoſcere; Deus autem quia habet eſſentiam iofinitam, in qua cootinentur omnia eminenter, poteſt per eam omnia cogooſcere.

DICO 3. Angelus de facto oon acquirit ſpecies rerum univerſalium, ſed habet illas concreatas, & idem de ſingularibus judicandum eſt. Prima pars prob. quia ſpecies rerum univerſalium ſunt neceſſariæ ad perfectionē intellectus & ad ſcieotias obtinendas, ergo ſicut ob hanc cauſam fuerunt concreatæ primo parenti, ita etiam Angelis. 2. pars eſt contrà nonnullos qui putant acquirere ſpecies quorundam ſingularium; ſed oon poteſt adſerri ratio ſeu modus quo id fiat, cum oeque intellectu agente gaudeant neq; habeāt potentias materiales & ex illis ſpecies ſicut homo, ut deinde efficiat & abſtrahat ſpecies im̄ateriales.

DICO 4. Angelus habet ſpecies concreatas omnium rerum naturalium quæ futuræ ſunt io aliqua temporis differentia, non autem omnium poſſibilium. Ratio eſt, quia ſi Angelus haberet ſpecies omnium rerum poſſibilium, etiam haberet earundem ſcientiam, quod tamen falſum eſt, quia ſcientia oaturalis non exteodit ſe ad omnia poſſibilia. Confirm. ſpecies omnium poſſibilium vel eſſent infinitæ quod eſt naturaliter impoſſibile, vel aliquæ deberent repræſentare res infinitas, quod non eſt dicendum; ſequela patet, quia res poſſibiles ſunt infinitæ.

DICO 5. probabilius eſt juxtà S. Thomam, ſpecies Angelorum omoes eſſe univerſales in repręſentando, ita ut una poſſit plura repræſentare & eſſe principium diſtinctę & quidditativæ cognitionis plurium rerum ſive numero ſive ſpecie differentium: Dixi probabilius, quia Scotus docet aliquas ſaltem eſſe ſingulares. Ratio concluſionis eſt, quia intellectus Dei eò quod ſupremus ſit, cognoſcit omnia per unam ſpeciem, nimirùm per eſſentiā ſuam, intellectos verò humanus quia infimus eſt, cognoſcit ſingula per ſpecies ſingulas, ergo intellectus Angelicus, quia medius eſt, habebit gradum medium cognitionis, ex quo infertur, unumquemq; Angelum, quo perfectior eſt, eò habere ſpecies magis univerſales; quo enim quisq; perfectior eſt, eò proximior & ſimilior eſt Deo non ſolum in ſubſtantia ſed etiam in modo intelligendi, ergo intelligit per pauciores ſpecies & conſequenter per ſpecies magis univerſales.

DIFFICULTAS XVIII.

An Angelus ſeipſum cognoſcat, tum naturaliter Deum & quomodo.

CErtum eſt Angelum cogooſcere ſeipſum, quia ſubſtantia illius immaterialis eſt, actu intelligibilis & maximè proportionata ſuo proprio intellectu; ſolùm difficultas eſt de modo, an per ſpeciem an verò per ſuam ſubſtantiam.

Adverte, quamvis omoes intelligentiæ creatæ in hoc conveniant, quod earum eſſentia oeget omnem corporalem materialitatē; ipſa tamen in aliis eſt perfectior in aliis imperfectior, adeòq; & ipſa operatio juxtà illud quod modus operandi ſequatur modum eſſeodi. Et hinc etiam ooo eodem modo cognoſcit unus Angelus alterum, quia quantò unus eſt inferior & alter ſuperior, tantò minus perfectè hic ab illo cognoſcitur, id eſt, nō per unum actum ſimplicem, ſicut fit in ſuperioribus, ſed per plores, ut alio voluntatem, alio intellectum aut potentiam exeqoentem, alio eſſentiam &c. quæ omnia per ſuperiorem unico tantùm actu attingi poſſunt &c.

DICO 1. Angelus cognoſcit ſe intuitivè per ſuam ſubſtantiam & non per ſpeciem intelligibilem. prob. quando obiectum eſt actu intelligibile & per ſe intimè præſens intellectui, tunc intellectus non indiget ſpecie quæ ſuppleat vicem objecti ut patet in viſione beatifica; ſed ſubſtaotia Angeli eſt obiectum actu intelligibile & intimè præſens intellectui angelico, ergo intellectus angelicus non indiget ſpecie quæ ſuppleat vicem ſubſtantiæ, ſed ipſamet ſubſtantia poteſt ad ſui intellectionem concurrere cum intellectu. Coofirm. ideò datur ſpecies ut vel faciat objectum actu intelligibile, vel ut uniat obiectum cum potentia, ergo ſi obiectum ſit actu intelligibile & unitum intellectui, non opus eſt ſpecie: Tunc autem ceoſetur obiectum actu intelligibile, quando eſt immateriale, unde ſi eſt materiale, non eſt per ſe intelligibile ſed per ſpeciem immaterialem; Ratio, quia intellectio eſt actio immaterialis, ergo ipſius cauſæ efficientes debent eſſe immateriales, ut ſunt intellectus & eius ſubiectum. *Angelus quomodo ſe cognoſcat.*

DICES, ergo etiam anima noſtra poterit ſe per ſuam ſubſtantiam intelligere, quia eſt immaterialis & præſens intellectui ſuo. Reſp. anima ſeparata poteſt ſe intelligere per ſuam ſubſtantiam, coniuncta verò non poteſt ut patet ex ſupradictis; Et confirmatur experientia, quia nemo clarè & intuitivè cognoſcit aoimam ſuam ſed ſolum abſtractivè & imperfectè per effectos quoſdam quos in ſe experitur. Ratio eſt quia potentiæ animæ cognoſcitivæ ita ſunt ſubordinatæ pro hoc ſtatu, ut intellectiva nil poſſit ſine ſenſitiva interiore, & hæc nil ſine ſenſitiva exteriore, quæ ſubordinatio & dependentia, ceſſat in anima ſeparata. Cæterum an angelus unquā ceſſat à cognitione ſuiipſius, vide Philoſophos & Theologos, qui etiam probabiliter putant non poſſe ceſſare, tum quia ipſius hæc cognitio eſt, quod aliis viventibus actio aliqua vitalis ut nutritio, accretio &c. tum quia maximè proportione inter omnes actiones naturales: Nam ſicut convenit plantis & animalibus ut ſemper nutriantur, dum vivunt, ita etiam decet angelos qui ſunt perfectiſſimi inter omnia viventia creata, ſemper eſſe in actu quoad ſui cognitionem, quia ſemper habent obiectum maximè præſens & connaturale tum præſtantiſſimum inter ea quæ comprehenſivè cognoſcunt. *Anima ſeparata intelligit ſe per ſuam ſubſtant.* *Anima in hoc ſtatu non cognoſcitur à nobis clarè & directè.*

DICO

DICO 2. Angeli naturaliter poſſunt cognoſcere Deum licet imperfectè. prob. prima pars, 1. quia homo poteſt id facere ut patet in Epiſt. ad Rom. c. 1. ergo multò magis Angeli. 2. quia Angelus poteſt aſſequi ſuam felicitatem naturalē. quæ conſiſtit in naturali cognitione & amore Dei. Prob. 2. pars, quia ut ait D. Thomas eſſentiam Dei nulla ſimilitudo perfectè repræſentat.

Angeli cur Deum perfectè nõ cognoſcant.

DICO 3. Angelus non cognoſcit Deum per ſpeciem concreatam quæ propriè Deum repræſentet. Ratio eſt; quia illa ſpecies vel repræſentaret Deum coofusè vel diſtioctè; ſi tantum confusè, eſſet ſuperflua, quia omnes creaturæ, quatenus ſunt effectus Dei, repræſentant Deum confusè; ſi autem diſtinctè, vel intuitivè repræſentant vel abſtractivè; non iutuitivè, quia alias intuitiva Dei cognitio ſeu viſio beatifica eſſet naturalis Angelo, quia fieret per ſpeciem Angelo connaturalem; nec abſtractivè, qnia impoſſibile eſt, ut aliqua ſpecies repræſentet Deũ diſtinctè & abſtractivè ſimul ut patet in natura utriuſq; cognitionis; Nã diſtincta vel intuitiva cognitio eſt cũ Angelus cognoſcit ſe ut præſentem, abſtractiva verò cum ut præſentem ſed abſtrahendo à præſentia & non præſentia, ſimpliciter & abſolutè ſe cognoſcit. Itaque nulla creatura viribus ſuis poteſt Deum cognoſcete per conceptum quidditativè & intuitivè proprium, quia omne principium cognoſcitivum, ut in objectum tanquam ſibi proportionatum & connaturale feratur, debet eſſe in eodem gradu immaterialitatis cum ſuo objecto, nomine autem immaterialitate intelligitur non ſolum carentia materiæ, ſed etiam compoſitionis realis in quovis genere; Cum ergò immaterialitas Dei toto genere (eſt enim actus purus) tranſcendat immaterialitatem ſubſtantiæ cteatæ cognoſcentis, quæ actus quidem eſt, ſed eſſentiali neceſſitate poteutialitati immixtus, manifeſtum eſt, Deum prout in ſe eſt, à natura creata non poſſe cognoſci; Nam quicquid nobilius eſt, & ab inferiori ſubſtantia cognoſcitur, illud modo, quo ſeipſum ſubſtantia inferior perfectiſſimè cognoſcit, cognoſcitur, hoc eſt, ad modum ſubſtantiæ propriæ; unde etiam anima ſeparata licet cognoſcat independenter à phantaſmatis, tamen quicquid intelligit, cognoſcit ad modum formæ, eò quod & ipſa ſit forma.

DICO 4. Angelus naturaliter cognoſcit Deum per effectus Dei. Ratio, quia non cognoſcit Deum per ſpeciem ut patet, nec per cauſam cum nullam habeat, ergo per effectum; Et ex hoc ſequitur Angelum ſemper cognoſcere Deum quoties intuitivè cognoſcit aliquam creaturam, & quia ſemper ac neceſſario cognoſcit ſeipſum, ſemper etiam ac neceſſario cognoſcit Deum, unde ſicut non poteſt ceſſare à cognitione ſui, ita nec à cognitione Dei. Hæc de intellectu Angelico, plura videri poſſunt apud Phil. & Theologos.

DIFFICULTAS XIX.

An in intellectu ſit aliqua memoria ab eo diſtincta.

SUppono, dari memoriam aliquam ſenſitivam in animalibus, hoc eſt, potentiam quæ rerum cognitarum imagines conſervet; An autem præter hanc requiratur alia in homine pro conſervandis ſpeciebus intelligibilibus non ita convenit, quia negavit hoc jam dudum Avic. 6. natur. p. 5. c. 6. Contrà communem omnium ferè Philoſophorum conſeoſũ.

DICO 1. Eſt in intellectu quædam memoria diſtincta à ſenſitiva. Prob. recordamur ſæpè ratiocinationum & diſcurſuum quos aliquando fecimus; ſed ſenſus noo poteſt verſari circà operationes intellectus, ergo hujuſmodi recordationes non poſſunt fieri à phantaſia, ergo ab intellectu. Deinde ſpecies intelligibiles ex propria natura ſunt incorruptibiles utpote ſpirituales & contrario carentes; ergo ſemel productæ remanent, ergo datur potentia eam conſervans, & cum iterum intelligete volumus, eaſdem exhibens; hæc autem quid aliud eſſe poteſt quam memoria intellectiva.

DICES, ſi omnium rerum ſemel intellectarum ſpecies retinemus, nec tamen omnium ſimul recordari poteſt intellectus, non apparet ratio cur hujus potius quam illius recordemur. Reſp. certum eſſe ita fieri, rationem autem dare quæ ſatisfaciat, arduum & difficile. Dicam quid meliores ſentiant; vel enim inquiunt ex certa & deſtinata voluntate volumus recordari alicujus rei vel nobis nolentibus etiam occurrit hujus potius quam illius ſpecies. In priori modo cauſa eſt libera applicatio phantaſiæ à voluntate ad operandũ circa tale objectum, in poſteriori aliquando eſt Angelus bonus vel malus qui commovet imagines phantaſiæ, aliquando temperamentum & diſpoſitio corporis ſeu organi ſenſuum internorum, vel humoris prædominantis, unde fit ut ſpecies phantaſiæ hoc vel illo modo concitentur; tandem ea eſt ſubordinatio potentiarum ejuſdem animæ, ut ad unius motum etiam alia operetur; hinc ſecundum amorem, odium, deſiderium hominis etiam ſpecies memoriæ ſeſe offerunt & ad recordationem rei amatæ vel deſideratæ movent.

Quare nonnũs potius quam alterius rei recordemur.

DICO 2. memoria iotellectiva non eſt potentia diſtincta ab intellectu. Prob. primo, memoria ſenſitiva non diſtinguitur à phantaſmate, ergo neque memoria intellectiva ab intellectu. 2. non datur peculiaris potentia ad cognoſcendum aliquid futurum ut futurũ, ergo non eſt ratio cur conſtituatur peculiaris potētia ad cognoſcendum præteritum ut præteritũ. Denique intellectus patiens recipit ſpecies ab intellectu agente productas; ſed eę ſunt incorruptibiles & contrario carent, ergo oon pereunt, neq; poſſunt tranſire in potentiam cũ ſint accidentia, ergo conſervantur in intellectu, qui eatenus dicitur memoria; Itaque pro varietate munerum eſt & dicitur intellectus poſſibilis & memoria intellectiva,

Memoria intellectiva non eſt diſtincta ab intellectu.

DIFFICVLTAS XX.

An in homine voluntas ſit realiter diſtincta ab intellectu.

SUppono, voluntatem eſſe tealiter diverſam ab appetitu ſenſitivo, quia habent objectũ ſpecie diverſum videl. ſenſitivum tantum & materiale, tum bonũ ſpirituale & univerſale. Deinde quia ptiot ſeqnitur naturam rationalẽ & emanar ptoximè ab anima; hic verò animam ſeuſitivam, nnde etiam in corpore ſicur illa in anima ſedem habet. Adhæc habent actus toto genere diverſos. ur ſpirituales & materiales, quia manant ex diverſis principiis & in diverſis ſubjectis recipiuntur, pluta vide apud Con. 3. de anima c 13. q. 1. a. 3. Jam

Differentia intellectus & voluntatis.

DICO 1. Intellectus & voluntas differunt formaliter prob. 1. ex diverſis utriuſque objectis, quia illius objectum eſt vetum, hujus bonum, ergo toto genere differunt. 2. Prob. ex diverſis operandi modis, quod eſt efficaciſſimũ argumenrum tam pro reali quam pto formali diſtinctione; Nam intellectus trahit ad ſe objectum per receptionem ipſius ſecundum eſſe intentionale, voluntas verò egredirur potius extrà ſeipſam in res amatas, ut ptoinde verum ſit illud, animam ibi magis eſſe ubi amat quam ubi animat. 3. prob. ex mutua depẽdentia, quia intellectus dependet à voluntate tanquam ab imperante, voluntas autem ab intellectu tanquam à ducente & viam quaſi monſtrante.

Intellectus & voluntas differunt formaliter & realiter.

DICO 2. Intellectus & voluntas non tantũ differunt formalitet ſed etiam realitet. prob. 1. quia ſibi mutuò tepugnant, dum videl. intellectus rem aliquam veram judicat aut aliquid agendum eſſe putar, voluntas autem repugnar, & hoc ideò ne libertas illi detrahatur. 2. quia ſi intellectus & voluntas inter ſe idem eſſent, ſequeretur, quod intellectus vellet & voluntas intelligeret, quod tamen falſum eſt & abſurdũ.

DICES 1. Intellectus & voluntas verſantur circà eandem rem; Nam bonum citcà quod vetſatur voluntas non eſt diſtinctum quid ab entitate circà quam verſatur intellectus. Reſp. idem eſſe objectum materialiter ſumptum non formaliter.

Objectum intell. & volunt. quomodo idem.

DICES 2. Actus harum potentiatum non poſſunt ſeparari, quia voluntas non fertur in incognitum. Reſp. 1. ex eo quod nunquam duo ſeparentut, non benè inferri, quod non diſtinguantur realiter, ut videre eſt apud logicos: Deinde negari poteſt hic abſolutè antecedens, quia non tepugnat quo minus voluntas tẽdat in objectum Deo ſupplente concurſum naturalium cauſarum deficientium, etiamſi illud non reptæſentetur ab intellectu. Vide Coun. cit. q. 4. a. 2.

DICES 3. actus ſibi ſubotdinati non videntur ideò differre aut fotmalitet aut tealiter, quia ab eodem principio oriuntur; ſed ita eſt in actibus intellectus & voluntatis, ergo. major patet exemplo ſolis v.g. in quo calefactio, tarefactio &c. ſunt actus ſubordinati, & ab eodẽ principio, ſole ſcil. oriuntur. Reſp. neg. patitatem adeoque majorem; Nam quando actus ita ſibi ſubordinantur, ut non ſolum unus ſine altero fieri non poſſit, ſed etiam neceſſatiò & naturaliter ex alio ſequatur, tune verum eſt, ejuſmodi actus ab eadem facultate poſſe oriri, ut ſit in ſole, calore nativo & aliis. quando vero ita actiones ſubordinantur, ut hæc neceſſitas abſit quod videmus fieri in intellectu & voluntate, tunc falſum eſt; Nam etiamſi intellectus objectum benè cognoſcat, nihilominus tamen penes voluntatem eſt ſuos actus ptoptios aut elicere aut cohibete.

DIFFICVLTAS XXI.

Qualis cognitio neceſſaria ſit ad movendam voluntatem.

ANtequam appetitus intellectivus rem aliquam velit & appetat, 4. actus ſolent ptæcedere ut norãt Animaſtici. Primus eſt notitia, qua ſimplicitet apptehendimus rem aliquam v.g. cibum aut potum. Secundus eſt judicium quo rem ſimpliciter apptehenſam judicamus eſſe bonam vel malam, v.g. an cibus & potus ſit bonus vel malus. Tertius eſt judicium ptacticum ſive dictamen, quo intellectus noſter judicat rem illam quam bonam aut malam putat, amplectendam eſſe aut reiiciendam. Quartus denique eſt diſcurſus ſeu ſyllogiſmus practicus, quo tatio hujuſmodi dictamen concludit. Jam quætitur, an ad rem appetendam ſemper neceſſariò præcedere debeãt hi actus omnes, an veto ſufficiat notitia apprehenſiva.

DICO 1. ad actũ volũtatis abſolutâ neceſſitate ptærequititur aliqua prævia notitia rei. Ratio eſt, quia volũtas nihil poteſt velle niſi prius moveatur ab intellectu, qui rem cognoſcit; Nam voluntas in actu eſſentialitet pendet à cauſalitate finali quæ ratio ptærequirit neceſſario eſſe cognitum ut cauſet.

DICO 2. aliquando præcedunt omnes illi actus antequam voluntas velit, aliquando non, adeoque non ſemper neceſſarii ſunt omnes. prob. 1. viri prudẽtes tes quæ ſunt magni momenti, maturo conſilio deliberant, antequam de iis finaliter concludant, etgo ſignũ eſt in hujuſmodi volitionibus præcedere omnes actus. prob. ſecundum ab experientia, quia experimur nos multa velle aut nolle abſque judicio practico ſive dictamine; Et deinde manifeſtum eſt in motibus ſubitis vel primo primis non obſervari hos omnes actus.

DICO 3. non ſufficit ſola apptehenſiva cognitio, ſed ptæcedete debet judicium vel actuale vel virtuale de convenientia vel diſconveniẽtia rei non aliter quam ſicut ad voluntatem tequiritur notitia intellectus, & ad actum appetitus ſenſitivi notitia ſenſus interni. prob. quia nemo appetit bonum niſi appareat ei cõveniens;

veniens; ſed ut ita appareat, non ſufficit rem apprehendi, eum omnia poſſint indifferenter apprehendi, ſed requiritur præterea judicium de convenientia ratione cujus fit, ut eadem res modo appetatur modo reſpuatur. Et confirm. quia ſola apprehenſio non determinat ſufficienter appetitum, ut patet in eo qui format has propoſitiones, bonum eſt ambulare, non eſt bonum ambulare, & tamen manet dubius; Niſi enim tollatur dubium per judicium, nihil appetit; Adhæc quia videmus bruta moveri ad objecta, quorum habent ſimplicem notitiam, nunc non moveri; ſi autem ſola objecti apprehenſio ſufficeret ad appetitum movendũ, non eſſet ratio cur jam moverentur jam non moverentur, quia appetitus in brutis non eſt liber. Et hinc Colligitur, ſi quod judicium eſt in brutis de convenientia, id non eſſe per ratiocinationem vel per compoſitionem vel per diviſionem, ſed per ſimplicem & naturalem æſtimationem de convenientia aut repugnantia talis rei; Similiter Colligitur, motus primo primos non deberi brutis ſed hominibus, & exerceri quidem præeunte aliquo judicio, ſine ulla deliberatione tam actuali ſeu formali quam virtuali, ideoque propter defectum rationis eximi à peccatis.

DIFFICVLTAS XXII.

An intellectus vel voluntas ſit nobilior.

SUppono, objectum adæquatum materiale voluntatis eſſe omne id quod poteſt apprehendi ut bonum vel malum, quia omnis actus voluntatis verſatur aut eirca bonũ amplectendum aut circa malum fugiẽdum, formale verò bonitatem, quia hæc ſola poteſt movere voluntatem ſive à parte rei talis ſit ſive apprehendatur ut talis. Cæterum quod voluntas videatur eſſe nobilior, faciunt habitus ejus ut Caritas, actus ut movere, & objectum ut bonum abſolutè ſumptum & perfectum, quæ nobiliora ſunt quam intellectus cujus eſt moveri & habere pro objecto bonum quoddam particulare, nempe verum.

DICO, etiamſi veriſimilis ſit opinio affirmantium, quod voluntas præſtet intellectui, verius tamẽ videtur intellectum eſſe nobiliorem tam quoad actus & habitus quam quoad objectum. Nam imprimis non ſolum habitus naturales intellectus, videl. ſapientia & prudẽtia ſunt nobiliores quam juſtitia cæterique habitus voluntatis, ſed etiam ſupernaturales, v.g. lumen gloriæ quod infunditur intellectui, quã caritas quæ eſt voluntatis. Deinde licet voluntas intellectum moveat quoad exercitiũ actus, pluribus tamen nominibus intellectus movet voluntatem, ſcilicet ordinando, regendo, imperando, ita ut ſine illo voluntas ſit cæca, nec poſſit in ullam rem ferri niſi prius cognitam, imò intellectus quoad primum actum nullam plane præexigit voluntatis motionem ut docent Ethici. Denique voluntas actu perfecto nihil appetit, niſi eum ordine ad exiſtentiam, cum bonum ideò oportet ut poſſideatur; Intellectus verò propriè fertur in rem ſecundũ quidditatem, imò in ipſum bonũ quod eſt objectum voluntatis; Nam & propriè bonum eſt quoddã verum ut conſtat apud Metaphyſicos.

Intellectus eſt nobilior quàm voluntas.

DIFFICVLTAS XXIII.

An voluntas ſit libera.

LIbertas uſurpatur vel ut opponitur ſervituti vel coactioni vel neceſſitati: Quomodocunque autem ſumatur, de fide eſt dari libertatem 3. modo acceptam. Quæritur hic an ea libertas ſit in voluntate noſtra. Reſp. &

DICO, voluntas noſtra eſt libera ſicut fuit olim in ſtatu innocentiæ. Eſt contrà Simonem Magum primum quaſi tempore Apoſtolorum Hæreticum & modernos tetum damnabilium ſectatores; Et prob. 1. ratione, quia ideo conſtituuntur humanis actionib⁹ præmia & ſupplicia quia poſſunt benè & malè operari; conſiſtit ergo potentia libertatis in hoc quod poſitis omnibus neceſſariis ad agendum, adhuc ex vi interna homo poſſit agere & non agere; Et accedit quod everſa libertate multa ſimul evertērentur, quia perirent v.g. virtutes quæ ordinantur ad determinandam voluntatem, ut boneſtos actus eliciat; conciderent omnia conſilia, exhortationes, leges, præmia &c. quæ in tantum admittuntur, in quantum uſui ſunt ad movendam voluntatem, ut ſe ad hoc vel illud determinet ad quod ante erat indifferens & perfectè libera, quæ tamen valde abſurda ſunt. prob. 2. authoritate Conciliorum Arauſiani Can. 13 & Trid. Seſſ. 6. Can. 4. 5. 6. tum SS. Patrum ut D. Aug l. de gratia & libero arbitrio c. 2. & 14. ſuper verbis pſalmi 94. ſi vocem ejus audieritis. D. Bernardi de gratia & libero arbitrio. D. Chryſoſtomi omniumque reliquorum tam Græcorum quam Latinorum. Prob. 3. ex S. Script ut 1. Deut. 3. mãdatum quod ego præcipio tibi, non eſt ſupra te. 2. Eccl. 15. Deus ab initio conſtituit hominem in manu conſilii ſui, & paulò poſt, appoſui tibi ignem & aquam, ad quodcunque volueris, porrige manum. 3. Prov. 1. vocavi & renuiſtis &c.

DICES cum M. Luthero, ſi poteſtis, benè vel malè facite, Iſaiæ 41. 23. unde colligit ipſe, non eſſe in noſtra poteſtate benè vel malè operari. Reſp. hanc conſequentiam eſſe valdè craſſam; Nam Iſaias non loquitur de hominibus ſed de Idolis gentium, quibus exprobrat imbecillitatem & quod non poſſint cultorib⁹ ſuis prodeſſe nec contemptoribus nocere: Et mirum certè, quod Lutherus fuerit auſus tam craſſum & riſu dignum argumentum opponere; Nam vis ejus non eſt alia niſi hæc; Idola quæ ex auro ſunt & argento, non poſſunt loqui nec audire, ergo nos homines non habemus liberum arbitrium. Colligitur ex dictis, nihil melius eſſe pro iis qui libertatem voluntatis tenciunt, quam ut tamdiu vibicibus cædantur, quouſque fateantur, in eorum arbitrio conſiſtere plus cædere vel deſiſtere.

Corollarium totius Libri.

HIc itaque eſt primus Liber, qui hominem è viliſſimis principiis, materia nimirum ſementiva & formis partialibus intrà Matris viſcera conceptum, pulchrâque primarum quali-

Digitized by Google

qualitatum harmoniâ & decenti Elementorũ commixtione decoratum, tum accedente formarum nobiliſſimâ animâ rationali & vitâ intrà eandem matrem ſeſe moventem, ejus ſanguine ſuccreſcentem, ſuo poſt exactam 9. mẽſium decoctionem carcete & domicilio prodeuntem, jamque liberiori aurâ reſpirantem, vagientem, ſentientem, intelligentem, & in juſtum denique hominis magnitudinem, formã & perfectionem exaltatum complectitur. Et certè nobiliſſimus hic & pulchetrimus ordo eſt, quem divina Majeſtas naturæ in producendo cum homine tum cæteris rebus naturalibus ſuggeſſit, ut videl. ab eſſe imperfecto ad eſſe perfectum aſcenderent, & in hoc tam vim & poteſtatem agentium naturalium quam ſuæ conditionis fragilitatem & corruptibilitatem agnoſcerent. quid enim ad hominem Orientẽ eſt vilius materiâ ſementivâ, quæ eſt excremẽtum tertiæ concoctionis, & ex qua ille in ſimilitudinem Dei altiſſimi formatur & gignitur? hæc tamen primum eſt principium quod intrinſecè illum conſtituit & imprimis, dum vis formatrix formas partiales delineat, corpus organicum; Et hoc præter ſubordinatas perfectiones multas alias habet dotes & diſpoſitiones, quibus amiciſſimũ fiat domicilium inhoſpitantis animæ, ut & hæc per generationem abſolutiſſimum conſtituat compoſitum & tũ vitaliter in eo operetur: Nam coagmentatũ eſt hoc corpus ex ipſis Elementorum ſubſtantiis, quæ unà cum eorundem virtutibus coaleſcentes & in unam perfectiſſimam mixti formam coeuntes tantũ opus efficiunt, ut dum generationis punctum inſtar, munificentiſſimus etiã Deus nobiliſſimam formarum animam è cælo depromere, & quia ad tantum effectũ agens aliud deficit, in illud ad eliciendas impoſterum omnis generis actiones vitales infundere non deſiſtat. Et cum hac anima datur quoque vita, quę rebus animatis tam cara eſt; dantur potentiæ & facultates, quibus illa in ſingulis organis decenter actiones homini connaturales adminiſtret eumque ſucceſſivis motibus in juſtiſſimum ſtatum & ſummam perfectionem tranſfert. Nam vix corpus ingreſſa eſt, jam calorem cum humido primigeneo diſponere, partes rarefacere, vaſa & organa ampliare, ſanguinem è matris viſceribus evocare, hunc magis decoquere & in ſubſtantiam hujus novi corpuſculi transformare adeoque illud in majorem molẽ quæ omnia adhuc ſunt opera vegetabilia, diducere incipit: Et fiunt hæc primis diebus & menſibus, quouſque dum grandior fit puſio & validior in utero, ipſe ſe ſuis vitib⁹ per ſpiritus animales moveat, tum famem ſentiat & dolorem, dormiat, vigilet, aliaſque ſentiẽtis animæ operationes quamvis non omnes eliciat. Nam intrà matrem non omnium ſenſuum objecta nec omnium objectorum ſpecies recipit, ſed nec omnibus opus habet, nec ad omnes proportionata organa, quia tenella ſunt, laxa nimioque immerſa humido. Verum ubi nonimeſtri carcere ſolvitur, & in hunc mundum perfectus homo enaſcitur, accedit quicquid actionum & operationũ deſideratur, infirmius quidem primis temporibus, validius autẽ ſucceſſivis, quia organa deſiccantur, magiſque ad eliciendos actus vitales habilitantur; ſic puſio natus reſpirat curamque pro refrigerio cordis haurit, quo intrà matrem ubi nullos gignebat ſpiritus vitales, non egebat; ſic ab objecto colorato & luminoſo ſpecies intra oculum, qui in matre clauſus erat, recipit elicitque viſum, jam quidem propter abundantiam humidi debiliter, tũ hoc abſterſo & per calorem abſumpto fortiter, quod idem in guſtu, auditu cæteriſque univerſis potẽtiis accidit. Sequitur ſenſus internus, qui externo è quo haurit ſpecies, indiget, eſtque in infante imperfectior quam in adulto ob humidam cerebri temperiem & complexionem, tum propter ſpecierum defectum quæ in tenellis organis non tam facilè figuntur: Et ab hoc utroque eſt facultas appetitiva & loco motiva quia ſenſum & cognitionẽ ſequuntur, hæc quidẽ in Juvene validior quia vires conſtantiores, illa autẽ in ætate defecata limitatior, quia à perfecta cognitione judicioque conſtanti frenum accipit, niſi tamẽ ubi pura naturalia dominium habent, quia fervẽtius puer cibum appetit & digerit quam vir ſenex. Agmen claudit & librum cum intellectus tum voluntas, quæ potentiæ quidẽ ſunt inorganicæ, in hac tamẽ vita à corpore ejuſque diſpoſitionibus materialibus dependentes; cum enim homo objectum externũ percipit, ejuſq; ſpecies ſenſu externo haurit, ad internum hæ mox deferuntur, ex quibus hic ſibi novas format & imprimit, quarum miniſterio percipiat actus ſenſus externi eoſq; variè in ſe juxtà muneris ſui diverſitatem inflectat & modificet; Et ab hac ſenſus interni occupatione ſeu mira phantaſiæ operatione intellectus, qui cum anima intimè præſens eſt, format gignitq; ſibi noviſſimas & nobiliſſimas ſpecies quæ immateriales ſunt & intellectuales cauſæq; tantorũ actuum, ut meritò hominem à brutorum cæterorumque viventium materialium cõſortio eximant, quia modus eorum operãdi ſequitur modum eſſendi, modum videl. immaterialem ſpiritualem, à brutorum natura longiſſimè diſtantem: Jungitur autem huic tam præſtanti potentiæ altera nõ inferior voluntas, quæ ideò hominem exornat & complet ut cum ipſa bonum honeſtumque cognovit, hæc illud amplectatur, & cum Deum infinitè potentem miſericordemque, ſed & rerum omnium Creatorem & conſervatorem illa intelligit, hæc ejus bonitati totum ſeſe devoveat & committat, nec aliud in his terris quam ejus amori & voluntati conjuncta eſſe cupiat, ut & nos, quem hic per ſpecies alienas rerum corporearum, in illa feliciſſima æternitatis patria, per evidentiores magiſque proprias & quantum animæ noſtræ tam adhuc ſeparatæ quam cum corpore conjunctæ & glorificatæ datum fuerit una cum beatis mentibus totiſque civium cæleſtium choris contemplemur.

FINIS.

INDEX LIBRI PRIMI
DE HOMINE ORIENTE.

DISPVTATIO I.

De principiis hominis Orientis in genere.

DIFFICVLTAS.

1. *AN & quomodo conſtet, dari principia quæ hominem orientem conſtituant.* pag. 9
2. *An & qualis in homine oriente detur transmutatio.* 10
3. *An ad hominem conſtituendum unum duo vel infinita requirantur principia.* 11
4. *An firmiter probetur ad conſtituendum hominem ſufficere tria principia.* 12
5. *Quid ſit privatio.* 13
6. *An privatio ſit ens reale an rationis.* 13
7. *An his tribus principiis omnia corpora phyſica conſtituantur.* 14
8. *Quid de tribus chymicorum principiis ſale, ſulphure & Mercurio dicendum ſit.* 15
9. *Quot ſint principia externa, quæ hominem conſtituant.* 17
10. *Quodnam ſit diſcrimen inter cauſam & principium.* 18
11. *Quid ſint principia, quibus homo oriens intrinſecè componatur.* 19
12. *Quid reſpondendũ ſit argumẽtis contrariis.* 20
13. *An ſub hac definitione etiam comprehendantur principia accidentalis tranſmutationis.* 20
14. *An inter hæc principia ſit aliqua contrariet.* 21
15. *Qualis ſit horum principiorum contrarietas.* 21
16. *An hæc contrarietas reperiatur etiam in creatione & converſione miraculoſa.* 23
17. *Quomodo hæc principia olim inceperint.* 24
18. *Quid Deus præciſè in prima mundi productione creaverit.* 25
19. *Quomodo præter cælũ & terram reliqua compoſita naturalia, ut elementa, ſydera, orbes cæleſtes, vegetabilia & animalia producta fuerint.* 26
20. *Quomodo primus homo productus fuerit.* 27
21. *Quomodo principia in homine aliisque rebus naturalibus perpetuentur.* 28

DISPVTATIO II.

De materia, quæ eſt primum hominis orientis principium intrinſecum.

DIFFICVLTAS

1. *AN detur materia prima, quæ ſit ſubiectum hominis orientis intrinſecum.* pag. 30
2. *Quotuplices dentur in rebus ſublunaribus materia.* 31
3. *An ergò materia totius univerſi ſit ejuſdem rationis.* 33
4. *An Deus poſſit adhuc aliã diſtinctam creare.* 33
5. *Quibus dotibus & ornamentis materia prima fuerit producta.* 34
6. *Quomodo definiatur materia prima.* 35
7. *An & quomodo materia prima ſit ſenſibilis & extenſa.* 35
8. *An materia prima poſſit cum forma exiſtere abſque ulla quantitate.* 36
9. *Quomodo cognoſcatur materia prima an ſe ſolà vel cum forma.* 37
10. *Quomodo exiſtat in rerum natura materia prima.* 37
11. *An materia prima poſſit divinitus abſq; omni forma ſubſtantiali exiſtere.* 38
12. *An materia prima habeat formam ſubſtantialem quæ corporeitatis dicatur.* 39
13. *Quid ſit materiam primam eſſe puram potentiam.* 40
14. *An hæc potentia ſit materia eſſentialis.* 41
15. *An materia ſit pars eſſentialis hom. orientis.* 41
16 *An materia individualis in Petro v. g. ſit eſſentialis.* 42
17. *An materia ſemper cupiat eſſe cum forma.* 43
18. *Quomodo materia ſit cauſa generationis & corruptionis.* 43
19. *Quæ ſit materia proxima ex qua formatur Embryo.* 44
20 *An omnium viventium materia proxima ſit ſemen.* 46
21. *An omnia viventia gignãt ſemen & quando.* 47
22. *An æquè fœmina ac mares emittant ſemen.* 47
23. *Quid reſpondendum ſit argum. contrariis.* 48
24. *Quid ſit ſemen in animali, an excrementũ.* 50
25. *An ſemen à toto ſit deciduum, vel in aliqua parte peculiari fiat.* 52
26. *Quod ſit principium generativum ſeminis.* 54
27. *An & qualis vis reſideat in ſemine.* 54
28. *An vis formativa & generativa ſeminis ſint vitales.* 55
29. *A quo tanta vis data ſit ſemini.* 56
30 *An hæc vis inſit utriuſq; ſexus ſemini.* 57
31. *Cuius natura & temperamenti ſit ſemen.* 58
32. *An ſemen à ſanguine & lacte differat.* 59
35. *An & quomodo tam maris quam fœminæ ſemen ſit neceſſarium ad generationem prolis.* 60
34. *Ex quali ſemine fiat conceptus.* 60
35. *Quid ſit conceptus & quid ad eũ requiratur.* 61
36. *Quotuplex ſit conceptus.* 62
37. *Quare aliquando tam mas quam fœmina ſit impotens naturaliter.* 63
38. *Quomodo fiat impotentia operâ Dæmonis.* 64
39. *An etiam primi parentes in ſtatu innocentiæ ad producendam ſuam ſpeciem & nunc genuiſſent.* 65
40. *An mas vel fœmina ſit calidioris temperamenti.* 66

DISPVTATIO III.

De formatione fœtus ſive corporis organici.

DIFFICVLTAS

1. Quid ſit corpus organicum ſive Embryo formatus. 67
2. An in corpore organico concedi poſsit forma corporeitatis. 68
3 Quid reſpondendū ſit argumentis contrariis. 68
4. An in Embryone vel corpore organico dentur formæ partiales. 70
5. Quid dicendum ad argumenta contraria. 71
6. Quæ ſit cauſa efficiens fœtus ſive corporis organici. 72
7. An ſit idem modus formationis in plantis & oviparis qui in viviparis. 76
8. An vis ſeminalis poſt membrorum delineationem in fœtu remaneat. 76
9. Quo tempore poſt unita ſemina incipiat formatio. 77
10. Quo die vel tempore abſolvatur corpus organicum 78
11. Quo ordine efformentur membra, an unum citius altero. 79
12. Q[illegible] cauſa ſimilitudinis inter prolem & parentes 81
13 Quid hac in re præſtet imaginatio. 82
14 A[n] formatio fœminæ ſit error naturæ. 83
15 An ſit diverſitas ſexus in omnibus viventib. 84
16. An dentur Hermaphroditi. 85
17. An dentur Gygantes, Pygmæi, Fauni Satyri, Syrenes, Nymphæ, Tritones, Hippocentauri &c. 85
18. An huiusmodi monſtra poſsint inter homines referri. 87
19. Quæ ſint cauſæ monſtrorum. 87

DISPVTATIO IV.

De partibus corporis organici inanimati.

DIFFICVLTAS

1. Quid ſit pars corporis. 89
2. Quomodo dividatur pars corporis. 90
3 Quomodo differat pars, inſtrumentum & membrum. 90
4. Quot ſint partes corporis organici necdum animati. 91
5. Quid ſit cutis, membrana & tunica. 92
6 Quid ſit os. 92
7. Quid ſit cartilago, vinculum, tendo & fibra. 93
8. Quid ſit vena. 94
9. Vbi oriantur venæ ſecundum Galenum & pleroſque Medicos. 94
10. Quid Ariſtotelici ſentiant. 95
11. Quæ ſit verior ſententia de origine venarū. 96
12 Quid ad argumenta contraria reſpondendū. 97
13 Quid ſint arteriæ & ubi oriantur. 99
14. Quid ſit cerebrum & ſpinalis medulla. 100
15 Quid ſint nervi & ubi oriantur. 100
16. Quomodo ex his partib. fiat corpus organicum 101.
17. Quomodo hæ partes corporis organici inter ſe contineantur. 102
18. An & quomodo partes diverſarum formarum poſsint eſſe continuæ. 104
19. An hæ partes ſperm. ſint calidiores quam ſanguineæ. 104

DISPVTATIO V.

De Elementis quæ ingrediuntur hominem orientem ejusque corpus organicum.

DIFFICVLTAS

1. An & quomodo corpus organicum hominis orientis ſit compactū ex Elementis. p. 107
2. An alicubi exiſtat Elementum. 108
3. An ſit unum Elementum, an duo, tria vel quinque. 109
4. An Elementa ſint. 109
5. Quid ſit Elementum. 110
6. Quæ ſint cauſa Elementorum. 111
7. Quæ ſint formæ Elementorum. 111
8. An formæ Elementorum ſuſcipiant magis & minus. 112
9. An Elementa reperiantur alicubi pura, & quæ impuritatis cauſa. 113
10. An Elementum poſsit naturaliter totum corrumpi. 114
11. Quæ ſit magnitudo & figura Elementorum. 114
12. Quomodo & per quam potentiam reducant ſe Elementa alterata ad priſtinum ſtatum. 115
13. Quomodo Elementa in ſe invicem tranſmutentur. 116
14 Quæ ſint qualitates Elementorum: 117
15. An ſi terra ſubtraheretur aqua hæc naturaliter deſcenderet. & aer ſemoto igne aſcenderet. 118
19. Vnde moveantur Elementa. 119
17. Quodnam Elem. ſit nobilius & præſtantius. 119
18. An detur re vera ignis ſub concavo lunæ. 120
19. An ignis ſit qualitas vel ſubſtantia. 122
20. Quænam ſint qualitates ignis & in quo gradu. 123
21. Quomodo generetur ignis. 123
22 Quot multiplices dentur ignes. 125
23. An & quomodo ignis ſemper egeat pabulo & qualis. 126
24. A quibus cauſis extinguatur ignis. 127
25. Quænam corpora corrumpantur ab igne. 128
26. An ignis in loco ſuo naturali luceat. 128
27 Quæ ſit natura aeris. 128
28. An aer ſit humidior quam aqua. 129
29. Quæ ſint impreſsiones aeris. 130
30. Quæ ſit natura aquæ. 131
31. Quomodo producatur aqua. 132
32 Quæ ſit cauſa quod maria tam variè moveantur. 132
33. Quid ſit æſtus maris & unde. 135
34. Quid & unde Euripus. 135
35. Quæ ſit natura terræ. 136
36. An terra ſit ubique habitabilis. 136
37. An terra ſit in medio univerſi, habeatq; punctum gravitatis & univerſi diſtinctum. 137
38. Quid ſit terræ motus. 138

DISPV-

DISPVTATIO VI.

De miſtione hominis Orientis ſive corporis organici.

DIFFICVLTAS

1. AN & quomodo corpus organicum ſit miſtum perfectum. pag. 139
2. Quæ corpora ad miſtionem requiruntur. 140
3. Quid ſit miſtio. 141
4. Quid ſit generatio miſti, & quomodo differat à miſtione. 142
5. Vnde producatur forma miſti. 143
6. An omnes 4. primæ qualitates concurrant activè ad generationem miſti. 144
7. An res liquida perfectè inter ſe miſceantur. 145
8. Quis ſit locus in quo fiat miſtio, 146
9. An miſtio fiat ex Atomis ſecundū veteres. 147
10. Quid de atomis juxtà veram philoſophiam ſtatuendum ſit. 148
11. Quid ad argumenta veterum & Sennerti reſpondendum. 149
12. Quomodo concoctio ſpectet ad miſtionem. 152
13. Quomodo ad miſtionem requiratur maturatio. elixatio, aſſatio, & quid ſint. 153
14. Quæ & quid ſint reliquæ actiones, quibus miſtum perficiatur. 154
15 Quomodo maneant Elementa in mixto. 155
16. Quid reſpondendū argumentis contrariis. 157
17. An in quovis mixto dominetur terra. 158

DISPVTATIO VII.

De temperamento hominis orientis.

DIFFICVLTAS

1. AN in Embryone datur complexio pag. 159
2. An & quale temperamentum habeat homo Oriens ſive corpus organicum. 160
3. Quid ſit temperamentum. 161
4. An temperamentum ſit una ſimplex qualitas. 162.
5. Quid reſpondendum argumentis contrariis. 163
6. An homo habeat aliud temperamentum ſub ratione viventis & aliud ſub ratione mixti. 164
7. Quomodo dividatur temperamentum. 165
8. An detur temper. ad juſtitiam. 165
9. An temper. Chriſti & primorum parentum fuerit corruptibile. 166
10. An detur temper. ad pondus. 167
11. An temper. humanum præſtet omnibus reliquis. 168
12. Quodnam temper. ſit optimum ad ingenii claritatem. 169
13. Quodnam temper. valeat ad vitam longā. 172
14. Quænam temperamenta conveniant ætatibus & temporibus anni. 172
15. Vnde homines dicantur bilioſi, melanchol. 175
16. Quomodo mores animi ſequantur temperamentum. 176
17. Quas complexiones habeant animalia earumque ſingula membra. 178
18. An homo inter animalia ſit calidiſſimus. 179
19. Quibus inditiis ſingula partium temperamenta cognoſcantur. 180
20 A quo membro pendeant principaliter temperamenta partialia, & quis eorū conſenſus 182
21. An inter partes corporis detur mutua actio & paſsio. 183
22. An temper. ex toto immutari poſsit. 184
23. Vnde mores animi & naturales propenſiones cognoſcantur. 185
24. Quid de Chiromantia judicandum ſit. 186
25. Quid reſpondendū argumentis contrariis. 188

DISPVTATIO VIII.

De generatione hominis Orientis.

DIFFICVLTAS

1. AN detur in rebus naturalibus generatio? pag. 190.
2. Quid ſit generatio ſubſt. in communi. 191
3. Quis ſit terminus generationis ſubſtantiæ. 191
4. An & quomodo generatio unius ſit corruptio alterius. 192
5. In quo diſcrepent & conveniant generatio & corruptio. 193
6. In quo differat generatio à converſione. 194
7. In quo differat generatio & creatio. 195
8. An generatio ſit actio inſtantanea. 196
9. An & quomodo gener. ſit etiam actio ſucceſsiva 197.
10. Quæ ſit materia, generatio & natura rerum non viventium, ut metallorum, lapidū &c. 198
11. Quid ſit generatio viventium in communi. 202
12 Quid ſit generatio vegetabilium. 202
13. Quæ de plantis ſcitu digna ſint. 203
14. Quomodo & à quo principio productivo ſint plantæ. 205
15. Quid ſit generatio viventium ſenſitivorū. 206
16. Quid ſit animal brutum & quomodo dividatur. 207
17. An inter animalia bruta dentur Centauri, HippoCentauri, Monoceros & eius Cornu, Phœnix, Pelecanus, Baſiliſcus. 208
18. A qua cauſa generentur ovipara & vivipara. 209.
19. Quid ſit generatio hominis. 210
20. An ex congreſſu fœmina cum Dæmone poſsit generari proles humana. 211
21. A quo principio productivo ſit homo & quomodo. 212
22. An omnes generationes humanæ quocunq; tandem modo fiant, ſint verè, propriè & univocè generationes dicendæ. 213

DISPVTATIO IX.

De forma quæ eſt alterum hominis orientis principium intrinſecum, anima ſcil. rationalis.

DIFFICVLTAS

1. VNde conſtet dari formam, quæ ſit hominis orientis rerumque naturalium principium intrinſecum. p. 214

Digitized by Google

2. Qua ſint diviſiones forma. 215
3. Quomodo definienda ſit forma ſubſtantialis. 216
4. Quid coniungat formam cum materia. ib.
5. Vnde & quomodo oriantur forma ſubſt. juxtà veteres & modernos quoſdam. 217
6. Quomodo producantur forma ſubſt. ſecundum veriorem philoſophiam. ib.
7. Reſpondetur tribus primis opinionibus. 219
8. Reſpondetur argumentis Sennerti, Hoffmanni & aliorum. 220
9. An & quomodo forma ſint communicabiles & multiplicabiles. 224
10. A quo producantur forma ſubſtantiales. 225
11. An omnes forma phyſica ſint generabiles & corruptibiles. 225
12. Quales diſpoſitiones concurrant ad formam introducendam. 226
13. An & qua forma ſint extenſa ſeu diviſibiles. 227
14. An forma ſit prior & nobilior quam materia. 227
15. An forma ſit prior & praſtantior compoſito. 229
16. An & quomodo plures forma poſſint eſſe in eâdem materia. 229
17. An in eodem compoſito prater formam ſubſt: principalem dentur alia ſubordinata, & quales. 230
18. Reſpondetur ad argumenta Sennerti. ib.
17. An & quomodo forma materiales corrumpantur. 231
20. Qua ſint proprietates formarum materialium 232
21. An detur anima rationalis. 232
22. Quando infundatur anima rationalis. 233
23. An anima rat. ſit ſubſtantia an accidens. 234
24. An anima rat. ſit ſubſtantia ſpiritualis vel materialis. 235
25 Quid ſit anima rationalis. 236
26. Quid per corpus organicum intelligatur. 237
27. An conſideratio anima rat. ſpectet tam ad philoſophum quam Medicum. 237
28. Qua fuerint opiniones veterum tam gentilium quam Chriſtianorum de productione anima. 238.
29. An anima rat. poſſit produci ab Angelis. ib.
30. An anima rat. per traducem ſive per aliam animam propagetur. 239
31. An anima rat. producatur à ſolo Deo authoritate ſcriptura. 240
32. An anima rat. producatur à ſolo Deo authoritate SS. Patrum. 241
33. An lumine naturali probari poſſit, animam rat. à ſolo Deo creari. 241
34 Quid Ariſt de creatione anima rat. ſenſer. 245
35. An anima rat ſit immortalis ex fide & ſacris litteris. 246
36. An lumine naturali conſtet animam rat. eſſe immortalem. 246
37. Quid Ariſt. de anima rat. immort. ſenſerit. 247
38. An omnes anima rat. ſint aquales in perfectione, an verò differant ſubſtantialiter. 248
39 Quot ſint genera animarum. 249
40. Quot ſint genera animatorum. 250
41. An anima rat. ſit diviſibilis. ib.
42. An anima rat. ſit ideò diviſibilis, quia eſt ſpiritualis. 251
43. Quid de anima mundi ſentiendum ſit. 252

DISPVTATIO X.

De vita hominis orientis.

DIFFICVLTAS

1. QVid ſit vita in homine oriente. pag. 254
2. Que ſint cauſa & principia vita. 254
3. An ad vitam omnes actiones vitales requirantur. 255
4. An ad omnem vitam requiratur calor. 256
5. An quivis calor ad vitam ſpectet eamque tueri poſſit. 257
6. An & quomodo frigus ad vitam ejusque actiones concurrat. 258
7. Qua ſint cauſa brevioris aut longioris vita. 259
8. Qua viventia habeant longiorem vitam. 260
9. An vita in viventibus jam brevior ſit quam olim. 261
10. Cur vita jam brevior quam olim praſertim hominibus. 263
11. An vita humana per artem humanam poſſit prolongari in perpetuum. ib.
12. An virtute angelica vita hominis poſſit perpetuari. 264
13. An homo per lapſum primorum parentum factus ſit primùm corruptibilis. 266
14. An & quamdiu conſervaſſet arbor vita incorruptibilitatem in homine. ib.
15. Vbi ſit fons caloris vitalis in animalibus ſanguineis. 267
16. Quomodo calor animalis conſervetur, an eo modo quo ignis. ib.
17. An & quomodo egeant viventia caloris temperatione ad vita conſervationem. 268
18. An una vel multa ſint partes principes à quibus vita pendeat. 269
19. Qua pars in exanguibus & plantis obtineat vita principatum. 270
20. Vbi aut in quo membro incipiat primùm vita animalis. 271
21. Quot ſint atates. 272

DISPVTATIO XI.

De modo quo anima rationalis ſit in homine oriente eumq; informet.

DIFFICVLTAS

1. AN ut anima rationalis informet hominem, requiratur ab anima & materia diſtincta. pag. 273
2. Quid ſit unio. 274
3. An unio in homine ſit ſpiritualis vel materialis, & ubi ſubiectetur. 274
4. Quis producat unionem inter formam & materiam. 275
5. Quomodo anima rat. informet hominem juxta fidem & religionem. 276
6. An ex Ariſt. conſtet, animam rat. eſſe formam informantem. 27–

7. An

Digitized by Google

7. *An ex lumine naturali anima rat. ſit forma informans.* ib.
8 *Quomodo anima rat. informet corpus.* 278
9. *An anima rat. informet per ſolum gradum intelligentem.* 279
10. *Quot ſint anima rat. ſecundũ Averrhoem.* ib.
11. *Quot ſint anima rat. ex fide & Ariſtot.* ib.
12. *Quot ſint anima rat. ex lumine naturali.* 280
13. *An in uno homine plures ſint anima.* ib.
14. *Quid ad argumenta contraria ſit reſpondendum.* 281
15. *An ſaltem fœtus humanus pluribus animabus ſucceſſivè informetur.* 283
16. *An fœtus humanus ante adventum animæ nullo modo nutriatur.* 284
17. *An anima rat. in homine ſit ubique tota.* 285
18. *Quid reſpondendum argumentu contrariis.* ib.
19. *An anima rat. poſſit informare corpus cum diſpoſitionibus peregrinis, v. g. vituli, bovis &c.* 286.

Corollarium,

An partus humanus monſtroſus informetur anima rationali vel brutali. 287

DISPVTATIO XII.

De facultatibus hominis orientis in genere.

DIFFICVLTAS

1. A*N in homine oriente dentur facultates aliquæ.* pag. 288
2 *Quid ſit talis facultas.* 289
3. *Quot ſint genera facultatum ſecundum philoſophos.* ib.
4. *Quot ſint genera facultatũ apud Medicos.* 290
5. *Quomodo ſubdividantur genera facultatũ.* 291
6. *In quo ſubiecto propriè ſint facultates tam ſecundum phil. quam Medicos.* ib.
7. *Quid reſpondendum utriuq; rationibus.* 292
8. *Vnde oriantur facultates, an omnes ſimul.* 293
9. *An facult. differant ab anima.* ib.
10. *An & quomodo differant facult. inter ſe per aliquod intrinſecum.* 295
11. *Per quodnam extrinſecum differant fac.* ib.
12. *Vnde præterea cognoſcatur diverſitas facultatum.* 296
13. *An concoctio nutritio aliiq; ſimiles actus fiant ab anima vel à fac. vel ab utroq;.* 296
14. *An potentia omnes poſſint a Deo realiter ſeparari ab anima & ſeparatim exiſtere.* 297
15. *An potentia humana differant à brutalibus.* ib.
16. *An hactenus dicta etiam de virtutibus rerum inanimatarum dicenda ſint.* 298

DISPVTATIO XIII.

De facultate naturali hominis orientis in ſpecie.

DIFFICVLTAS

1. A*N facultas naturalis eadem ſit cum vegetante, & cur vocetur naturalis.* p. 300
2. *Quot ſint facult. naturales ſeu vegetantes.* ib.
3. *Quomodo differant inter ſe omnes iſta facultates.* 301
4. *Vbi ſubiectentur facult. vegetabilis.* 302
5. *An fac. naturalis & vitalis una ſit ad animam veget ſpectans.* 303
6. *An facult. nutritiva ſit diſtinctum quid à calore naturali.* 303
7. *Quid ſit nutritio.* 304
8. *Quæ diſpoſitiones fiant ante nutritionem, & imprimis quomodo fiat prima concoctio in ventriculo.* 304
9. *Quomodo fiat 2. concoctio.* 305
10. *Quomodo fiat 3. cõcoctio tandẽq; nutritio.* 306
11. *Quid ſit concoctio.* ib.
12. *An in ſingulis concoct. ſint excrementa abſolutè neceſſaria.* 307
13. *An & quare concocta ſint calidiora, dulciora, craſſiora & ſicciora.* 309
14. *Quæ partes corporis nutriantur.* 310
14. *An ſemper & continuò nutriatur homo.* ib.
16. *Quid fames & ſitis.* 311
17. *In qua parte corporis ſit fames & ſitis.* 313
18. *Quamdiu poſſit fames & ſitis naturaliter absque cibo & potu tolerari.* 314

DISPVTATIO XIV.

De alimento hominis orientis.

DIFFICVLTAS

1. Q*Vid ſit alimentum.* pag. 315
2. *Quomodo alimentum ſit partim ſimile partim diſſimile rei qua nutritur.* 316
3. *Quæ ſint conditiones alimenti.* 317
4. *An & quomodo alimentum debeat eſſe calidum, humidum, ſapidum, dulce.* ib.
5. *Quomodo differant inter ſe alim. medicamentum & venenum.* 319
6. *An venena & medicamenta nutriãt animal* ib.
7. *An elementa poſſint nutrire.* 320
8. *An odor, vinũ aliaq; liquida nutriant.* 321
9. *An metalla, lapides, terra &c. poſſint converti in ſubſtantiam viventis.* 321
10. *An animalia perfecta ſolo ſanguine nutriantur.* 322
11. *An omnia membra viventium nutriantur ſolo ſanguine.* 323
12. *An ſanguis ſit primum fœtus alimentum in utero.* 324
13. *An ſanguis quo fœtus alitur in utero, differat à menſtruo.* 325
14. *An & quomodo vegetabilia nutriantur.* 326
15. *An aliqua nutrimenta poſſint ſecundum ſe tota converti in ſubſtantiam viventis.* 327
26. *An & quomodo bonitas alimenti faciat ad nutritionem.* 328
17. *An & quomodo verificetur dictum illud, quod ſapit, nutrit.* ib.

DISPVTATIO XV.

De augmentatione hominis Orientis.

DIFFICVLTAS

1. *AN augmentatio fœtus in utero ſit generatio vel alteratio vel quid aliud.* pag. 330
2. *Quæ ſit natura augmentationis.* ib.
3. *Quænam actiones præcedant accretionem hominis tam intra quam extrà uterum.* 331
4. *In quanam ex his actionibus præcisè conſiſtat accretio, an in nutritione.* ib.
5. *In quo ergò conſiſtat formaliter augmentatio.* 332
6. *Quomodo differat diminutio ab augm. & à quibus cauſis fiat.* 333
7. *An fœtus in utero creſcat continuò.* 334
8. *An omnes partes fœtus in utero ſicut & cuiusq; viventis creſcant.* 335
9. *An augeãtur partes materiales an formales.* ib.
10. *Quare homo non creſcat vitæ tempore.* 336
11. *An vivens ſit & maneat idem poſt augmentationem.* 337
12. *Quomodo maneat ſemper idem non fœtus in utero & quodvis aliud vivens poſt augmentationem.* ib.
13. *An animæ diviſibiles maneant eadem toto vitæ tempore.* 338
14. *Quid ſit raritas & denſitas.* 339
15. *An in rarefactione ſanguinis, v.g. ſeu carnis acquiratur nova quantitas.* 340
16. *Quot motus fiant in ſanguine quando rareſit.* 341
17. *An in augmentatione carnis v.g. producatur nova quantitas.* ib.
18. *An ſint certi termini magnitudinis & parvitatis in homine cæteriſque viventibus.* 342
19. *Quid de terminis rerum inanimatarum dici poſsit.* ib.

DISPVTATIO XVI.

De humoribus in homine oriente.

DIFFICVLTAS

1. *AN in homine præter ſanguinem dentur etiam alii humores.* pag. 343
2. *An firmitor probetur, 3. humores cum ſanguine miſceri.* 344
3. *Quid reſpondendum argumentis contrariis.* 364
4. *An omnibus viventibus inſint 4. humores alimentales.* 347
5. *Quid ſint humores & qui effectus eorum.* 348
6. *Vbi generentur humores.* 349
7. *Quomodo generentur humores & à qua cauſa.* 350
8. *Quem locum vendicent ſibi humores in corpore* 351
9. *Quæ ſit natura ſanguinis.* 352
10 *Quid de ſanguine menſtruo dicendum ſit.* 353
11. *Quæ ſit natura pituitæ & utriusque bilis alimentalis.* 355
12. *Quisnam iſtorum humorum exuperet in venis.* 357
13. *An ex quovis cibo poſsit generari quivis ſanguis.* 358
14. *An quivis humor in quemlibet alium tranſmutari poſsit.* 359
15. *Quomodo differant inter ſe 4. humores alimentales.* 360
16. *Quid & quot ſint humores excrem. naturales.* 362
17. *Quid ſit humor excrem. p. n. & quotuplex.* 363
18. *Quid & quot ſint humores ſecundarii.* 364
19 *An homo intrà & extrà uterum habeat eoſdem ſpecie humores.* 365

Corollarium.

De Circulatione ſanguinis. 365

DISPVTATIO XVII.

De humido & calido innato hominis orientis.

DIFFICVLTAS

1. *AN in homine oriente cæteriſque rebus viventibus & mixtis detur humidum & calidum innatum.* p 367
2. *Quid ſit humidum radicale in homine oriente.* 368
3. *Quid ſit calidum nativum.* 369
4. *Quomodo differat hoc hum & cal. nativũ.* 370
5. *An & quomodo hoc cal. innatum concurrat ad formandum corpus organicum.* ibid.
6. *An & quomodo conſiſtat vita & ſanitas in humido & calido.* 371
7. *Quotuplex ſit humidum & calidum.* 372
8. *An hum. & cal. nativum ſit pars corporis & quomodo.* ibid.
9. *Vbi reperiatur hoc humidum, an in omnibus partibus.* 373
10. *An in puero vel juvene ſit plus calidi innati.* 374
11. *An calor innatus ſemper maneat in eãdem intenſione.* 375
11. *An pueri præcisè ob multitudinem humidi nativi creſcant.* 376
13. *Quare humidum in quibusdam partibus citius, in aliis tardius deficiat.* 377
14. *Vbi ſit fons & principiũ hum. & cal. innati.* 378
15. *Quomodo differat calor influens ab innato, & quomodo in hunc tranſeat.* 379
16. *An calor nativus differat ab elementari vel ſolari.* 380
17. *An omnes partes corporis caleant violenter.* 381
18. *An & quomodo hum. & cal. poſsit reſarciri, & an æque bonum.* ibid.
19. *A quo principio materiali ſit humidum innatum.* 382.

DISPV-

DISPUTATIO XVIII.

De reliquis actionibus, quas homo Oriens adhuc intrà uterum exercet.

DIFFICVLTAS

1. *AN & quando primùm vivat fœtus in utero* p.383
2. *Quam vitam vivat fœtus in utero matris.* 384
3. *An fœtus humanus exerceat omnes operationes vitales in utero matris.* 385
4. *Quomodo nutriatur fœtus in utero & quo alimento.* 386
5. *An & quale excrementum colligat fœtus in utero.* 387
6. *An in fœtu moveatur cor, gignanturque ſpiritus vitales.* 388
7. *An fœtus in utero reſpiret, moveanturque pulmones & thorax.* 389
8. *An ſpiritus animales gignantur in fœtu.* 390
9. *Qua ſit ſituatio fœtus in utero, & quando primum incipiat moveri.* 392
10. *An fœtus in utero ſentiat ea qua matri adverſa accidunt & quomodo.* ibid.
11. *An fœtus in utero ſentiat famem, ſitim & dolorem.* 393
12. *An fœtus in utero vigilet, dormiat, rideat, fleat.* 394
13. *Quid ſit partus.* 395
14. *Quæ ſint tempora partus.* 396
15. *An partus octimeſtris vivat & qua cauſa.* 397
16. *Quæ ſint cauſæ partus.* 398

Corollarium.

An partus pro ſalute matris ægrotantis ſit provocandus. 400

DISPVTATIO XIX.

De partibus animatis in homine Oriente.

DIFFICVLTAS

1. *QVot ſint partes ſimilares ſive homog. animatæ in homine Oriente.* 401
2. *Quid ſit caro & adeps.* ibid.
3. *Quæ tam in genere quam in ſpecie ſint partes heterogenea.* 402
4. *An anima omnes partes corporis informet, an unam tantum.* 403
5. *An anima poſſit informare corpus ſimplex.* 404
6. *An anima poſſit informare corpus mixtum heterogeneum.* ibid.
7. *Quale tandem corpus poſſit animari.* 405
8. *An anima ſit in ſanguine.* 406
9. *Quid ad argumenta contraria reſpondendum.* ibid.
10. *An humores & ſpiritus ſint animati.* 408
11. *Quid ſit ſpiritus & quotuplex.* 409
12. *An adeps medulla & lac vivant.* 412
13. *An oſſa, dentes & cutis vivant.* ibid.
14. *An ungues, ungula, roſtra, cornua, pennæ & pili ſint animata.* 413
15. *An ſemen ſit animatum.* 414
16. *Quid reſpond. argumentis in contrarium.* 417
17. *Quæ ſit pars princeps humani corporis ſecundum Medicos.* 418
18. *Quæ ſit pars princeps juxta Ariſt. & Philoſophos.* ibid.
19. *Quid ad argumenta Galeni & Medicorum reſponderi poſſit.* 420
20. *Quid ad alia argumenta contraria reſpondeatur.* 421

DISPVTATIO XX.

De uſu, conſenſu & neceſſitate partium humani corporis.

DIFFICVLTAS

1. *QVa ſit corporis humani diviſio.* 422
2. *Quid ſit uſus partium.* ibid.
3. *Quis ſit uſus corporis & omnium partium.* 423
4. *De partibus quæ reſpirationi inſerviunt & earum uſu.* 425
5. *De partium continentium thoracis uſu & natura.* 426
6. *Quem uſum habeant partes reliquæ in thorace contenta.* 427
7. *De peritonæi natura & uſu.* 428
8. *Quid conferat ventriculus & omentum.* ibid.
9. *Quis ſit uſus meſenterii & pancreatis.* 429
10. *De inteſt. uſu & natura.* 430
11. *Quam vim & quem uſum habeat Epar.* ibid.
12. *De veſicula bilis.* 431
13. *De liene.* 432
14. *De uſu renum.* 433
15. *Quis ſit uſus ureterum & veſica.* 434
16. *Quis ſit uſus teſtium.* ibid.
17. *De utero.* 435
18. *De muſculi natura & uſu.* 436
19. *Quæ ſit venæ portæ diſtributio.* 437
20. *De venæ cavæ aſcend. & deſcend. diſtributione.* 438
21. *De arteria magna aſcend. & deſcendente.* 439

DISPVTATIO XXI.

De facultate ſenſitiva in homine Oriente.

DIFFICVLTAS

1. *QVid ſit facultas animalis, & ubi ipſius ſedes.* 440
2. *An detur ſenſus in homine Oriente & quid ſit.* ibid.

3. An hæc facultas ſit activa an paſſiva. 441
4. An facultas ſenſitiva cognoſcat ſuam ſenſationem v. g. viſionem. 442
5. Quodnam ſit objectum facultatis ſenſitivæ & quæ objecti conditiones. 443
6. Quotuplex ſit objectum facult. ſenſitivæ. ibid.
7. An ſenſus errare poſſit circa ſua objecta. 444
8. An ſenſibile ſentiatur, ſi immediatè ponatur ſuprà ſenſorium. ibid.
9. Quomodo vehemens ſenſibile lædat ſenſum 445
10. An facultas ſenſitiva requirat ſpecies ad ſuam operationem. 446
11. Quid ſint ſpecies intentionales. ibid.
12. Quomodo producantur & conſerventur ſpecies ſenſiles. 447
13. A quo conſerventur ſpecies. 448
14. An ſpecies ſint diviſibiles. ibid.
15. An ſpecies ſenſiles ſint etiam intenſæ. 449
16. An ſenſus percipiat ſpecies ſicut objectum. 450
17. In quo conſiſtat formaliter ſenſatio, & quomodo ad hanc concurrant ſpecies. ibid.
18. An ſenſus ſint virtutes influentes à cerebro. ibid.
19 Qua facultates cognoſcitivæ requirant ſpecies intentionales. 451.

DISPVTATIO XXII.

De 5. ſenſibus externis in homine Oriente.

DIFFICVLTAS

1. QVanam ſit oculi conſtitutio in homine. 452
2. Quomodo fiat viſio. 453
3. In qua parte fiat principaliter viſio. 454
4. Quodnam ſit objectum viſus. 455
5. Quæ ſit natura perſpicui. ibid.
6. An lumen ſit corpus. 456
7. An lumen ſit qualitas realis an intentionalis. ibid.
8. Quid ſit lumen. 457
9. An lumen per ſe immediatè videatur, an verò per ſpeciem. ibid.
10. An lumen ad viſionem ex parte objecti vel medij requiratur. 458
11. Quæ ſit differentia inter lumen & lucem. ibid.
12. Quid videatur in ſpeculo, an res ipſa vel eius imago. 459
13. Quare viſus inter ſenſus externos ſit nobiliſſimus. ibid.
14. An oculi habeant internam lucem. 460
15. Quæ ſit ſtructura aurium. ibid.
16. Quænam ex his partibus ſit organum auditus. ibid.
17. In quo ſubiecto recipiatur ſonus. 461
18. Quomodo ſonus veniat ad aures. ibid.
19. Quid ſit Echo, quæ eius natura & cauſa. 462
20. Quid ſit vox. ibid.
21. Quodnam ſit organum olfactus. 463
22. Quomodo odor perveniat ad olfactum. 464
23. An bruta perfectiorem habeant olfactum quam homines. ibid.
24. Quæ ſit ſtructura organi guſtus, & in qua parte fiat. 465
25. Quomodo ſapor percipiatur. ib.
26. An guſtus differat à tactu. ibid.
27. Quodnam ſit organum tactus. 466
28. An tactus requirat aliquod medium. ibid.
29. Quomodo ſenſus fiat tactus. 467
30. Quas ſenſus qualitates ſentiat tactus, an omnes, an aliquas. 468
31. An organum ſentiat ſuam qualitatem, an obiecti. ibid.
32. An tactus ſit unus tantum 469
33. An homo vel animal neceſſariò ſentiat. 470
34. Quid ſit dolor, quid voluptas. 471
35. Quæ ſint cauſæ doloris, an primæ qualitates eæque omnes. ibid.
36. Quomodo diſtributi ſint animalibus ſenſus. ibid.

DISPVTATIO XXIII.

De ſenſu interno hominis Orientis.

DIFFICVLTAS

1. AN detur ſenſus internus in homine Oriente. 472
2. In qua parte reſideat ſenſus internus. 473
3. An ſint tot ſenſus interni, quot ſint eius actus. 474
4. In qua parte cerebri ſit ſenſus internus. 475
5. Quodnam ſit objectum ſenſus interni. ibid.
6. Quomodo ſenſus int. percipiat actus ſenſuum externorum. 476
7. Vnde producantur ſpecies ſenſus interni. ibid.
8. An ſenſus internus bruti vel hominis componat & diſcurrat. ibid.
9 Quid ſit memoria ſenſitiva. 478
10. An memoria & reminiſcentia ſint idem. ibid.
11. An memoria ſenſitiva conveniat omnibus brutis. 479
12. Quæ requirantur ad bonam memoriam. 480
13. Quid ſit vigilia, quid ſomnus & quomodo fiat. ibid.
14. Quæ potentiæ in ſomno ligentur. 482
15. An noctambuli verè vigilent, an dormiant. ibid.
16. Quomodo homo à ſomno expergiſcatur. 483
17. Quid ſit ſomnium. 484
18. An ſomnia ſint vera vel falſa. ibid.
19. Quantum ſomniis ſit credendum. ibid.

DISPVTATIO XXIV.

De facultate motiva & appetitiva hominis Orientis.

DIFFICVLTAS

1. QVid & quotuplex ſit facultas motiva. 487
2. Vbi reſideat fac. motiva quæ animalis dicitur. ibid.
3. Quomodo ad motum voluntarium concurrat

vis

Digitized by Google

vis dirigens. 489
4. Quomodo prateria ad motam volunt. reqairatur vis exequens. 490
5. Quomodo fiat executio motus voluntatij. ibid.
6. Quotuplex ſit appetitus. 491
7. Quomodo hi appetitus inter ſe differant ibid.
8. Quomodo differat appetitus à facult. cognoſcente. 493
9. Quodnam ſit organum appetitus. ibid.
10. An appetitus concupiſcibilis differat ab iraſcibili. 494
11. Vnde oriatur appetitus. ibid.
12. An fac. motiva differat ab appetitu ration. & ſenſitivo. 495
13. Quæ ſint vera inſtrumenta motus progreſſivi. ibid.
14. An motus progreſſivus ſit naturalis an violentus. 496
15. An riſus & fletus ad facult. mot. ſpectent, & unde oriantur. ibid.
16. Ad quam potentiam ſpectet motus cordis, arter. pectoris & pulmonum. 497
17. Quando incipiant hi motus in homine Oriente, an unus citius altero. 498
18. Quid ſit motus cordis & arter. & in quem finem datur. ib.
19. An ſpiritus vitales ex aëre gignantur & reſtaurentur. 499
20. Unde moveantur cor & arter. juxta diverſos Authores. 500
21. An & quomodo cor & arteria ſimul moveantur. 501
22. An inter dilatationem & compreſſionem ſit aliqua quies. 502
23. Quo motu & qua virtute moveantur pulmones. 503
24. Quid ſit reſpiratio & qua cauſa efficiente. 504
25. Quæ ſint reſpirationis organa. ib.
26. Quodnam ſit ex his organis primarium. 505
27. Quomodo fiat reſpiratio. 506
28. An reſpiratio ſit naturalis, violenta, voluntaria vel media. ibid.
29. Quæ animalia verè & propriè reſpirant. 507
30. Quomodo refrigerentur omnia viventia. 508.

DISPVTATIO XXV.

De intellectu & voluntate hominis Orientis.

DIFFICVLTAS

1. AN unus omnium hominum ſit intellectus. p. 509
2. Quid ſit intellectus & quotuplex. 511
3. An neceſſarius ſit intellectus Agens. ibid.
4. Quidnam ergo agat intellectus agens in homine. 512
5. An & quomodo differat intellectus agens à poſſibili, & uter nobilior. ibid.
6. An etiam dentur ſpecies intelligibiles. 513
7. An ſpecies intell. à ſolo intellectu agente producantur. 514
8. Quid ſit intellectus poſſibilis, an pura potentia. ib.
9. An intellectus poſſ. cognoſcat tam univerſale quam ſingulare. 515
10. Quodnam prius cognoſcat intellectus, an ſingulare an univerſale, & quomodo. ib.
11. Quomodo intellectus cognoſcat ſubſtantias, an per accidentia. 516
12. Quomodo intellectus noſter cognoſcat in hac vita ſubſtantias abſtractas, id eſt, Deum & Angelos. 517
13. Quomodo anima rat. ſeipſam intelligat. ibid.
14. Quomodo intellectus cognoſcat ſeipſum & actus ſuos, habitus item & ſpecies voluntatem cum actibus & habitibus ei propriis. 518
15. Quodnam ſit objectum adæquatum humani intellectus. 519
16. Quomodo ſe habeat intellectus & cognitio Angelorum. ibid.
17. An angeli ad intelligendum egeant ſpeciebus, & quales hæ ſint. ibid.
18. An Angelus ſeipſum cognoſcat, tum Deum & quomodo. 520
19. An in intellectu aliqua memoria ab eo diſtincta. 521
20. Qualis cognitio neceſſaria ſit ad movendam voluntatem. ibid.
21. An in homine voluntas realiter ſit diſtincta ab intellectu. 522
22. An intellectus vel voluntas ſit nobilior. 523
23. An voluntas ſit libera. ibid.

Corollarium totius Libri.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORVM, hoc Libro primo contentorum,

Littera D, ſignificat diſputationem: d verò difficultatem & p. paginam.

A

Accidens.

ACcidentia eadem manent in homine vivo & mortuo, D.1.d.1.p.9.
accidentia non mutant ſpeciem. ibid. d. 10 p.11.
Accidens abſolutum quot modis corrumpatur. D. 15.d.15 p.340
accid ſunt nobiliora quā ſpecies. d.21.d.9 p 445.
multa accid. carent contrario. d.22.d.7 p 456.
Accid. cognoſcuntur quidditativè, non ſubſtantia. d 25.d.12 p. 417.

Actus, actio.

alius eſt actus phyſicus. alius metaph. ſive entitativus d 2.d.10.p.373
actus ſpirituales ſunt etiam diviſibiles. d.9.d.42, p.251
actio productiva unionis eſt materialis. d.11.d.4. p.275
actus vitalis non poteſt ab alio Agente quam à princ. vitæ coniunctè elici. d.11.d.19.p.287
Differ. inter actum & actionem. d.12.d.14 p.297
Differ. inter actus vitales & non vitales, ibid.d.17. p.297.
actus vitales ſunt vera qual. primæ ſpeciei. ibid.

Adeps.

Quid. d.19.d.2.p.401
quomodo differat à ſevo. ibid p.402
n n vivunt. ibid.d 12.p.412.

Adgeneratio.

Quænam actio ſit vera adgeneratio. d.15.d. 3. p.331

Aër.

aer corruptus tranſit in terram. d.5.d.10 p.114
quomodo producatur, ibid.d.13.p.117.
Eſt humidus & calidus, & immediatè ſub igne. ib. 27.p.129.
Eſt humidior quam aqua, ib.d. 28 p.130
quomodo producat ſiccitatem. ib.
Meteora aeris quæ, ib.d.29.p.131

Ætas.

Quot ſint ætates, d.7.d 13 p.172
Quid intelligatur nomine ætatis, ib.
non ſunt apud omnes ead & quare, ib.

Æſtus Maris.

Quid ſit & unde, d.5.d.33 p.133
dependet ab influentijs ſolis & lunæ, ib.

Agens naturale.

Agens naturale non poteſt producere novas ſpecies ſicut nova individua, d.1.d.21 p.28
Agens naturale quomodo attingat rem ſpiritualem, d.11.d.4.p.275

Alimentum.

Quid. d.14 d 1.p.315
quomodo ſit ſimile & diſſim. rei nutriendæ, ib.d.2. p.310
Conditiones alimenti, d 3.p.317
debet eſſe cal. hum. ſapidum & dulce, ib.d.4.16
Differ. inter alim. medicamentum & venenum, ib.d 5.p.319
ſolus ſanguis eſt alim. animalis, ib.d.11.p.323

Alteratio.

Quomodo fiat, d.6.d.11.p.150
An per ſubingreſſum atomorum, ib.

Amaror.

Vnde, d.13.d.13.p 309

Angelus.

nihil ex ſe producit, d.9.d.7.p.219
non poteſt ex aere formare perfectum corpus, d.25. p.2;6
an Angelus plus poſſit quam anima, d.30.p.239
Quomodo Angeli cognoſcant ſe & Deum, d.25.d. 17.& 18 p.519
An Angelus requirat ſpecies ad intelligendum. d. 17 ib.

Anima.

anima Adami creata eſt, d.1.d.20 p 28
animam ranæ quis producat, d.2.d.28.p.55
Anima matris producit formas partiales d.8.d.18. p.210
anima rationalis datur, d.9.d.21.p.232
Quando infundatur d.22.p.233
eſt ſubſtantia ſpiritualis, d.23.& 24 p.234.p.235
anima rat. quid. d.25.p.236
an producatur ab Angelis, vel per traducem, vel ab alia anima, vel à Deo, d.29.& ſeqq.p.238
anima Chriſti eſt creata. d.33 p.244
ſubſiſtit per ſe, ib.
anima rat. creatur etiam ex Ariſt. d.34 p.245
eſt immortalis ex fide & lumine naturæ, d.35.& 36, p.246.
animæ rat. quomodo differant, d.38.p.248
Quot ſint genera animarum, d.39.p.249
Vnde anima rat ſit indiviſibilis. d.41.& 42.p.251
An detur anima mundi, d.43.p.252
animæ rat. quot, d.11.d.10.& ſeqq p.279

quomodo anima rat. contineat animam veg. & ſenſit. ib.
Quomodo anima rat. ſit corporea & mixta, d.14. p.282
anima rat. eſt tota in toto &c. d.17.p.285
anima rat. poteſt informare corpus cum diſpoſitionibus contrarijs, d.19.p.286
Anima veget. quid, d.13.d.3.p.301
anima an poſſit informare corpus abſque ullo actu vitali, d.19.d.9.p.406
anima rat. quomodo ſeipſum cognoſcat, d.25.d.18. p.520
anima ſeparata quomodo ſe intelligat, d.18.ib.

Animal.

Vnde imperfectum dicatur, D.3.d.6.p.46
In communi quid, d.8.d.16.p.207
Vnde refrigeretur animal, d.17.p.209
An animalia agant proprie propter finem, d.22.d.8.p.477
agunt ex inſtinctu naturæ, ib.

Animata.

animatorum quot genera, D.9.d.40.p.250

Appetitus.

appetitus materiæ ad formam eſt innatus, D.2.d 17.p.34
appetitus cibi quomodo fiat, d.13.d.16.312
appetitus ubi, ibid. Quotuplex, d.24.d.6.p 491
appet. naturalis differt à ſenſitiva, d.6.p.491
etiam differt appet. ſenſit. ab intellectivo, ib.
Vnde oriatur appetitus, d.10.p.494
Vbi reſideat, ib.

Arbor, arbor vitæ.

Quæ arbores magis durabiles, D.10.d.8.& 9.p. 160
arbor vitæ quam vim habuerit, d.14.p.266

Arteria.

Vnde oriatur, D.4.d.13.p.99
Ejus conſtitutio, ib.
motus arteriarum ad quam facult. ſpectet, d.24. d.16.p.497
Vnde moveantur arteriæ, d.18.p.499

Aſina.

an ſit perfectior mulo, D.3.d.6 p.75.& D.8.d.21. p.211,

Aſſatio.

Quid. D.6.d,13 p.519
effectus ejus, ib.

Aſſiſtentia.

Quid, D.ind.5.p.277

Atomi.

Quid, & an ex ijs fiat miſtio, D.6.d.9. & ſeqq. p.160

Autumnus.

an humidus ſit an verò ſiccus, D.7.d.13.p 172

Auditus.

requirit ex natura ſua medium ad ſenſionem, D. 20.d.7 p.428
quodnam organum audiens, d.22.d.16 p.460
auditum habent piſces in aqua, d.17.p.461

Augmentatio.

qualis motus, D.15.d.1.p.330
eſt ad ſubſt. ib.
quæ natura augmentationis, d.2.ib.
augmentatio differt ab ipſa nutritione, d.3.p.332
in quanam actione formaliter conſiſtat, d.5.ib.
quomodo inſtant: & ſucceſſiva, ib.p.334
fit in omnibus partibus animatis, d.8.p.335
an animal ſit idem poſt augment. d.11.& 12.p. 337
An in augment. producatur nova quantitas, d.17. p.341

Auris.

ſtructura auris, D.22.d.15 p.460

B

Baſiliſcus.

An detur, D.8.d.17.p.209
Ex qua materia generetur, ib.

Bilis, bilioſus.

non eſt alimentum animalis aut ullius ejus partis bilis, d.14.d.11.p.323
Quid ſit, d.16.d.11.p.356
Ejus generatio, ibid.
an facilè bileſcant dulcia, ibid.
bilis excrementitia quomodo corrumpatur, d.17. p.364

Bruta.

An habeant perfectiorem olfactum quam homines, D. [illegible] 2.p.464
an propriè agant propter finem, vide animal.

C

Cadaver

Quid. D.[illegible].d 1 p.68
an omnia cadavera v.g humana, equina &c. ſint eiuſdem ſpeciei, d.2 p.69

Calor vitalis.

Quid, D.7.d.23.p.185
fons caloris vitalis in animalibus ſanguineis eſt cor, d.[illegible].d.15.p.20[illegible].& d.17.d.14.p.378
caloris [illegible] quomodo differat ab innato, d.15.p. [illegible]9
quomodo in eum tranſeat, ib.
An calor nativus & elem. ſive ſolaris differant, d. 16.p.380

Calidum innatum.

An pueri vel iuvenes calidiores, D.7.d.21.p.184
quomodo ſit innatum, d.17.d.1 p.367
Quid ſit, d.2.p 368
quomodo differat ab humido radicali, d.4.p.370
an plus calidi innati in puero vel iuvene, d.10.p. 374

Cartilago.

Quid & cuius uſus, D.4.d.7.p.93

Caſtratus, vide Spado.

Caro.

Quid & quotuplex, D.19.d.2.p.401
Eius uſus, ib.

Centauri, hippocentauri.

An dentur, D.8 d.17.p.208

Cerebrum.

Quid, D.4.d.14 p.100.101
An præſtet cordi, ibid.

Chalybs.

Quomodo fiat, D.6.d.14.p.159

Chriſtus.

Conceptus eſt ex ſemine ſemineo, D.2.d.23.p.50
formatus in utero uno inſtanti, ib. & d.8.d.22.p. 213
Chriſti corpus idem fuit vivens & mortuum, d.2. ibid.
temperamentum Chriſti fuit mutabile, d 7.d.8. p.166
in Chriſto duæ ſunt naturæ, d 9.d.16 p.236

Chyromantia.

qualis ars & quomodo licita, D.7.d.23.p.186

Cognitio quidditativa.

Quid, D.25.d.12.517
cognoſcere cum reflexione eſt ſolius intellectus, d.21. d.4.p 442
Etiam bruta cognoſcunt per ſenſum internum, ibid.
non cognoſcuntur in hac vita Deus & Angeli quidditativè, d.25.d.12.p.517

Color.

non ſemper eſt ex permiſtione qual prim. D.5.d 9. p.113
Colores unde, D.8 d 10.p.200.
Colorata non poſſunt in tenebris videri ſicut lucida, d.22.d. 10.p.458

Cælum.

etiam conſtat forma & materia, D.1.d.7.p.14

Cometa.

quem motum ſequatur, D.5 d.32 p.133
Quid ſit & unde, d.21.p.124

Compoſitum phys.

poteſt exiſtere, v.g. homo abſque quantitate, D.2. d.8.p.37
compoſitum dicitur propriè generari & corrumpi. d.8.d 5.p.193

Complexio.

non datur in embryone, D.7.d.25.p.159
non datur ſanguineomelancholica & biliosophlegmatica, ibid.p.160

Conceptus formalis ſive verbum mentis.

Quid, D25.d.9.p.515

Conceptus ſeminalis.

Ex qua materia vel ex quo ſemine fiat, D. 2.d.34. p.60
Quid ad eum requiratur, d 35.p.61
quotuplex ſit, d.36.p.62

Concoctio.

quid & quis eius modus, D.6 d.12.p.158
quomodo fiat prima in ventriculo, D.13.d 8.p. 304.305
quomodo ſecunda & tertia, d.9 & 10.p 305.306
Concoctionis ſpecies quæ & quid, d.11.p.306.307
Concoctione quomodo omnia craſſeſcant, d.12.p. 307

Contrarium.

quomodo aliquid ſit ſubſtantiæ contrarium, D.1.d. 15.p.22

Converſio.

quid ſit converſio miraculoſa, D.1.d.16.p.23
quotuplex, ib.
converſio alimenti in puriorem ſanguinem, D.16. d.2.p.345

Cor.

eſt pars princeps in animalibus, D.10.d.18.p.269
Eſt fons caloris vitalis, d.15.p.267
Eſt vitæ principium, d.18.p.269
Eſt pars princeps in homine & animali perfecto, d. 19.d.18.p.418
nemo perit naturaliter illæſo corde, d.20.p.421
cor quomodo principium motus, d.24.d.2.p.488
motus cordis ad quam facult ſpectet, d.16.p.497
An cor & arteriæ ſimul moveantur, d.21 p.501

Corpus, corpus humanum.

corpus quotuplex, D.19.d.5.p.404
corpus homog. non poteſt animari, d.6.ib. *nec ſimplex,* d.5.ib.
quale corpus poſſit animari, d.7.p.405
corporis humani præſtantia, d.1.d.20 p.28
Eius dotes, ib.
corpus organicum non producitur per actionem vitalem, d.2. d.28 p.55
formale ſignificatum corporis organ. quid. d.3.d.1. p.68. & d.9.d.26.p.237
corpus mortuum conſtituitur per materiam & formas part. d.3.d.3.p 70
Vnde corporis organ. formatio, d.6 p.75
quando abſolvitur, d 10.p.78

Corrumpi.

unde aliquid dicitur corrumpi, D.2.d.7.p.35
quot modis corrumpatur aliquid, d.15.d.15.p.340

Creatio.

Quid ſit & an detur, D.1.d.16.p.23
quid Deus præcisè primitus creaverit, d.18 p.25
fit ex nihilo, d 8.d.7.p.195
An Ariſt. eam agnoverit, ib p.196
differt ſpecie à generatione. ib.

Creſcere.

homo non creſcit toto vitæ tempore, D.15.d.10.p. 336
animal creſcit ſecundum omnes partes viventes, d.8.p.334
An creſcant partes formales an materiales, d.9.p. 335

Cruditas.

Quid & quis eius effectus, D.6.d.13.159

Cutis.

Quid, D.4 d.5.p.92. *quotuplex,* ib.
An vivat, d.19.d.13 p.412

D.

Decretio, ſive imminutio.

Quomodo differat ab augmentatione, D.15.d.6. p.333
non habet cauſam finalem per ſe, ib.
eſt negativum quid & etiam poſitivum, ib.

Delectatio, vide voluptas.

Denſum, denſitas.

Quid ſit denſum. D.15.d.14 p.339
non poteſt ſeparari à quantitate, ib.

Dentes.

an vivant, D.19.d.13.p.412

Diaphragma.

motus huius eſt voluntarius, D.24.d.28 p.506

Diſcurſus.

Eſt operatio ſolius intellectus, D.23.d.8.p 477

Diſpoſitiones.

quomodo ad formæ productionem concurrant, D. 9.d.12.p.230

Dæmon.

Dæmon.

Poteſt eſſe ſuccubus non incuba, D.8.d.20.p.211
non poteſt generare niſi aliena virtute, ibid.

Dolor.

an ſpectet ad appetitum, D.13.d.16.p.313
actus doloris ubi, ib.
quid ſentiatur cum dolore, d.22.d.30.p.469
quæ concurrant ad dolorem, d.32.ib.
Quid ſit dolor, d.34.p.470
quæ cauſa doloris, d.35.p 471
in quo conſiſtat formaliter dolor, ib.

Dulce, Dulcedo.

Unde, D.13.d.13 p.309
an dulcia ſemper facilè bileſcant, d.16.d.11.p.356

E

Echus.

Quid & quomodo fiat, D.22.d.19.p.461

Elementum.

Non eſt unum Elementum, nec duo aut 3. ſed 4. D. 5.d.3.& 4.p.109 & 110
Elem. eſt corpus ſimplex, ib.
Quid ſit, d.5.p.110
Cauſa Elementorum quæ, d.6.p.111
quæ forma, d.7.p.111
non ſuſcipiunt magis & minus, d 8 p.112
non ſunt ubique pura, d.9.p.113
quæ magnitudo & figura Elem. d.11.p.114
per quid tranſeant ad ſtatum naturalem, d.12.p. 115
In Elem. quomodo ſint qual. ſecundæ, d.14.p.117
moventur à ſuis formis, d.16.p.119
Elem. ignis nobiliſſimus, d.17.p 119.120
non manent formaliter in mixto, d.6.d.15.p.155
quomodo ſint ſimplicia, d.16 p.157
non nutriunt, d.14.d.3.& 7 p.317.& 311

Elixatio.

Quid, D.6.d.13.p.159

Emanatio.

Quid, D.12.d.11.p.293

Embryo, vide fœtus.

Error.

Quid, D.21.d.7.p.444

Euripus.

Quid & unde, D.5.d.34 p.135

Excrementa.

Fœtus quæ & unde, D.18.d.5.p 387

Exhalatio.

Eſt mixtum imperfectum, D.5.d.35.p.136

Exiccatio.

Quomodo fiat, D.6 d.14.p.154

Extenuatio.

Unde, D.6.d.14.p.155

F

Facultas.

Facultatis nomine quid intelligatur, D.12.d.1.p. 289
Facultas quid, d.2.p.289
Fac. ſumitur ex modo operandi, d.3.p.289
Quot ſunt facult. apud Medicos. d.4 p.290
Ubi reſideat fac. naturalis & d.13 d.4.p.302
Facult. naturalis quid, ib.
Quid fac. vitalis & quæ ipſius ſedes, d.5.p.303
An fac. vitalis & naturalis diſtincta, ib.
Fac. animalis quid & ubi ſubjectetur, d.21.d.1.p. 440
In quo ſubjecto propriè ſint facult. in genere, d.9.p. 445
Facult. organ. ſunt in corpore, inorg in anima, ib.
Facult. emanant ab anima, d.11.p.446
An differant ab anima, d 12.13.14.&c.p.447
Facult. naturalis unde ſic dicatur, d.13 d.1 p.299
Quot ſint facult. naturales ſeu veget. d 2.p.300
Quomodo differant, d.3.p.301
An facult. nutritiva ſit diſtincta à calore vitali, d.6. p.303
Facultas nutriens quid, d.7.p.304
Quæ facult. cognoſcitiva requirant ſpecies intentionales, d.21.d.19.p.451

Fames.

Cui conveniat, D.13.d 16 p.312
Quæ concurrant ad famem, ib.
Quid fames, ib.
In quo conſiſtat fames, ib.p.313
In qua parte corporis ſit fames, ib.

Ferrum candens.

In ferro candente quomodo ignis, D.5.d.19.p.122

Fibra.

Quid & quotuplex, D 4.d.7 p.94.

Fœmina.

Etiam ſemen habet, D.2.d.22.p.48
concurrit activè ad gener. prolis, d.8.d.21.p.212
quomodo ſit error naturæ, d.3 d.14.p.83
quomodo ejus generatio intendatur à natura, ib.
Cur fœmina citius creſcat, d.15.d.10.p.337
Cur ita pinguescat, d.19 d 2.p.402

Fœtus.

Fit ex ſolo ſemine, D.2.d.19.p.46
eſt organicus ante adventum animæ, D.9.d.26.p. 237
Fœtus humanus non informatur ſucceſſivè pluribus animabus, d.11.d.15.p.283
non nutritur ante adventum animæ, d 16 p 284
quando incipiat vivere & nutriri, d.18.d.1.p 383
qualem vitam vivat in utero, d.2 p.384
eius nutritio in utero, d.4.p.386
eius cor non movetur, d.6 p.388
unde eius excrementa, d.5.p.387
quomodo vivat in utero, d.7.p.389
Eius ſituatio in utero, d 9 p 372
initium motus, ib.
Quomodo fameat & ſitiat in utero, d.11.p.393
an rideat, fleat, dormiat, vigilet, d 12.p 394
quando incipiat formari fœtus, d.3.d.9.p.76

Forma.

Forma corporeitatis qualis, D.2.d.12.p.39

forma part. idem quod forma corpor. d 3.d.2.p.68
Datur forma part. d.4.p.71
qua earum neceſſitas, d 5.p.73
formae elem. non poſſunt intendi & remitti, D.5 d. 8.p 112.d.6.d.15.p.155.nec reliqua ſubſt. d.9. 7.p.218
forma Elem. quomodo ſint contraria. d.6.d 16.p. d.157
formas part. produxit anima matris, d 8.d.18. p. 210
datur forma ſubſt. d.9.d.1.p 215
etiam forma ſubſt. eſt in ſubiecto, ib.
diviſio formæ, d.2.p.215
formæ quid, d.3.p 216
productio formæ ſubſt. d.6.& 10.p.217.229
an forma ſubſt. habeat unquam eſſe imperfectum, ib.
forma numerica eſt indiviſibilis, d.9.p 225
quomodo forma ſit multiplicabilis, ib.
formæ naturales ſunt corrupt. d.11. p.229
nulla f.rma eſt per ſe extenſa ſeu diviſ.d 13.p 227
forma ſpecifica dat omnes gradus eſſentiales, d 16. p.229
non ſunt tot formæ quot prædicata eſſentialia, d.17. p.130
duæ formæ totales poſſunt informare divinitus eandem materiam, d.16.p.229
plures formæ ſubordinatæ in eod. ſubjecto, d.17.p. 230
quomodo corrumpantur formæ materiales, d.18. p.231
quæ ſint proprietates formarum materialium, d. 20.p 232
forma aſſiſtens quæ & quid, d.11.d.7.p.277

Formatio.

Quando incipiat fœtus formari, D.3.d.9.p.77
quando ceſſet, d.10.78

Formaliter ineſſe.

Quid ſit, D.6.d.15.p 156

Foſſilia.

Quæ, D.8.d.10.p.199
quæ eorum materia, ib.

Frigus.

activum eſt, D.6.d.6.p.193

Functio.

Quid, D.4 d.19.p.104

G

Generatio.

In communi quid, D.8. d.2.p 191
conſiſtit in actione unitiva formæ & materiæ, d.3. p 192
Gen.unius eſt corruptio alterius, d.4 p.192
conveniunt & differunt, ib. & d.5.p.193
Generatio eſt actio. d.8.p.196
eſt actio & inſtantanea, ib.
eſt etiam aliquando ſucceſſiva, d.9.p.197
Gener. viventis quid, d.11 p.202
Gener. vegetabilium quid, d.12.p.202
Gener. ſenſitivorum quid, d.15.p.206
Gener. hominis quid, d.19.p.210
quot modis ſint gen. humana, d.22.p.213
omnes gen. conveniunt univocè, ib.
Gener. hominis in rigore non eſt propriè generatio, D.11.d.4.p.275

Grave.

Summa gravitas non oritur præcisè à ſummo frigore, D.5.d.3.p.109

Guſtus.

Quæ ſtructura organi guſtus, D.22.d.24.p.465
quod eius organum, ib.
quomodo guſtus ſit tactus, & guſtabile tangibile, d.26.ib.
guſtus differt ſpecie à tactu, ib.

Gygantes.

Dantur & fuerunt, D.3.d.17.p.86

H

Habitus.

Quid & unde, D.8. d.10.p.199
habitus ſpirit. ſunt diviſibiles, D.9.d.42.p.251

Hermaphroditus.

Quid & quotuplex, D.3. d.16.p.85

Homo.

Homo Oriens quid, D.1, d.2.p.10
quomodo à Deo productus homo. d.10.p.27
homo leone calidior, d.4.d 20.p.105.& d.7.d.17. p 178
temperam. hominis præſtat omnibus aliis, d.7.d.9. p.167
unde dicatur homo bilioſus, melancholicus, d.15.p. 175
quomodo homo generet hominem, d.8.d.19.p.210 d.9 d.33.p.241
à quo principio producatur homo, d.21, p.212
fuit etiam homo corrupt. extrà rectum, d.10 d.13. p.266
quamdiu vixiſſet homo in paradiſo extrà reatum, d.14.p.267
homo unam tantum habet animam, d.11 d 13.p. 280
homo non creſcit ſemper. d.15.d.10.p.336
quomodo ſemper maneat idem numero homo, d. 12.p.337
homo non diſcurrit quà ſenſitivus, d.23.d.8.p.477

Humectatio.

Quomodo fiat, D.6. d.14.p.160

Humidum innatum,

Unde dicatur innatum, D.17.d.1 p.367
Quid ſit, d 2 p.368
quomodo differat à calido, d 4.p.370
Quotuplex, d 7 p.372
an ſit pars corporis, d.8 p.372
An ſit in omnibus partibus, d.9 p.373
An etiam nutriat, d.12 p.376
An ſemper & æquè bonum poſſit reſtaurari, d.18. p.381
A quo principio materiali, d 19 p 382

Humores.

Humores ſecundary ſunt alim immediatum animalis, D.14.d.10.p.323
Quid per humorem intelligatur. d.16.d.1.p.343
Dantur 3. humores cum ſanguine confuſi, d.2. p. 344
nihil aliud ſunt quam ſanguis indigeſtus, d.3 p. 346
humor alimentalis quid, d 5.p.348
humorum effectus, ib.
Ubi generentur humores, d.6.p.349
quis humorum exuperet in venis, d.12. p 357

unde

Vnde humorum abundantia, d.13.p.359
An quivis humor in quemlibet tranſmutari poſſit, d.14.ib.
Quomodo differant humores alimentales, d.15.
quid & quot ſint humores excrem.naturales, d.16.p.360
Quid ſit humor p.n. & quotuplex, d.17.p.363
Qui humores ſecundarij & quot, d.18.p.364
An humores ſint animati, d.19.d.10.p.421

I

Ignis.

An detur ignis ſub concavo lunæ. D.5.d 18.p.110
Ignis noſter requirit pabulum, ibid. ſed quale? d.23.p.126
eſt inter elementa nobiliſſimus, d,17.p.119
eſt ſubſtantia & non inhæret, d.19.p.122
eſt calidiſſimus.ſicciſſimus & leviſſimus d.20.p.123
unde generetur, d.21.p.124
unde quædam corpora facile igniunt, ib.
ignis fatuus, lambans, ſepulchralis, &c. d.22.p.125
quomodo extinguatur ab aqua & aliis, d.24.p.127
quomodo ingrediatur miſtionem, d.6.d.1.p.140
ignis ad ſui conſervationem requirit aërem, d.10.d.16 p.267

Intellectus.

Educitur ex anima rat.tanquam ex materia & ſubjecto ſuo, D.9.d.33.p.242
An intellectus poſſit poni in lapides, d.11. d.19.p.286
elicit actus diverſos, d.13.d.3.p.301
Cuivis homini ſuus eſt intellectus, d.25.d.1.p.509
Intellectus in genere quid & quotuplex, d.2.p.511
Intellectus Agens eſt neceſſarius, d.3.ibid.
Quid agat intell.agens, d.4.p.512
officijs tantum differt intell.agens à poſſibili,d.5.ib.
Neceſſarias habet ſpecies intell. d.6.p.513
Intell.poſſibilis eſt activus, d.8.p.515
Intellectus cognoſcit univerſale & ſingulare, d.9.& 10.ib.
Obiectum intellectus in hac vita eſt accidens materiale, d.15.p.519
Intellectus quomodo ſe cognoſcat, d.14.p.518

Iris.

Quid & quomodo fiat, D.5.d 29.p.131

Incubus.

Quid, D.8.d.20 p.211

Incraſſatio.

Unde, D.6.d.14.p.155

Immortale.

Immortalitas hominis in paradiſo erat potentia non moriendi & non impotentia moriendi, D.10.d.14.p.267

Informatio.

Informatio animæ quid, D.10.d.5.p.257

Inedia.

Quamdiu tolerari poſſit, D.13.d.17.p.314
An facilius cibi vel potus, ib.

Ingenium.

Quid, D.7.d.11.& 15.p.173
Ingenioſi qui, ib.

Inſtinctus naturæ.

Quid, D.23.d.8.p.477

Intendi & remitti.

Non eſt idem quod magis & minus ſuſcipere. D.15.d.15.p.340

Juvenes.

Quale temper. habeant. D.7.d.13 p.172
abundant calore adventitio, D.17.d.10.p 374

L

Lac.

An vivat, D.19.d.12.p.412
quomodo differat à ſemine & ſanguine,D.2.d.32.p.59

Lapis.

Quæ ſit materia lapidum, D.8.d.10 p.198
Quæ cauſa & quæ accidentia, ib.
non vivunt lapides, d.19.d.6.p.405

Leo.

Unde tam fortis, D.4.d.6.p.93
Leonum oſſa colliſa ignem concipiunt, D.5.d.21.p.124

Levitas.

Eſt à calore & raritate, D.5.d.20.p.123

Liquor, liquatio.

Liquida quomodo miſceantur, D.6.d.7.p.145
liquatio unde, d.14.p.154
liquida an nutriant, d.14.d.8.p.321

Lux, lumen.

Ligna putrida cur luceant. D.22.d.4.p.455
lumen non eſt ſubſtantia, d.6.p.456
lumen eſt qualitas realis, d.7.ib.
Differentia inter lumen & lucem,d.8 & 11.p.457.& 458
lux, lumen & radius quid, ib.
lumen videtur per ſpeciem, d.9 p.457
lucida poſſunt in tenebris videri, d,10.p.458

M

Mare.

Vnde tam variè moveatur, D.5.d.32.p.133
Varia ſunt, ib.
maris æſtus unde & ubi, d.33.p.134

Magnitudo.

Quos terminos habeat, D.15.d.18.p.342
Quævis res habet certum terminum ſuæ magnitudinis, ibid.& 19.ib.
magnitudo quid, d.21.d 6.p.444

Mas.

An ſit calidior fœminâ.D.2.d.40.p.66.& D.7.d.16.p.177
Mas per accidens non operatur in prolem ut mater, D.3.d.6.p.75
Mas vel pater quid faciat in gener. D.11.d.4.p.285

Mater.

Munus in Oviparis & Viviparis quale,D.11.d.5.p.276
Mater producit formas partiales,d 8.d.18.p.210

Materia.

Quomodo mutabilis & diverſa, D.1.d.21.p.29
materia prima & ſecunda, D.2.d.1.p.30
eſt ſimplex, d.2.p.31
materia ſublun & cæleſt.eſt eiuſd.rationis,d.3.p.33

poteſt Deus novam & diſtinctam materiam creare, d.4 p.34
Eſt ingener. & incorrup. d.5.p.35
materia etiam dicitur generari & corrumpi, ib.
materia prima quid, d.6.p.35
eſt extenſa per quant. d.7.p.35
non exiſtit naturaliter abſq; quantitate. d.8 p.36
poteſt Deus conſervare materiam abſq; forma & quant. ib.
exiſtit entitate propria, d.10.p.37
conſtat actu metaph. & potentia phyſica, ib.
materia habet ſuũ extenſum à quant. cõgenita, ib.
conſervatur in loco & non in puncto ſicut Angeli, d.11.p 39
eſt potentia paſſiva & non metaph. d.12.p.40
potentia materia quid, d.14.p 41
materia eſt pars eſſent: hominis & petri, d.15.& 16 p.41.42.
quomodo formam appetat, d.17.p.43
Etiam materia ſola ſem. poteſt cum vi format. producere organa, d.3.d 6.p.75
Eandem materiam poſſunt informare dua forma totales divinitus. d.9.d.16.p.229

Maturatio.

Quid & quis ejus effectus, D.6.d.13 p.159

Medulla.

Qua vivat, D.19.d.12 p.412

Medicamenta.

An nutriant animal, D.14.d.6.p.319

Melancholia.

Quotuplex & unde, D.7.d.15.p.176
Quid, d.16.d.21.p.356
Quomodo corrumpatur, d.17.p.364

Membrana.

Quid, D.4.d.5.p 92.
membrana fœtum involventes quæ & quis uſus earum, d.3.d 11 p.79 d.18.d.5

Membrum.

Quæ membra citius formentur, D.3.d.11 p.79
omnia ſimul formantur, ib.

Memoria.

Memoria intellectiva non eſt diſtincta ab intellectu, D.25.d.19.p.521
quid memoria ſenſitiva. d.23.d.9 p.478
non eſt diſtincta à phantaſia, ib.
quomodo differat à reminiſcentia. d.10 ib.

Metalla.

Horũ cauſa effic. D.6.d.5.p.144.& d.8.d.10 p.200
non vivunt, d 19.d.6.p. 405
quæ eorum materia, D.8.d.10.p 198
An nutriant, D.14.d 9.p.321

Meteora.

Ignea, D.5.d.21.p.125
aerea, d.29 p.131

Mineralia.

Quid & unde, D.8.d.10.p.201

Miſtio.

Ad hanc quæ corpora requirantur, D.6.d.2.p.140
Quid, & quomodo ſumatur, d.3 p.142
generatio miſti, quid, d.3 p.142
differ. inter miſtionem & gener. miſti, ib.
non fit in igne, d.8.p.147
an fiat ex atomis, d.9.& 10.p.147.& 148

Mixta.

An ſint homogenea, D.4.d.3.p.91
rarò fiunt ex ſolis Elementis, d.5.d.18.p.121
mixta imperfecta ſunt exhalationes, d.35.p.136.
forma miſti à quo producatur, d.6.d.5.p.134
miſtum corruptum non reſolvitur in 4. elementa, d.16.p.157.

Modus.

Non poteſt ſeparari à re modificata.

Mola.

Vnde fiat, D.2.d.23.p.48.& d.36.p.63

Monoceros.

An detur, D.8.d.17.p.208

Monſtra.

Quæ aërea, marina, terreſtria. D.3.d.17.p.86
non ſpectant ad homines, d.18.p.87
Quid ſit monſtrum, d.19.p.87
quomodo intendatur à natura, ib.
Quæ cauſa, ib.
unde conſtet monſtrum eſſe animal unum vel duo, ib.

Mores.

Quomodo ſequantur temperamentum, D.7.d.15.p.176
unde cognoſcantur in hominibus, d 22.185.

Motiva potentia.

Quid & quotuplex, D.24.d.1.p.487
quare detur, d.2.ib.
ubi ſubjectetur, & unde derivetur, d.5.p 490

Motus.

Quomodo producatur motu ignis aut qualitas, D.5 d.21 p.124
quot motus fiant in rarefactione ſanguinis, D.15.d 16.p.341
acceptio motus, d.21.d.5.p.443
organum motus voluntarij quod, d.24.d.5.p.490

Mulus.

An aſinâ imperfectior, D.3.d.6.p.75
non habet vim generativam, ib.

Muſculus.

Eſt organum motus voluntarij, D.24.d.14.p.496
ex quibus partibus conſtet, ib.

N.

Nervi.

Quid & unde orientur, D.4.d.15.p.101

Nihilum.

Ex nihilo nihil fit, D.1.d.1.p.10

Noctambuli.

Quomodo inter dormiendum operentur, D.3.d.13.p.82
quare vocati faci!è cadant, d.2.d.14 p.42

Numerus.

Formaliter ſumptus eſt ens rationis. D.21.d.5.p.443

Nutritio.

Quid & in quo formaliter conſiſtat, D.13.d.7.p.304
quomodo differat à generatione, ib.
quæ partes nutriantur, d 13 p.310
An ſemper & continuò nutriatur homo, d.14.ib.
quamdiu animal ſine nutritione poſſit vivere, ib. p.311.
An nutriant odor, vinum, res liquidæ, ſolida, medicamenta &c. d.14.d.6.& ſeqq.p.312
quomodo nutriantur animalia perfecta ſolo ſanguine, d.10.p.322
quomodo nutriantur vegetabilia. d.14 p 326

Digitized by Google

O.

Objectum.

Facultatis nutritiva, D.14.d.1.p.315.
unum eſt materiale, alterum formale, ib.
objecta quomodo lædant, d.21.d.9.p.445

Oculus.

Conſtitutio oculi, D.22.d.1.p.452
oculi non habent internam lucem, d.14.p.460

Odor.

Non nutrit, D.14 d.8.p.321
quomodo reficiat, ibid.
odorifera quare diu ſentiantur, d.21.d.13.p.448
quomodo percipiatur odor, d.22.d.22 p.464

Olfactus.

Organum quod, D.22.d.21.p.463

Operatio.

5. ſunt genera operationum, D.9.d.39 p.250
in homine ſunt omnes operationes ab una anima, d.11.d.13.p.281.

Organa.

Quæ cauſa principales organorum in fœtu, D.3. d.7.p.76.

Os.

Quid, D.4.d.6 p.92
quomodo nutriantur oſſa, d 14.d 11 p.324
an vivant, d 19.d.13

Ovipara.

Quomodo generentur, D 3 d 7 p.76
à qua cauſa efficiente producantur. d.18.p.87

P.

Partes.

Quid ſit pars, D.4 d.1.p.89
quæ diviſio, d.2. p.89
quæ partes ſpermaticæ, d.4.p.91
quomodo conſtituant & contineant corpus organ. d.16.& 17.p.102.
partes carnoſæ ſunt calidiores quã ſperm. 20.p.105
mutua actio & paſſio partium. d.7.d.20.p.183
partes quantitativa & extenſ. vel graduales & intenſ. vel entitativa, d.8. d.9.p.197
partes ſimilares animata, d.19.d.1.& 3.p.401
partes heterogeneæ quæ, d 3.p.402
pars princeps in homine qualis, d.17. & 18.& 19. p.418. & 429.

Partus,

Quid, D.18.d.13.p.395
initium & finis parturitionis, d.14 p 396
an partus octim. vivat, d.15.p397
cauſa partus, d.16 p.398

Peccatum,

Originale quid, D.9.d.33.p.244
quomodo propagetur in hominem, ib.
quomodo anima contrahat illud, ibid.

Pelecanus.

An detur, D.8.d.17.p 208

Pennæ, pili.

An vivant, D.19.d.14.p.413

Perſpicuum.

Quid, D.22.d.5.p.455

Phœnix.

An detur, D.8.d.17 p.208

Phantaſia & Phantaſma.

Phantaſia apprehendit etiam colorem, D.21.d.5. p.443.
quid, d.23.d.15,p.483.& d.25.d.4.p.512
operatio phantaſiæ quid, d 17.p.484

Pituita.

Quid, D.16.d.11.p.355
pituita extrem. in quas ſpecies degeneret, d.17. p.364.

Planta.

Non creſcit caſu, D.2.d.20.p.46
omnes habent ſemen, d.21.p.47.
generatio earum, d.3.d.7.p.76
quomodo in ſe transmutentur, d.15.p.84.& d.8. d 12.& 13.p.203.204.
planta quid, d.8.d.13 p.203
plantarum ſpecies & partes, ib.
earum antip. & ſymp. ib.
quomodo naſcantur & à qua cauſa. d.14.p.204
plantarum appetitus, d 9.d.39.p.249

Pluvia.

Quod & quomodo fiat, D.5.d 29.p.130
etiam ſub zona torrida ſunt maximæ pluviæ, ibid.

Porus.

Quid, D.15.d.8.p.334

Potentia.

Non poteſt intelligi abſq; ſuo actu, D.2.d.9.p.37
quotuplex, d 12.p.40.d.9.d.6.p.117
potentia conſervativa quid & qualis, d.5.d.12. p.116.
potentia obedientialis facit creaturam creare, D.8. d.7.p.196.
an pot. vitales poſsint à Deo ſeparari realiter ab anima & ſeparatim exiſtere, d.12.d.14 p.297.
an pot. humana differant à brutalibus, d.15.p.298
omnes pot ſunt activa, d.21.d.3.p.441
potentia læditur per accidens. ibid.

Primi parentes.

Quomodo genuiſſent extrà reatum, D 2.d.39.p.65
habebant eand pot gener. quam cum reatu, ibid.
habuerunt temperam perfectiſsimum licet mutabile, d.7.d.8.p.166.
etiam extrà reatum non manſiſſent ſemper in paradiſo, ibid.

Principium.

Variè ſumitur, D.1.d.1.p.9
dantur, ibid p.9.10
quid ſint principia intrinſeca, d 3.& 4.p.11.12
principia chymicorum quid & quæ, d.8.p.15
principia externa, d.9.p.17
differentia inter cauſam & principium, d.10.p.18
contrarietas eorum, d 14.& 16.p.21.
quomodo perpetuentur, d 21.p.28
quomodo inceperint, d.17.p.24
quare principia dicantur ſimplicia, d.6.d.15.p.155 156.

Privatio.

Quid, D.1.d.6.p.14
an ens reale vel rationis, ibid.
quomodo cognoſcatur, ibid.
quomodo differat à negatione, ibid.
in creatione non datur privatio, d.16.p.22

Produci, generari ſeu fieri, mutari, moveri, creari.

Quid, D.8.d.7.p.192

Pueri.

Quale temper. habeant, D.7.d.13 p.173
an ſint calidiores viris & quomodo, d.13.d.12. p.309.
an pueri vel juvenes ſint calidiores, d.17.d.10. p.374.

pueri abundant calido innato, ibid.
quare pueri multum creſcant, d.12.p.376

Pulmones.

Quo motu moveantur, D.24.d.23.p.503

Putre.

Ex quo putri gignantur inſecta vel animalia imperfecta, D.8.d.17.p.209
à qua cauſa effic. d.18.p.209

Pygmæi.

An dentur, D.3.d.17 p.86

Q.

Qualitas.

Quæ ſint qualitates elem. D.5.d.14 p.117
quomodo ſint in elementis, qualit. ſecunda, ibid.
qual. ſecundæ non ſunt ſemper ex commiſtione primarum. ibid.
qual. duæ conjunctim ſumpta ſunt proprietates elementorum, ib.

Quantitas.

Quæ quantitas non ſuſcipiat magis & minus D.15.d.15.p.340.
quantitas duplex, d 17.p.341
quæ quantitas producatur in augment. ibid.
quantitas emanat à materia, ibid.

Quidditas, vide cognitio quidditativa.

Quies.

Accepta pro permanentia rei eſt quid reale, D 21. d.6 p.443.
an ſit aliqua quies inter dilatationem & compreſſionem cordis & arteriarum, d 23.d.16

R.

Rarum, raritas.

Raritas, quid. D 15.d.14.p.339
an in rarefactione acquiratur nova quantitas, d.15.p.340.
acquiritur tantum novus modus, d.15.ib.
in rarefactione nihil reale accedit, ib.

Reactio.

Datur, D.14.d.5.p.319

Recordari.

Quare potius unius quam alterius recordemur, D.24 d.19.

Res.

Deſcribuntur ut plurimum per ſua accidentia, D.5.d.7.p.112.
res non differunt niſi per formam, d 9.d.1.p.215
res materialis poteſt etiam eſſe in immaterialis, d.12.d.10.p.292.

Reminiſcentia.

Quomodo differat à memoria. D.23 d.10.p.478
an ſit diſcurſus perfectus, ibid.
convenit ſolis hominibus, ibid.

Reſpiratio.

Quid, D.24.d.24.p.504
quæ eius organa & quomodo fiat, d.25 p.504
eſt motus voluntarius, d.28.p 506
animalia propriè reſpirant, d.29.p 507

Reſurrectio.

Etiam eſt vera generatio, D.8.d.11.p.202.& 19 p.211.

Riſus.

Quid, D.24.d.15.p.496
cur illa ei cur rideant, ibid p.497
ſolus homo ridet, ibid.
quare facilius rident pueri & fatui, ibid.

S.

Sanguis.

Unde calidus, D.14.d.4.p.318.& d.3.d.9.p.77
quomodo animal perfectum nutriatur ſolo ſanguine, d.10.p.322.
non eſt immediatum alimentum animalis, ibid.
an ſit primum alim. fœtus in utero, d.12.p.324
an ſanguis alimentalis fœtus differat à menſtruo, d.13.p.325.
ſanguis menſtruus eſt excrementum ob ſolam abundantiam, ibid.
quid per ſanguinem intelligatur, d.16.d.1.p 343
ſanguis nō eſt homogeneus, d.3 & 12.p.347.& 358
eſt in venis & arteriis, ibid.
hunc non habent omnia viventia, d.4.p.348
nec eo carent omnia animalia imperfecta, ibid.
effectus ſanguinis, d.5.ibid.
unde ſanguis ruber, d.7 p 350.
ſanguinis concoctio in venis, ibid p.351
natura ſanguinis, quæ, d 9.p.352
natura ſanguinis menſtrui, d.10.p.353
cauſa huius excretionis, ib p.355
an ſanguis ex quovis humore poſſit generari, d.13 p.358.
ſanguinis circulatio, corollario, p 365
ſanguis non eſt animatus, D.19 d.8.p.406
quomodo ponatur in SS. Euchariſtia, ibid.
quomodo moveatur in corpore, d.9.p 407

Sanitas.

Quomodo conſiſtat in humido & calido, D.17.d.6.p.371.

Sapor.

An ſemper nutriat quod ſapit, D.14.d.17 p.328
quomodo percipiatur, d.22.d.25.p.465

Satyrus.

Datur, D.8 d.17.p.208
eſt ſpecies ſimiarum, ibid.

Senſus.

Quid, D.21.d.1.p.440
eſt activus & paſſivus, p.441
ſingulare repræſentatur ſenſui, d.4.p.442
ſenſus non percipit ſpecies, d.15.p.449
ſenſus an ſint virtutes influentes à cerebro, d.17. p.450.
quomodo diſtributi ſint animalibus ſenſus, d.23. d.3.p.473.
animalia perfecta habent omnes ſenſus, ib.

Senſus internus.

Quomodo pendeat ab externo, D.12.d.16.p.297
detur ſenſus internus, d.23.d.1.p.472
unde ſic dicatur internus, ibid.
diſtinctus eſt ab ext. ſenſibus, ibid.
etiam animalia imperfecta habent ſenſum int. d 3. p.473.
ubi reſideat ſenſus int. ibid.
ſenſus int. re unus eſt, officiis multiplex, d.2 ib.
ſenſus interni non differunt ſubjecto, d 4.p.475
obiectum ſenſus interni quod, d 5.ib.
unde producantur ſpecies ſenſus, d.7 p.476

Semen.

Habet in ſe principium activum & paſſivum, D.2 d.3.p.33.& d.3.d.6.p.74.
ſemen quid, d 24 p.50
ubi gignatur, d.25.p 52
unde producatur, d 26 p.54

utrum-

utrumq; ſemen eſt activum & paſsivũ, d.30.p.58
ſemen effuſum quare liqueſcat, d.31.p.58
cuius ſit temper. ibid.
quomodo differat à ſanguine & lacte, d.31.p.59
an animatum, d.19.d.15.p.414
an plantarum animatum, ib.& d.8.d.12.p.203
ſemen canis an canis, d.9.d.8 p.224
ſemina vegetabilium an vivant, ibid.

Senſile.

Eſt obiectum ſenſus, D.21.d.5.p.443
ſenſibile duplex.d.7. ib.
quomodo ſenſibile non ſentiatur, ibid.

Sentire.

Non ſentiuntur qual.naturales intrinſeca, D.21.d.8.p.445.
ſentire quid, d.16.p.450
quid ſentiatur cum dolore, d.22.d.31.p.469
an homo neceſſariò ſentiat, d.33.p.470

Sexus.

In animalibus perfectis & non in imperfectis neceſſarius eſt, D.3.d.15.p.84
in plantis non eſt propriè uterque ſexus, ibid.
nec in mineralibus, ibid.

Similitudo, diſsim.

Inter prolem & parentem unde & quotuplex, D.3.d.12.p.81.
unde diſsimilitudo, d.13.p.83

Siccatio, vide exiccatio.

Singulare.

An intellectus cognoſcat prius ſingulare, D.25.d.10.p.515.

Situs.

Quibus conveniat, D.13.d.15.p.313
quæ concurrant ad ſitum. ibid.
quæ definitio cauſalis & formalis, ibid.
in qua parte corporis ſit ſitis, d.16
unde ſitiant meticuloſi, d.19.d.9 p 407

Somnus, ſomnium.

Quid ſit ſomnus & quomodo fiat, D.23.d.13 p 480
quomodo ſolvatur, d.16
ſomnium quid, d.17 p.484
ſomnia quædam ſunt fallacia, d.18.p.485
ſomnia immutunt etiam ſpiritus, d.19.p.486
ſomnia naturalia, ibid.
quot genera ſomniorum, d.18.p.485

Sonus.

Venit ad aures per ſpeciem, D.22.d 18.p.461
ſonus ex ſe ſit in inſtanti, ibid.
ſonus quomodo reflectatur, d.19.p 462
ſonus an producat ſpeciem an alium ſonum, ibid.

Spado.

Etiam ardet venere, D.3.d.23.p.49
quomodo differat à caſtrato & Eunucho, ibid.
cur ita progneſcat, d.19.d.1.p.402

Species.

Speciei incompleta multa differunt, D.2 d.32.p.59
quotuplices ſint ſpecies, d.21.d.9.p 445
ſunt neceſſaria, ibid.
per ſpecies quid intelligatur, d.10.p.446
ſpecies ſunt accidentia & activa, ibid.
pertinent ad diſpoſitionem, ibid.
non ſunt qual.naturales & ſtabiles ſed intent. d.11.p.446.
unde & quomodo producantur, ibid.
ſpecies ſenſuum intern. non nobiliores quàm ext. d.13 p.448.
ſunt diviſibiles, d.14.p.448
ſuſcipiunt magis & minus, d.15.p.449
ſpecies rerum quomodo ordine redeant, d.23.d.4.& 10.p.478.
conſervantur in ſpiritibus, d.17.p.484
dantur ſpecies intelligibiles, d.25.d.6.p.513
ad has producendas concurrit eff.u.phantaſma, d.7.p 514. (p.514.
quomodo concurrat ad ſpecies immateriales, ibid.

Spinalis medulla,

Quid, D.4 d.14.p.106

Spiritus.

Vitalis putreſcit, D.5.d.10.p.114
ſpiritus metallicus an detur, d.9.d.8 p.222.
ſpiritus animal. quomodo gignãtur, d.17.d.15.p.379
ſpiritus vitales non gignuntur in fœtu uterino, d.18.d.6.p.388.
nec anima et, d.8.p.390
unde horũ generat. & quomod. in fœtu, d.9.p.392
an ſpiritus animati, d.19.d.10.p 408
quid ſpiritus & quotuplex, d.11.p.409
ſpiritus naturalis an detur, ibid.
an ſpiritus gignatur ex aere, ib.& d.24.d.19 p.499
generatio ſpiritus vitalis & animalis, ibid
nullus ſpiritus differt a ſanguine, ibid.

Subſtantia.

Quomodo hæc dicatur aliquando magis talis, D.5.d 8 p.112.113.
quare dicatur ſimplex, d.6 d.15.p.155
ſubſtantiam immediatè eſſe activam implicat ex Rubio, d 12.d.12.p.294
quomodo cognoſcatur ſubſtantia, d.25.d.11 p.516

Suſcipere magis & minus.

Quid, D.5.d.8 p.112
non eſt idẽ quod intendi & remitti, d.15 d.15.p.340

Syrenes.

An dentur, D.3.d.17.p.86

T.

Tactus.

Organum quale, D.22.d.27.p.466
quomodo fiat tactus, d.29.p.467
quos gradus qualitatis ſentiat tactus, d.30.p.468
organum tactus non ſentit ſuam qualitatem, ſed tantum objecti, d.31.p.468
unus tantum eſt tactus, d 32.p.469

Talpa.

An animal perfectum, D.22.d.36.p.471

Teſtes.

Abſq; teſtibus nemo generat, D.1.d.25.p.53
an ſemen abſque iis generetur, ibid.

Theriaca.

Eſt miſtum perfectum. D.6 d.7.p.146

Temperamentum.

Quid, D.7.d.2.p.161
non eſt qualitas ſimplex, d.3.p.162
nec aliqua quinta, ſed temperatio primarum, ibid.
temperamentorum diviſio, d.6.p.165
temperamenti perfectio in quo conſiſtat, d.8.p.166
datur temper. ad juſtitiam, d.7.p.166
etiam ad pondus & quomodo, d.9.p.167
effectus temperamentorum, d.15.p.175
temper. ſumitur a corde, d.19.p.182
nunquam ex toto deperditur, d.21.p.184

Tendo.

Quid. D.4.d.7.p.95

Terminus. [d.18.p.341

Qui ſint termini magnitudinis & parvitatis, D.15.

omnia habent certum terminum ſua magn. & parvitatis, ib. & d 19.p 342.

Terra.

Quid Deus primitus ex terra produxerit, D.1.d. 19 p.16.
quare terra fuerit rudis & inviſibilis, ibid.
terrâ ſublatâ aqua deſcendet, d.5.d.15.p.128
terra eſt frigida & ſicca, d.35.p.136
eſt ubique habitabilis, d.36.p.136.137
terræmotus quid, d.38.p.138
tremor terræ tempore Chriſti fuit miraculoſus, ib.
terra maximè producit ſiccitatem, d 35.p.136

Totum.

An differat à ſuis partibus, D.7.d 3 p.162

Tradux.

Quid, D.19.d.8.p 223
an doctrina de traduce ſit nova vel antiqua, ib.
per traducem produci animam quid, d 30.p.239

Tranſmutatio.

Subſtantialis, quid, D.1.d.2.p.11
quid accidentalis, ibid.
datur utraque in homine, ibid.
tranſmutatio elementorum, d.5.d.13.p.116
quomodo fiat tranſmutatio hominum in beſtias, d.11.d.21.p.287.

Tunica.

Quid, D.4.d.5.p.92

V.

Vagio vel cambio.

Quid & quomodo fiat, D.8.d.20.p.212

Vaſa ſpermatica.

Semẽ gignitur in vaſis ſpermaticis, D.2.d.25.p.52
an major vis cõſiſtendi ſemẽ in vaſis an in teſtib. ib.

Vegetari, vegetabile.

Vnde ſic dicatur, D.13.d.1.p.299

Vena.

Quid, D.4.d.7.p.94
unde oriantur venæ, d.11.p.96
vena porta unde oriatur, d.12.p.97

Venenum.

An nutriant animal, D.14.d.6.p.319

Ventus.

Quid & quotuplex, D.5.d.29.p.131

Vinum.

An nutriat, D.14.d.8 p.321

Vigilia.

Quid, D.23.d.13 p 480

Vinculum.

Quid & cuius uſus, D.4.d.7.p.93

Vis ſeminalis.

Vnde, D.2.d 29 p.56
an æquè ſit in ſemine maris ac fœminæ, d.30.p.57

Vis uniens ſoluta.

Non eſt ejuſd. ſpeciei cũ formatrice, D.3.d.8.p.76
non omnia ſoluta reuni ut oſſa, ibid.

Vis formatrix & gener.

Vis form. non eſt eadem cum gener. D.2.d.27.p. 54 & d.3 d.6 p 74.
ambæ ſunt principaliter in generante, ibid.
non ſunt potentiæ vitales, d.28 p.55
non ſunt eædem in ſemine & generante, ib.
vis form. poſt corpus formatum perit, d.3.d.8 p.77
vis form. quomodo imprimat ſpeciem parentis in prolem d.13.p.83
vis nutrit. augm. & genẽr. quid, d.13.d.3.p.301
vim gener. etiam ſenes habent, ib.
vis generativa duplex, ibid.

Viſio, viſus.

Viſus non ſentit ſe videre, D.21.d.4.p.442
viſus requirit mediũ extern. ad ſenſionẽ, d.8.p.445
viſio quomodo fiat, d.22.d.2.p.453
in qua parte, d 3.p.454
quod eius obiectum, d 4 p 455
unde viſus nobiliſſimus inter cæteros ſenſus, d.13. (p.459.

Vita.

Quid, D.10.d.1.p.254
vitæ cauſa & principia, d.2.ib.
qualis calor ad vitam neceſſarius, d.5.p 257
quomodo frigus ſpectet ad vitam, d 6.p.258.
quæ cauſa longæ vitæ, d.7 p.259
quæ viventia habeant longiorem vitã, d.8.p.260
quare vita jam brevior quã olim, d.9.& 10.p.262
vita an perpetuari poſſit, d.11.& 12.p.264
vitæ princ. eſt cor, d.18 p.269
qua vita prius incipiat in animali, d.20.p.271
quamdiu vita poſſit naturaliter ſine cibo & potu tolerari, d.13.d.17.p.333

Vnio.

Datur inter materiam & formam, D.11.d.1.p.273
eſt diſtincta ab utraque, ib.
producitur ſola unio in reſurrectione, ib.
quid ſit unio, d.2.p.274
ubi recipiatur, d.3.ib.
an materialis vel ſpiritualis, ib.
quis producat eam, d.5.p.276
eſt naturâ prior quam forma, ibid.
quomodo unio ſpiritualis poſſit produci ab agente materiali, ibid

Vniverſale.

An intellectus cognoſcat prius ſingulare an univerſale, D.24.d.10

Vniverſum.

Eſt perfectiſſimum, D.2.d.4.p.34

Vox.

Vocis inſtrumenta, D.21.d 20.p.462
quid ſit & quomodo fiat, ibid.

Voluptas.

Quomodo fiat, D.22.d.32 p.469
voluptas eſt actus appetitus ſenſitivi, d.32.p.470
ad voluptatem quæ concurrant, d.32 p.469

Voluntas,

Imperat facultati motivæ, D.24.d.28 p.506
determinat phantaſma & dominatur actibus liberis, ibid.
an diſtincta ab intellectu. d.25.d.10.p.522
an intellectus vel voluntas nobilior, d 22.p 523
an voluntas ſit libera, d.23 p.523

Vnicornu, vide Monoceros.

Vſus, vide functio.

FINIS.

Digitized by Google

1461061

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORVM,
hoc Libro primo contentorum,

Littera D, ſignificat diſputationem: d verò difficultatem & p. paginam.

A

Accidens.

ACcidentia eadem manent in homine vivo & mortuo, D.1.d.1.p.9.
accidentia non mutant ſpeciem. ibid. d. 10 p.11.
Accidens abſolutum quot modis corrumpatur. D. 15.d.15 p 340
accid ſunt nobiliora quā ſpecies. d.21.d 9 p 445.
multa accid. carent contrario. d.22. d.7 p 456.
Accid cognoſcuntur quidditativè, non ſubſtantia. d 25.d.12 p. 417.

Actus, actio.

alius eſt actus phyſicus. alius metaph. ſive entitativus d 2.d.10.p 373
actus ſpirituales ſunt etiam diviſibiles. d.9.d.42. p.251
actio productiva unionis eſt materialis. d.11.d.4. p.275
actus vitalis non poteſt ab alio Agente quam à princ. vitæ coniunctio elici. d.11.d.19.p.287
Differ. inter actum & actionem. d.12.d.14 p.297
Differ. inter actus vitales & non vitales, ibid. d.17. p.297.
actus vitales ſunt veræ qual. primæ ſpeciei. ibid.

Adeps.

Quid. d 19 d.2.p.401
quomodo differat a ſevo. ibid p 402
non vivunt. ibid d 12.p.412.

Adgeneratio.

Quænam actio ſit vera adgeneratio. d.15.d. 3. p.331

Aër.

aer corruptus tranſit in terram. d.5. d.10 p.114
quomodo producatur, ibid. d.13.p.117.
Eſt humidus & calidus, & immediatè ſub igne, ib. 27.p.129.
Eſt humidior quam aqua, ib.d. 28 p.130
quomodo producat ſiccitatem. ib.
Meteora aeris quæ, ib.d.29.p.131

Ætas.

Quot ſint ætates, d.7.d 13 p.172
Quid intelligatur nomine ætatis, ib.
non ſunt apud omnes ead. & quare, ib.

Æſtus Maris.

Quid ſit & unde, d.5.d.33 p.133
dependet ab influentijs ſolis & lunæ, ib.

Agens naturale.

Agens naturale non poteſt producere novas ſpecies ſicut nova individua, d.1.d.21 p.28
Agens naturale quomodo attingat rem ſpiritualem, d.11.d4.p.275

Alimentum.

Quid. d.14 d 1.p.315
quomodo ſit ſimile & diſſim rei nutriendæ, ib.d.2. p.310
Conditiones alimenti, d 3.p.317
debet eſſe cal. hum. ſapidum & dulce, ib. d.4.16
Differ. inter alim. medicamentum & venenum, ib.d 5.p.319
ſolus ſanguis eſt alim. animalis, ib d.11.p.323

Alteratio.

Quomodo fiat, d.6.d.11.p.150
An per ſubingreſſum atomorum, ib.

Amaror.

Vnde, d.13.d.13.p 309

Angelus.

nihil ex ſe producit, d.9.d.7.p.219
non poteſt ex aere formare perfectum corpus, d.25. p.226
an Angelus plus poſſit quam anima, d.30.p.239
Quomodo Angeli cognoſcant ſe & Deum, d.15.d. 17.& 18 p.519
An Angelus requirat ſpecies ad intelligendum. d. 17 ib.

Anima.

anima Adami creata eſt, d.1.d.20 p 28
animam ranæ quis producat, d.2.d.28.p.55
Anima matris producit formas partiales d.8. d.18. p.210
anima rationalis datur, d.9.d.21.p.232
Quando infundatur d.22.p.233
eſt ſubſtantia ſpiritualis, d. 23.& 24 p.234.p.235
anima rat. quid. d.25.p.236
an producatur ab Angelis, vel per traducem, vel ab alia anima, vel a Deo, d.29.& ſeqq.p.238
anima Chriſti eſt creata. d.33 p.244
ſubſiſtit per ſe, ib.
anima rat. creatur etiam ex Ariſt. d.34 p.245
eſt immortalis ex fide & lumine naturæ, d. 35.& 36.p.246.
animæ rat. quomodo differant, d.38.p.248
Quot ſint genera animarum, d.39.p.249
Vnde anima rat. ſit indiviſibilis. d. 41.& 42.p.251
An detur anima mundi, d.43.p.252
anima rat. quot. d.11.d.10.& ſeqq p.279

quomo-

Digitized by Google

quomodo anima rat. contineat animam veg. & ſenſit. ib.
Quomodo anima rat. ſit corporea & mixta, d.24. p.282
anima rat. eſt tota in toto &c. d.17 p.285
anima rat. poteſt informare corpus cum diſpoſitionibus contrarijs, d.19.p.286
Anima veget. quid, d.13.d.34.p.301
anima an poſſit informare corpus abſque ullo actu vitali, d.19.d.9.p.406
anima rat. quomodo ſeipſum cognoſcat, d.25.d.18. p.520
anima ſeparata quomodo ſe intelligat, d.18.ib.

Animal.

Vnde imperfectum dicatur, D.3.d.6.p.46
In communi quid, d.8.d.16.p.207
Vnde refrigeretur animal, d.17.p.209
An animalia agant propriè propter finem, d.22.d. 8.p.477
agunt ex inſtinctu naturæ, ib.

Animata.

animatorum quot genera, D.9.d.40.p.250

Appetitus.

appetitus materiæ ad formam eſt innatus, D.2.d 17.p.34
Appetitus cibi quomodo fiat, d.13.d.16.312
appetitus ubi, ibid. Quotuplex, d.23.d.6.p.491
appet. naturalis differt a ſenſitiva, d.6.p.491
etiam differt appet. ſenſit. ab intellectivo, ib.
Vnde oriatur appetitus, d.10.p.494
Vbi reſideat, ib.

Arbor, arbor vitæ.

Quæ arbores magis durabiles, D.10.d.8.& 9 p. 260
arbor vitæ quam vim habuerit, d.14.p.266.

Arteria.

Vnde oriatur, D.4.d.13.p.99
Ejus conſtitutio, ib.
motus arteriarum ad quam facult. ſpectet, d.24. d.16.p.497
Vnde moveantur arteriæ, d.18.p.499

Aſina.

an ſit perfectior mulo, D.3 d.6 p.75.& D.8.d.21. p.211,

Aſſatio.

Quid, D.6.d.13 p.519
effectus ejus, ib.

Aſſiſtentia.

Quid, D.11.d.5.p.277

Atomi.

Quid, & an ex ijs fiat miſtio, D. 6. d. 9. & ſeqq. p.160

Autumnus.

an humidus ſit an verò ſiccus, D. 7.d.13.p 172

Auditus.

requirit ex natura ſua medium ad ſenſionem, D. 20.d.7 p.428
quodnam organum auditus, d.22.d.16 p.460
auditum habent piſces in aqua, d.17.p.461

Augmentatio.

qualis motus, D.15.d.1.p.330
eſt ad ſubſt. ib.
quæ natura augmentationis, d.2.ib.
augmentatio differt ab ipſa nutritione, d.3.p.332
in quanam actione formaliter conſiſtat, d.5.ib.
quomodo inſtant: & ſucceſſiva, ib.p.333
fit in omnibus partibus animatis, d.8.p.335
an animal ſit idem poſt augment. d.11.& 12.p. 337
An in augment. producatur nova quantitas, d.17. p.341

Auris.

ſtructura auris, D.22.d.15 p.460

B

Baſiliſcus.

An detur, D.8.d.17.p.209
Ex qua materia generetur, ib.

Bilis, bilioſus.

non eſt alimentum animalis aut ullius ejus partis bilis, d.14.d.11.p.323
Quid ſit, d.16.d.11.p.356
Ejus generatio, ibid.
an facilè bileſcant dulcia, ibid.
bilis excrementitia quomodo corrumpatur, d.17. p.364

Bruta.

An habeant perfectiorem olfactum quam homines, D. [illegible] p.464
an propriè agant propter finem, vide animal.

C

Cadaver.

Quid, D. [illegible] p.68
an omnia cadavera v.g humana, equina &c. ſint eiuſdem ſpeciei, d.2.p.69

Calor vitalis.

Quid, D.7.d.23.p.185
fons caloris vitalis in animalibus ſanguineis eſt cor, d.[illegible].d.15 p.[illegible] & d.17.d.14.p.378
calor influens quomodo differat ab innato, d 15.p. [illegible]9
quomodo in eum tranſeat, ib.
an calor nativus & elem. ſive ſolaris differant, d. 16.p.380

Calidum innatum.

An pueri vel iuvenes calidiores, D.7.d.21.p.184
quomodo ſit innatum, d.17.d.1 p.367
Quid ſit, d.2.p 368
quomodo differat ab humido radicali, d.4.p.370
an plus calidi innati in puero vel iuvene, d.10.p. 374

Cartilago.

Quid & cuius uſus, D.4.d.7.p.93

Caſtratus, vide Spado.

Caro.

Quid & quotuplex, D.19.d.2.p.401
Eius uſus, ib.

Centauri, hippocentauri.

An dentur, D.8 d.17.p.208

Cerebrum.

Quid, D.4.d.14.p.100.101
An præſtet cordi, ibid.

Chalybs.

Quomodo fiat, D.6.d.14.p.159

Chri-

Chriſtus.
Conceptus eſt ex ſemine ſeminco, D.2.d.23.p.50
formatus in utero uno inſtanti, ib.& d.8.d.22.p.213
Chriſti corpus idem fuit vivens & mortuus, d.2.ibid.
temperamentum Chriſti fuit mutabile, d 7.d.8.p.166
in Chriſto duæ ſunt naturæ, d.9 .d.16 p.136

Chyromantia.
qualis ars & quomodo licita, D.7.d.23.p.186

Cognitio quidditativa.
Quid, D.25.d.12.517
cognoſcere cum reflexione eſt ſolius intellectus, d.21.d.4.p.442
Etiam bruta cognoſcunt per ſenſum internum, ibid.
non cognoſcuntur in hac vita Deus & Angeli quidditativè, d.25.d.12.p.517

Color.
non ſemper eſt ex permiſtione qual.prim. D.5.d 9.p.113
Colores unde, D.8 d 10.p.200
Colorata non poſſunt in tenebris videri ſicut lucida, d.22.d.10.p.458

Cælum.
etiam conſtat forma & materia, D.1.d.7.p.14

Cometa.
quem motum ſequatur, D.5 d.32.p.133
Quid ſit & unde, d.21.p.124

Compoſitum phys.
poteſt exiſtere, v.g.homo abſque quantitate, D.2.d.8.p.37
compoſitum dicitur propriè generari & corrumpi. d.8.d 5.p.193

Complexio.
non datur in embryone, D.7.d.25.p.159
non datur ſanguineomelancholica & biliosphle-gmatica, ibid.p.160

Conceptus formalis ſive verbum mentis.
Quid, D 25.d.9.p.515

Conceptus ſeminalis.
Ex qua materia vel ex quo ſemine fiat, D.2.d.34.p.60
Quid ad eum requiratur, d 35.p.61
quotuplex ſit, d.36.p.62

Concoctio.
quid & quis eius modus, D.6 d.12.p.158
quomodo fiat prima in ventriculo, D.13.d 8.p.304.305
quomodo ſecunda & tertia, d.9 & 10.p 305.306
Concoctionis ſpecies quæ & quid, d.11.p.306 307
Concoctione quomodo omnia craſſeſcant, d.12.p.307

Contrarium.
quomodo aliquid ſit ſubſtantiæ contrarium, D.1.d.15.p.22

Converſio.
quid ſit converſio miraculoſa, D.1.d.16.p.23
quotuplex, ib.
converſio alimenti in puriorem ſanguinem, D.16.d.2.p.345

Cor.
eſt pars princeps in animalibus, D.10.d.18.p.269
Eſt fons caloris vitalis, d.15.p.267
Eſt vitæ principium. d.18.p.269
Eſt pars princeps in homine & animali perfecto, d.19 d.18.p.418
nemo perit naturaliter illæſo corde, d.10.p.421
cor quomodo principium motus, d.24.d.2.p.488
motus cordis ad quam facult ſpectet, d.16.p.497
An cor & arteriæ ſimul moveantur, d.21 p.501

Corpus, corpus humanum.
corpus quotuplex, D.19.d.5.p.404
corpus homog. non poteſt animari, d.6.ib. *nec ſimplex,* d.5.ib.
quale corpus poſſit animari, d.7.p.405
corporis humani præſtantia, d.1.d.20 p.28
Eius dotes, ib.
corpus organicum non producitur per actionem vitalem, d.2.d.28 p.55
formale ſignificatum corporis organ.quid. d.3.d.1.p.68.& d.9.d.26.p.237
corpus mortuum conſtituitur per materiam & formas part. d.3.d.3.p 70
Unde corporis organ.formatio, d.6.p.75
quando abſolvitur, d 10.p.78

Corrumpi.
unde aliquid dicitur corrumpi, D.2.d.7.p.35
quot modis corrumpatur aliquid, d.15.d.15.p.340

Creatio.
Quid ſit & an detur, D.1.d.16.p.23
quid Deus præciſè primitus creaverit. d.18.p.25
fit ex nihilo. d 8.d.7.p.195
An Ariſt. eam agnoverit, ib.p.196
differt ſpecie à generatione. ib.

Creſcere.
homo non creſcit toto vitæ tempore, D.15.d.10.p.336
animal creſcit ſecundum omnes partes viventes, d.8.p.334
An creſcant partes formales an materiales, d.9.p.335

Cruditas.
Quid & quis eius effectus, D.6.d.13.159

Cutis.
Quid, D.4 d.5.p.92. *quotuplex,* ib.
An vivat, d.19.d.13 p.412

D.

Decretio, ſive imminutio.
Quomodo differat ab augmentatione, D.15.d.6.p.333
non habet cauſam finalem per ſe, ib.
eſt negativum quid & etiam poſitivum, ib.

Delectatio, vide voluptas.

Denſum, denſitas.
Quid ſit denſum, D.15.d.14 p.339
non poteſt ſeparari à quantitate, ib.

Dentes.
an vivant, D.19.d.13.p.412

Diaphragma.
motus huius eſt voluntarius, D.24.d.28 p.506

Diſcurſus.
Eſt operatio ſolius intellectus, D.23.d.8.p.477

Diſpoſitiones.
quomodo ad formæ productionem concurrant, D.9.d.12.p.230

Dæmon.

Dæmon.

Poteſt eſſe ſuccubus non incuba, D.8.d.20.p.211
non poteſt generare niſi aliena virtute, ibid.

Dolor.

an ſpectet ad appetitum, D.13.d.16.p.313
actus doloris ubi, ib.
quid ſentiatur cum dolore, d.22.d.30.p.469
quæ concurrant ad dolorem, d.32.ib.
Quid ſit dolor, d.34.p.470
quæ cauſa doloris, d.35.p 471
in quo conſiſtat formaliter dolor, ib.

Dulce, Dulcedo.

Unde, D.13.d.13 p.309
an dulcia ſemper facilè bileſcant, d.16.d.11.p.356

E

Echus,

Quid & quomodo fiat, D.22.d.19.p.462

Elementum.

Non eſt unum Elementum, nec duo aut 3. ſed 4. D.5.d.3.& 4.p.109 & 110
Elem. eſt corpus ſimplex, ib.
Quid ſit, d.5.p.110
Cauſa Elementorum quæ, d.6.p.111
quæ forma, d.7.p.111
non ſuſcipiunt magis & minus, d 8 p.112
non ſunt ubique pura, d.9.p.113
quæ magnitudo & figura Elem. d.11.p.114
per quid tranſeant ad ſtatum naturalem, d.12.p.115
In Elem. quomodo ſint qual. ſecundæ, d.14.p.117
moventur à ſuis formis, d.16.p.119
Elem. ignis nobiliſſimus, d.17.p 119.120
non manent formaliter in mixto, d.6.d.15.p.155
quomodo ſint ſimplicia, d.16 p.157
non nutriunt, d.14.d.3.& 7 p.317.& 311

Elixatio.

Quid, D.6.d.13.p.159

Emanatio.

Quid, D.12.d.11.p.293

Embryo, vide fœtus.

Error.

Quid, D.21.d.7.p.444

Euripus.

Quid & unde, D.5.d.34 p.135

Excrementa.

Fœtus quæ & unde, D.18.d.5.p 387

Exhalatio.

Eſt mixtum imperfectum, D.5.d.35.p.136

Exiccatio.

Quomodo fiat, D.6 d.14.p.154

Extenuatio.

Unde, D.6.d.14.p.155

F

Facultas.

Facultatis nomine quid intelligatur, D.12.d.1.p.289
Facultas quid, d.2.p.289
Fac. ſumitur ex modo operandi, d.3.p.289
Quot ſunt facult. apud Medicos. d.4 p.290
Vbi reſideat fac. naturalis & d.13 d.4.p.302
Facult. naturalis quid, ib.
Quid fac. vitalis & quæ ipſius ſedes, d.5.p.303
An fac. vitalis & naturalis diſtincta, ib.
Fac. animalis quid & ubi ſubjectetur, d.21.d.1.p.440
In quo ſubjecto propriè ſint facult. in genere, d.9.p.445
Facult. organ. ſunt in corpore, inorg in anima, ib.
Facult. emanant ab anima, d.11.p.446
An differant ab anima, d.12.13.14.&c.p.447
Facult. naturalis unde ſic dicatur, d.13 d.1.p.299
Quot ſint facult. naturales ſeu veget. d.2.p.300
Quomodo differant, d.3.p.301
An facult. nutritiva ſit diſtincta à calore vitali, d.6.p.303
Facultas nutrient quid, d.7.p.304
Quæ facult. cognoſcitiva requirant ſpecies intentionales, d.21.d.19.p.451

Fames.

Cui conveniat, D.13.d 16 p.312
Quæ concurrant ad famem, ib.
Quid fames, ib.
In quo conſiſtat fames, ib.p.313
In qua parte corporis ſit fames, ib.

Ferrum candens.

In ferro candente quomodo ignis, D.5.d.19.p.122

Fibra.

Quid & quotuplex, D 4.d.7 p.94.

Fœmina.

Etiam ſemen habet, D.2.d.22.p.48
concurrit activè ad gener. prolis, d.8.d.21.p.212
quomodo ſit error naturæ, d.3 d.14.p.83
quomodo eius generatio intendatur à natura, ib.
Cur fœmina citius creſcat, d.15.d.10.p.337
Cur ita pingueſcat, d.19.d 2.p.402

Fœtus.

Fit ex ſolo ſemine, D.2.d.19.p.46
eſt organicus ante adventum animæ, D.9.d.26.p.237
Fœtus humanus non informatur ſucceſſivè pluribus animabus, d 11.d.15.p.283
non nutritur ante adventum animæ, d 16 p 284
quando incipiat vivere & nutriri, d.18.d.1.p 383.
qualem vitam vivat in utero, d.2 p.384
eius nutritio in utero, d.4.p.386
eius cor non movetur, d.6.p.388
unde eius excrementa, d.5.p 387
quomodo vivat in utero, d.7.p.389
Eius ſituatio in utero, d 9 p 372
initium motus, ib.
Quomodo fameat & ſitiat in utero, d.11.p.393
an rideat, fleat, dormiat, vigilet, d 12.p 394
quando incipiat formari fœtus, d.3.d.9.p.76

Forma.

Forma corporeitatis qualis, D.2.d.12.p.39

formæ part. idem quod formæ corpor. d 3.d.2.p.68
Dantur formæ part. d.4.p.71
quæ earum neceſſitas, d 5.p.73
formæ elem. non poſſunt intendi & remitti, D.5 d. 8.p.112. d.6.d.15.p.155. *nec reliquæ ſubſt.* d. 9. 7.p.218
formæ Elem. quomodo ſint contrariæ. d.6. d 16.p. d.157
formas part. producit anima matris, d.8.d.18. p. 210
datur forma ſubſt. d.9. d.1.p 215
etiam forma ſubſt. eſt in ſubiecto, ib.
diviſio formæ, d.2.p.215
formæ quid, d.3.p.216
productio formæ ſubſt. d.6. & 10. p.217.229
an forma ſubſt. habeat unquam eſſe imperfectum, ib.
forma numerica eſt indiviſibilis, d.9.p 225
quomodo forma ſit multiplicabilis, ib.
formæ naturales ſunt corrupt. d.11. p.229
nulla forma eſt per ſe extenſa ſeu diviſ. d 13. p 227
forma ſpecifica dat omnes gradus eſſentiales, d.16. p.229
non ſunt tot formæ quot prædicata eſſentialia, d.17. p.230
duæ formæ totales poſſunt informare divinitus eandem materiam, d.16.p.229
plures formæ ſubordinatæ in eod. ſubjecto, d.17.p. 230
quomodo corrumpantur formæ materiales, d.18. p.231
quæ ſint proprietates formarum materialium, d. 20.p 232
forma aſſiſtens quæ & quid, d.11. d.7.p.277

Formatio.

Quando incipiat fœtus formari, D.3. d.9.p.77
quando ceſſet, d.10.78

Formaliter ineſſe.

Quid ſit, D.6.d.15.p 156

Foſſilia.

Quæ, D.8.d.10.p.199
quæ eorum materia, ib.

Frigus.

activum eſt, D.6.d.6.p.193

Functio.

Quid, D.4 d.19.p.104

G

Generatio.

In communi quid, D.8. d.2. p 191
conſiſtit in actione unitiva formæ & materiæ, d.3. p 192
Gen. unius eſt corruptio alterius, d.4 p.192
conveniunt & differunt, ib. & d.5.p.193
Generatio eſt actio, d.8.p.196
eſt actio & inſtantanea, ib.
eſt etiam aliquando ſucceſſiva, d.9.p.197
Gener. viventis quid, d.11 p.202
Gener. vegetabilium quid, d.12. p.202
Gener. ſenſitivorum quid, d.15.p.206
Gener. hominis quid, d.19.p.210
quot modis fine gen. humana, d.22.p.213
omnes gen. conveniunt univocè, ib.
Gener. hominis in rigore non eſt propriè generatio, D.11, d.4.p.275

Grave.

Summa gravitas non oritur præcisè à ſummo frigore, D.5.d.3.p.109

Guſtus.

Quæ ſtructura organi guſtus, D.22. d.24.p.465
quod eius organum, ib.
quomodo guſtus ſit tactus, & guſtabile tangibile, d.26.ib.
guſtus differt ſpecie à tactu, ib.

Gygantes.

Dantur & fuerunt, D.3.d.17.p.86

H

Habitus.

Quid & unde, D.8. d.10.p.199
habitus ſpirit. ſunt diviſibiles, D.9.d.42.p.251

Hermaphroditus.

Quid & quotuplex, D.3. d.16.p.85

Homo.

Homo Oriens quid, D.1, d.2.p.10
quomodo à Deo productus homo. d.10.p.27
homo leone calidior, d 4.d 20.p.105. & d.7.d.17. p.178
temperam. hominis præſtat omnibus aliis, d.7.d.9. p.167
unde dicatur homo bilioſus, melancholicus, d.15.p. 175
quomodo homo generet hominem, d.8.d.19.p.210 d.9 d.33.p.241
à quo principio producatur homo, d. 21, p.212
fuit etiam homo corrupt. extrà reatum, d.10 d.13. p.266
quamdiu vixiſſet homo in paradiſo extrà reatum, d.14.p.267
homo unam tantum habet animam, d.11 d 13.p. 280
homo non creſcit ſemper. d.15.d.10.p.336
quomodo ſemper maneat idem numero homo, d. 12.p.337
homo non diſcurrit quà ſenſitivus, d.23.d.8.p.477

Humectatio.

Quomodo fiat, D.6. d.14.p.160

Humidum innatum.

Unde dicatur innatum, D.17.d.1.p.367
Quid ſit, d 2 p.368
quomodo differat à calido, d 4.p.370
Quotuplex, d 7.p.372
an ſit pars corporis, d.8.p.372
An ſit in omnibus partibus, d.9 p.373
An etiam nutriat, d.12 p.376
An ſemper & æquè bonum poſſit reſtaurari, d.18. p.381
A quo principio materiali, d 19 p 382

Humores.

Humores ſecundarij ſunt alim. immediatum animalis, D.14. d.10.p.323
Quid per humorem intelligatur. d.16.d.1.p.343
Dantur 3. humores cum ſanguine confuſi, d.2. p. 344
nihil aliud ſunt quam ſanguis indigeſtus, d.3 p. 346
humor alimentalis quid, d 5.p 348
humorum effectus, ib.
Ubi generentur humores, d.6.p.349
quis humorum exuperet in venis, d.12. p 357
unde

Digitized by Google

Vnde humerum abundantia, d.13.p.359
An quivu humor in quemlibet tranſmutari poſſit, d.14.ib.
Quomodo differant humores alimentales, d.15.
quid & quot ſint humores extrem.naturales, d.16.p.360
Quid ſit humor p.n. & quotuplex, d.17.p.363
Qui humores ſecundarij & quot, d.18.p.364
An humores ſint animati, d.19.d.10.p.421

I

Ignis.

An detur ignis ſub concavo lunæ, D.5.d.18.p.120
Ignis noſter requirit pabulum, ibid. *ſed quale?* d.23.p.126
eſt inter elementa nobiliſſimus, d.17.p.119
eſt ſubſtantia & non inhæret, d.19.p.122
eſt calidiſſimus.ſicciſſimus & leviſſimus d.20.p.123
unde generetur, d.21.p.124
unde quædam corpora facile igniunt, ib.
ignis fatuus, lambans, ſepulchralis, &c. d.22.p.125
quomodo extinguatur ab aqua & aliis, d.24.p.127
quomodo ingrediatur miſtionem, d.6.d.1.p.140
ignis ad ſui conſervationem requirit aërem, d.10.d.16.p.267

Intellectus.

Educitur ex anima rat. tanquam ex materia & ſubjecto ſuo, D.9.d.33.p.242
An intellectus poſſit poni in lapides, d.11. d.19.p.286
elicit actus diverſos, d.13.d.3.p.301
Cuivis hominis ſuus eſt intellectus, d.25.d.1.p.509
Intellectus in genere quid & quotuplex, d.2.p.511
Intellectus Agens eſt neceſſarius, d.3.ibid.
Quid agat intell. agens, d.4.p.512
officijs tantum differt intell. agens à poſſibili, d.5.ib.
Neceſſarias habet ſpecies intell, d.6.p.513
Intell. poſſibilis eſt activus, d.8.p.515
Intellectus cognoſcit univerſale & ſingulare, d.9.& 10.ib.
Obiectum intellectus in hac vita eſt accidens materiale, d.15.p.519
Intellectus quomodo ſe cognoſcat, d.14.p.518

Iris.

Quid & quomodo fiat, D.5.d.29.p.131

Incubus.

Quid, D.8.d.20.p.211

Incraſſatio.

Unde, D.6.d.14.p.155

Immortale.

Immortalitas hominis in paradiſo erat potentia non moriendi & non impotentia moriendi, D.10.d.14.p.267

Informatio.

Informatio animæ quid, D.10.d.5.p.257

Inedia.

Quamdiu tolerari poſſit, D.13.d.17.p.314
An facilius cibi vel potus, ib.

Ingenium.

Quid, D.7.d.11.& 15.p.173
Ingenioſi qui, ib.

Inſtinctus naturæ.

Quid, D.23.d.8.p.477

Intendi & remitti.

Non eſt idem quod magis & minus ſuſcipere. D.15.d.15.p.340

Juvenes.

Quale temper. habeant, D.7.d.13.p.172
abundant calore adventitio, D.17.d.10.p.374

L

Lac.

An vivat, D.19.d.12.p.412
quomodo differat à ſemine & ſanguine, D.2.d.32.p.59

Lapis.

Quæ ſit materia lapidum, D.8.d.10.p.198
Quæ cauſa & quæ accidentia, ib.
non vivunt lapides, d.19.d.6.p.405

Leo.

Unde tam fortis, D.4.d.6.p.93
Leonum oſſa colliſa ignem concipiunt, D.5.d.21.p.124

Levitas.

Eſt à calore & raritate, D.5.d.20.p.123

Liquor, liquatio.

Liquida quomodo miſceantur, D.6.d.7.p.145
liquatio unde, d.14.p.154
liquida an nutriant, d.14.d.8.p.321

Lux, lumen.

Ligna putrida cur luceant, D.22.d.4.p.455
lumen non eſt ſubſtantia, d.6.p.456
lumen eſt qualitas realis, d.7.ib.
Differentia inter lumen & lucem, d.8 & 11.p.457.& 458
lux, lumen & radius quid, ib.
lumen videtur per ſpeciem, d.9.p.457
lucida poſſunt in tenebris videri, d.10.p.458

M

Mare.

Unde tam variè moveatur, D.5.d.32.p.133
Varia ſunt, ib.
maris æſtus unde & ubi, d.33.p.134

Magnitudo.

Quot terminos habeat, D.15.d.18.p.342
Quævis res habet certum terminum ſuæ magnitudinis, ibid. & 19.ib.
magnitudo quid, d.21.d.6.p.444

Mas.

An ſit calidior fœmina. D.2.d.40.p.66. & D.7.d.16.p.177
Mas per accidens non operatur in prolem ut mater, D.3.d.6.p.75
Mas vel pater quid faciat in gener. D.11.d.4.p.285

Mater.

Munus in Oviparis & Viviparis quale, D.11.d.5.p.276
Mater producit formas partiales, d.8.d.18.p.210

Materia.

Quomodo mutabilis & diverſa, D.1.d.21.p.29
materia prima & ſecunda, D.2.d.1.p.30
eſt ſimplex, d.2.p.31
materia ſublun & caleſt. eſt einſd. rationis, d.3.p.33

poteſt Deus novam & diſtinctam materiam creare, d.4.p.34
Eſt ingener. & incorrup. d.5.p.35
materia etiam dicitur generari & corrumpi, ib.
materia prima quid, d.6.p.35
eſt extenſa per quant. d.7.p.35
non exiſtit naturaliter abſq; quantitate. d.8 p.36
poteſt Deus conſervare materiam abſq; forma & quant. ib.
exiſtit entitate propria, d.10.p.37
conſtat actu metaph. & potentia phyſica, ib.
materia habet ſuũ extenſum à quant. cõgenita, ib.
conſervatur in loco & non in puncto ſicut Angeli, d.11.p.39
eſt potentia paſſiva & non metaph. d.12.p.40
potentia materia quid, d.14.p.41
materia eſt pars eſſent: hominis & petri, d.15.& 16 p.41.42.
quomodo formam appetat, d.17.p.43
Etiam materia ſola ſem. poteſt cum vi formatr. producere organa, d.3.d 6 p.75
Eandem materiam poſſunt informare dua forma totales divinitus. d.9.d.16.p.229

Maturatio.

Quid & quis ejus effectus. D.6.d.13 p.159

Medulla.

Qua vivat, D.19.d.12 p.412

Medicamenta.

An nutriant animal, D.14.d.6.p.319

Melancholia.

Quotuplex & unde, D.7.d.15.p.176
Quid, d.16.d.11.p.356
Quomodo corrumpatur, d.17.p.364

Membrana,

Quid, D.4.d.5.p 91.
membrana fœtum involventes qua & quis uſus earum, d.3.d 11 p.79 d.18.d.5

Membrum.

Qua membra cuius formentur, D.3.d.11 p.79
omnia ſimul formantur, ib.

Memoria.

Memoria intellectiva non eſt diſtincta ab intellectu, D.25.d.19.p.521
quid memoria ſenſitiva. d.23.d.9 p.478
non eſt diſtincta a phantaſia, ib.
quomodo differat à reminiſcantia. d.10.ib.

Metalla.

Horũ cauſa effic. D.6.d.5.p.144.& d.8.d.10 p.200
non vivunt, d 19.d.6 p.405
qua eorum materia, D.8.d.10.p 198
An nutriant, D.14.d 9.p.321

Meteora.

Ignea, D.5.d.21.p.125
aerea, d.29 p.131

Mineralia.

Quid & unde, D.8.d.10.p.201

Miſtio.

Ad hanc qua corpora requirantur, D.6.d.2.p.140
Quid, & quomodo ſumatur, d 3 p.142
generatio miſti, quid, d.3 p.142
differ. inter miſtionem & gener. miſti, ib.
non fit in igne, d.8.p.147
an fiat ex atomis, d.9.& 10.p.147.& 148

Mixta.

An ſint homogenea, D.4.d.3.p.91
rarè fiunt ex ſolis Elementis, d.5.d.18.p.121
mixta imperfecta ſunt exhalationes, d.35.p.136.
forma miſti à quo producatur, d.6.d.5.p.134
miſtum corruptum non reſolvitur in 4. elementa, d.16.p.157.

Modus.

Non poteſt ſeparari à re modificata.

Mola.

Vnde fiat, D.2.d.23.p.48.& d.36.p.63

Monoceros.

An detur, D.8.d.17.p.208

Monſtra.

Qua aërea, marina, terreſtria. D.3.d.17.p.86
non ſpectant ad homines, d.18.p.87
Quid ſit monſtrum, d.19.p.87
quomodo intendatur à natura, ib.
Qua cauſa, ib.
unde conſtet monſtrum eſſe animal unum vel duo, ib.

Mores.

Quomodo ſequantur temperamentum, D.7.d.15. p.176
unde cognoſcantur in hominibus, d 22. 185.

Motiva potentia.

Quid & quotuplex, D.24.d.1.p.487
quare detur, d.2.ib.
ubi ſubjectetur, & unde derivetur, d.5.p 490

Motus.

Quomodo producatur motu ignis aut qualitas, D.5 d.21 p.124
quot motus fiant in rarefactione ſanguinis, D.15. d 16.p.341
acceptio motus, d.21, d.5.p.443
organum motus voluntarij quod, d.24.d.5.p.490

Mulus.

An aſinâ imperfectior, D.3.d.6.p.75
non habet vim generativam, ib.

Muſculus.

Eſt organum motus voluntarij, D.24.d.14.p.496
ex quibus partibus conſtet, ib.

N.

Nervi.

Quid & unde oriantur, D.4.d.15.p.101

Nihilum.

Ex nihilo nihil fit, D.1.d.1.p.10

Noctambuli.

Quomodo inter dormiendum operentur, D.3.d.13. p.82
quare vocati facilè cadant, d.1.d.14.p.42

Numerus.

Formaliter ſumptus eſt ens rationis. D.21.d.5.p. 443

Nutritio.

Quid & in quo formaliter conſiſtat, D.13.d.7.p. 304
quomodo differat à generatione, ib.
qua partes nutriantur, d.13 p.310
An ſemper & continuò nutriatur homo, d.14.ib.
quamdiu animal ſine nutritione poſſit vivere, ib. p.311.
An nutriant odor, vinum, res liquida, ſolida, medicamenta &c. d.14.d.6.& ſeqq.p.312
quomodo nutriantur animalia perfecta ſolo ſanguine, d.10.p.322
quomodo nutriantur vegetabilia. d.14 p.326

O. Ob-

O.

Objectum.

Facultatis nutritiva, D.14.d.1.p.315
unum eſt materiale, alterum formale, ib.
objecta quomodo lædant, d.21.d.9.p.445

Oculus.

Conſtitutio oculi, D.22.d.1.p.452
oculi non habent internam lucem, d.14.p.460

Odor.

Non nutrit, D.14 d.8.p.321
quomodo reficiat, ibid.
odorifera quare diu ſentiantur, d.21.d.13.p.448
quomodo percipiatur odor, d.22.d.22.p.464

Olfactus.

Organum quod, D.22.d.21.p.463

Operatio.

5. ſunt genera operationum, D.9.d.39 p.250
in homine ſunt omnes operationes ab una anima, d.11.d.13.p.281.

Organa.

Quæ cauſa principales organorum in fœtu, D.3. d.7.p.76.

Os.

Quid, D.4.d.6 p.92
quomodo nutriantur oſſa, d 14.d 11 p.324
an vivant, d 19.d.13

Ovipara.

Quomodo generentur, D 3 d 7 p.76
à qua cauſa efficiente producantur. d.18.p.87

P.

Partes.

Quid ſit pars, D.4 d.1.p.89
quæ diviſio, d.2.p.89
quæ partes ſpermaticæ, d.4.p.91
quomodo conſtituant & contineant corpus organ. d.16.& 17.p.102.
partes carnoſæ ſunt calidiores quã ſperm. 20.p.105
mutua actio & paſsio partium. d.7.d.20.p.183
partes quantitativæ & extenſ. vel graduales & intenſ. vel entitativa, d.8.d.9.p.197
partes ſimilares animata, d.19.d.1.& 3.p.401
partes heterogeneæ quæ, d 3.p.402
pars princeps in homine qualis, d.17.& 18.& 19. p.418.& 429.

Partus.

Quid, D.18.d.13.p.395
initium & finis parturitionis, d.14 p 396
an partus octim. vivat, d.15.p 397
cauſa partus, d.16 p.398

Peccatum.

Originale quid, D.9.d.33.p.244
quomodo propagetur in hominem, ib.
quomodo anima contrahat illud, ibid.

Pelecanus.

An detur, D.8.d.17.p 208

Pennæ, pili.

An vivant, D.19.d.14.p.413

Perſpicuum.

Quid, D.22.d.5.p.455

Phœnix.

An detur, D.8.d.17.p.208

Phantaſia & Phantaſma.

Phantaſia apprehendit etiam colorem, D.21.d.5. p.443.
quid, d.23.d.15.p.483.& d.25.d.4.p.512
operatio phantaſiæ quid, d 17.p.484

Pituita.

Quid, D.16.d.11.p.355
pituita excrem. in quas ſpecies degeneret, d.17. p.364.

Planta.

Non creſcit caſu, D.2.d.20.p.46
omnes habent ſemen, d.21.p.47.
generatio earum, d.3.d.7.p.76
quomodo in ſe transmutentur, d.15.p.84.& d.8. d 12.& 13.p.203.204.
planta quid, d.8.d.13 p.203
plantarum ſpecies & partes, ib.
earum antip. & ſymp. ib.
quomodo naſcantur & à qua cauſa. d.14.p.204
plantarum appetitus, d 9.d.39.p.249

Pluvia.

Quid & quomodo fiat, D.5.d 29.p.130
etiam ſub zona torrida ſunt maxima pluvia, ibid.

Porus.

Quid, D.15.d.8.p.334

Potentia.

Non poteſt intelligi abſq; ſuo actu, D.2.d.9.p.37
quotuplex, d 12.p.40.d.9.d.6.p.217
potentia conſervativa quid & qualis, d.5.d.12. p.116.
potentia obedientialis facit creaturam creare, D.8. d.7.p.196.
an pot. vitales poſsint à Deo ſeparari realiter ab anima & ſeparatim exiſtere, d.12.d.14 p.297.
an pot. humanæ differant à brutalibus, d.15.p.298
omnes pot ſunt activa, d.21.d.3.p.441
potentia læditur per accidens. ibid.

Primi parentes.

Quomodo genuiſſent extrà reatum, D 2.d.39 p.65
habebant eand pot gener. quam cum reatu, ibid.
habuerunt temperam perfectiſsimum licet mutabile, d.7.d.8.p.166.
etiam extrà reatum non manſiſſent ſemper in paradiſo, ibid.

Principium.

Variè ſumitur, D.1.d.1.p.9
dantur, ibid p.9.10
quid ſint principia intrinſeca, d 3.& 4.p.11.12
principia chymicorum quid & quæ, d.8.p.15
principia externa, d.9.p.17
differentia inter cauſam & principium, d.10.p.18
contrarietas eorum, d 14.& 16.p.21.
quomodo perpetuentur, d.21.p.28
quomodo inceperint, d.17.p.24
quare principia dicantur ſimplicia, d.6.d.15.p.155 156.

Privatio.

Quid, D.1.d.6.p.14
an ens reale vel rationis, ibid.
quomodo cognoſcatur, ibid.
quomodo differat à negatione, ibid.
in creatione non datur privatio, d.16.p.22

Produci, generari ſeu fieri, mutari, moveri, creari.

Quid, D.8.d.7.p.192

Pueri.

Quale temper. habeant, D.7.d.13 p.173
an ſint calidiores viris & quomodo, d 13.d.12. p.309.
an pueri vel juvenes ſint calidiores, d.17.d.10. p.374.

Digitized by Google

pueri abundant calido innato, ibid.
quare pueri multum creſcant, d.12.p.376

Pulmones.

Quo motu moveantur, D.24.d.23.p.503

Putre.

Ex quo putri gignantur inſecta vel animalia imperfecta, D.8.d.17.p.209
à qua cauſa effic. d.18.p.209

Pygmæi.

An dentur, D.3.d.17 p.86

Q.

Qualitas.

Quæ ſint qualitates elem. D.5.d.14 p.117
quomodo ſint in elementis, qualit. ſecunda, ibid.
qual. ſecunda non ſunt ſemper ex commiſtione primarum. ibid.
qual. duæ conjunctim ſumpta ſunt proprietates elementorum, ib.

Quantitas.

Qua quantitas non ſuſcipiat magis & minus D.15.d.15.p.340.
quantitas duplex, d 17.p.341
qua quantitas producatur in augment. ibid.
quantitas emanat à materia, ibid.

Quidditas, vide cognitio quidditativa.

Quies.

Accepta pro permanentia rei eſt quid reale, D 21. d.6 p.443.
an ſit aliqua quies inter dilatationem & compreſſionem cordis & arteriarum, d 23.d.16

R.

Rarum, raritas.

Raritas, quid, D 15.d.14.p.339
an in rarefactione acquiratur nova quantitas, d.15.p.340.
acquiritur tantum novus modus, d.15.ib.
in rarefactione nihil reale accedit, ib.

Reactio.

Datur, D.14.d.5.p.319

Recordari.

Quare potius unius quam alterius recordemur, D.24 d.19.

Res.

Deſcribuntur utplurimum per ſua accidentia, D.5.d.7.p.112.
res non differunt niſi per formam, d 9.d.1.p.215
res materialis poteſt etiam eſſe in immateriali, d. 12.d.10.p.292.

Reminiſcentia.

Quomodo differat à memoria. D.23.d.10.p.478
an ſit diſcurſus perfectus, ibid.
convenit ſolis hominibus, ibid.

Reſpiratio.

Quid, D.24.d.24.p.504
quæ eius organa & quomodo fiat, d.25 p.504
eſt motus voluntarius, d.28.p 506
animalia propriè reſpirant, d.29.p 507

Reſurrectio.

Etiam eſt vera generatio, D.8.d.11.p.202. & 19 p.211.

Riſus.

Quid, D.24.d.15.p.496
cur illati cur rideant, ibid p.497
ſolus homo ridet, ibid.
quare facilius rident pueri & fatui, ibid.

S.

Sanguis.

Unde calidus, D.14.d.4.p.318. & d.3.d.9.p.77
quomodo animal perfectum nutriatur ſolo ſanguine, d.10.p.322.
non eſt immediatum alimentum animalis, ibid.
an ſit primum alim. fœtus in utero, d.12.p.324
an ſanguis alimentalis fœtus differat à menſtruo, d.13.p.325.
ſanguis menſtruus eſt excrementum ob ſolam abundantiam, ibid.
quid per ſanguinem intelligatur, d.16.d.1.p 343
ſanguis nō eſt homogeneus, d.3 & 12.p.347.& 358
eſt in venis & arteriis, ibid.
hunc non habent omnia viventia, d.4.p.348
nec eo carent omnia animalia imperfecta, ibid.
effectus ſanguinis, d.5.ibid.
unde ſanguis ruber, d.7 p 350.
ſanguinis concoctio in venis, ibid p.351
natura ſanguinis, quæ, d.9.p.352
natura ſanguinis menſtrui, d.10.p.353
cauſa huius excretionis, ib p.355
an ſanguis ex quovis humore poſſit generari, d.13 p.358.
ſanguinis circulatio, corollario, p 369
ſanguis non eſt animatus, D.19 d.8 p.406
quomodo ponatur in SS. Eucharistia, ibid.
quomodo moveatur in corpore, d.9.p 407

Sanitas.

Quomodo conſiſtat in humido & calido, D.17.d. 6.p.371.

Sapor.

An ſemper nutriat quod ſapit, D.14.d.17 p.328
quomodo percipiatur, d.22.d.25.p.465

Satyrus.

Datur, D.8 d.17.p.208
eſt ſpecies ſimiarum, ibid.

Senſus.

Quid, D.21.d.1.p.440
eſt activus & paſſivus, p.441
ſingulare repræſentatur ſenſui, d.4.p.442.
ſenſus non percipit ſpecies, d.15.p.449
ſenſus an ſint virtutes influentes à cerebro, d.17. p.450.
quomodo diſtributi ſint animalibus ſenſus, d.23. d.3.p.473.
animalia perfecta habent omnes ſenſus, ib.

Senſus internus.

Quomodo pendeat ab externo, D.12.d.16.p.297
detur ſenſus internus, d.23.d.1.p.472
unde ſic dicatur internus, ibid.
diſtinctus eſt ab ext. ſenſibus, ibid.
etiam animalia imperfecta habent ſenſum int. d 3. p.473.
ubi reſideat ſenſus int. ibid.
ſenſus int. re unus eſt, officiis multiplex, d.2 ib.
ſenſus interni non differunt ſubjecto, d 4.p.475
obiectum ſenſus interni quod, d 5.ib.
unde producantur ſpecies ſenſus, d.7 p.476

Semen.

Habet in ſe principium activum & paſſivum, D.2 d.3.p.33.& d 3.d.6.p.74.
ſemen quid, d.24 p.50
ubi gignatur, d.25.p 52
unde producatur, d.26 p.54

utrum-

utrumq; ſemen eſt activum & paſſivũ, d.30.p.58
ſemen effuſum quare liqueſcat, d.31.p.58
tuinſit ſemper. ibid.
quomodo differat à ſanguine & lacte, d.32.p.59
an animatum, d.19.d.15.p.414
an plantarum animatum, ib.& d.8.d.12.p.203
ſemen canis an canis, d.9.d.8 p.224
ſemina vegetabilium an vivant, ibid.

Senſile.

Eſt objectum ſenſus, D.21.d 5.p.443
ſenſibile duplex.d.7. ib.
quomodo ſenſibile non ſentiatur, ibid.

Sentire.

Non ſentiuntur qual.naturales intrinſeca, D.21. d.8 p.445.
ſentire quid, d.16 p.450
quid ſentiatur cum dolore, d.22.d.31.p.469
an homo neceſſario ſentiat, d.33.p.470

Sexus.

In animalibus perfectis & non in imperfectis neceſſarius eſt, D.3.d.15.p.84
in plantis non eſt propriè uterque ſexus, ibid.
nec in mineralibus, ibid.

Similitudo, diſsim.

Inter prolem & parentem unde & quotuplex, D.3.d.12 p.81.
unde diſsimilitudo. d.15.p.83

Siccatio, vide exiccatio.

Singulare.

An intellectus cognoſcat prius ſingulare, D.25.d.10.p.515.

Sitis.

Quibus conveniat, D.13 d.15.p.313
qua concurrant ad ſitim. ibid.
qua definitio cauſalis & formalis, ibid.
in qua parte corporis ſit ſitis, d.16
unde ſitiant meticuloſi, d.19.d.9 p 407

Somnus. ſomnium.

Quid ſit ſomnus & quomodo fiat, D.23.d.13 p 480
quomodo ſolvatur, d.16
ſomnium quid, d.17 p.484
ſomnia quadam ſunt fallacia, d.18.p.485
ſomnia immittunt etiam ſpiritus, d.19.p.486
ſomnia naturalia, ibid.
quot genera ſomniorum, d.18.p.485

Sonus.

Venit ad aures per ſpeciem, D.22.d 18.p.461
ſonus ex ſe ſit in inſtanti, ibid.
ſonus quomodo reflectatur, d.19.p 462
ſonus an producat ſpeciem an alium ſonum, ibid.

Spado.

Etiam ardet venere, D.2.d.23.p.49
quomodo differat à caſtrato & Eunucho, ibid.
cur ita pingueſcat, d.19,d.2.p.402

Species.

Species incompleta multa differunt. D.2 d.32.p.59
quotuplices ſint ſpecies, d.21 d 9.p 445
ſunt neceſſaria. ibid.
per ſpecies quid intelligatur, d.10.p.446
ſpecies ſunt accidentia & activa, ibid.
pertinent ad diſpoſitionem, ibid.
non ſunt qual.naturales & ſtabiles ſed intent, d.11.p.446.
unde & quomodo producantur. ibid.
ſpecies ſenſuum intern. non nobiliores quàm ext. d.13 p.448.
ſunt diviſibiles, d.14.p.448
ſuſcipiunt magis & minus, d.15.p.449
ſpecies rerum quomodo ordine redeant, d.23.d.4.& 10.p.478.
conſervantur in ſpiritibus, d.17.p.484
dantur ſpecies intelligibiles, d.25.d.6.p.513
ad has producendas concurrit effic.phantaſma, d.7.p 514. (p.514.
quomodo concurrat ad ſpecies immateriales, ibid.

Spinalis medulla.

Quid, D.4 d.14.p.106

Spiritus.

Vitalis putreſcit, D.5.d.10.p.114
ſpiritus metallicus an detur, d.9.d.8 p.222.
ſpiritus animal. quomodo gignãtur, d.17.d.15.p.379
ſpiritus vitales non gignuntur in fœtu utero, d.18.d.6.p.388.
nec anima es, d.8.p.390
unde horũ generat. & quomod. in fœtu, d.9.p.392
an ſpiritus animati, d.19.d.10.p 408
quid ſpiritus & quotuplex, d.11.p.409
ſpiritus naturalis an detur, ibid.
an ſpirit9 gignatur ex aere, ib.& d.24.d.19 p.499
generatio ſpiritus vitalis & animalis, ibid
nullus ſpiritus differt a ſanguine, ibid.

Subſtantia.

Quomodo hæc dicatur aliquando magis talis, D.5.d 8 p.112.113.
quare dicatur ſimplex, d.6 d.15.p.155
ſubſtantiam immediatè eſſe activam implicat ex Rubio, d 12.d.12.p.294
quomodo cognoſcatur ſubſtantia, d.25.d.11 p.516

Suſcipere magis & minus.

Quid. D.5.d.8 p.112
non eſt idẽ quod intendi & remitti, d.15 d.15.p.340

Syrenes.

An de[tur], D.3.d.17.p.86

T.

Tactus.

Organum quale, D.21.d.27.p.466
quomodo fiat tactus, d.29.p.467
quos gradus qualitatis ſentiat tactus, d.30.p.468
organum tactus non ſentit ſuam qualitatem, ſed tantum objecti, d.31.p.468
unus tantum eſt tactus, d 32. p.469

Talpa.

An animal perfectum, D.22.d.36.p.471

Teſtes.

Abſq; teſtibus nemo generat, D.2.d.25.p.53
an ſemen abſque iis generetur, ibid.

Theriaca.

Eſt miſtum perfectum. D.6 d.7.p.146

Temperamentum.

Quid, D.7.d 2.p.161
non eſt qualitas ſimplex, d.3.p.162
nec aliqua quinta, ſed temperatio primarum, ibid.
temperamentorum diviſio, d.6.p.165
temperamenti perfectio in quo conſiſtat, d.8.p 166
datur temper. ad juſtitiam, d.7.p.166
etiam ad pondus & quomodo, d.9.p.167
effectus temperamentorum, d.15.p.175
temper. ſumitur a corde, d.19.p.182
nunquam ex toto deperditur, d.21.p.184

Tendo.

Quid. D.4.d.7.p.93

Terminus.

[d.18.p.341
Qui ſint termini magnitudinis & parvitatis, D.15.

omnia habent certum terminum ſua magn. & parvitatis, ib. & d 19. p 342.

Terra.

Quid Deus primitus ex terra produxerit, D.1. d. 29 p.26,
quare terra fuerit rudis & invifibilis, ibid.
terrâ ſublatâ aqua deſcendet, d.5.d.15.p.128
terra eſt frigida & ſicca, d.35.p.136
eſt ubique habitabilis, d.36.p.136.137
terra motus quid, d.38.p.138
tremor terra tempore Chriſti fuit miraculoſus, ib.
terra maximè producit ſiccitatem, d 35. p.136

Totum.

An differat à ſuis partibus, D.7.d 3 p.162

Tradux.

Quid, D.19.d.8.p 223
an doctrina de traduce ſit nova vel antiqua, ib.
per traducem produci animam quid, d 30.p.239

Tranſmuratio.

Subſtantialis, quid, D.1.d.2.p.11
quid accidentalis, ibid.
datur utraque in homine, ibid.
tranſmutatio elementorum, d.5.d.13.p.116
quomodo fiat tranſmutatio hominum in beſtias, d.11.d.21.p.287.

Tunica.

Quid, D.4.d.5.p.92

V.

Vagio vel cambio.

Quid & quomodo fiat, D.8.d.20.p.222

Vaſa ſpermarica.

Semẽ gignitur in vaſis ſpermaticis, D.2.d.25.p.52
an major vis cõficiendi ſemẽ in vaſis an in teſtib. ib.

Vegerari, vegetabile.

Vnde ſic dicatur, D.13.d.1.p.299

Vena.

Quid, D.4.d.7.p.94
unde oriantur vena, d.11.p.96
vena porta unde oriatur, d.12.p.97

Venenum.

An nutriant animal, D.14.d.6.p.319

Venrus.

Quid & quotuplex, D.5.d.29.p.131

Vinum.

An nutriat, D.14.d.8 p.521

Vigilia.

Quid, D.23.d.13 p 480

Vinculum.

Quid & cuius uſus, D.4.d.7.p.93

Vis ſeminalis.

Vnde, D.2.d 29 p.56
an aquè ſit in ſemine maris ac fœmina, d.30.p.57

Vis untens ſoluta.

Non eſt ejuſd. ſpeciei cũ formatrice, D.3.d.8.p.76
non omnia ſoluta reunit ut oſſa, ibid.

Vis formatrix & gener.

Vis form. non eſt eadem cum gener. D.2.d.27.p. 54 & d 3 d.6 p 74.
amba ſunt principaliter in generante, ibid.
non ſunt potentia vitales, d.28 p.55
non ſunt eadem in ſemine & generante, ib.
vis form. poſt corpus formatum perit, d.3.d.8 p.77
vis form. quomodo imprimat ſpeciem parentis in prolem d.13.p.83
vis nutrit. augm. & gentr. quid, d.13.d 3.p.302
vim gener. etiam ſones habent, ib.
vis generativa duplex, ibid.

Viſio, viſus.

Viſus non ſentit ſe videre, D.21.d.4.p.442
viſus requirit mediũ extern. ad ſenſionẽ, d.8.p.445
viſio quomodo fiat, d.22.d.2.p.453
in qua parte, d 3.p.454
quod eius obiectum, d 4 p 455
unde viſus nobiliſſimus inter cateros ſenſus, d.13. (p.459.

Vita.

Quid, D.10.d.1.p.254
vita cauſa & principia, d.2.ib.
qualis calor ad vitam neceſſarius, d.5.p.257
quomodo frigus ſpectet ad vitam, d 6.p.258.
qua cauſa longa vita, d.7 p.259
qua viventia habeant longiorem vitã, d.8.p.260
quare vita jam brevior quã olim, d.9. & 10.p.262
vita an perpetuari poſſit, d.11. & 12.p.264
vita princ. eſt cor, d.18 p.269
qua vita prius incipiat in animali, d.20. p.271
quamdiu vita poſsit naturaliter ſine cibo & potu tolerari, d.13 d.17.p.333

Vnio.

Datur inter materiam & formam, D.11.d.1.p.273
eſt diſtincta ab utraque, ib.
producitur ſola unio in reſurrectione, ib.
quid ſit unio, d.2.p.274
ubi recipiatur, d.3.ib.
an materialis vel ſpiritualis, ib.
quis producat eam, d.5.p.276
eſt naturâ prior quam forma, ibid.
quomodo unio ſpiritualis poſsit produci ab agente materiali, ibid

Vniverſale.

An intellectus cognoſcat prius ſingulare an univerſale, D.24.d.20

Vniverſum.

Eſt perfectiſsimum, D.2.d.4.p.34

Vox.

Vocis inſtrumenta, D.21.d 20.p.462
quid ſit & quomodo fiat, ibid.

Volupras.

Quomodo fiat, D.22.d.32 p.469
voluptas eſt actus appetitus ſenſitivi, d.31.p.470
ad voluptatem qua concurrant, d.32 p.469

Volunras,

Imperat facultati motiva, D.24.d.28 p.506
determinat phantaſma & dominatur actibus liberis, ibid.
an diſtincta ab intellectus. d.25.d.10.p.522
an intellectus vel voluntas nobilior, d 22.p.523
an voluntas ſit libera, d.23.p.523

Vnicornu, vide Monoceros.

Vſus, vide functio.

FINIS.

Digitized by Google

A01 1461061

Digitized by Google

G.51.

Digitized by Google